Digitized by Google

6
36 AM
21

Digitized by Google

Digitized by Google

Ricuperato dal Vaticano Dilo Giugno 1819

Digitized by Google

DISSERTATIONES,
COMMENTARII,
NOTÆ,

In Concilia tum generalia, tum particularia.

Authore LVDOVICO THOMASSINO *Presbytero Congregationis Oratorij Domini* IESV.

Del Conv.to de' Minori Osservanti di S. [redacted] all'Is.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ Librorum Ecclesiasticorum iussu Regis constitutæ.

M. DC. LXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI D. D.

HARDVINO DE PEREFIXE,

PARISIENSIVM ARCHIEPISCOPO

REGIORVM ORDINVM CANCELLARIO,

SORBONÆ PROVISORI.

IN tuum, velut in familiarem ſibi, & cognatum ſinum ſponte conuolat, (ILLVSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS) *hæc antiquorum Canonum, & Conciliorum interpretatio. Vt enim Iſidorus Cyrillo Epiſcopo Alexandrino ſcribit :* Sicut Rex qui legibus paret, viua Lex eſt : ita Sacerdos, qui regitur ſacris regulis, Canon mutus eſt. *Mallet fortè aliquis Sacerdotem elinguium alioqui Canonum linguam & vitam dicere. Quod & de Baſilio Magno dictum*, Cujus lex, lingua Eccleſiæ : & verbo- Lib. 3. ep. 306.

Iuris Orien. To. 1. p. 200.

Digitized by Google

rum ſonus, diuinitùs ſcriptæ tabulæ, Dei digito inſculptæ. *Satius vtrumque reciprocabitur, vt Epiſcopi Canonibus, Canones Epiſcopis viciſsim lumen, vocem, vitam affundant & refundant.* Petrus Cell. l. 6. epiſt. 25. *Cûm enim Pontificibus* ſua tam familiariter Deus reuelauerit conſilia, vt etiam ad ſupplementum Euangeliorum, Epiſtolarum, & Prophetarum, perpetuâ ſtabilitate, Canones & Decreta ſtatuerint, pari penè obſeruantiâ tenenda cum Euangelio: *hanc quoque Canonum & Euangeliorum conſanguinitatem ſanxit, vt Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Antiſtitum antè tabulis cordis carnalibus conſignarentur, quàm libris circumferrentur.* Hincmari Tom. 2. pag. 767. 389. *Ideò* coram omnibus electoribus & ordinatoribus ſuis diſtrictiſſimè profitebãtur ante ordinationem ſuam Epiſcopi, & propriâ manu ſubſcribebant, ſacras re-

Digitized by Google

gulas ſanctorum Conciliorum, ſeu librum Canonum qui in manus eis dabatur, quantùm ſcierint, & potuerint, ſeruaturos. Qui ſacri Canones, Spiritu Dei conditi, & totius mundi reuerentiâ conſecrati, ita decernunt: Siquis contra ſuam profeſſionem, vel ſuam ſcripturam venerit in aliquo; ipſe ſe honore priuabit. *Ideò olim Auguſtinus* ſategit, vt Conciliis conſtitueretur Epiſcoporum, ab ordinatoribus debere, Ordinandis vel Ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam deferri. *Ideò iubentur Clerici* à Pontificibus neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipere. *Nimirum* Canones ſuos nec ignorare quenquam, nec diſſimulare permittitur. *Quippe* Eccleſiaſticorum Canonum norma nulli eſſe debet incognita Sacerdoti; quia neſciri hęc à Ponti-

Poſſid. in vita Auguſt. c. 8.

Conc. Aurel. IV. c. 6.

Aurel. III. c. vlt

Innoc. in Decret. c. 32.

Digitized by Google

fice ſatis eſt indecorum, maximè cùm à Laïcis religioſis viris & ſciatur, & cuſtodienda eſſe ducatur. *Ideò denique in omni ambiguâ ſpecie per Canones enucleandâ, vrgentur Presbyteri* Epiſcoporum ſuorum implorare ſententiam. *Suppudet ergo iam me, quòd Canones Synodoſque interpretari, hoc eſt, Epiſcopalis dignitatis & muneris partes longe pulcherrimas inuadere occupauerim: reus anté Canonum, quàm interpres: vel eo reus ipſo, quo interpres. Pudet & muneris tibi cupidè deſtinati, quo furti aſtringi periclitor. Sed rurſum cedit verecundia, cùm recurrit animo, nec Deo niſi ſua refundi munera: alioqui inuidioſam fore eius opulentiam, ſi dum noſtram egeſtatem ſubleuat, oneraret pudorem: inſidioſam munificentiam, ſi dum beneficiis ornat, reddendæ vicis ſolatia inuideret. Ita nunc Epiſcopales tibi regerimus diuitias; nec noſtris, ſed tuis te*

Conc. Ticin. an. 850. c. 6.

muneribus

Digitized by Google

muneribus cumulamus; Pontificiis te cingimus ornamentis. Noſtrum fuit has copias explicare, admirari, admiratoribus propinare, & tum denique veſtras & Epiſcopalis cenſûs proprias profiteri.

Sed propria hæc tua, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, *& peculiaris ſupellex eſt, qui Regiæ inſtitutioni præfuiſti. Cuſtos enim, Executor, Defenſor Canonum in ſacris publiciſque monumentis paſſim Princeps audit. Canonum ergo quoque prudentiâ imbuendus eſt, & charitate. Regi, vt Pontifici, vniuerſales etiam Synodi fauſta imprecatæ ſunt. Pontificali igitur ſcientiâ aſpergendus eſt.* Regia poteſtas non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſt collata. *Eccleſiæ ergo lacte, iam inde à cunabulis, & in Epiſcoporum maximè ſinu* Reges *nutriendi ſunt: vt ipſa viciſſim poſteà* mamillâ Regum lactetur; & Reges Nutritios, Reginaſque Nutrices *habitura, cæleſti vbere Regina*

Chalced. Syn. Leo epiſt. 41. Hincmarus To. 2. pag. 189.

Iſaiæ 60. 16. & 49. 23.

& Nutrix Eccleſia beneficentiæ gloriam anteuertat. Omnis Rex & Imperator habet officium publicum ad publicam vtilitatem ordinatum. Publica verò vtilitas eſt pax. Principium autem pacis eſt, ad finem æternum dirigere ſubditos: & media illum pertingendi ſunt ſacra inſtituta religionum. Quare prima cura Imperialis in iis obſeruandis verſatur. Ita legimus Paganos Imperatores Pontifices Maximos nominari, propter curam, quam impendebant religioni. *Cùm Rex igitur & Pontifex idem, aut tantumnon idem ſit; Pontificum vtique lacte fouendus eſt, manu fingendus, ore, linguâ, ingenio expoliendus: vt quo recens imbutus fuerit, odorem ſeruet diu: innouetque illud, quod de Ludouico IX. ſanctiſſimo Galliarum Rege ſcriptum eſt:* Non ſolùm in Regni regimine de corporum aut rerum corporalium cuſtodiâ anxius erat, vt omnes quaſi

Caſaubon. l. 3. Concor. c. 7.

Guillel. Carnot. in eius vita.

Digitized by Google

pupillam oculi conſeruaret : ſed de ſalute etiam animarum vltrà quàm credi poſſit, piâ vſurpatione permotus, ſic de ipsâ curabat attentè, quod etiam quodammodo Regale Sacerdotium, aut Sacerdotale Regimen videretur pariter exercere. *Itaque vt alios miſſos faciam, præſtantiſſimi Pontifices, S. Remigius Clodouæo, & in eo Chriſtianitatem dedicante, poſteris omnibus : Hincmarus Carolo Caluo : Ionas Pipino : Gallicani omnes adeò Antiſtites* An. 819. An. 836. *Synodi Pariſienſis ſextæ, & Aquiſgranenſis ſecundæ, Regibus noſtris Regni Sacerdotaliter adminiſtrandi inſtitutionem delinearunt. Eoſdem hortata eſt* ex vtroque ordine Conſiliarios *ſibi aſciſcere Synodus apud S. Macram, exemplo Caroli Magni*, qui ſapientiâ tam in ſanAn. 831. ctis Scripturis, quàm & in legibus Eccleſiaſticis & humanis Reges Francorum præceſſit, nec vllo vnquam tempore ſine tribus de ſapientioribus

Digitized by Google

& eminentioribus Consiliariis suis esse patiebatur, &c. Et quæ siue in die, siue in nocte, de vtilitate sanctæ Ecclesiæ & de profectu ac soliditate Regni meditabatur, in tabulis adnotabat, & cum eisdem Consilariis suis tractabat: & quando ad Placitum suum veniebat, omnia subtiliter tractanda plenitudini Consiliariorum suorum monstrabat, & communi consilio illa ad effectum perducere procurabat. *Horum tu vti patriis ingressus vestigiis, & crudam explicanti pueritiam, & pubescenti, & maturo demum animi corporisque robore*, præmaturo autem sapientiæ senio quodam, & Consiliorum canitie *Regnum nunc moderanti Augustissimo Principi, ea infudisti, ea irroras adhuc Cœlestium, Ecclesiasticarum, Ciuilium legum mandata, ea virtutum documenta animo, linguâ, stylo; quibus ornatus, auos vincendo magis illustret: euadatque non*

Ambros. de Valent. obi.

Digitized by Google

Henrico tantùm Maior, ſed Carolo Auguſtior, Sanctior Ludouico. At præ cæteris id, quo cætera continentur, quàm præclarè inſinuaſti: Præſenti & futuræ ſaluti profutura ſectamini: quæ agenda ſunt, proſpicite diligenter, & retractate ſubtiliter, communicato conſilio cum Dei, veſtriſque perfectè fidelibus. Nec vos cuilibet ita ſubiiciatis, vt ad eius arbitrium omnia faciatis. Cur enim Regium nomen prætenditis, ſi regnare neſcitis? Non expedit vobis & populo, vt aliquem vobis æquetis, nedum præponatis. Vicem vos gerere Dei, quis ignorat? At ipſe dicit, Gloriam meam alteri non dabo. Non admittantur ergo à vobis, qui gloriam veſtram inter ſe ipſi partiantur, & meliorum amorem alienent à vobis. *Id vel vnum documentum eſt, & abundè eſt, vt diuinas humanis, publicaſque priuatis rationes antepoſueris. Itaque ad rerum guberna-*

Lupus Ferrar. ad Carol. Reg. epiſt. 64.

ćula ſedere tum maximè meruiſti, cùm ʊt nequis omnino ſederet, cùm ʊt impoſitam ſibi diuinitus perſonam, regiamque prouidentiam Rex *ʊnus impleret, perfeciſti. Regios illi animos, & tanto ponderi pares, natura præfinxerat, doctrina confirmauit. Itaque quod Deo, quod ſibi, id tibi quoque* Rex *debet, regnare ʊt nulli debeat: quod* Deo, *quod* Regi, *id tibi quoque debet, id gratulatur Gallia ʊniuerſa, quod* Regni *fræna non torqueat ʊicaria, ſed* Regia *manus, mens Imperatrix moderetur. Itaque ſi peruigil excubat Princeps, ſi pacis bellique conſilia indefeſſus tractat, id tuæ olim parturiebant ʊigiliæ, hæc tu ſapientiæ mandabas ſemina, cùm bibulum & ſequacem animum per hiſtorica Maiorum monumenta circumagebas. Lectitandi, meditandique ſtudio, omnem retro recenſebas cum illo auorum* Regum *ordinem*, fataque, fortunaſque virûm, moreſque, manuſque: *quæ fortitudinis, quæ ignauiæ*

Digitized by Google

præmia : vnde laudum, vnde dedecoris ſeges ; quæ pietati deſponſa ſit gloria, quæ regias etiam labes poſthuma infamia vlciſcatur. Emicabat iam tum Principis animus ſui ſibi conſcius ; & tum naturæ ſponte, tum his doctrinæ incitamentis ſtimulatus, ardebat ire per auitæ virtutis vestigia, hauſtoſque ignes & impetus explicare : ſed hoc fortitudinis & ſapientiæ ſpecimen edendum ante fuit, vt ſe priùs, quàm alios regeret : gubernacula cùm vacua eſſent, tunc tranquilliùs occuparet : diu diſceret regnare, nunquam poſteà docendus, nunquam dedocendus : Regiarum virtutum torrentem quendam eo inuictiùs poſteà, pleniuſque effunderet, quo diutiùs cohibuiſſet. Sed quamlibet vicem Dei Rex gerat, illumque æmulari debeat, qui nullum in gloriæ ſuæ ſocietatem adſciſcit : ex iſta tamen laude aliquam tibi partem decerpi non illubenter ſinit. Refluit porro in ipſum cum fœnore, quod in te effluit : &

Digitized by Google

in tanta Regiarum *virtutum luce ſplendidiſſimè radiat inuictiſſimi, modeſtiſſimique Principis illa gloria*, Regnare *vt nulli debeat, tibi idipſum ſe debere inter familiares nonnunquam ſermones gloriantis. Conſentaneum fuit autem, vt qui priùs* Regem., *idem poſteà* Regiæ *vrbis Eccleſiam inſtitueres, regereſque. Cognata ſunt hæc munera, & conſerta. Imbuitur illic* Rex, *Eccleſiæ defenſor; hic Eccleſia* Regina, Regum *Parens & cura: illic* Epiſcopus exterior & communis *Eccleſiarum; hic Eccleſiæ diſciplina interior, & anima ipſa fingitur: illic demum in Principe genus ipſum humanum vltro Principis exemplis & moribus coaptandum; hic omnes quodammodo informantur* Regni *Eccleſiæ in huius* Regiæ *vrbis Eccleſiâ, vt quæ communis ſit quædam Patria omnium: & Chriſtianæ Theologiæ, Deificæque diſciplinæ ac defæcatioris ſanctimoniæ magiſtra, & veluti ſcatebra, Galliam*

in

in omnem exundans & inexhauſta.

Poſtremò rationes etiam tibi referendæ fuere Archiepiſcopalis huiuſce Seminarij Clericorum nobis concrediti. Tuum enim hoc prædium eſt, quod excolimus: tua domus, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, *quam incolimus. Excoluere & incoluere iam olim non noſtri tantùm, ſed tui etiam Maiores.* Priuſquam quis ad conſe- *Capit. Car. Mag. Add. l. 3. c. 48.*
crationem Presbyteratûs accederet, manebat in Epiſcopio, diſcendi gratiâ ſuum officium tandiu, donec poſſent & mores & actus eius animaduerti: & tunc ſi dignus fuerat, ad Sacerdotium promouebatur. *Epiſcopi* *Capit. Car. Mag. l. 1. c. 72.*
ingenuorum filios aggregabant, ſibique ſociabant; & vt Scholæ fierent per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia curabant. *Epiſcopus quiſque* talem *Conc. Meld. an. 845. c. 38.*
iuxta ſe habere decertabat, qui iuxta ſinceriſſimum & puriſſimum ſenſum Catholicorum Patrum, Presbyteros aſſiduè inſtrueret & informa-

Digitized by Google

ret. *Edixerat enim Carolus Magnus*, vt Epiſcopia & Monaſteria etiam in literarum meditationibus docendi ſtudia impenderent. *In Galliâ olim* Nouas Athenas, *ſed ſacras molitus erat Alcuinus*, *nimirum* eruditionis ſcholaſticæ & ſapientiæ *theſauris ab Egberto Archiepiſcopo Eboracenſi*, *Magiſtro ſuo*, *locupletatus. Et certe in eadem Angliâ Theodorus Cantuariènſis Archiepiſcopus* congregauerat diſcipulorum cateruam, ſcientiæque ſalutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant. *In Hiſpania* Lectores ipſi in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentiâ à Præpoſito ſibi erudiebantur. *Quid Auguſtinum in domeſtico Clericorum Collegio*, *niſi Doctorem ſuſpicabimur? Quid Alexandrinam Scholam è ſuo ſuggeſtu ad Marci Cathedram plures prouehentem? Quid Gregorium Nazianzenum*, *Hieronymi Catechiſten? Denique ab his Epiſcopalibus Scholis ſcaturiere*

Conc. Gall. a. 742.

Alcuin. epiſt. 10.

Beda l. 4. c. 2.

Conc. Tolet. II. c. 5.

Digitized by Google

in Orbem vniuersum quæcumque etiam-nunc splendidissimæ florent Academiæ; & originis suæ haud immemores, Pontificibus nexu & mancipio quodam addicuntur. Itaque patrius hic tibi ager quodammodo est; quem triumphales, vt ita dicam, agricolæ laureatis manibus olim subegere Maiores tui, sanctissimi, doctissimique Episcopi: quem Apostolici oris, pectorisque irrigauere fontibus; quem spiritalibus immortalibusque sibi conseuere plantis; quem primò Episcopalibus ædibus adiacentem quotidianis exercuere curis: posteà ad negotiosi otij sui delicias, & ad sacri silentij ac secessûs amœnitatem, suburbanum habere maluerunt. Hunc nos quasi vicariis operis & sudoribus excolimus, sed vt tuum, tuâ vice, tua prouidentia & lege: Nec aliter fructus eius omnes, & hos nunc quidem præcipue tibi repræsentamus, quàm vt fouendos, coquendos, maturandosque tuo illo lumine, & diuino quodam Sole,

quo celeberrimam toto orbe Sorbonam, hoc eſt, Chriſtianæ Theologiæ natale quoddam & diues ſolum illuminas, foues, ac Prouiſoris nomine munereque ampliſſimo tueris. Facies munuſculo huic pretium, ILLVSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *ſi gratum eſſe monſtrabis. Iudicij patrocinijque tui radio, & excuſſus fugiet, ſiquis vndecumque ingruit, maleuolentiæ nimbus : & frugis maturitatem tota meſſis, cuius has tibi prælibamus primitias, aſſequetur. Muneris tenuitatem excuſare ſuadet modeſtia, pene vetat æquitas. Te, tuaque enim tibi offerimus. Vnum hoc non impar tibi donum eſt. Quod adeò extenuaſſe, liuoris iam magis ſit, quàm pudoris. Spes illa quoque non vana ſuperat, fore vt ſeu dignitate muneris, ſeu accipientis humanitate, offerentis obſcuritas obruatur & deliteſcat.*

Datum in Ædibus Sammaglorianis Seminarij Pariſienſis Preſbyterorum Oratorij Domini IESV.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

CONCIONATORES, Confessarios, Oblatos, Diœceseon Vicarios generales, *sacrorum veterumque Canonum, constitutionum Pontificiarum, Conciliorum & Decretorum notitiâ ac scientiâ* priùs imbui debere, quàm sua obirent munia, sanxit primigeniæ Cleri sanctimoniæ nuperus, idemque ter maximus restaurator sanctus Carolus Borromæus. Vnum hîc promam Carolum à Basilica Petri, vitæ eius Scriptorem: *Vsitatam Iurisconsultorum scientiam, quâ fuerat occupatus adolescens, minimè ad se pertinere ratus, Theologica & Canonica tantùm nouit, quantum Cardinali magnam Ecclesiam regenti efficere posse concessum est. Ex Theologiâ Scripturas diuinas potissimum sequebatur, tum veteres Patres, &c. Canonum ea scientia periucunda erat, quæ Patrum mores & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet: dolens eos communi*

I. Hanc lucubrationem in Concilia & Canones quæ lex, quæ necessitas extuderit, & extruserit in publicum. *Acta Eccl. Med. p. 476. 519. 837. 658. Lib. 7. c. 11. 34.*

Digitized by Google

consuetudine tantùm Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites iudiciaque valent. Iamdiu est, quod vt morem huic S. Caroli instituto & exemplo gereremus, in hocce Archiepiscopali Regiæ Vrbis Seminario, præter Scripturæ Sacræ, & defæcatissimæ S. Thomæ Aquinatis Theologiæ iuges & quotidianas meditationes, tertium quemque annum veterum Canonum & Conciliorum interpretationi impendimus: biennium interiectum vendicante sibi ac partiente Annalium Ecclesiasticorum, & Antiquorum Patrum lectione, tum Canonum illuminationi perneccessariâ; tum ab eodem ipso legislatore nobis præfinitâ. Verùm dum in domestico Clericorum Auditorio Canones admiramur; nec tam ipsos interpretamur, quàm sanctorum Patrum, ipsorummet qui Canones condiderunt, interpretationes depromimus: multa loquentis ab ore rapta, & volaticis furtim adnotata calamis, subitariis posteà scriptitationibus commissa, vt quisque meminit aut sapit: sed præsertim Amanuensium posteà aut oscitantiæ, aut inscitiæ credita, difficile dictu est, quantis mendis atque erroribus obsorduerint. Nihil intentatum reliquimus,

Digitized by Google

vt huic malo occurreretur. Incassum cecidit conatus omnis. Huc tandem nos ipsa vitandorum, quæ hinc emergebant, discriminum necessitas, atque eorum, quibus liberam hanc deuouimus seruitutem, authoritas adegit: vt typis ista potiùs mandaremus, etsi nondum satis castigata, sed ab illa subitariarum scriptitationum, & dormitantium exscriptorum labe intacta.

II. Cur in Dissertationes, Commentarios, Notas partienda illa fuerit.

Vt autem ad Conciliorum, Canonumque studiosis facem accendendam, *Dissertationes*, *Commentarios*, *Notas* instrueremus: iussit ipsa rerum pertractandarum natura, & varietas. Longè plurima sunt enim, quibus amica Notarum breuitas abundè erit. Sunt & multa tanti momenti, vt paulò operosiùs, prolixiusque Commentanda sint. Sunt denique non pauca, quæ quantacumque dissertationum vbertate, & vt ita dicam liberâ loquacitate, vix satis queant enucleari: tantis illa sunt ambagibus, tantis contentionum molestiis impedita. Rerum ingenio & modo ratio tractandi, methodusque famulari debuit, non dominari. Ex quo id quoque natum est, vt aliquam semel ingressi controuersiam, vni alicui, cui bellius concinebat, Synodo aptatam:

Digitized by Google

ibidem ex reliquis quoque Synodis ſi qua eiuſdem erant argumenti, decerpta contexeremus: id breuitati, vtilitati, delectationi accommodatius rati, ſi capitalia non diſcerperentur, ſed ſuis partibus, numeriſque conſtarent in vnum compacta diſciplinæ Eccleſiaſticæ argumenta. Vt verò Notis & Commentarijs, tum earum quas hîc prælibamus, tum aliarum Synodorum Canones & difficultates quaſque explanaturis, præirent Diſſertationes & in lucem antè exirent: in causâ fuit harum dignitas & momentum: cùm his grauiſſimæ controuerſiæ elucidentur, & præfigantur quaſi regulæ, quibus reliqua breuiùs perſtringenda deinceps coaptentur. Opportunius etiam erit, excitam Diſſertationum prolixitate nauſeam, ſuccinctâ Notarum breuitate recreare.

III. Cur omnis hæc Conciliorum elucidatio, ex mediâ Patrum antiquorum Theologiâ depromatur.

Porro Synodalium controuerſiarum, Canonumque elucidamenta à ſanctis Patribus maximè accerſere, & ab iis potiſſimùm, qui cuique Synodo vel affuere, vel propè abfuere: conſultiſſimum viſum eſt. Ecquis enim Synodorum arcana certiùs promet, ipſis earum authoribus, facibuſque? Legum omnium interpres optatiſſimus, & digniſ-

ſimus.

Digitized by Google

simus est, legum ipse lator. Qui siue fidei, siue morum regulas in Synodo verborum summâ parcitate temperabant: illi ipsi posteà eaidem præclarissimis lucubrationibus, & tota Thologicæ eruditionis opulentiâ exornabant. Quin ipsæ Synodi veteris & medij æui tum œcumenicæ, tum locales complurimæ, corrogatis veterum Patrum, & nuperorum etiam quandoque Scriptorum testimoniis inferciri se & locupletari gaudebant. Quid æquius ergo, quàm earum genio in illis tractandis seruire? Quorum est autem magis Synodos versare, interpretari, illuminare, quàm Theologorum? Theologicum istud penu, Theologicum peculium est. Sua sunt Historicis, Chronologis, Geographis, Grammaticis regna alibi latissima, in quibus se iactent: Theologo in Synodis patria regio, patria hæreditas est. Vertex Theologorum Petrus fuit. Theologicus Senatus Apostoli, Patres Ecclesiæ, iidemque Theologi: & ex illis artium floribus, vnâ maximè præfulgentes Theologiâ, Synodos agitauere, suam seu fidei, seu morum decretis Synodicis Theologiam consignauere. Denique & ad antiquissima, & ad media, & ad nuperri-

Dionys. cap. 3. de dia. Nom.

Digitized by Google

ma Concilia conuolare iussi, oro te, quinam ex illo Eruditorum grege? nisi Theologi? Canonici enim Iuris prudentiam nunquam à Theologiâ dissociabimus: nihilo plùs, quàm Canones, Patrumque scita à Sacris Literis; hoc est, vt tritissimè dicitur, Conclusiones à Principiis. Ergo suprà laudatæ artes, vt Theologiæ, ita Conciliorum doctrinæ ancillentur, nec præterea quidquam audeant: non indigenas se, non vernaculas, sed peregrinas hîc & hospites esse intelligant: atque ad secundarias tantùm pefunctoriasque operas acciri. Si quis autem inter lacinioſas sanctorum Patrum, priscorumque Pontificum ac Theologorum dissertationes nauseet, & præ his Criticas, aut qualesiibet suprapositarum artium concupiscat delicias; næ ille delicatissimi & insolentis fastidij est, qui in Ecclesiastico hocce thesauro, aurùm præterit, vt legat quisquilias. Quanto conducibilius erit, vt hæc omnia partes suas agere, & siue primo, siue extremo loco, citra inuidiam aut rixam, operam nauare præcipiantur? Etsi non paria, non pœnitenda tamen ab his omnibus subsidia ad Conciliorum illustrationem possunt accedere. Vt alios porro sileam, vide-

Digitized by Google

sis, vt Zonaras, vt Balsamon apud Græcos in commentatione Canonum desudarint. Ex Scripturis, ex sanctis Patribus, ex ipsissimis Synodis, reciprocâ semet luce perfundentibus, ex Imperatoriis denique legibus, quos in hâc etiam parte imitari non sumus grauati, suam omnem interpretationem consarcinarunt.

IV. Ex Conciliorum lectione fructus longè vberrimus ad Theologos, Clericosque informandos pertinet.

Dilucidius id fiet nimirum, si qui capiendus sit maximus ex Conciliorum meditatione fructus, excutiamus. Cælestium vtique fidei dogmatum Sapientiam hinc haurire, disciplinæ Deificæ antiquitatem, administrandorum Sacramentorum, componendorum morum, vitæ tum Christianæ, tum Ecclesiasticæ ad primæuam castimoniam reformandæ leges certissimas exculpere, retundendis ac debellandis hæreticis tela victricia hinc expedire votum est, spes est, certa fiducia est. Hos metere fructus, Theologicæ prorsus operæ, atque industriæ est. Ex reliquâ artium familiâ, Historia sæpiùs feret suppetias. Sed nos, vt in Theologicas potissimùm effunderemur dissertationes, præter ipsam Conciliorum dignitatem, quæ extra Theologiæ sacrarium vilescit penè, & obscuratur: compulit loci, temporis, at-

Digitized by Google

que instituti necessitas. Clericorum enim seminaria, humanâ eruditione reliquâ sparsim irroranda fortassis illa quidem sunt: at Theologicis fontibus vbertim irrigari, & penè inundari, ab antiquis & recentioribus Patribus Synodisque mandantur.

V. Harum Diss. fructus triplex: hæreticorũ suggillatio, Concilij & Pontificis, Sacerdotij & Imperij concordia.

Istarum in primis Dissertationum triplex fermè scopus ille est; vt nuperis occurratur hæreticis, & nouæ indies ab illis excogitatæ machinæ perfringantur: vt famosæ inter Orthodoxos lites de Concilij & Pontificis potestate sopiantur: vt Sacerdotij & Imperij concordia neutri contumeliosis superstruatur fundamentis. Siqua Imperij iura, siqua Priuilegia liberaliùs prosequenda fuere, ea Caroli Magni, & Francorum deinceps imperio adserenda suo loco erunt, vt verè Christiano Imperio, ad Christianæ legis ingenium à cunabulis suis concreto & temperato, nullâ prioris superstitionis, nullâ Gentilitiæ dominationis peregrinitate, aut quasi natiuâ feritate præoccupato. Consule, si vacuum est, sub Caroli Magni nomine publicatum à Gallicanis Antistitibus volumen, ex quo pauca hîc ista carptim delibo: *Priscæ gentilitatis obsoletus error, Christi aduentu repulsus, quoddam cernitur*

Lib. 1. cap. 3. l. 3. cap. 15.

in his reliquisse vestigium, qui se fidei & religionis Christianæ iactant. retinere fastigium: qui & intra Ecclesiam nouas & ineptas constitutiones audacter statuere affectant: & se Diuos, suaque gesta Diualia gentiliter nuncupare non formidant. Quibus multo etiam acerbiora inferiùs improperant.

Scintillabit quoque, vt reor, ex his aliqua lux, quâ hodiernis concertationibus offusa caligo diluatur. Errores enim, librosque errorum fatores proscribi ab Ecclesiâ, defensoribus non destitui; nunc aperto marte, nunc per cuniculos defensari; easdem factorum à iure cauillatorias distinctiones obtrudi; frustratorias has ludificationes vel vigore Canonum comprimi, vel etsi veniâ & remissione iuris abuti aliquandiu sinantur, sponte suâ diffluere & euanescere tandem; Authoritatem Ecclesiæ, & indiuiduam eius comitem, vel ducem potiùs Veritatem, vbique & indiscriminatim regnare victricem, omnibus retro sæculis crebrum & familiare fuit. Arij, Priscilliani, Pelagij, Nestorij, Eutychetis, Theodori, Theodoreti, Ibæ & aliorum scripta, à Synodis confixa, tueri se quidam ita cauillabantur, vt affictos errores, & à se & ab

VI. Indidem elucebit, quàm non possint damnati semel ab Ecclesiâ libri defensari: & quàm inanes ac nugatoriæ sint, in câ certè re, iuris & facti distinctiones. Ne dispensatione quidem & silentio, vibratæ damnationis vires languescere aut eludi posse.

Digitized by Google

illis abſtergerent : ſed has tergiuerſationes nunc cenſuræ aſperitate ſtatim vlta eſt, nunc diſpenſatione diſſimulauit aliquandiu Eccleſia, ſemper auerſata eſt, ſemper aliquando tandem obtriuit. Defenſionem enim trium Capitulorum quamuis Gregorius, aliique Pontifices non diſertè eiurari expreſſerint, mirabili quodam veniæ temperamento : quam illam tamen execrati ſint, argumento illud eſt, quod eam tandem omnes etiam Occidentales abiecerint ; idque perdiu & conſtantiſſimè, niſi quod vni & alteri eadem licentia nuper obrepſit. Illa quoque nos ſpes adhuc delectat, qui nunc Ianſſenianam de gratiâ ſcriptionem ab hæreticâ infamiâ, & ab inflictæ damnationis ſententiâ purgare plus nimio ſtudent, caſſo & fœdo conatu deſituros aliquando ; & ſeu clementiâ, ſeu vigore iuris, cuius vtriuſque prudentia arbitriumque penes Pontifices eſt, fractos, aſſenſionem ſuam, quam nunc ſuſpendunt fortaſſe magis, quàm negant, Magiſtræ & Reginæ Eccleſiæ accommodaturos.

VII. Fruſtra ſunt, qui diſſenſu ſuorem ampliari vel ſuſpendi putant.

Fruſtra ſunt enim cùm olim nemine diſſentiente damnatos libros ganniunt, adeoque eorum damnationi ſubſcribendum

Digitized by Google

fuisse: nunc multorum interceſſione rem ampliari & ſuſpendi. Contrà enim totum eſt. Olim diſſentiebant plures, nimirum Epiſcopi: nunc nulli. Epiſcoporum eſt enim Synodicis vel Eccleſiaſticis quibuſcumque definitionibus conſentire, vel diſſentire. Reliquus Eccleſiæ grex in paſtore eſt: membrorum ſenſus & nutus omnis in Capite, & à Capite religatus eſt. Vt in Synodo Eccleſiam repræſentante, ita in Eccleſiâ ipsâ extra Synodum in aliquid conſpirante, ſuffragij ius penes Epiſcopos eſt. Itaque qui nunc diſſentiunt, nulli ſunt, nullo loco, nullo numero ſunt. Idque ipſi ſentiunt, dum nomina premunt. An definitiones qualeſcumque Eccleſiæ, non dico, in irritum mittet, ſed vel ſuſpendet diſſenſus eorum, qui quanti, qualeſve ſint, & neſcitur, & neſciri ipſi volunt? Circumferuntur paucorum Epiſcoporum nomina & epiſtolæ: ſed hi conſentaneos ſe Sedi Apoſtolicæ & vtrique eius Conſtitutioni, atque à nutu Pontificis pendulos ſe profitentur. Preſbyteri verò, & multò magis his inferiores, audiant animoque mandent, quid ad Epiſcopos Galliarum reſcripſerit olim Cæleſtinus Papa, aduerſus *neſcio quos Presbyteros*, Epiſt. 1.

Digitized by Google

qui dissensioni Ecclesiarum studebant, & indisciplinatas quæstiones vocabant in medium. Vestræ dilectioni iustiùs imputamus, quando illi super vos habent copiam disputandi. Legimus supra Magistrum non esse Discipulum: hoc est, non sibi debere quenquam ad iniuriam Doctorum vindicare doctrinam. Nam & hos ipsos nouimus à Deo nostro positos ad docendum; cùm sit dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, vbi Magistris tacentibus hi loquuntur? &c. Qui si ita est, eorum discipuli non fuerunt, &c. Ergo corripiantur huiusmodi. Non sit his liberum, habere pro voluntate sermonem. Sciant se, si tamen censentur Presbyterij dignitate, vobis esse subiectos. Nam quid in Ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant prædicandi? Ne doceant ergo Presbyteri Episcopos, Discipuli constitutos à Deo Magistros: ne suæ illis vel in definiendo, vel in præcipiendo potestatis & officij limites statuant: ne Ecclesiarum Principibus principari & dictata dare audeant. Meminerint post Arium latissimè in Ecclesiâ, diutissimèque Presbyteris concionandi etiam ad populum interdictam fuisse facultatem; & absolutè nostra omnia Presbyterorum,

Digitized by Google

rorum, precaria & obnoxia pendere à nutu Episcoporum: quorum est ἡ ἀρχιερωσυνὴ, Sacrorum omnium, ac proinde & doctrinæ principatus.

VIII. Exulauit semper hactenus à Confessionibus formulisque fidei illa iuris & facti distinctio,

Si qua iuris factique distinctio in librorum damnatione vsurpanda fuisset, hanc nobis Pontifices præissent, hanc vtcumque vsurpatam non explosissent. At inhærebat eis, quod idem eorum prædecessoribus ibidem inculcauerat Cælestinus; *Desinat incessere nouitas vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare.* Vetustas enim illa est, quòd per tot retro iam lapsa sæculorum volumina exulauit semper ab Ecclesiasticis definitionibus, & Confessionis formulis illa distinctio. Nouitas est autem, quòd nouam quandam speciem ex suâ dissensione emersisse sperant; cùm eorum vt paucitatem sileam, nec nomen, nec momentum, nempe quia nec suffragij ius sit vllum in Episcopalibus fidei sanctionibus. Nouitas est, quòd Scholæ decretis, non conciliare, sed vel renitentem subiugare Episcopatum orbis vniuersi moliuntur. Obsequuntur, non præeunt filij Patribus, Presbyteri Episcopis, Scholæ Magistri, Magistris Ecclesiarum. Nulla ideo vel su-

Digitized by Googl

ſpicanda pugna vſquam eſt, inter Scholæ placita & decreta Pontificum: ſi qua foret vnquam, illa his vtique aptanda, inflectendaque forent. Alioqui non Epiſcopis tantùm, ſed ipſa ſibi conflictaretur Schola, quæ non poſſe vniuerſum Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopatum hæreſi vllâ vel implicari, vel greges ſibi creditos implicare conſentit. Ergo vbi Pontificum toto orbe nuſquam à ſe diſſentientium euidentia ſunt decreta, his vtique aſſentiendum; his accommodanda interpretando eſſe ſua quælibet placita hortatur ipſamet Theologica Schola. Securi maieſtatis ſuæ, gnari conſtantiſſimæ hactenus conſuetudinis Antiſtites, errores libroſque damnauêre priſco more, id eſt, indiſcriminatim: Epiſcopatu Orbis Catholici conſentiente, conſenſuram & iam conſenſiſſe Eccleſiam vniuerſam, & Eccleſiæ veluti flores delibatos, Scholas Theologicas, neutiquam dubitauere. Epiſcopi enim, ceu Apoſtolorum ſucceſſores, *ipſa Chriſti Schola eſt, quos & ſibi Diſcipulos Dominus adoptauit, omnia vtique edocendos: & nobis Magiſtros ordinauit, omnia vtique docturos.* Epiſcopi, *Eccleſia Catholica filij diſcendo, & Patres docendo.* Epiſcopi, *Eccle-*

Tertull. in Scorpi.

Aug. lib. 3. con. Iul. n. 3.

Proſper con. Coll. in fine.

Digitized by Google

ſiarum Principes & legitimi iudiciorum Domini miniſtri.

IX Huiuſmodi cauſarum Eccleſiaſticarum Iudices ſunt Epiſcopi, horumque adeò ſententiâ ſtandum eſt.

Denique cauſarum omnium Eccleſiaſticarum, niſi ſuſdeque vertamus omnia, Iudices non alij ſedebunt quàm Epiſcopi. Ergo quid fidei formulis inſcribendum ſit, quæ facta à iure, & quî ſecernenda: quibus humana, quibus diuina fides deuouenda; vbi promiſcuè hæc & accommodatè priſcæ omnium hactenus Eccleſiæ ætatum ac Synodorum ſimplicitati inuoluenda, Epiſcoporum eſt iudicare ac definire: noſtrum eſt Epiſcopali ſententiæ ſubſcribere. Eſto vt noſtrum quandoque ſit litigare, ſed litigatorum non eſt iudicare: ſed noſtrum non eſt de Iudicibus noſtris iudicare: ne in nos illud Cypriani deflectatur: *Nec enim hæreſes aliunde ortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùm Sacerdotum collegium quidquam moueret; nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe non iam Epi-* lib. 1. ep. 3.

Digitized by Google

ſcopi, ſed Dei faceret. Quantuſlibet ergo diſtinctionum, litiumque, ſeu nouarum, ſeu veterum ſtrepitus obtundat Eccleſias: de his omnibus iudicabunt *vice Chriſti* Pontifices: quà Eccleſiæ *Patres, Magiſtri, Iudices:* & horum ſententia ibit in ſæcula: quæ ſecùs obſtrepunt, velut fabulæ & inſomnia vaneſcent. Quocirca iuuabit illud vſurpare Ferrandi Carthagin. Diaconi: *Vtinam mihi fide ſimplici, quam Catholica per vniuerſum mundum docet Eccleſia, ſic donet Deus eſſe contentum: vt omni ſi fieri poteſt, huius vitæ miſerabilis tempore, orationi & ieiuniis vacans, plangam cum puſillis fratribus meis delicta multa & grauia.* Et mox: *Loquantur & prædicent, quibus honor Sacerdotij docendi authoritatem tribuit: nos diſcere parati ſumus, docere alios non præſumimus. Interroga igitur ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cuius ſana doctrina conſtat iudicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diuerſa terrarum loca Pontifices.* Nec alios præterea magiſtros adiri, vel audiri iubet.

Ad Severum Schol. n. 1.

X. Cur in antiquis Synodis & controuerſiis tractandis, ab hac

In antiquis autem Synodis explanandis, ab hodiernâ hâc concertatione attingendâ

Digitized by Google

consultò abstinui; quòd illa non inanis me iuuet spes, fore vt ad meliora se consilia referant ij, qui cunctantur adhuc vt Ecclesiasticæ authoritati, quæ ad veritatem tam fida dux toties fuit, eritque etiam doctissimis, animum inclinent: vt denique tam præclara ingenia, tantam eruditionis copiam, elegantiam scribendi, tuendæ Ecclesiæ, & propagandæ paci, pietatique reddant. Pontificiæ authoritatis equidem pedissequus, quos illa cumque & quandiu Ecclesiæ Catholicæ gremio fouebit, his maculam inurere temperabo. Est & charitas sæuiens, scio: sed Paterna magis, Paterna antè, quàm Fraterna. Postremò anathemata librare & moderari, Pontificum est. Ille nostro ordini modus consentaneus est, vt Episcopos sequamur, non anteeamus: & tum maximè sequamur, cùm aliis, quod morosiùs sequantur, vel omnino non sequantur, vitio damus. Etenim quid nobis optatius esse queat, quàm quod Beatissimo Pontifici ex Apostolica Cathedra Apostolicam clementiam explicanti: *vt omni rerum præteritarum ex hominum animis euulsâ & abolitâ memoriâ, pristinum decus existimationi & laudi antiquæ restituatur* eo-

temperatum sit cõcertatione hodiernâ, atringendâ.

Alex. VII. Pont. Max. in breui ad Louan.

Digitized by Google

rum, qui *omnia obedientiæ documenta* exhibituri ſperantur.

XI. Romanæ Eccleſiæ vt omnium prorſus librorum cenſura permittenda ſit.

Vſque adeò autem certum mihi, fixumque eſt obſequi, nec manu tantùm, ſed animo & pectore totò ſubſcribere Eccleſiæ Catholicæ, & Magiſtræ Eccleſiarum omnium Romanæ, Pontificique, qui Petri & locum tenet, & fidem prædicat: Epiſcopiſque omnibus, Catholicâ ſeu Romanâ communione, vnanimique conſenſione gaudentibus: vt ſi quid illi in hac ſcriptiunculâ meâ aliquando improbauerint; id egomet iam nunc eiurem, id in anteceſſum execrari me profitear: conſcius id ſingulariter ſcribenti mihi propoſitum fuiſſe, vt aduersùs Apoſtolici verticis & Epiſcopalis Collegij ſententiam, nulli vnquam doctrinæ, nulli ſcriptioni damnatæ fauere aut patrocinari quenquam poſſe conſtaret: atque ita ſchiſmatum, hæreſumque retro & poſthac omnium radices, ſtirpitus præciderentur. Manet altâ mente repoſtum nobis, quod Carolini voluminis conſarcinatores olim teſtificati ſunt: *Qualiter Romana Eccleſia cæteris Eccleſiis à Domino prælata, & à fidelibus conſulenda ſit, proſequamur. Præſertim cùm non ab aliis Scripturis, niſi ab his,*

Lib. 1. c. 6.

Digitized by Google

quas illa inter Canonicas recipit, testimonia sint sumenda: nec aliorum Doctorum, nisi eorum, qui à Gelasio vel aliis illius sanctæ Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda. Et quod Hincmarus Rhemensis Episcopus in epistolâ præsultrice operis operosissimi; de prædest. *Et si diuinis & authenticis Scripturis, & Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ, sanctaque Romanæ Sedis fidei, & orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem sanctæ matri Ecclesiæ præsederunt, & qui ab eâdem Apostolicâ Sede Romanâ nobis in Canone recipiendi dati sunt: sensum nostrum in eisdem Capitulis expressum concordari, demonstrare potuerimus: agere veraciter, humiliter & deuotè studebimus. Quia aliorum ad stipulandum nostræ Catholicæ intelligentiæ sensum, sententias recipere, nec proferre voluimus. Cùm constet illud esse verum atque Catholicum, quod ipsa Mater omnium Ecclesiarum, & vniuersalis Ecclesia duxerit ad probandum.* Subdit & illis assurgendum esse posterioribus Scriptoribus, vtputa Bedæ, Thodoro, Alcuino, Paulino, *qui prioribus consonant, & quorum fidem ac doctrinam Apostolica Sedes Romana non solùm benignissimè acceptauit: verùm & multis laudibus*

Digitized by Google

extulit. Quæ de Scripturarum libris, de antiquorum Patrum, de nuperorum Scriptorum commentariis dicta, non satis constant, imò ludificatoria sunt prorsus, nisi certum & inconcussum non de erroribus tantùm, sed de libris ipsis iudicium Apostolicæ Sedis & vniuersalis Ecclesiæ esse statuatur.

XII. Maiorum exemplo dicta scriptaque omnia Romani Antistitis correctioni subiiciuntur. Lib. de Incarn. c. 1.

Complectimur ergo animo toto illa Anselmi verba ad Vrbanum II. Papam: *Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam committeret: ad nullum rectiùs refertur, siquid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesiâ, vt eius authoritate corrigatur; nec vlli alij tutiùs, siquid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentiâ examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ita nulli libentius præsentem epistolam quam vestræ destino sapientiæ: quatenus siquid in eâ corrigendum est, vestrâ censurâ castigetur: & quod regulam veritatis tenet, vestrâ authoritate roboretur.* Complectimur & illa Bernardi: *Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ Ecclesiæ præsertim authoritati, atque examini totum hoc, sicut*

Epist. 174.

&

& cætera quæ eiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo; ipſius, ſiquid aliter ſapio, paratus iudicio emendare. Amplectimur & illa Petri Damiani: *Nos ſiquid errauimus ad Petri Magiſterium corrigendi libenter accedimus: & retractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa, vt ita loquar, officina fabrilis; cui nimirum is, qui fabri dicebatur filius, præſidet: ad cuius regulam omnis meritò moneta recuditur: ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vſquam deprauatum fuerit, reformatur. Nos non proprias allegationes pertinaciter aſtruentes, ſed Synodalibus decretis humiliter obtemperantes; Apoſtolicæ Sedis edictum, vel quod iam promulgatum eſt, ſequimur: vel ſiquid adhuc elimatius atque ſalubrius in poſterum ſtatuendum eſt, obedientiam profitemur.* Amplectimur & illa, vt plures faciam miſſos, Thomæ Braduuardini: *Scio quid faciam, illi me naui committam, quæ perire non poterit, naui Petri. In ipsâ namque author & magiſter vnicus noſter Chriſtus tutiſſimè reſidens, de ipsâ legitur docuiſſe: myſticè nobis inſinuans, quòd apud ipſam Petri nauiculam, apud Romanam Eccleſiam, totius Chriſtianæ doctrinæ authoritas & magiſterium remaneret. Huius igitur tam au-*

Tom. 3. Opuſc. 1. & Gratiſſ. c. 39.

Præfat. lib. de Cauſa Dei.

Digitized by Google

thenticæ, tantæque Magistræ iudicio me totum, meaque omnia scripta, seu scribenda plenè subiicio, integreque submitto: cuius protectionem, vbi contra Dei hostes pugnauero: correctionem, vbi errauero: approbationem, vbi rectè sensero, instantissimè postulo totis votis. Amplectimur illa sancti Thomæ Aquinatis: *Multa docui, multa scripsi, in fide Iesu Christi, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius correctioni cuncta subiicio, cuncta suppono.* Amplectimur & illa Vitalis Cardinalis Albanensis *Duo in protestatione meâ volo includi. Primum est, quòd si in dictis meis fortè aliquid ponam, minùs prouidè, incautè, vel indiscretè, omnia per Christi vicarium corrigantur. Secundum est, quòd quidquid per eundem Christi vicarium fuerit determinatum de prædictâ quæstione, & de quibuscumque aliis, maximè ad fidem pertinentibus: omnia volo simpliciter & indubitabili fide tenere, promptè & liberè confiteri.* Quæ eò sanè pertinent, vt *animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipsa sit correctionis præmeditatione, ac præparatione Catholicus.*

Rinald. an. Chr. 1323. num. 66.

Idem an. 1322. n. 67.

Aug. l. 3. de Orig. An. c. vlt.

Accessura his quoque fuerat Dissertatio XXI. in Septimam Synodum, nisi me iam

Digitized by Google

enormitas ipſa deterruiſſet voluminis, cui à breuitate ſaltem laus & commendatio aliqua comparanda fuerat. Porro *quanquam fratribus non valeam reſiſtere, iure quo eis ſeruus factus ſum, flagitantibus vt eorum in Chriſto laudabilibus ſtudiis, linguâ ac ſtylo ſeruiam: egoque ipſe multa quæ neſciebam, ſcribendo me didiciſſe confitear:* ſentio tamen, quàm grauem in ſarcinam impares ſucceſſerint humeri. Non neceſſitatis enim illius, non priuatæ vtilitatis rationem habebunt plerique, ſed argumenti quod tractando detero, dignitatis: & in ius vocabunt audaculum homuncionem, qui tantas res aggrediatur. Ego autem vt qui meo me pede metiar, mecum habitem, & norim quàm ſit mihi curta ſupellex; gratias habebo multas, ſiqui me hoc releuent onere, vnamque mihi laudem hanc permittant, audendo audaciam valentioribus addidiſſe, locum ceſſiſſe. Interim autem dum meliores meliora impartiantur, mecum his vtere, Lector; *& noli literas meas ex tuâ opinione, vel contentione, ſed ex diuinâ lectione, vel inconcuſsâ ratione corrigere. Siquid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt*

Aug. lib. 3. de Trin. in præm.

Ibidem.

Digitized by Google

meum: at intelligendo & amando, & tuum ſit & meum. Siquid autem falſi conuiceris, errando fuerit meum: ſed iam cauendo, nec tuum ſit, nec meum.

Digitized by Google

INDEX,

ET ARGVMENTA
Dissertationum Tomi I.

DISSERTATIO I. In Synodos sub Victore Papa de Obseruatione Paschatis, Romanam, Lugdunensem, Palæstinam, &c. circa an Chr. 197. pag. 1.

Æquitas & prudentia Victoris Papæ in constituendo Paschate, & anathemate Asiaticis intentando defenditur: rem disciplinæ ad causam hæreseos & anathematis nonnunquam trahi. Vsque ad num. XIV.

Eiusdem Victoris summa potestas à contemptu vindicatur, seu comminatus, seu iaculatus etiam sit anathema: de Victore, vt & de Nicanâ Synodo non ex pancorum tunc contumaciâ, sed ex vniuersæ pòst Ecclesiæ consensione censendum: denique vt non Irenæo tantùm, sed Polycratè, imò & longè posterioribus sequioris Paschatis cultoribus patrocinium temperandum sit ex Beda. Vsque ad calcem.

DISSERTATIO II. In Synodos sub Stephano Papa in causa Baptismi hæreticorum, Romanam, Carthaginensem, &c. An. Chr. 256. 257. &c. p. 20.

Refellitur putidissima Nouatorum calumnia, tam errasse Stephanum in omnium admittendo, quàm Cyprianum & Firmi-

Digitized by Google

lianum in omnium hæreticorum baptiſmo repudiando. Euincitur ex omnium Patrum conſenſu, eandem tunc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ de baptiſmo hæreticorum, quæ poſteà fuit, & quæ etiamnunc ſupereſt diſcipline. Vſque ad num. XXII.

Deinceps vſque ad finem multipliciter ſoluitur alia quæſtio, ecquid Auguſtinus Cypriano hinc excuſationem paret, quòd nec-dum ea res plenario Concilio elucidata atque terminata fuiſſet: cùm idem ipſe Pelagiänis plenarium Concilium flagitantibus, os obturauerit, localibus Synodis & reſcriptis Apoſtolicæ Sedis litem finitam pronuncians. Oſtenditur non vſquequaque purum à culpa fuiſſe Cyprianum, qui Stephano præcipienti, qui traditioni Eccleſiarum non paruerit: Stephanum non vltra minas ſæuiſſe, & diſpenſationi acquieuiſſe: denique rem iſtam tunc ita ſpectatam fuiſſe, vt quæ ad Conſuetudines magis, quàm ad fidem attineret: Concilia autem ab Auguſtino & ſanctis Patribus ſæpius flagitata ad diſciplinam Conſuetudinum figendam, vt quæ ſuâ ſponte magis verſatilis ſit, cùm fides vna vbique ſit & irreformabilis.

DISSERTATIO III. In Synodum Nicænam An. Chr. 325. p. 61.

Ius primarium conuocandarum Synodorum generalium Pontificibus vendicatur, etſi eas conuocaſſe leguntur Imperatores. Iura à factis ſecernuntur: & iura ipſa ſtricta à remiſſis. Ad num. XI.

Romanorum Pontificum ea oſtenditur prærogatiua eſſe, iure diuino fulta. Ad num. XVI.

Ad Caroli Magni & poſteriora tempora, Conciliaque deſcenditur: Hincmari, Gallorum ſub Philippo Pulcro, Cuſani, Gerſonij, Almaini, Petri de Alliaco, iuniorum etiam Græcorum ſententia profertur, vt Pontificiæ & Imperatoriæ poteſtatis fines delineentur in conuocatione Conciliorum. Ad calcem vſque.

INDEX.

DISSERTATIO IV. In Synodum Gangrenſem. p. 92.

Vnanimi Patrum Latinorum, Græcorumque ſuffragatione euincitur, longè plurimas hæreſes iam inde ab incunabulis Eccleſiæ confictas, obtritaſque fuiſſe ſine Synodis, ſolo Epiſcoporum conſenſu: vel Synodis localibus, firmatis conſenſione Epiſcoporum & Eccleſiarum totius orbis. Synodos œcumenicas nec ipſis hæreticis in mentem veniſſe: aut ſi venerint, & ad has prouocauerint, plerumque has velut terginerſationes explosas fuiſſe. Vſque ad num. XXIII. Idem efficitur ex recentioribus Theologis, ad num. XXIX.

Conſenſio iſta vniuerſalis Eccleſiæ, quâ authorantur Synodi particulares, vel Eccleſiarum ſententiæ ſine Synodis, ad nutum & conſenſionem Sedis Apoſtolicæ religata fuit; ea enim in definiendâ fide ſemper dux præiuit, ſin minùs temporis, certè authoritatis principatu. Ad num. vſque XXXVII.

Deinceps declaratur qualeſcumque Epiſcoporum conuentus, vel ſine conuentu concentus Synodicam authoritatem obtinuiſſe.

DISSERTATIO V. In Synodum Ariminenſem. An. 359. p. 135.

Illud Hieronymi, Ingemuit orbis, & ſe eſſe Arianum miratus eſt: *nihil officere Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalitati: nec enim poſteriorem etiam illam Ariminenſem Synodum, vel Synodi partem hæreſi conſenſiſſe, ſed diſpenſationi ſeruiſſe, ex Athanaſio, Hieronymo, aliiſque Patribus palàm fit, aduersùs hæreſes antiquas & nuperas. Vſque ad num. XI.*

Illo ipſo tempore oſtenditur mira fuiſſe paucitas Arianorum, præ multitudine Eccleſiæ Catholicæ. De Conſubſtantialis voce differitur, quæ quandoque aberat à confeſſionibus Catholicis. Item de communione Eccleſiæ Catholicæ, cui perdiu Ariani intermixti fuere. Vſque ad num. XXII.

Deinceps de Lucifero Calaritano Epiſcopo. Ecquî illum à Schiſmatis infamiâ abſolvere fas ſit. Regula diſpenſationis ex Ivone

Carnotensi promuntur; iuxta quas eadem facta, vel easdem quandoque personas, putà Ariminenses Patres, nunc alij & alij, nunc iidem ipsi ex Patribus accusant, & excusant: vituperant, & laudant: citra rerum & sententiarum, etsi non citra verborum conflictum.

DISSERTATIO VI. In Synodum œcumenicam II. seu Constantinopolitanam I. p. 166.

Ius confirmandi Synodos œcumenicas est penes sedem Petri. Approbatio & confirmatio etiam aliqua à cæteris Episcopis, à sanctissimis monachis, à Catholicis plebibus exprimebatur. Sed hi omnes subscribebant confessionis magis suæ, quàm confirmationis testimonium: quo firmitatem proderent suam, non adiicerent Synodo. Id efficitur ad num. vsque XIV.

Deinde prouinciales quoque & locales quaslibet Synodos à prima sede confirmandas fuisse docetur, vt authoritatem Certam, Irretractabilem, & Vniuersalem consequerentur.

DISSERTATIO VII. De Synodo ad Quercum, & de tota causa Chrysostomi. p. 194.

Pronocatio Chrysostomi ad Synodum œcumenicam demonstratur perinde interpretanda, ac si ad Romanum Pontificem pronocasset: cuius erat eam conuocare, qui ei conuocandæ incubuit, qui eius non conuocatæ vices suppleuit, Chrysostomumque restituit. Item quid de illâ tunc sanctorum inter se virorum conflictatione sentiendum.

DISSERTATIO VIII. In Concilium Diospolitanum in causa Pelagij, An. Chr. 415. p. 212.

Vt leuiter à quibusdam perstricta, vt ab aliis accuratè defensa sit hæc Synodus: Summa Synodorum etiam localium dignitas: summa in rebus tum fidei, & iuris, tum factorum & personarum authoritas.

DISSER-

Digitized by Google

INDEX.

DISSERTATIO IX. In Concilia Carthaginenſe & Mileuitanium, anno 416. Aduersùs Pelagianos ſub Innocentio, & Carthaginenſe poſterius annis 417. & 418. ſub Zoſimo. p. 221.

Particulares Synodos à Romano Pontifice confirmari debere: & tunc demum in ſummæ authoritatis arcem eas inuadere.

DISSERTATIO X. In Concilium Epheſinum I. ſeu œcumenicum III. anno Chriſti 431. p. 233.

Romani Præſulis ius eſt, præſidere Synodis œcumenicis. Perluſtratis omnibus Synodis id oſtenditur vſque ad num. XIII.

Præſidebat etiam ſuo quodam modo & iure Imperator: ſed ea præſidendi prærogatiua longè diſpar, & decolor à Pontificiâ: vſque ad num. XVIII.

Excutitur alia poteſtas principis in numero, loco, tempore, ordine Synodis præſcribendo. Et ea probatur fuiſſe legitima poteſtas Eccleſiæ Defenſoris & Cuſtodis canonum: præter quos ſi quid princeps moliretur, eam iniuriam vel non ſilebant Epiſcopi, vel diſſenſatinè ſilebant. Vſque ad num. XXV.

Ius aliud expenditur principum, confirmandi Synodos. Nihil id officit Synodicis definitionibus, per ſeſe valituris: imò prodeſt mirum quantum. Hæc principalis poteſtas oſtenditur non imminere, & dominari Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, ſed inuigilare, & obſequi. Ad num. vſque XXXIX.

Summa damnati Neſtorij poteſtas, & Laus penes primam Sedem.

Quàm multi tum Cyrillo, Synodoque detraxerint. Vt in quæſtione facti diutiùs quidam altercati ſunt: ideoque & in fide claudicare ſuſpecti fuerint, ac tandem coacti ſint vtrique Synodicæ definitioni conſentire. Quantâ in his humanitate & diſpenſatione vſus ſit Cyrillus, imò & vniuerſa Eccleſia, vt illi recolligerentur, qui ſuum Synodo aſſenſum non tam negaſſe, quàm ſuſpendiſſe poſtea deprehenſi ſunt. Vſque ad calcem.

INDEX.

DISSERTATIO XI. In Concilium Constantinopolitanum sub Flauiano; & Concilium Ephesinum II. p. 294.

Ab Eutychete primùm, pòst à Flauiano pronocatum esse ad Concilium œcumenicum: i. ad Leonem Papam: vnam esse Pontificis, & Concilij authoritatem: ad vtrumque indifferenter pronocari: penes Pontificem esse arbitrium, insque, vt ex re visum fuerit, Concilium tunc colligere, vel sine Concilio rem profligare. Si Imperator tunc praeter Pontificis consilium Synodos colligeret, vel colligi vetaret: exitialia ea erant plerumque facta, nedum iura: nedum idonea sanciendae disciplinae exempla. Theodoretus similiter à Leone Papa restitutus fuisse ostenditur.

DISSERTATIO XII. In Concilium Chalcedonense siue œcumenicum IV. an. Chr. 451. p. 308.

Ante œcumenicas Synodos fidem praedefiniit Sedes maximè Romana, & quasi Synodis praeiuit, dictauitque, quod sequerentur. Ex Synodorum generalium enumeratione id perficitur vsque ad num. XI.

Nec Synodorum œcumenicarum authoritas hinc extenuatur, nec vlla Pontificis & Synodi conflictatio olim vel in suspicionem venit: quin alteri ex altero lucis & maiestatis fiebat accessio, siue decreta Pontificia rursus in Synodo examinarentur, siue citra nouum examen subscriberentur: quod in Pontificis erat potestate, priori examini acquiesceret, an plenius ipsemet in Synodo, & cum Synodo rem examinaret. Vsque ad num. XXV.

Pontifici aliquando supplicatum, nunquam ab ipso ad Synodum pronocatum: vt cuius cum Synodo vna & indiscreta potestas sit, itemque cum Ecclesiâ vniuersâ per Orbem effusâ, cuius ipse Caput, Cor, Os vnus est. Id antiquissimis, id nouissimis Pontificibus exploratissimum fuit; ita denique nuperae haereses à Pontifice simul, simul ab vniuersâ Ecclesiâ protritae sunt, etiam sine Synodis, vel ante Synodos. Vsque ad num. XXXIV.

Digitized by Google

INDEX.

De Dioſcori in Leonem Papam auſu nefario. De Theodoreto per Leonem reſtituto. De eodem & aliis quibuſdam fidei aſſentientibus, in facto & perſona nutabundis, pleniſſimè Synodo aſſentiri compulſus. Vſque ad num. XXXIX.

Imperator idem Sacerdos dicitur: quo ſenſu? Synodis adeſt, dum de fide quæritur, non vt fidei Dictator, ſed vt Auditor & Cuſtos. Vſque ad num. XLV.

Iudiciis canonicis abſtinuere Imperatores, multò magis à ferendis legibus eccleſiaſticis. Quin leges Canonibus inimicæ, & irritæ, & irritatæ ſunt, tum à Principe, tum ab Eccleſiâ. Vſque ad n. LI.

In cauſis canonicis ſæpe iudices eccleſiaſtici ab Imperatore petebantur, dabantur, eorum ab illo poteſtas ſæpe extra territorium prorogabatur: non ſemel Princeps ipſe de iis cognoſcebat. Hæc omnia non iuris, ſed diſpenſationis fuiſſe oſtenduntur: vt inde eluceſcat, longè conſultius, & iuri, libertatique eccleſiaſticæ accommodatius fuiſſe, vt hæc omnis eccleſiaſticorum iudiciorum poteſtas ad legitimum iudicem, ad Epiſcopum Epiſcoporum revocaretur. Vſque ad n. LXII.

Appendix ad Synodum Chalcedonenſem de ſubſcriptionibus. p. 400.

Moris olim fuit, Romanorum Pontificum literis fidem præſcribi. Quantùm ea cæterorum Antiſtitum ſcriptis etiam de fide literis antecellerent. Duplici occurritur obiectioni, aduersùs Leonis epiſtolam gannienti, quaſi illi, nonniſi ob ſuum cum Scripturis Synodiſque prioribus concentum, ſubſcriptum ſit; & ob accumulata Patrum teſtimonia. Cyrilli quoque epiſtolis ſubſcriptum, & cur? Num. I. II. III. Epiſcopalibus quoque definitionibus ſubſcriptum eſt. Num. IV. V. VI. VII. Subſcribere ſolos Epiſcopos, ſolennius fuit: quicumque tamen obliquis ſuſpicionibus perſtringebantur, ſubſcribere & ipſi compulſi ſunt, Clerici, Monachi, Laïci. Num. VIII. IX. X. Quanta obſequendi neceſſitas immineret. Vbi & illud Chryſoſtomi elucidatur, Communicate quidem, ſed nolite ſubſcribere. Illud item Auguſtini, Vires quandoque

bonos ab Eccleſiæ communione eiici. Num. XI. Imperator ſicubi Epiſcopis præcurreret, ſi aduersùs fidem, reſtitum eſt: ſi pro fide, reſtitum quandoque tamen pro libertate, ſæpius ex diſpenſatione obtemperatum eſt. Num. XII. XIII. XV. Summa Romani Præſulis authoritas in ſubſcriptionum negotio. Num. XIV. Poſt ſubſcriptiones, nihil amplius ſuſpicionum penes quenquam reſidere debet. Num. XVI. Subſcriptiones vel fidei confeſſiones plenæ, apertæ, puræ, & ſimplices eſſe debent, atque ita vt ex animo ſaltem Epiſcoporum, ceu fidei Magiſtrorum ſuſpicio infeſta expungatur. Num. XVII.

DISSERTATIO XIII. In Concilium Arelatenſe & Lugdunenſe, an. 475. p. 435.

Quid de his Synodis ſentiendum: & an illæ Fauſti Reienſis Epiſcopi doctrinæ ſuffragatæ ſint? De Fauſti doctrinâ & opuſculis cenſura Pontificum, Patrumque. Vſque ad num. X. An fuerint aliqui Prædeſtinatiani hæretici? Propius à vero abeſt, nullos fuiſſe: aut ſi qui fuerint, ſimpliciores illos, & incautos fuiſſe quoſdam, nequaquam hæreticos. Num. XI. XII. XIII. Quo animo eſſe debeamus in huiuſmodi tardiores, & ad arduа contumaciter hebetes, ex Auguſtino, & aliis Patribus, ex Romanis Pontificibus & Synodis. Vbi & eidem nauі imponendos oſtenditur Fauſtum, Caſſianum, & alios quibus Semipelagianorum additum eſt nomen: ita vt eorum quidam ſanctitate præcipui fuerint, & alicubi religioſo cultu decorentur. Vſque ad num. XXX. Complura alia eiuſdem rei exempla referuntur, numeris quatuor ſequentibus. Denique Zoſimus Papa eidem ſententiæ ex Auguſtino conſonus oſtenditur: vbi tria quædam ſubnotantur ad occupandas difficultates opportuniſſima. Num. XXXV.

DISSERTATIO XIV. In Concilium Romanum vtrumque ſub Felice II. Papa, Anno Chriſti 483. 484. p. 466.

Primæ Sedis hoc priuilegium aſſeritur, indicandi de cæteris

Patriarchis, cum generali, vel ſine generali Synodo: ex epiſtolis Felicis & Gelaſij, & expreſſis inde pluribus argumentis. Oecumenicæ Synodi vbi non datur copia, eius vicem neceſſariò ſuppleri à primâ Sede. Neceſſariò conſtituendum in Eccleſia Caput. Primatum Romanæ Sedis antiquitati tribuere, perinde eſſe, ac diuinæ inſtitutioni. Vſque ad num. XIX.

Idem colligitur ex aliorum Pontificum epiſtolis, ex Hiſtoricis item Græcis, Latiniſque. Vſque ad num. XXV.

Refellitur exceptio Nouatorum, Acacium retinuiſſe Sedem poſt damnationem. Vſque ad num. XXVIII.

Eadem primæ Sedis poteſtas in iudicandis Patriarcharum cauſis arguitur ex Gregorio Magno: quo ſenſu dicat Gregorius, æquales eſſe omnes Epiſcopos, vbi culpa non exigit. Vſque ad num. XXXI.

Anteriorum Patriarcharum, Caciliani, Dionyſij, Athanaſij, Petri, Chryſoſtomi, Neſtorij, Flauiani, Ioannis exempla obiter replicantur.

DISSERTATIO XV. In Concilia Romana ſub Symmacho Papa, anno Chriſti 500. 501. 502. 503. p. 500.

Aſtruitur illud Primæ Sedis priuilegium, vt à nemine iudicetur: congeſtis argumentis ex his primùm Synodis, itemque ex Apologetico Ennodij. Num. I. II. III. IV. Ex Auito Viennenſi Epiſcopo, & Eccleſiæ Gallicanæ conſenſu. Num. V. VI. In œcumenicâ Synodo parem vim habent ea argumenta. Num. VII. Diuini iuris ex fontibus ſcatet hæc prærogatiua. Num. VIII. Idem euincitur exemplo aliorum Pontificum, Damaſi, Sixti, Pelagij, Leonis, Paſchalis, Hadriani, vſque ad num. XIII. Alia argumenta ex Nicolao I. Hadriano II. Synodo octauæ. Num. XIV. XV. XVI. Caſſa Synodus in Ioannem XII. num. XVII. Rurſus Gallicanæ conſenſus Eccleſiæ & Germanicæ. Num. XVIII. XIX. In cauſâ Schiſmatis & Hæreſeos paulò aliter ſentiendum. Num. XX. XXI. Tenetur Pontifex ſuſpiciones diluere, & ſe purgare. Num. XXII. XXIII. Sen-

tentia Gerſonis & Nicolai de Cuſa expenditur. Num. XXIV. XXV. Antedictorum omnium confirmatio ex Gregorio Papa I. Num. XXVI.

DISSERTATIO XVI. In Synodos Conſtantinopolitanam & Romanam, anno Chriſti 518. 520. p. 526.

Romanum Pontificem communionis Catholica cardinem eſſe probatur ex his Synodis, & toto ſchiſmate Acaciano. Ex epiſtolis Romanorum Pontificum, Orientalium Epiſcoporum, & Archimandritarum, uſque ad num. XI. Ex geſtis Conſtantinopoli in reconciliatione Gracorum, ex epiſtolis Iuſtini & Iuſtiniani, num. XII. XIII. XIV. Conſenſus Eccleſiæ Gallicanæ, Hiſpanicæ, Africanæ cum Romanâ in negotio iſto ſchiſmatis Acaciani, uſque ad num. XIX. Alia ad idem argumenta ex legibus Principum. XX. XXI. Eadem Romanæ communionis neceſſitas ex Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Proſpero, Optato, Gregorio, Alcuino, Ratramno, Hincmaro, Lanfranco, uſque ad num. XXVII. Argumenta alia ex Nicolao de Cusâ. XXVIII. De Meletio Antiocheno Epiſcopo, circa quem magis tricantur aduerſarij, inquiritur operoſius: & conglobatim quanti Orientales ſemper fecerint Romanæ Eccleſiæ communionem ex Synodis œcumenicis, ex Irenæo, Cyrillo, &c. uſque ad num. XXXIII.

DISSERTATIO XVII. In Concilium Arauſicanum, anno Chriſti 529. p. 571.

Sedis Apoſtolicæ autboritas in fidei diſceptationibus apud Gallos. Decreta huius Synodi ex Auguſtini ſententiis & penè verbis ipſis contexta, Patribus tamen promiſcuè vendicantur. Mira quoque in rebus fidei definiendis ſobrietas. Quàm multa Theologica opulentia ſupellex, etſi à fide defluat, etſi cum fide cohæreat, in fidei tamen formulas non eſt intrudenda. Hæc definiendi parcitas, hæc Patrum prorsùs omnium concordia, velu-

ti gemina ſtabilienda inter Theologos pacis in quæſtionibus de Gratiâ Chriſti fibula, prolixiùs pertractatur, illuſtraturque maximè ex Cæleſtini Papæ olim epiſtolâ ad Gallos, & ex Florentino nuper Concilio.

DISSERTATIO XVIII. In Synodum Romanam, anno Chriſti 532. p. 590.

In dubiis fidei quæſtionibus, conſulenda Sedes Petri, eique aſſentiendum eſt. Oſtenditur id primùm exemplo Orientalium, Romanos Pontifices percontantium, an Vnus de Trinitate paſſus: An Maria propriè & veraciter Dei mater dici deberet. Hormiſdæ Papæ in his diſpenſatio, & conſenſus cum Ioanne ſucceſſore aduersùs Heterodoxorum calumnias declaratur. Vſque ad num. XVII.

Tum vniuerſim demonſtratur ex ſanctis Patribus, conſulendam in fidei diſceptationibus maximè Sedem Apoſtolicam, einſque iudicio ſtandum eſſe. Vſque ad num. XXIX.

Longè plures hæreſes authoritate Romani Pontificis principaliter contritas eſſe, prolixâ enumeratione euincitur, vſque ad num. XXXV.

Græcorum conſenſus in hoc primæ Sedis priuilegio conſtituendo, vſque ad num. XLIII.

Gallicanorum Conciliorum, Pontificum, Scriptorumque vnanimis ad idem conſenſus: tum antiquiſſimorum, tum medij æui, tum denique iuniorum, vſque ad Conſtantienſis Synodi tempus: cùm eorum pauci quidam ſecùs ſentire occæperunt; nec ſuam ipſi tamen diſſimularunt, & nouitatem, & paucitatem. Vſque ad num. LXXVI.

Etiamnunc & iam olim vnam apud Occidentales maximè omnes, & Gallos ipſos Antiſtites haberi, Romani Pontificis, atque Eccleſiæ vniuerſæ, hoc eſt, Capitis & Corporis vim, ſententiam, authoritatem. Vſque ad num. CI.

Occurſantes quidam ſcrupuli amouentur; tota hæc doctrina ad ſumma quædam religatur faſtigia: denique ne defenſoribus quidem ipſis ſeu priuilegiorum ſeu libertatum quarumcum-

que refugiendam esse hanc sententiam ostenditur. Vsque ad calcem.

DISSERTATIO XIX. In Synodum V. œcumenicam Constantinopolitanam II. anno Christi 553. P. 775.

In defensione trium Capitulorum nunc arripiendâ, nunc abiiciendâ, ostenditur Vigilij Papæ non inconstantia, sed dispensatio, & pacis amor, vero nunquam iniuriosus. Vsque ad num. VIII.

Etsi possit sontibus ignosci, non posse tamen insontibus vel scriptoribus, vel scriptis anathema illidi ex dispensatione: nec potuisse trium Capitulorum damnationi factæ subscribi, nisi manifestatâ, vel vtcumque creditâ veritate. Vsque ad num. XIII.

Quintæ Synodi memoriam alicubi aliquandiu sileri, indultum à Romanis Pontificibus, ex necessariâ tunc saltem dispensatione vbi regnorum & populorum strages auertendæ erant. Vsque ad num. XXVI.

Proferuntur argumenta, quibus vniuersim in rebus facti & personarum errare posse Synodos œcumenicas probant aliqui. Contrà euincitur damnationi synodicæ errorum autborumque accommodandam necessariò consensionem, vbi Synodis subscribitur. Vsque ad num. XXXIX.

Sequestratis aliis factorum & personarum quæstionibus, ostenditur Synodorum œcumenicarum, siue Ecclesiæ vniuersalis iudicia in librorum damnationem spectantia, non posse deinceps retractari, aut in contrarium flecti, prolixè & ex hâc ipsâ Synodo. A num. XXVII. ad XLV.

Idem rursus multis argumentis perficitur: & quàm infeliciter clementibus interpretationibus eniteantur purgare libros ab Ecclesiâ damnatos. Percurruntur anteriorum & posteriorum temporum exempla complura: quibus liquet damnatorum librorum vindices, errorum infamiam non eis vnquam effricuisse, sed ipsis sibi quandoque affricuisse. Vsque ad num. LXVII.

Quid

Digitized by Google

INDEX.

Quid de Agobardo, Baronio, Bellarmino ſentiendum, qui damnatos ab eccleſia libros ſcriptoreſque aliquos defenſitarunt. Vſque ad num. LXXX.

Ad eos qui rogitant, an de fide ſit, hæreſin hoc libro contineri. Quam late quandoque pateat nomen fidei, & hæreſeos. Quam facile ſuſpectos hæreſum habeat Eccleſia librorum defenſores, quibus eam ineſſe ipſa indicat. Hæreſeos ſuſpicio vel accuſatio, quam non temere vlli impingenda, quam anxie à quolibet propulſanda. Vſque ad num. XC.

Decretis Pontificum quam accommodanda, & quam vltro ſint accommodata placita Scholæ. Item quam non poßint interminabiles vlla lites, & decretorii indicii inſolentes confingi : ſed omnino tandem iudicio Epiſcopali aſſentiendum ſit. Vſque ad num. XCIV.

Vigilii Papæ & Romanæ Sedis principatus quantum reſplenduerit in hac Synodo, aduerſus Nouatores. Vſque ad num. CII.

Defenſores Capitulorum eruditi, quam nullo priuato ſtudio, nulla acuminis ſui fiducia, ſed ſola agerentur tuendæ Chalcedonenſis Synodi cupiditate. Scrupuli aliqui amouentur. Vſque ad calcem.

DISSERTATIO XX. In Synodum VI. œcumenicam ſeu CP. III. anno Chriſti 680. 681.

Inquiritur in Honorii Papæ damnationem. Refelluntur, qui Acta huius Synodi falſata cauſantur. Num. I. II. III.

Refelluntur iterum, qui Synodum, ut in re facti, erraſſe canillantur. Num. IV. V.

Refelluntur tertio, qui etſi immerentem, diſpenſative damnatum ſuſpicantur. Num. VI. VII.

Reſpondetur Honorii Epiſtolas priuatas & familiares fuiſſe; nec pertinuiſſe ad Cathedram. Ideoque damnari potuiſſe, quia & errare. Quod multis coniecturis munitur. a num. VIII. ad XVII.

INDEX.

Reſpondetur iterum non tam hæreſi, quam diſpenſationi ſtuduiſſe Honorium: Quæ quia improvida fuit, & inauſpicata, proditio fidei habita eſt. Multa ad id argumenta, multa item congeruntur exempla conſimilis in doctrina fidei diſpenſationis, ſed feliciores plerumque exitus nacta. A num. XVIII. ad XXXI.

Anaſtaſii Bibliothecarii Apologia pro Honorio expenditur: & ad regulas à ſanctis Patribus fixas revocatur. Vſque ad calcem.

ERRATA.

Pag. 184. *l.* 20. receſſit, *c.* receſſu. Pag. 225. *l.* 18. Apoſtolica, *c.* Apoſtolicæ. Pag. 228. *l.* 28. L. 4. ad Bonif. c. 8. *c.* De verb. Ap. c. vlt. Pag. 307. *l.* 29. incomitati, *c.* incolumitati. Pag. 307. *l.* 30. excubias, *c.* excubias agit. Pag. 420. *l.* 22. ſcomprehenſam, *c.* comprehenſam. Pag. 420. *l.* 23 cruato, *c.* ſervato. Pag. 569. *l.* 19. lib. *c.* Socrate lib. Pag. 567. *l.* 14. Epiſt. *c.* Epiſt 349. Pag. 660. *l.* 18. Cadomenſi, *c.* Beccenſi. Pag. 810. *l.* 30. cap. 4. *c.* cap. 5. P. 859. *l.* Roma, *c.* Anagnia. P. 861. *l.* 19. c. 4. *c.* c. 40.

Digitized by Google

PERMISSIO R. P. GENERALIS.

IOANNES FRANCISCVS SENAVLT Preſbyter præpoſitus Generalis Congregationis Oratorii IESV-CHRISTI Domini noſtri, iuxta Regium diploma datum 14. Iulii 1642. quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ejuſdem Congregationis imprimant aut venales exponant citra noſtram licentiam; permittimus DIONYSIO BECHET Pariſienſi Bibliopolæ, cæteriſque Bibliopolis in Societate Librorum Eccleſiaſticorum ad vſum reformatum conjunctis, vt librum qui inſcribitur *Diſſertationum in Concilia generalia & particularia Tomus Primus; Authore LVDOVICO THOMASSINO Congregationis Oratorii Domini noſtri IESV CHRISTI Presbytero*, imprimere ac libere diuendere poſſit. Datum Pariſiis die quarta Iulii anno milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

I. FRANCISCVS SENAVLT.

Summa Privilegii Chriſtianiſſimi Regis.

CAVTVM eſt authoritate regis, ne quis in regno eius aliiſve locis ipſius ditioni ſubjectis intra decem annos proximos librum inſcriptum, *LVDOVICI THOMASSINI Congregationis Oratori Presbyteri Diſſertationes & notæ in Concilia generalia & particularia*, abſque ejuſdem *LVDOVICI THOMASSINI* conſenſu imprimat aut diuendat à die publicationis horum exemplarium; qui ſecus fecerit, mulcta indicta prout amplius continetur in diplomate regio, coërcebitur. Datum Germani fano ad Liliam ſylvam die 19. Aprilis 1667. Sic ſignatum,

LOVIS.

Et infra,

DE GVENEGAVD.

Præſens cedit Privilegium DIONYSIO BECHET, cæteriſque Bibliopolis in Societate Librorum Eccleſiaſticorum ad vſum reformatum conjunctis, ad illius poſſeſſionem per tempus notatum. Datum Pariſiis die 22. Aprilis 1667.

THOMASSINVS.

Sumptibus { SEBASTIANI CRAMOISY, CLAVDII CRAMOISY, GEORGII IOSSE, DIONYSII BECHET, GVILLELMI LE BE', GABRIELIS & NICOLAI CLOPEIAV, SIMEONIS PIGET, PETRI LE PETIT, LVDOVICI BILLAINE, GODEFRIDI MARCHER, IOANNIS DV PVIS, ET SEBASTIANI MABRE-CRAMOISY. } via Iacobæa.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA
AD SYNODOS
SUB VICTORE PAPA
DE OBSERVATIONE PASCHATIS
Habitas circa an. 197.

Romanam, Lugdunenſem, Palæſtinam, Ponticam, Hieroſolymitanam, Corinthiacam, Oſroënam, Meſopotamicam, nec non Epheſinam ſub Polycrate.

SYNOPSIS.

Æquitas & prudentia Victoris Papæ in conſtituendo Paſchate, & anathemate Orientalibus intentando defenditur, ad num. XIV. Deinceps eiuſdem poteſtas ſumma à contemptu & infamia vendicatur.



ANTVM omnium Synodorum meminere Euſebius l. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 23. 24. 25. & author Libelli Synodici num. 8. & octo ſequentibus. Euſebij verba ſunt: *Graui controuerſia exorta, eò quòd omnes per Aſiam Eccleſiæ veteſta quadam traditione nixæ, quartadecimâ Lunâ ſalutaris Paſchæ diem feſtum celebrandum eſſe cenſebant, quo die præſcriptum erat Iudeis,*

1. Summa harũ Synodorum ex Euſebio & Libello Synodico, ad Paſchatis diem conſtituendum.

Digitized by Google

vt agnum immolarent: eâque omnino Lunâ, in quemcumque demum diem septimanæ incidisset. Cùm tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ alio more vterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnunc seruatur, vt scilicet non alio quàm resurrectionis dominicæ die ieiunia solui liceat. Synodi ob id, cœtusque Episcoporum conuenêre. Atque omnes vno consensu Ecclesiasticam regulam vniuersis fidelibus per epistolas tradidere, ne vllo alio quàm dominico die mysterium Resurrectionis Domini vnquam celebretur. Vnus cum Ephesina sua Synodo secus decreuit Polycrates, eius tum vrbis antistes. *Victor Romanæ vrbis Episcopus illico omnes Asiæ vicinarumque prouinciarum Ecclesias tanquam contraria rectæ fidei sentientes, à communione abscindere conatur: datisque literis, vniuersos qui illic erant fratres proscribit, & ab vnitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciat. Verùm hæc non omnibus placebant Episcopis. Proinde Victorem ex aduerso hortati sunt, vt ea potiùs sentire vellet, quæ paci & vnitati, charitatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum eorum literæ, quibus Victorem acerbiùs perstringunt.* Eadem propemodum Libellus Synodicus, singulas Synodos suo more summatim delibans.

II. Victoris Papæ æquitas & potestas aduersùs Nouatorum calumnias propugnatur. Et primùm æquitas ex Eusebio.

Hinc Victorem allatrandi, & Apostolicæ Sedis principatum exagitandi ansam arripiunt Nouatores; quòd præpropere pacem abruperit; quòd brutum fulmen vibrauerit; quòd vt suæ potestatis limites præteruolanti non paruerint Orientales; quòd denique ab eo excommunicati communione Ecclesiæ Catholicæ frui nihilosecius perstiterint. Aduersùs has calumniarum nebulas elucidanda nobis est Victoris, Synodique sub eo Romanæ æquitas & potestas. Et ex Eusebio primùm, Asiatica sola, hoc est, Ephesina prouincia cum finitimis Ecclesiis, cum Polycrate sentiebat; at omnes aliæ *per vniuersum orbem* Ecclesiæ consentiebant Victori. Turpis ergo erat pars, quæ suo toti non concineret: atque non intempestiuis ad hunc concentum stimulis vrgebatur. Ad hæc cum reliquo orbe collectæ Synodi *vno consensu Ecclesiasticum dogma* propalassent: his dissonare, intolerandæ cuiusdam erat pugna-

ὡς ἀσύνηθες δὴ τῆς ἐκείνης ἐκκλησίας αἱ συνόδους.
ἀπὸ τοῦ τοῦ κοινοῦ δόγματος ἐκκλησίαν.

Digitized by Google

eitatis. Adde quod Asianæ Ecclesiæ *vetusta veluti quadam traditione* nitebantur: at reliquæ Ecclesiæ mos indubitanter *ex Apostolica traditione* defluxerat. Quæ alia vis enim Alexandrinos, Palæstinos, Osroënos, Ponticos, in eandem cum Romana Ecclesia consonantiam adduxisset, nisi altiùs repetitâ, & ab ipso Apostolicæ prædicationis fonte hausta traditio? Tertullianus l. de Coron. militis: *Hanc observationem si nulla Scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est?* Et l. de Præscript. *Ecquid verisimile est, vt tot & tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos eventus est vnus exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Caterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.* ἐκ τῆς ἐξ ἀρχῆς παραδόσεως.

III. Quàm non indifferens res ista tunc putaretur.

Et quanquam res ista suo ex genere media quodammodo & in vtramque partem versatilis videri posset, vt siue dominico semper, siue alio quandoque die Pascha celebraretur, nec fides ideo, nec Ecclesia labasceret: longè alia tamen tunc Episcopos & Ecclesias totius orbis incesserat sententia. Etenim Victor dissonas abrumpere Ecclesias meditabatur *velut heterodoxas*. Eusebius non Apostolicam tantùm traditionem, sed *Ecclesiasticum dogma* vocat. Polycrates ex aduerso maiorum suorum diuersam consuetudinem, obseruatam contendebat *iuxta Euangelium & secundùm fidei regulam*. Aduersùs hortamenta & minas quibus ad consensum cum cæteris Ecclesiis impellebatur, fidenter excipiebat, *Obediendum Deo potiùs quàm hominibus*. Addebat se genuinum ac verum agere diem, *nec addidisse quidquam aut detraxisse*. Ergo id nimirum supererat, vt reliquæ omnes orbis Ecclesiæ Polycrati & sectariis eius viderentur Euangelium interpolasse, temerasse fidei canonem, diuinis institutis obniti. Neutris ergo persuasum erat, rem totam in medio relinqui posse. Inde est quod, vt obseruat Irenæus apud eundem Eusebium in epist. ad Victorem, hac de re iam antè incaluerat Romæ concertatio ἀσύνηθες δόγμα. κατὰ τὸ κανόνιον τῆς πίστεως.

Digitized by Google

inter Anicetum & Polycarpum, etsi tum quidem incolumi pacis vinculo. *Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, vt obseruare desineret, &c. neque item Polycarpus Aniceto persuasit vt obseruaret, cùm Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret.*

IV Arbitraria & infulsa Socratis sententia.

Peruersum est igitur quod Nouatores Socrati potiùs assentiuntur, l. 5. c. 21. aienti: *Neque Seruator, neque Apostoli istud obseruandum lege aliqua præceperunt, neque mulctam aut supplicium, sicut lex Mosaica Iudæis, vel Euangelia, vel Apostoli nobis minati sunt, &c. Apostolis propositum fuit, non vt leges de festis diebus celebrandis sancirent, sed vt rectæ viuendi rationis & pietatis nobis authores essent. Mihi quidem certè videtur, sicut aliæ res multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt, ita festum Paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos obseruationem priuatam habuisse: propterea quod nemo ex Apostolis legem de eo, vt dixi, cuiquam ediderit.* Vltra ingenioli modum exultauit Socrates, cùm Theologi personam induit. Non Eusebio enim tantùm, & Victori, & Polycrati, & Aniceto, & Polycarpo refragatus est, qui suum quisque morem, antiquiori traditioni, Apostolicæ institutioni, legi Euangelicæ, fidei Canoni, Ecclesiastico dogmati vindicabant: sed & Synodis omnibus hac tempestate collectis, quæ, vt de Hierosolymitana author est Eusebius c. 25. scripsere, *de traditione diei Paschalis, quæ iam inde ab Apostolis ad ipsos continua successione manauerat.* An licet post ducentos amplius annos ea somniare, quæ & Synodorum, & Pontificum rebus ipsis pene suppatium fidem prorsus labefactent? An licet Polycrati ita patrocinari, vt Polycratis ipsius sententiam omnem adulteres?

ἁγιώτατος καὶ πολυτίμητος ἐπὶ ἀποστόλων ἐν διαδοχῇ ἐξ ἀποστόλων.

V. Ex libro Synodico eadem refellitur indifferentia. ἀφελὴς, ἀνεξέτ-αστος.

Author verò Libelli Synodici Eusebio consentaneus est. Itaque apud eum Polycratis Ephesina Synodus dicitur *simplex, neque exquisita*: eius verò decretum, tanquam à principio acceptum, à sanctis Apostolis Timotheo & Philippo confirmatum. At reliquæ omnes pro Victoris par-

Digitized by Google

tibus Synodi, *diuina & sacra*: super mystico Pascha *secundum Aniceturn & Victorem pronunciantes.* Denique c. 8. *Victor sanctissimus Romanorum Ecclesiæ Papa excommunicationem mittit Polycrati; neque hoc solùm, sed synodicè etiam ea quæ ad hoc festum pertinebant, persequitur; & cum ipso Synodi in plurimis prouinciis & partibus terræ congregatæ, idem vnanimiter statuunt.* Vides quàm hæc abhorreant ab indifferentia illa commentitia, & ab ignominia Victori aspergenda.

VI. Item ex historia & gestis Nicænæ Synodi.

Ad hæc si in suspendio relinqui res poterat, eccur de ea ad Synodum vsque Nicænam certabatur? Eccur ad pacem conciliandam œcumenica Synodo opus fuit? Athanasius lib. de Syn. *Nicena Synodus non temere habita est, vt quæ habeat grauissimos vsus & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotami, in causa festi claudicabant, atque vnà cum Iudæis Pascha celebrabant; & iam tum Ariana hæresis propugnatores habebat*, &c. *Atque ea causa fuit, cur vniuersus orbis in Synodum coïret, vt & eodem die vbique festum celebraretur, & hæresis quæ suppullulauerat, anathemate percuteretur. Quod & factum est.* Eusebius l. 3. de vit. Const. c. 5. *Alius antiquior fuberat morbus longè grauissimus, qui Ecclesias iam pridem infestabat, dissensio scilicet de salutari festo. Itaque cùm omnes vbique populi iandudum inter se dissiderent, & sacri religionis nostræ ritus perturbarentur: quippe in vno eodemque festo temporis diuersitas maximum dissidium inter feriantes excitabat: cùm hi ieiuniis & erumnis seipsos attererent, illi otio ac lætitiæ indulgerent. Mortalium quidem nemo erat, qui huic malo remedium posset adhibere.* Et c. 14. hoc egregium scilicet operæ pretium effert & Nicænæ Synodi, & Constantini, vt *non modò vnius fidei consonantia apud omnes obtineret, verùm etiam vnum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur.* Sed & Constantinus in Epistola ad Ecclesias post Nicænam Synodum, ait *vno consensu* definitum eodem ab omnibus die celebrari Pascha, reiicique *turpissimam societatem* Iudæorum, & *rectiori ordine, quem à primo passionis die vsque ad hæc tempora seruauimus*,

Digitized by Google

ad futura etiam ſæcula huius obſeruantiæ ritum propagari. Nefas eſt vt in tanti momenti negotio & in huiuſmodi religionis ſolennitate diſſenſio reperiatur. Vnum enim libertatis noſtræ feſtum diem, hoc eſt diem ſacratiſſimæ paſſionis, Seruator noſter nobis reliquit: vnamque eſſe voluit catholicam Eccleſiam. Cuius membra, licèt variis locis diſperſa ſint, vno tamen ſpiritu, Dei ſcilicet voluntate foueantur. Addit in hanc conſuetudinem concinere *omnes tam Occidentalium, quàm Meridianarum, & Septentrionalium orbis partium Eccleſias, nonnullas etiam Orientalium. Suſcipite cæleſtem gratiam, & diuinum veluti verè mandatum. Quidquid enim in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne ad diuinam referendum eſt voluntatem.* Et ipſa Nicæna Synodus in Epiſtola ad Alexand. Eccleſ. apud Theodoretum l. 1. c. 9. *Quod autem ad omnium conſenſum de ſacratiſſimo feſto Paſchatis attinet, ſcitote quod veſtris precibus hæc quoque pars prudenter conſtituta eſt, ita vt omnes fratres qui Iudeos priùs imitabantur, ſecuturi iam ſint Romanos, & vos & omnes qui ab initio Paſcha cuſtodiunt.* Vides conſtanter affirmari, legem Paſchatis ab Apoſtolis ipſis iam inde ab initio conſignatam fuiſſe vniuerſæ Eccleſiæ. 2. Diſſenſionem inter Eccleſias in tanti momenti negotio exitialem eſſe. 3. Conſenſionem cum Iudæis probro & fuiſſe & fore. 4. Vnam eſſe Chriſti Eccleſiam, tametſi locis diſtracta ſit, vno ſpiritu vegetari illam, vno Sacramentorum concentu neceſſario vinciendam ſibimet, ne diſſiliat. Itaque non poſſe celebrationem Paſchatis inter τὰ ἀδιάφορα computari.

VII. Eadem quæ Victor, Nicæna Synodus criminatione impetitur.

Vides rurſus hæc omnia peræquè locum habuiſſe ævo Victoris: vt neceſſum ſit, ſi qua huic inuratur temeritatis nota, ea Synodum quoque Nicænam afflari. Quid enim Conſtantinus nomine Synodi in illa prolixiore ad Eccleſias Epiſtola perorauit, de Paſchæ feſto in dominicum diem figendo, quod non & Victor potuerit? Æquè tunc vna Eccleſia, æquè exoſi Iudæi, æquè Apoſtolicæ traditiones cordi erant, æquè Eccleſiæ Eccleſiis iam tum collidebantur, vt argumento eſt vel iſta Synodorum frequen-

Digitized by Google

tia. Si compescenda erant illa dissidia, eccur vocatur in crimen Victor, qui in id incubuit? Si ferenda erant, & studio pacis donanda, an minùs ergo sapuit Nicæna Synodus? At vehementiùs, inquies, iam conflagrabat illud incendium. Ergo gratulandum Victori, qui grassantis mali contagium præuertere tentauerat: & illis succensendum, qui minùs tempestiua dispensatione iurgiorum flammas aluerunt.

Quanquam Irenæo & aliis qui Victorem hortabantur, paci potiùs & Ecclesiarum vnitati indulgere, meritas laudes haud equidem inuidebo. Stricto iuri Victor studebat, illi temperato: hi charitati, ille veritati consultum cupiebat. Vtrumque in laude est. Asiaticæ disciplinæ vulnus patientiâ illi sanandum sperabant, ille exulcerandum præsagiebat. Ex incerto euentu, vt mens hominum cæca futuri est, in diuersa rapiebantur consilia, certo tamen consulendi animo. Vel vtrisque ergo par honos adsignandus est, vel illi cumulatiùs fauendum, qui maiore solertia exasperandum remissione morbum præuidit, & iam tum acriore cauterio glisscentem luem adurere pro virili sua occupauit. Etsi ergo inter iuris vigorem & clementiam, inter Victorem & Irenæum dubij penderemus, ipse tamen rerum exitus ad Victoris anteponenda consilia nos potiùs inclinaret. Irenæum ipsum sui pœnituisset instituti, vt arbitror, si temporibus Nicænæ Synodi reuiuiscens, ex sua suique similium humanitate tam inopinatas vidisset ebulliisse discordias, quibus comprimendis Constantini & Oecumenicæ Synodi potestas vix aut nec vix par fuit. Quæ Irenæus, quæ alij pari fiducia ad Victorem inhibendum scriptitarunt, ad Nicænæ Synodi patres scripta fingantur. Num palinodiam canet tanta Synodus? Num caritate defieri putabitur? Dispensatio sanè non minùs Nicænis temporibus quàm Victoris ætate videri potest opportuna; imò opportunior tantò, quantò morbus tum recruduerat.

VIII. Nec Victori, nec Irenæo obloquendum; ille stricto iuri studebat, hic temperato.

Quòd autem diuinant, Nicænos patres nullum anathe- IX. Inuitos

somniant, à Nicæna Synodo in Quartadecimanos nullum ctepuisse anathema.

ma distrinxisse in Iudaïci posthac Paschatis sectatores, ideoque nec à Victore distringendum fuisse: præsumptæ semèl opinioni pugnaciùs quàm par est, inhæresunt. Quorsum enim totius orbis fatigantur Ecclesiæ, quorsum tanto strepitu imperium sacerdotiumque colluctatur: si quod definierint, impunè, vt priùs, liceat transilire? An dissidia tam diuturna & atrocia pacatum iri sperarunt, citra vllius pœnæ interminationem? Leuioribus priuatorum culpis vltores statim imminent Canones: huic verò flagitio, quo Ecclesiæ compago concutitur, nihil pœnarum indirent? Nouellis in dies decretis adiiciuntur subinde Synodica anathemata: hæc verò quæ iactantur Apostolica statuta & vniuersæ Ecclesiæ consensu receptissima, impunè calcabuntur? Vide Ambrosium epist. 83.

X. Quartadecimani inter hæreticos recensiti.

Ad hæc, post Nicænam Synodum Quartadecimani inter hæreticos numerati sunt ab illis omnibus, qui de hæresibus scripsere. Philastrius c. 11. & 39. disertè *hæresin* Ecclesiæ Catholicæ aduersam appellat. Augustinus similiter c. 29. Epiphanius hæresi 30. vel 50. *Ex iis duabus inter se commistis Cataphrygum & Quintillianorum, siue Priscillianorum sectis, noua quædam conflata est, & in orbem introducta Quartadecimanorum hæresis. Qui cæteris in rebus cum Ecclesia consentientes, hoc ipso ab omnibus aberrant, quòd non illius institutis doctrinæque consentanea quædam amplexi sunt.* Hæresin, ex aliis hæresibus concretam esse docet, capite in vno duntaxat ab Ecclesia dissonantem, sed eo ipso nomine in omnibus aberrantem, quòd fidei indiuulsa sit compago. Cùm autem & à Cataphrygibus prognatam perhibet, & statim post Cataphryges recenset, ac quasi matri filiam subiungit Epiphanius Quartadecimanorum hæresin, eius ab Ecclesia secessionis non à Nicæno Concilio, sed à Victoris saltem tempore exordia vtique repetit. Vt tantò æquiùs eam & Victor & Nicæna Synodus Ecclesiasticis diris addixerit. Eodem, quo Epiphanius, loco illam Augustinus post Montanistas numerauit, & ante eum Philastrius.

At

Digitized by Google

At idem Epiphanius hæresi 70. quæ est Audianorum, luculenter antedicta omnia confirmat: Constantino plurimùm debere Ecclesiam, eo duplici maximè nomine, quòd Arij dogma profligarit, quòdque celebrandi Paschatis concordiam aduexerit, collectâ Nicænâ Synodo: *Iampridem enim & à primis vsque temporibus variæ in Ecclesia de hac solennitate controuersiæ ac dissensiones extiterant, quæ quotannis risum ac ludibrium afferebant*, &c. *præsertim Polycratis ac Victoris ætate*, &c. *quod & aliis temporibus accidit, velut Alexandri Episcopi Alexandrini, & Crescentij, quemadmodum inter se mutuò scripserint, & acerrimè pugnauerint.* Quæ postrema verba si cum testimonio Synodi Nicænæ ad Alexandrinos scribentis suprà relato componas, facilè emicabit, hac Alexandri Episcopi Alexandrini cum Crescentio concertatione adductam fuisse Synodum ad litem decretorio iudicio dirimendam. Quid mirum ergo, si annuas has & perniciales altercationes Victor primò, inde Nicæni patres vibrato anathemate opprimere moliti sunt? Nam si hi ab intorquendo anathemate abstinuere, quorsum deinceps hæc inter cæteras hæresis computata est? Quòd autem se Polycrates exemplo Apostolorum tuebatur, excipit eleganter Epiphanius, dispensationi & pelliciendis in Ecclesiam Iudæis id donasse Apostolos. *Quòd si vel cum Christi hostibus; vt illi putant, Apostoli celebrandum esse Pascha censuerunt, quantò magis ad eandem retinendam consensionem cum Ecclesia celebrare conuenit, ne illius concordia laceretur?*

XI. Eadem rursus ex Epiphanio confirmantur.

Sed video, quid à Victoris inclementia alienet homines, regulas Ecclesiasticas suo ingenio, non ingenium suum regulis Ecclesiasticis aptare & frangere meditantes. Ægrè ferunt rem disciplinæ ad causam anathematis tralli, & secessionis. Ad palinodiam ergo vocent Epiphanium, Philastrium, Augustinum, & alios omnes hæresum elogia texentes. Nam qui error hæreticæ infamiæ, idem certè anathemati potuit, & debuit implicari. Sed hac illi fucata humanitate, & Synodorum antiquissima-

XII. Ostenditur rem disciplinæ ad causam hæreseos spectare posse.

Digitized by Google

rum, & Ecclesiæ primigeniæ fundamenta labefactant. Quid enim Apostoli in Hierosolymitana Synodo, nisi de disciplina sanxere? Quid Eliberitani patres can. 43. *Praenam institutionem emendari placuit, iuxta authoritatem scripturarum, vt cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non Quadragesimam, sed Quinquagesimam. Quod qui non fecerit, nouam hæresin induxisse notetur.* Num ouum ouo similius? Si Pentecosten non suo die coluisse, hæresis noua est, quid Pascha? Quo autem nisi anathemate notatur, nouæ hæreseos architectus? Scio nonnullos huic Synodo, vt duriori, genuinum infregisse, sed alia longè de causa, idque ex sua circa antiquiorem disciplinam indiligentia, vt suo loco declarabitur. Sed & Apostolici canones non semel in clericos laïcosque depositionem & anathemata decernunt, solius disciplinæ contaminatæ reos. Etenim can. 62. si quis suffocatum vel morticinum comederit: can. 65. Si dominico vel sabbato ieiunarit, præterquam vno: can. 69. Si cum Iudæis festos dies agitauerit, vel ieiunauerit, vel ab eis xenia, aut azyma acceperit: sacro mucrone feritur. Nec his clementior Ignatius epist. ad Philipp. *Si quis dominicum diem aut sabbatum vno excepto ieiunat, hic Christi interfector est.*

XIII. Idem rursus luculentè, ex Tertulliano.

Sed vt ad istius Victoris tempora redeamus, quæ tum Catholicorum fuerit consensio de anathemate in quoslibet quomodocumque nouantes iaculando, ex Tertulliano perdiscemus. Eius enim errores omnes ex hoc vno præsertim capite scaturierunt, quòd cùm in fide exorbitare non conuinceretur, in disciplinæ institutis temere quidlibet posse nouari citra hæreseos suspicionem existimaret. Vnde l. de Monogam. *Aduersarius spiritus ex diuersitate prædicationis apparet: primò regulam adulterans fidei, & ita ordinem adulterans disciplinæ. Quia cuius gradus prior est, eius corruptela antecedit: id est fidei, quæ prior est disciplinâ. Antè quis de Deo hæreticus sit necesse est, quàm de institute.* Et l. de ieiuniis, de Psychicis, id est, de Catholicis expostulat, qui ieiuniorum Montani nouitatem anathe-

Digitized by Google

mate explodebant: *Nouitatem igitur obiectant, de cuius inlicito præscribant aut hæresin iudicandam, si humana præsumptio est, aut pseudoprophetiam pronunciandam, si spiritalis indictio est: dum quaque ex parte anathema audiamus, qui aliter adnunciamus.* Ea ergo erat Catholicorum conspiratio, siue in fide, siue in disciplina erraretur, hæreseos, pseudoprophetiæ elogio id illico notandum, id anathemate obruendum. At contrà errori suo patrocinabatur Tertullianus. *Indubitatè enim & hæresis & pseudoprophetia Diuinitatis diuersitate iudicabuntur, apud nos omnes vnici Dei creatoris, & Christi eius antistites.* Denique suam Catholicis laxiorem opprobrans disciplinam, *Ideo sobrietatis disciplinam qui prædicant, pseudoprophetæ: ideo hæretici qui obseruant.* Familiare ergo id tunc erat, & hæreseos elogium & anathema infigere illis, qui à peruagata & recepta vbique disciplina deuiarent, tametsi nihil circa fidem ipsam hallucinarentur. Ideo & Victor Asianas Ecclesias vt heterodoxas fulmine impetebat.

XIV. Idem denique euincitur ex Synodo secunda, & tertia œcumenica.

Vtque modum ponam huic parti, vnum id addo in Ephesina prima Synodo act. 6. referri subscriptiones complurium à Quartadecimanorum contumacia resipiscentium, pristinamque eiurantium insaniam in hæc verba: *Cognoscens veram orthodoxamque fidem, sanctiss. mæ Catholicæ Ecclesiæ me adiunxi: omnemque hæresin, & præcipuè Quartadecimanorum, in qua antè errabam, anathematizo. Anathematizo etiam illos qui sanctum Paschatis diem aliter celebrant, quàm sancta Catholica & Apostolica Ecclesia.* Et hîc ergo hæresin, atque anathema audis, in eorum discipulos, quos vt heterodoxos Victor ab Ecclesia abscindere meditabatur. Et diu antè can. 7. Conc. CP. primi Quartadecimani hæreticis aliis permixti, hæresinque suam eiurare coacti fuerant.

XV. Defenditur iam potestas summa Victoris.

Potestatem iam Victoris aduersùs eosdem defendere ingrediamur. Et primò arguunt illi, non potuisse, quia non debuit. Ex aduerso igitur potuit, quia iam diluxit debuisse. Concesso autem quòd non debuisset,

Digitized by Google

perperam quidem illi elicerent, non potuisse. Quàm multi enim legitima abutuntur potestate, quorum facinus non alienæ potestatis vsurpatio est, sed suæ corruptela? At verò si debuit, vtique potuit. Nec enim Christus ea suam fraudauit Ecclesiam potestate, quæ inter discrimina publicæ saluti prospiceret.

XVI. Primùm ex Eusebij verbis.

Sed vel ex vno Eusebio eminent vestigia summi principatus, quo Victorem vniuersæ Ecclesiæ antistare præsulibus tum non ambigebatur. In sui defensionem scribit Polycrates *ad Victorem & ad Romanam Ecclesiam*. Cur non ad alios, à quibus æquè dissonabat? Nihil moueri se ait iis *quæ ad formidinem sibi intentantur*, vtpote maiorum & Apostolorum traditione fultum. Ergo cessurum se innuit, nisi ineluctabili, vt rebatur, necessitate seruandæ Apostolicæ institutionis auocaretur ab obsequio. Obediendum ait *magis Deo quàm hominibus*. At ea verba & ab Apostolis vsurpata sunt primò, & in ore sunt omnium, qui legitima quidem vrgentur potestate, sed cuius tunc imperia diuinis conflictantur mandatis: eoque significant, sui & officij & voti esse morem gerere, nisi Deus secus tunc quidem iuberet. Denique vnica exceptione litem perimere poterat Polycrates, Victoris incompetens iudicium repudiando. At ex aduerso ille vt apud competentem iudicem se purgat, nec vel vno verbulo queritur de eius potestate vltra metas exspatiante.

XVII. Rursus ex eodem.

Apud eundem Eusebium l. 5. & c. 24. eodem, multis displicuit Victoris austeritas, qui eum hortati sunt, vt quæ *pacis & charitatis erant, & vnitatis*, potiùs saperet. At hæc hortamenta ad eos instruuntur, qui legitima potestate, vel austeriùs, vel humaniùs vti possunt; & eo loco ac tempore ad mansuetudinem vt tum quidem tempestiuiorem inuitantur. Ad hæc Irenæus Victori ea scribit, quibus dispensatione tunc potiùs vtendum suadeat, non suæ vnquam potestatis modulum monet agnoscere. Quin imò obsecrat, *ne abscindat vniuersas Ecclesias*: nihil dubius, si abscidisset sua, reliquarum etiam

μὴ κοπτόμενοι ἀλλὰ ἑνούμενοι.

Digitized by Google

Ecclesiarum communione abscindendas fore. Adde ex Synodico libro superiùs relato, reliquas Synodos de Paschatis die toto orbe pronunciasse *secundùm Anicetum & Victorem*: vtpote quos duces reliqui sequebantur orbis antistites. Cumque Synodum Polycratis simplicitatis & indiligentiæ notasset eius libri author, societatisque cum Iudæis, mox ait, *Victorem sanctissimum excommunicationem misisse Polycrati, qui huic Synodo præfuerat.* Quo potestas Victoris commendatur vtique. Denique in Epistola vtraque superiùs laudata tum Constantini ad Ecclesias, tum Nicænæ Synodi ad Alexandrinos, vbique Romanæ Ecclesiæ princeps locus adsignatur: in enumeratione omnium orbis prouinciarum, quæ in Catholicum Pascha concinebant. Quòd illa reliquis præluxisset.

XVIII. Iaculatus, an comminatus tantam excommunicationem sit Victor.

Quòd autem excommunicationem à Victore contortam, flocci videntur fecisse; id primò expediendum esset, illam comminatus tantùm, an etiam iaculatus fuerit. Hieronymus in Catal. Script. Eccles. in Irenæo, *Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui decimâ quartâ Lunâ cum Iudæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Ad minas hæc trahi possunt. Et idem in Polycrate, hæc eius ad Victorem Epistolæ verba refert, *Non formidabo eos qui nobis minantur.* Priore sanè loco Græca interpretatio duriuscula est, & pro illis verbis *damnandos crediderat*, habet, *deposuit.* Videtur & Eusebius consentire, cùm de Victore ait, *abscindere conatur.* Et ibidem Irenæus per Epistolas decenter admonet Victorem, *ne abscindat vniuersas Ecclesias Dei*: nondum ergo absciderat, sed ictus adhuc librabatur. Nec vltra progressum Victorem exprimit Eusebius; quin Irenæo mox gratulatur, vt sui nominis augurium non fallenti, vt pacificatori, vt pacis Ecclesiarum legato. Socratis autem non inexplorata adeò supinitas est, vt nostrum statim extorqueat consensum, vbi antiquiorum lineas egreditur. Potuit ergo ille authori libelli Synodici imponere. Cautiùs Photius Biblioth. cod. 120. *Victor*

ea tempestate Pontificium tenuit, quem crebris literis hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret. Exitum pendere dubium & ipse passus est. Sed apertè Sozomenus l. 7. c. 19. *Sapientissimè arbitror solvisse, subortam olim controversiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cùm Occidentis Sacerdotes traditionem Petri & Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Ioannem Evangelistam sequi affirmarent, decreto in commune sancito, singuli ut consueverant, festum celebrantes, & mutua inter se communione non recesserunt. Frivolum enim & quidem meritò indicarunt, consuetudinis gratia à se mutuò segregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Excommunicationem ergo Victor vel non intorsit, vel statim suspensa eius executione revocavit.

XIX. Etsi vibratum anathema, non tamen spretum fuit.

Largiamur id autem, anathematis iaculum evibratum esse. Necdum de contemptu satis constat. Nam Asianos ipsos resipuisse tradit Constantinus in sæpe laudata Epistola, *Asianam diœcesin* inter eas enumerans provincias, quæ cum Romana vrbe in Paschatis die conspirarent. Epiphanius verò hæresi 70. num. 9. de Paschæ die tumultuatum ait tum sæpius, tum maximè Polycarpi, malim legi, Polycratis & Victoris ætate, *Cùm Orientales ab Occidentalibus dissensi, pacificas à se invicem literas nullas acciperent.* Occidentales ergo saltem Victori paruerant, iisque communicare desierant, quos Victor à communi vnitate discciderat. Coniectura est autem Occidentalibus consensisse & Ægyptios, vt ex contextu Epiphanij ibidem liquet: Orientales autem ab eo dici Asianæ provinciæ & circumiacentes Episcopos, vt hac cæterarum in se Ecclesiarum asperitate ad resipiscentiam tandem inflexi sint: Romanæ autem maximè. Quanti enim Orientales facerent eo ipso æuo communionis cum Romano Antistite contesserationem, prodidit Tertullianus initio ferè libri aduersùs Praxeam, in quem acriter stomachatur, quòd *tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ, Ma-*

ἀφιστάμενοι ἀλλήλων ἐν ἐπιστολαῖς.

Digitized by Google

ximilla, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis & Ecclesiis eorum adseuerando, & præcessorum eius authoritates defendendo, coëgit & literas pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessisse. Author suprà fuit Epiphanius ex Cataphrygibus ortos Quartadecimanos. Cognata sunt ergo hæc argumenta. Et eadem fortassis atque vna excommunicatio est, à Victore in Asianos & Phrygas contorta, quam Zephyrinus reuocare cogitauerat, non Montanistarum irretitus erroribus, qui nulli tunc aduersùs fidem adhuc stridebant, sed fuco pietatis simulatæ delusus: at fraude per Praxeam comperta, literas pacis iam emissas reuocauit, *præcessorisque* sui Victoris *authoritatem defendit.* His adiunge quæ refert Eusebius l. 5. c. 3. ab Ecclesia Lugdunensi Epistolas per Irenæum ad Eleutherium Papam missas, *pro pace Ecclesiarum legatione susceptâ*, quod tunc Montani nempe fama in Phrygia percrebuisset, eiusque causa *dissensio orta esset.* Id saltem hinc exprimitur, nutat enim ea omnis coniectura, etiam inter Orientales pacis & communionis Ecclesiasticæ arbitrum iam tunc habitum fuisse Romanum Antistitem, eiusque hac de re sententias nequaquam contemptui, sed summæ veneration fuisse. Qui sanè Tessarescaidecatitas longè ante Synodum Nicænam in hæreticorum albo descripsere, vt suprà monuimus, ij Victoris iudicium nequaquam aspernati sunt.

XX. Etsi spretum id tunc fuisset, sua tamen Victori illæsa authoritas adseritur.

Demus etiam reluctatos fuisse Victori Orientales, hinc etiam præclarior eius victoria, quo diuturnior fuit contumacia repugnantium. Tantum enim momenti fuit in authoritate Victoris, vt deinceps vniuersalis Ecclesia & œcumenica Synodus prima, secunda, tertia in eius sententiam concesserint. Nec enim expendendum modò quid tunc, sed quid tandem peruicerit Victor: nec quid de sententia & potestate eius pauci hallucinabundi senserint, sed quid deinceps omnes Ecclesiæ & vniuersales Synodi consenserint. Nam cùm Victoris sententiam aspernati sint Asiani, cùm eius importunam inhumanita-

Digitized by Google

tem reliqui complures ex Catholicis insimularint; exinde tamen ab Epiphanio, Augustino, Philastrio & aliis computari cœpit hæresis Quartadecimanorum; exinde Constantinus & Nicæna Synodus Romanam Ecclesiam cæteris præire in Paschæ obseruatione prædicauit: exinde CPolitanâ & Ephesina prima Synodus œcumenica, perœquè vt Nicæna, non Pascha Iudaïzan Polycratis, non dispensationem Irenæi & aliorum eius collegarum, sed vnius approbauit Victoris consilium in Iudaïco damnando Paschate, & eius sectariis cum cætera hæreticorum caterua resecandis à communione. Pluris esse debet in animo nostro Ecclesiæ vniuersalis posterior suffragatio, quàm aliquorum in ipso certaminis æstu vel apertè repugnantium, vel clanculum detrahentium licentia. Luculentè hoc argumentum prosequitur Nicolaus Papa I. epist. 9. ad Michaëlem Imp. *Quotquot in ipsa communione Sedes Apostolica tenuit, aut dum viuerent, ab Ecclesiâ sunt vniuersali recepti: aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Præterea illos, in quorum damnatione non consensit, singulari prærogatiua dissoluit. Cùm Asiani omnes inter cæteros Euangelista Ioanne authore, quartadecimâ Lunâ cum Iudæis putarent Pascha celebrandum, hos Præsul meritis & nomine Victor à communione collegij separauit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum præsulibus, non solùm huic manus minimè præbuerunt, verùm etiam pertinaciæ redarguerunt, &c. Quid mirum si nobis pro Ecclesiastica correptione laborantibus, manus non datis, sed & duriùs redarguitis? cùm videamus Victorem Papam & Martyrem, qui ideo verè victor est quia martyr, pro Ecclesiastica traditione pene à totius Ecclesiæ Præsulibus pertinaciæ redargutum. Quandoquidem Ecclesia tota nunc cum illo sapit: & quod fecit, laude prædicat dignum. In quo animaduertendum, quia si tunc ille pro iustitia tanta seueritate non vteretur, sicuti nonnulli hortabantur Episcopi, hactenus fortassis error ipse mansisset; præcipuè cùm etiam eo tanto zelo succenso, vsque ad Ephesinam priorem in aliquibus perdurasse Synodum legerimus.* His ille alia accumulat exempla, putà Acacij à Romanis præsulibus depositi,

Digitized by Google

positi, qui tamen imperatorio patrocinio sedem suam retentauit. Sed post diuturni contemptus iniuriam perfectum est tandem, vt Acacij nomen ab omnibus Ecclesiis proscriberetur. Ita & Photius à Nicolao abdicatus non cessit. Sed sub Hadriano huius successore Oecumenica octaua Synodus Nicolai iniurias Photio exturbato vlta est. Etenim vt idem tradit epist. 10. *Contra singulos errores in Ecclesia exortos prior Romana Ecclesia secundùm primatus sui authoritatem sententiæ terminum dedit. Et ita demum vniuersalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probauit, quandoque probauit: & quæ illa refutauit, ipsa refutauit.*

Si renitentium enim peruicacia principantem authoritatem eneruare potis esset, quæ vsquam residua foret vmbra legitimi imperij? Nicænæ etiam & CPolitanæ Synodo illusere Quartadecimani. An ideo cassa & effœta œcumenicarum Synodorum maiestas blaterabitur? Apud Epiphanium hær. 70. n. 9. calumniabantur Audiani in hunc modum: *A Constantini tempore vt Imperatoris rationem haberetis, paternam in celebrando Paschate consuetudinem reliquistis, diemque commutastis, vt vos ad Imperatoris nutum accommodaretis.* Sic illi conuitiabantur Nicænæ Synodo, quasi natalem Constantini in Paschæ diem optasset. Chrysostomus autem aduersùs reliquias quasdam Quartadecimanorum manus conferens, tomo 5. hom. 52. *Quis porro illorum sermo est, cùm hæc illis obiicimus? Vos, inquiunt, nonne hoc ieiunium antè obseruabatis? Hoc verò tuum non est mihi dicere: sed hoc ipse tibi iure dixerim, nos quoque sic antea ieiunasse, verumtamen temporum obseruationi præferendam concordiam censuisse. Quid autem de me loquor? Trecenti Patres, imò etiam plures, cùm in regione Bithyniæ conuenissent, hæc decreuerunt, & tu illos omnes probro afficis?* Deinde cùm Nicænorum Patrum sanctitatem, fortitudinem, martyria laudibus in cælum tulisset, addit: *At tu non illos tantùm, sed & orbem terrarum vniuersum condemnas, qui sententiam illorum comprobauit.* Ex hac paucorum seu extorrium,

XXI. Et Nicænam enim Synodum multi ea in parte contempsere.

Digitized by Google

seu vernaculorum Ecclesiæ contumacia, nec Victoris, nec Synodi œcumenicæ, nec orbis terrarum Catholici authoritas infringitur.

XXII. Et Beda vltra septimum sæculum spreuere multi Nicænam de Paschate definitionem, nec de tantæ Synodi authoritate quidquam tamen detritur.

Iuuabit hîc adscripsisse quæ Beda l. 3. hist. Eccl. c. 17. post enarratas & summis laudibus euectas sanctissimi Episcopi Aidani virtutum dotes, etiam miraculorum gratia illustres, addit demum: *Qui vt breuiter comprehendam multa, quantùm ab eis qui illum nouêre, didicimus, nihil ex illis quæ in Euangelicis siue Apostolicis siue Propheticis literis facienda cognouerat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus, operibus implere curabat. Hoc in præfato Antistite multùm complector & amo: quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. Quòd autem Pascha non suo tempore obseruabat, vel canonicum eius tempus ignorans, vel suæ gentis authoritate, ne agnitum sequeretur, demictus, non approbo, non laudo.* Et infrà c. 25. *Hæc dissonantia Paschalis obseruantiæ vinente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etsi Pascha contra morem eorum qui ipsum miserant, facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis, & dilectionis, iuxta morem omnibus sanctis consuetum, diligenter exequi curauit. Vnde ab omnibus etiam his qui de Pascha aliter sentiebant, meritò diligebatur: nec solùm à mediocribus, verùm ab ipsis quoque Episcopis, Honorio Cantuariorum & Felice Orientalium Anglorum venerationi habitus est.* Et infrà multis differit Vuilfridus, ad Catholicam Paschæ obseruantiam, *omnes sancti Ioannis successores in Asia post obitum eius conuersos esse, & omnem per orbem Ecclesiam: & hoc solum fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non statutum nouiter, sed confirmatum est, vt Ecclesiastica docet Historia.* Si Columba autem, si qui alij sanctitate spectatissimi alium sectati sint ritum, ait: *Quia iustius multo est de incognitis bonum credere, quàm malum, illos & Dei famulos & Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum coluerunt.* Concluditur denique sequenda *esse decreta Apostolicæ sedis, immo vniuersalis Ecclesiæ: & neminem præferendum Petro, cui principaliter dictum est, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum.*

Digitized by Google

Minùs hi quidem, ſed nonnihil tamen à more Catholici & Romani Paſchæ diſſidebant. Perſpice autem vt ſumma iudicij maturitate Beda errorem ab errantium ſanctitate diſcriminet. Optatiſſimum eſſet, tam æquos iudices nacti eſſent & Polycrates & Victor & Irenæus. Ille dum heterodoxum Paſcha colit, hic dum noxia diſpenſatione vtendum conſulit, in errore fuerunt. Victor dum Apoſtolicæ ſedis, dum vniuerſalis Eccleſiæ decreta, eo quo vbique moris erat, vigore, hoc eſt, ſub mucronis ſacri commination obſeruari vrget, & Synodis poſthac œcumenicis dictat *quòd non conſtituant, ſeu confirment*, in errore verſari non potuit. Nec tamen vel Polycratis vel Irenæi laudes aliæ oblitterandæ ſunt. Vt in Aidano, vt in Columba: ſunt in eis, quæ admiratione, quæ laude proſequamur: ſunt quæ non laudemus, non approbemus. In eo autem quem ducem ſequitur vniuerſa Eccleſia, nihil eſt quod ſine ſcelere poſſimus in hac parte vituperare. Ideo ne Græcorum quidem virulentia tametſi aduersùs Apoſtolicæ ſedis priuilegium exacerbata aduersùs Victorem tot hactenus ſæculis effutire quidquam auſa eſt. Vide Photianos Epiſcopos, & magiſterio & veneno Photij imbutos, in ſexta actione octauæ Synodi, aduersùs primam ſedem furentes, & exempla vndiq; aucupantes, conſeruatæ communionis iis quos Romani Antiſtites excommunicaſſent, vel ademptæ iis quibus illi communicarent. Nuſquam eorum animo occurſauit tanta inſulſitas, vt Victoris vel communionem vel excommunicationem ab Aſianis Epiſcopis impunè ſpretam fuiſſe ineptirent. Occidentales autem conſtituti Catholici Paſchatis gloriam vni præſertim Victori vendicaſſe, conſtat ex antè relatis Bedæ teſtimoniis, itemque ex eodem l. 7. c. 16. 19. 22. & l. de Æquin. vernali, denique in l. de ſex ætatibus, *Victor datis latè libellis conſtituit Paſcha die dominico celebrari, ſicut & prædeceſſor eius Eleutherius, cuius decretis ſtuens Theophilus Cæſarea Paleſtinæ Epiſcopus, ſcripſit cum cæteris in eodem Concilio Epiſcopis Synodicam & valde vtilem Epiſtolam.*

XXIII. Ex eodem vt æquum de Victore & Irenæo & Polycrate iudicium temperandum ſit.

XXIV. Nemo etiam è Græcis ante Nouatores huius æui arrodere famam Victoris tentarat, vt Nicæna Synodo abundè purgati.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

AD SYNODOS

SVB STEPHANO PAPA

IN CAVSA BAPTISMI HÆRETICORVM

Collectas Carthagine, Romæ & alibi an. Christi 256. 257. &c.

SYNOPSIS.

Refellitur putidissima Nouatorum calumnia, tam errasse Stephanum in omnium admittendo, quàm Cyprianum & Firmilianum in omnium hæreticorum baptismo repudiando. Euincitur ex omnium patrum consensu, eandem tunc fuisse Ecclesiæ Romanæ de baptismo hæreticorum, quæ postea fuit, & quæ etiamnunc superest disciplina. Vsque ad num. XXII.

Deinceps ad finem vsque multipliciter soluitur alia quæstio, ecquid Augustinus Cypriano hinc excusationem & patrocinium peret, quod necdum ea res plenario Concilio elucidata atque terminata fuisset: cùm idem ipse Pelagianis plenarium Concilium flagitantibus os obstruauerit, localibus Synodis & rescriptis Apostolicæ sedis litem finitam pronuncians.

1. Stephani Papæ & Cypriani concertatio. Nouatorum calumnia in Stephanum. Duplex aduersùs eos controuersia hic dirimenda.

ILLVSTRIS & copiosa hæc se altera obiicit quæstio, & superiori gemella, de Stephani cum Cypriano concertatione circa baptismum ab hæreticis collatum. Et hîc enim sanctitate conspicui colliduntur Pontifices; Romanus etsi loco maior & causa melior, à collega spernitur; contumaces aduersùs primæ

Digitized by Google

ſedis decretum, & auiti moris plus æquo retinentes, nihiloſecius Eccleſiæ communione fruuntur ; denique ſecundùm Stephanum pronunciat Nicæna Synodus. Itaque permagnus & admirabilis vtrobique perſonarum rerumque concentus. Ad cumulum denique vt Victorem, ita Stephanum per tot retro ſæculorum volumina ſummæ admirationi habitum, omnium procaciſſimi Nouatores in hac extrema temporum fæce denigrare cœpere, quaſi auerſis quidem veſtigiis erraſſet tamen ipſe perinde ac Cyprianus. Vt hìc enim omnes prorſus arcebat hæreticos à dandi baptiſmi poteſtate; ita ille, vt garriunt, omnes eâ donabat indiſcriminatim, ſiue legitimâ, ſiue ſpuriâ & prophanâ vterentur in tingendo verborum formulâ. Itaque propulſanda hæc primò à ſanctiſſimo Papa & Martyre calumnia. Tum ingrediemur ad aliam quoque controuerſiam, quî Cyprianus ab Auguſtino culpa pene abſolutus ſit, quod ante Concilium plenarium necdum veritas ſatis eliquata fuiſſet; cùm idem Auguſtinus vna primæ ſedis authoritate & ſententia alibi Pelagianos hæreticos abunde pronunciet confectos eſſe, nec plenario iam opus eſſe Concilio.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMAN

II. Non erraſſe Stephanum in omnium hæreticorum baptiſmo recipiendo, probatur ex Firmiliano.

Hallucinàtum ergo & ipſum Stephanum fuiſſe in omnium hæreticorum baptiſmo probando, peræquè vt Cyprianum in omnium repudiando, hallucinabundi ſomniant, eliciuntque ex hoc eius decreto apud Cyprianum relato epiſt. 74. *Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur ad pœnitentiam: cùm ipſi hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm.* Nihil ergo diſcriminis, inquiunt, interponebat Stephanus, & quibuſcumque demum verbis, etiam ab Euangelica veritate alieniſſimis conſecrato ſubſcribebat baptiſmo. At Stephano primùm patrocinari licet ex ipſa Firmiliani aduersùs eum ſcripta ad Cyprianum Epiſtola. Vt inuictiſſimum ſit quod ab ipſo aduerſario vis veri extorquet teſtimonium. Verba Firmiliani ſunt: *Illud quoque abſurdum,*

Digitized by Google

quòd non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizauerit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit inuocatâ Trinitate nominum Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quòd inuocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem? Cùm hæc tunc vtique proficiant, cùm & qui baptizat, habet Spiritum sanctum, & baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum. Hinc palam est, illud demum probari Stephano baptisma, quod inuocata Trinitas sanctificet, vbi inuocatio nominum sufficiat ad remissionem peccatorum: à Firmiliano autem desiderari præterea, vt is qui baptizat, Spiritu sancto vegetetur. Et rursus ibidem Firmilianus Stephanum validissimè, vt sibi videtur, vrget exemplo mulieris veneficæ hæreticæque, quæ multos solenni Ecclesiæ forma tinxerat. *Cùm baptizaret quoque multos, vsitata & legitima verba interrogationis vsurpans, vt nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de huius baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizauit? Nunquid & hoc Stephanus & qui illi consentiunt, comprobant? Maximè cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & Ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lauacri salutaris regeneratio ritè perfecta, vbi omnia quamuis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt? Nisi & dæmonem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, gratiam baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum baptisma defendunt.* Ne fingere quidem mihi possum quidquam his apertius.

III. Et idem ex eodem.

Et idem ibidem rursum, & sua & Stephani sensa prodere pergit, ex Christi inuocatione sanctificatum baptismum exagitans, nisi à viro Catholico exhiberetur. *Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi, ad fidem & baptismi sanctificationem: vt quicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. Quando huic loco breuiter occurri posset, & dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma, ad hominem purgandum; in eiusdem Chri-*

Digitized by Google

ſti nomine valere illic potuit & manus impoſitio ad accipiendum Spiritum ſanctum. Ergo id Stephanus baptiſma admittebat, quod in nomine Trinitatis, quod in nomine Chriſti conſecraretur. Et rurſum ibidem: *Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt & aiunt, Apoſtolum dixiſſe, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur.* An formulis baptiſmi adulterinis, quibus Chriſti & Trinitatis Eccleſiaſtica fides proſcinderetur, iactitaſſet Stephanus cum aſtipulatoribus ſuis Chriſtum annunciari? ille ſanè Apoſtoli locus prædicantis vitio monet non infuſcari ſanæ prædicationis veritatem.

IV. Alia ex eodem argumenta.

Si verò admiſſus à Romanis eſſet baptiſmus impia & hæretica aliqua verborum formula prophanatus, hanc maximè hæreſeos formulam prodidiſſet, hanc exagitaſſet Firmilianus in tam prolixa Epiſtola, & ita prorſus victoriam aut ad ſe inclinaſſet, aut Stephano extorſiſſet. Sed cùm fidem perfidiſſimam hæreticorum inſectetur vir vſquequaque doctiſſimus, nuſquam verba ipſa attingit ad baptiſmum conſtuprandum ab eis effuſa. Quorſum autem ſuggillaret inuocatam ab hæretico ore Trinitatem aut maieſtatem Chriſti: ſileret autem ab eodem in Trinitatis, in Chriſti nominis contumeliam eructatas inſanias?

V. Et rurſus alia.

Adde quòd totus eſt Firmilianus in baptizatore hæretico exibilando, & ex eius vitio baptiſmum infirmat. E contra totus erat Stephanus, vt vel ex eius refutatione liquet, in ipſius per ſeſe Sacramenti, & verbi Chriſti & inuocationis Trinitatis vi amplificanda, quam exhaurire nequaquam poſſet vel nequam, vel hæreticus quiſquam, cuius ab ore ea reſonarent. Cardo itaque controuerſiæ tunc in eo vertebatur, an ſola verborum diuinorum maieſtas & efficacia ſanctificationem baptiſmi perficere valeret, à quocumque demum miniſtro illa proferrentur; an miniſtri perfidia verborum virtutem corrumpere & euacuare poſſet. Nec ad ſtatum ergo quæſtionis animum adieciſſe videntur, qui Stephanum maledictis inceſſunt.

Digitized by Google

VI. Idem euincitur ex Cypriano.

Eadem propemodum argumenta exculpi possunt ex opusculis Cypriani, hac in causa editis. Sic enim ille in epist. ad Pompei. *Vtique baptisma, quod in eadem vnitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia, neque à Spiritu sancto potest. Aut si effectum baptismi, maiestati nominis tribuunt, vt qui in nomine Christi Iesu vbicumque & quomodocumque baptizantur, innouati, & sanctificati iudicentur, &c.* Tribuebat ergo Stephanus effectum baptismi maiestati nominum & inuocationi nominis Christi. Et in epist. ad Iubaianum: *Non est autem quòd aliquis ad circumueniendam veritatem Christianam, Christi nomen opponat: vt dicat, in nomine Iesu Christi vbicumque & quomodocumque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti. Cùm ipse Christus loquatur & dicat, non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Quod autem contrà nitatur Cyprianus, vrgeatque non solùm Christi nomen, sed totius Trinitatis imprecandum esse vt ratus sit baptismus, nihil id quidem causæ Stephani officit. Nam multorum patrum, recentiumque scholæ Theologicæ magistrorum sententia est, etiam in solius Christi nominis inuocatione perfici baptisma posse, aut saltem aliquando potuisse. Et vt vt id habeat, Christi inuocatione Stephanus vt & complurimi veterum Theologorum, totius Trinitatis numen comprehendebat, idque patet ex verbis Firmiliani suprà relatis.

VII. Ex eodem.

Etsi autem hæretici Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aut Christi nomen imprecarentur, non eundem illis Patrem Christumque ac Spiritum sanctum atque Catholicis esse interpretabatur Cyprianus, quia non eadem fides est, ideo non eundem esse baptismum. Epist. ad Iubaianum: *Nam si fides vna est nobis & hæreticis, esse potest & gratia vna. Si eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum sanctum, eandem Ecclesiam confitentur; potest illic & baptisma vnum esse, si est & fides vna, &c. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Nunquid eundem asserit, quem & nos Deum Patrem creatorem? Nunquid eundem vnum Filium Christum*

Digitized by Google

Christum de Maria Virgine natum? &c. Longè alia est apud Marcionem, sed & apud cæteros fides; imò nihil est apud illos, nisi perfidia. Anxius rimatur Cyprianus, non quid inuocetur, sed quid credatur à baptizante: cùm Stephanus non fidem baptizantis, sed potestatem verborum scrutaretur. Et infrà: *Quare baptisma nobis & hæreticis non potest esse, cum quibus nec Pater Deus, nec Christus Filius, nec Spiritus sanctus, nec fides ipsa in Ecclesia communis est.* Quo decreto suo Cyprianus cùm Nouatianos quoque complectatur, quos constat Trinitatis & carnis Christi fidem intaminatam custodisse, palam est ab eo non eundem Deum, non eundem Christum nobis & hæreticis communem dici, etsi eadem nominum inuocatio sit.

VIII. Ex Concilio Carthagin.

Ex Concilio item Carthaginensi aperitur, in quo summa huius disputationis consisteret. *Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si baptizare possunt, & Spiritum sanctum dare possunt. Si autem Spiritum sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt.* Ibidem & alius Cypriani assecla Episcopus ait: *Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt; quomodo Christianos faciunt?* Solam ergo ministrorum personam Cyprianus, solam Stephanus verborum Christi efficaciam contemplabatur. Nam si & minister hæreticus, & forma fuisset impia, eccur Stephanus hoc vel nomine tenus baptisma dici passus esset? Cur probasset in hæretico, quod vel in Catholico homine abominatus esset? Denique ipsæ voces rem indicant. Quæritur enim de baptismo hæreticorum, id est, de baptismo ab hæreticis dato: vbi ea nempe sola ambigendi ratio occurrit, quæ ex hæretici baptizantis persona trahitur. Nam si & hæreticus tingat, & tingendo prophanas inuocet Deitatis laruas, quis hæc promiscuè habeat? quis hoc baptisma vel nominet? quis hoc cum Nouatianorum baptismo permisceat, & æquè approbet?

IX. Ex Tertulliano.

Idem efficitur ex Tertulliano. Nam lib. de pudicitia, ait in huius ipsius Cypriani sententiæ patrocinium;

Digitized by Google

Vt Ethnico par, imò & ſuper Ethnicum hæreticus etiam per baptiſma veritatis admittitur. Et l. de baptiſmo, *Non idem Deus eſt nobis & illis: nec vnus Chriſtus, id eſt, idem. Ideoque nec baptiſmus vnus, quia nec idem.* Quæ ne ad ſolos Marcioniſtas ſpectare ſuſpiceris, conſule rurſus Cyprianum l. 1. epiſt. 6. eadem prolixiùs de Nouatianis diſputantem.

X. Item ex Concilio Arelatenſi.

Venio ad Canonem 8. Concilij Arelatenſis an. 314. *De Afris quod propria lege ſua vtuntur vt rebaptizent, placuit vt ſi ad Eccleſiam aliquis de hereſi venerit, interrogent eum ſymbolum. Etſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, vianus eis tantùm imponatur, vt accipiat Spiritum ſanctum. Quòd ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quare hoc canone ſoli vellicantur Afri, non etiam Romani, ſi etſi diſſimili, iuxtà tamen abſurdo, vtrique verſabantur in errore? aut ſi Romanis parcere animus erat, quin parcebatur & Afrorum nomini, ac ſola baptiſmi regula præfigebatur? Quin imò configendi potiùs fuiſſent Romani, vt longè turpiùs errantes, ſi baptiſmum aliena, fideique inimica forma collatum pro rato habuiſſent. Id enim atrocius eſt, quàm quorumlibet hæreticorum baptiſma reſcindere. Hîc enim deteſtabilis ſemper eſt baptizatoris impietas, ideo excuſatur vtrumque zelus deteſtantis. At illic & baptiſmi & baptizatoris prophanitas in promptu eſt, vnde inexcuſabilis prorſus foret approbantium inſcitia.

XI. Ex Euſebio.

Patrocinatur & Euſebius Stephano, omnemque ab eo amolitur erroris ſuſpicionem, l. 7. c. 2. *Ad hunc Stephanum Dionyſius primam earum, quæ de baptiſmo conſcriptæ ſunt, epiſtolam exaravit. Cùm per id tempus non mediocris controverſia exorta eſſet, vtrum eos qui ex qualibet hæreſi convertuntur, baptiſmo purgari oporteret, quippe antiqua conſuetudo invaluerat, vt in eiuſmodi hominibus ſola manuum impoſitio cum precationibus adhiberetur. Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginenſem regebat Eccleſiam, nonniſi per baptiſmum ab errore priùs emundatos, admittendos eſſe cenſuit. Verùm Stephanus*

Digitized by Google

nihil aduersùs traditionem quæ iam inde ab antiquis temporibus obtinuerat, innouandum ratus, grauissimè id tulit. Innouationis culpam omnem retorquet in Cyprianum, siue in Cypriani prædecessorem Agrippinum, Stephano autem non aliud ait, quàm antiquam consuetudinem retineri placuisse, qua in re errare haud sanè potuit.

Quod idipsum apertissimum fit ex ipsismet Stephani verbis à Cypriano & Firmiliano relatis; nihil innnouari: quod traditum est, retineri debere. Quis non intelligit hanc aduersùs omnes errores medicinam esse certissimam, nedum vt error aliquis propinari his vocibus queat? Ab initio enim prædicationis Euangelicæ inualûerat ista Romanæ Ecclesiæ disciplina, vt Eusebius innuit. Aut si quid secus quàm Apostoli Apostolicique viri factitassent, à Præsule quopiam Romano nouatum postea fuerat, non tam fidenter Stephanus traditioni & antiquitati incumberet. Romanæ traditionis seu corruptelæ initium aliquod, velut cunabula eius, Cyprianus aut Firmilianus aliquando indigitassent, quorum & eruditio & æstuatio in hoc negotio exploratissima est. Eusebius Africanæ disciplinæ exordia nupera notat, haudquaquam Romanæ. Denique Cyprianus ipse authorem se sequi Agrippinum profitetur, quem verò ducem primùm sequatur Stephanus, non vsquam declarat, sed consuetudini & traditioni, cui derogare non poterat, veritatem identidem clamitat anteponendam. Itaque epist. 71. ita habet. *Quod quidem & Agrippinus cum ceteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in prouincia Africa & Numidia, Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato Concilij communis examine firmauit. Quorum sententiam nos etiam secuti sumus.* Et in epist. ad Iubaianum: *Apud nos non noua, aut repentina res est, vt baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam perueniunt: cùm multi iam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro conuenientes in vnum Episcopi plurimi hoc statuerunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in prouinciis nostris ad Ecclesiam conuersi, salutaris baptismi*

XII. Ex Stephani ipsius verbis.

gratiam consecuti sint. Suæ consuetudinis nouitatem prodit, dum venditat vetustatem. At Romanæ disciplinæ antiquitatem detrectare non valens, vni veritati seruiendum clamitat paulò pòst: *Proinde frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate; aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit à sancto Spiritu reuelatum.* Qui ergo Stephano error, idem traditioni Ecclesiarum antiquissimæ, idem Apostolis ipsis eius magistris impingitur.

XIII. Defenditur argumentum Stephani aduersùs Cyprianum.

Et Stephanum quidem ab exemplo hæreticorum argumentantem sannis & dicteriis insectatus est Cyprianus. At pace sanctissimi martyris dixerim, hac Stephani argumentatione nihil opportunius, nihil hac suggillatione inconsideratius fieri potuit. Nam exploratissimum hinc siebat hæreticos in solenni baptismi forma nihil nouasse, nec propriarum hallucinationum vllam ei permiscuisse labem, quandoquidem alij aliorum non respuebant baptisma. Errorem enim alij aliorum detestabantur, & detestati proinde fuissent baptisma, si peculiaribus singulorum deliriis illud fuisset vitiatum. Quæ ergo hæreticis, eadem Stephano aderat ratio, ne baptisma extra Ecclesiam tributum iteraret.

XIV. Item ex Hieronymo ostenditur non erraisse Stephanum in quæstione baptismi.

Porro Hieronymus Dial. aduersùs Luciferianos ea scribit, quæ nec frontis perfrictissimæ homines negare ausint in Stephani patrocinium scripta esse. *Conatus est B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Episcopum, qui a B. Petro vigesimus-sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus eius frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti, nouum emisere decretum. Quid facimus? ita & nobis maiores nostri & illis sui tradidere maiores.* Vides vt nouitatem Cypriano, vetustatem traditionis Stephano adsignet, Cypriani denique collegas aliquando tandem sui pœnituisse conatus, & ad antiquam Stephani, maiorumque ipsorum

Digitized by Google

ſuorum conſuetudinem reuolutos fuiſſe dicat. Et idem mox Stephani ſententiam & traditionem verè Apoſtolicam, verè ab Apoſtolis adhuc ſuperſtitibus propagatam, exemplisque confirmatam fuiſſe adſtruit, pernumeratis apoſtatarum & hæreticorum cateruis, quæ ipſa Eccleſiæ cunabula infeſtarunt, quorum tamen nullius iteratum legitur baptiſma. *Sed quid de poſterioribus loquar? Apoſtolis adhuc in ſeculo ſuperſtitibus, adhuc apud Iudæam Chriſti ſanguine recenti, phantaſma Domini corpus aſſerebatur: Galatas ad obſeruationem legis traductos Apoſtolus iterum parturit: Corinthios reſurrectionem corporis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon magus & Menander diſcipulus eius, Dei ſe adſeruere virtutes. Tunc Baſilides, &c. Nicolaus quoque, &c. Saturninum, &c. Carpocratem, & Cherintum, & huius ſucceſſorem Hebionem, & cæteras peſtes, quorum plurimi viuente adhuc Ioanne Apoſtolo eruperunt. Et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.* Vides nulla partitione vti Hieronymum, vt alios hæreticorum tingendos in Eccleſia, alios non tingendos doceat. Sed vniuerſim inficiari tingendos iterum vllos eſſe, vllos ab Apoſtolis vel eorum ſucceſſoribus tinctos iterum fuiſſe, etſi eorum iam tum plerique portentoſa quædam figmenta de Deo eructaſſent. Nec fallebat Hieronymum in tanta eius ætui luce, maximè tandiu poſt Arelatenſem Synodum, ratum non eſſe, niſi quòd in Trinitatis nomine ſanctificaretur baptiſma. Ergo ſi Simon, Menander, Baſilides, Carpocras, Cherintus, Ebion baptiſmi Eccleſiſtici formam non adulterauerant, vt nec eorum baptiſmus in irritum mittendus eſſet: idem æquiſſimum eſt de cæteris vſque ad Stephani tempora augurari.

Idem ex Apocalypſi argumentari pergit Hieronymus ibidem, vbi complures memorantur hæretica imbuti inſania; nec ipſis tamen vel eorum diſcipulis baptiſmus, ſed pœnitentia ad abluendas ſordes indicitur. *De Apocalypſi quoque approbemus hæreticis ſine baptiſmate debere pœnitentiam concedi. In angelo Pergamene Eccleſiæ idolothyte-* XV. Rurſus ex eodem.

Digitized by Google

rum esus & Nicolaïtarum doctrina reprehenditur. Item apud angelum Thyatirorum Hiesabel prophetissa, & simulacrorum esca & fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur, &c. Nunquid dixit, Rebaptizentur qui in Nicolaïtarum fide baptizati sunt? Quin potiùs, Age, inquit, pœnitentiam, &c. Sic ille inueteratam, quam Stephanus mordicus defensabat, consuetudinem ab ipsis vsque Apostolis deriuatam, & ipsis Scripturæ diuinæ paginis consignatam fuisse demonstrat. Porro vt Stephanus, ita Hieronymus nullo discrimine hæreticos dispescit, omnes vna in naui locat, omnes pœnitentia non baptismo iubet ablui.

XVI. Ex eodem iterum.

Verùm luculenta præ cæteris sunt, quæ infrà disputat idem Hieronymus, aduersùs Hilarium Diaconum, Luciferiani schismatis præconem, inde *nouum orbis Deucalionem* factum, quòd venientes ab Arianis denuo tingendos insaniret. *Si hæretici baptisma non habent, & ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt: ipse quoque Hilarius non est Christianus. In ea quippe Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis baptismum recepit. Antequam Ariminensis Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus ab hæreticis venientes, in eo quod priùs acceperant, baptismate recipiebat. Nisi fortè tantum Ariani hæretici sunt, & ab ipsis solùs baptizatum recipere non licet, ab aliis licet. Diaconus eras, ô Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas. Diaconus eras, & Hebionis baptisma comprobabas. Repente postquam exortus est Arius, totus tibi dissilere cœpisti.* Et paulò pòst Ecclesiam Romanam inducit, ad Hilarium verba facientem: *Si in sinu meo natus, si vberum meorum lacte nutritus, aduersùm me gladium levas, redde quod dedi, & esto si potes, aliter Christianus. Meretrix sum, sed tamen mater tua sum. Non servo vnius thori castitatem? Talis eram quando conceptus es. Cum Ario adulteria committo? Feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho, Nemato.* Vides vt & hîc omnes prorsus hæreticos sine nouo baptismo per solam pœnitentiam ab Ecclesia Romana re-

Digitized by Google

ceptos defendat, idque iure & Apostolico instituto, atque inconcusso Scripturarum diuinarum præcepto factum tueatur. Adeóque & Arianos sine baptismate admittendos concludat. Porro hæc Hieronymus post Arelatensem Synodum, post Nicænum de baptismo decretum scribebat.

Denique idem consequenter validius id quoque munit. *Quòd si negandum quispiam putauerit, hæreticos à maioribus nostris semper fuisse susceptos, legat B. Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ vrbis Episcopum, & inueteratæ consuetudinis laceret errorem. Legat & ipsius Hilarij libellos, quos aduersùm nos de rebaptizandis hæreticis edidit, & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri à Iulio, Marco, Syluestro & ceteris veteribus Episcopis similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos, nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præiudicare debere. Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Vides & hîc *hæreticos, omnes hæreticos* sine baptismi iteratione susceptos ab Ecclesia Romana, peræquè post Arelatensem Nicænamq; Synodum atque priùs. Ergo si qua culpa affingatur Stephano, eadem post Arelatensem Synodum & Nicænam, quibus assuerat per legatos Romana sedes, quarumque vindex primaria semper ipsa extitit, Romanis omnibus Episcopis & ipsi Hieronymo horum præconi illinenda est. Vides rursum quàm Stephano propitia & consentanea fuerit Nicæna Synodus, quæ *omnes hæreticos suscepit exceptis Pauli Samosateni discipulis*: qui Stephani æuo necdum infaustum caput orco extulerant. Vt nihil possit vel petulantiùs vel imperitiùs fingi Nouatoribus huius æui, qui Nicænam Synodum garriunt, nec Stephano omnes, nec Cypriano nullos sine baptismo recipienti suffragatam: sed distinctione ea vsam, qua vterque error castigaretur. Stephano enim prorsus astipulati sunt Patres Nicæni, qui omnes quos ille, sine baptismo hæreticos suscipi iussere: eos tingi sanxere, quos ille erupturos rescire non potuit. Denique nusquam Hieronymus vel le-

XVII. Ex eo. dem.

Digitized by Google

uiſſimè conqueſtus eſt de errore vel Stephani, vel eorum qui baptiſma heterodoxis verbis collatum non iterarent.

XVIII. Idem efficitur ex Baſilio

Accedat Baſilius epiſt. ad Amphil. c. 1. Ille enim etſi conſuetudinem Romanorum Antiſtitum in baptiſmo minùs probet, non errori tamen, ſed œconomiæ eam adſignat. Eique quanquam minùs ipſe ſubſcribat, œconomiæ tamen ergo aſſentitur, vt qui volent, adhæreſcant. Et Dionyſio quidem Alexandrino, quòd Pepuzenorum baptiſmum approbarit à fide immaniter abhorrentem, nonnihil ſuccenſet, Cypriani & Firmiliani non ſine elogio meminit, à Stephano perſtringendo prorſus abſtinet, qui tamen ſi qua fides eſſet Sycophantis nuperis, longè fœdiùs Dionyſio ceſpitaſſet. *Pepuzenorum baptiſmus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus ſum, quomodo hoc magnum Dionyſium qui fuit canonicus, prateriit.* Et infrà: *Pepuzeni in ſanctum Spiritum blaſphemarunt, Montano & Priſcillæ Paracleti appellationem nefariè tribuentes. Quam ergo rationem habet, verum eorum baptiſma iudicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priſcillamque baptizant? Non enim baptizati ſunt, qui non in nobis tradita baptizati ſunt. Quæ etſi hoc magnum Dionyſium latuit, nobis tamen non eſt ſeruanda erroris imitatio.* Vbi facilè ſubolet, quo non ium Dionyſius, quàm Baſilius laboret errore. Nam fi- m, non verba baptiſmi interpolauerant Pepuzeni, c in Montani & Priſcillæ nomina, ſed in nomen iritus ſancti baptizabant, quo cùm Montanum & Priſcillam intelligerent, in Montani & Priſcillæ nomen eos tinxiſſe parum commodus interpres Baſilius commentatur: mentem eorum potiùs quàm verba penſitans. Ideo ergo nec à Romanis Montaniſtæ rebaptizabantur.

XIX. Ex Siricio, Innocentio, Leone R. PP.

Innocentius autem primus epiſt. 22. c. 4. diſtinctionum ſimiliter incurioſus, ait: *Noſtræ verò lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſint, per manus impoſitionem, laïcam tantùm tribuere communionem*, &c. Dum ait, *qui tamen illic baptizati ſunt*, verum baptiſmum

&

Digitized by Google

& à ſe & à maioribus ſuis deſideratum ſignificat, Euangelicis verbis dedicatum: alioqui nec baptiſmum dicendum. Vnde c. 5. ibidem, rationem indagans cur Nicæna Synodus Nouatianis tam ſecunda, tam aduerſa autem Paulianiſtis fuerit, vt illos nec à Clero dimouerit, horum vel baptiſma irritarit; *Quod idcirco diſtinctum eſſe iſtis duabus hæreſibus ratio manifeſta declarat, quia Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti minimè baptizabant, & Nouatiani iiſdem tremendis verendiſque nominibus baptizant.* Igitur etſi ſancti Patres indiſcretè pronuncient omnes ab hæreticis tinctos, ſola pœnitentia expiandos eſſe, conſcij tamen iidem ſunt, nec baptiſmum dici, niſi nomine Trinitatis conſignatum. Et rurſum cùm Paulianiſtæ quòd in nomine Trinitatis non tinguerent, ad Eccleſiam venientes rurſus ablui iubeantur; nulli ergo alij hæretici tempore Nicænæ Synodi hæretica forma verborum contaminauerant baptiſmi myſterium. Cui argumento robur accedet à Siricij epiſt. 1. c. 1. qui præterito etiam prædeceſſoris ſui Liberij decreto pugnat: *Nos cum Nouatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per inuocationem ſolam ſeptiformis Spiritûs, Epiſcopali manûs impoſitione, Catholicorum conuentui ſociamus Arianos. Quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit.* Vides quàm non ſatagat de diſcrimine ſignificando. Item Leo I. epiſt. 37. c. 2. *Quòd ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur.* Nempe baptiſmum non ſinit vocari, niſi debita obſeruatione tributum. Et epiſt. 79. c. 7. *Nam hi qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati anteà non fuiſſent, ſola innocatione Spiritûs ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt: quia formam tantùm baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſere.* Et epiſt. 92. c. 16. *Hi autem qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cuius fidei fuerint qui eos baptizauere, neſcire ſe profitentur: quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt.* Vides quam non in ſententiam, ſed in verba ipſa Stephani conſpirent, & omnes quidem hære-

ticos promiſcuè habeant, & ab ipſis baptizatos non rebaptizent; ſed id nimirum innuant, baptizatos non dici, niſi qui formam baptiſmatis, hoc eſt, inuocationem Trinitatis ſuſcepere.

XX. Item ex Auguſtino.

His ſuccedat, qui præcedere, & vnus inſtar omnium eſſe potuerat Auguſtinus. Ex eo autem quid primùm, quid deinde carpemus ad Stephani patrocinium? Omnia enim eius de baptiſmo contra Donatiſtas ſcripta, omnia capita, omnes propè verſus, hanc Stephani cum Cypriano concertationem ita exequuntur, vt diſciplinæ ſanioris & veritatis maieſtas tota penes Stephanum reſideat. Pauciſſima decerpam ex immenſo pene cumulo innumerabilium teſtimoniorum. Igitur l. 1. de bapt. con. Donat. c. 18. *Cùm enim tanti meriti Epiſcopus Cyprianus aliud de baptiſmo arbitraretur, quàm erat inquiſita diligentiùs veritas firmatura: multique eius collegæ, quamuis liquidò nondum manifeſtatum, id tamen tenerent quod & præterita Eccleſiæ conſuetudo, & poſtea totus Catholicus orbis amplexus eſt, non ſe ille tamen à cæteris diuerſa ſentientibus ſeparata communione diſiunxit.* Audin Stephanum & cæteros eius collegas, à quibus diſſentiebat Cyprianus, id tenuiſſe, *quod & præterita Eccleſiæ conſuetudo, & poſtea totus Catholicus orbis amplexus eſt?* Et l. 2. c. 7. *Nondum erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata. Sed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia: quam credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum: & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Ergo Stephanus, & vniuerſa cum eo Eccleſia, ſi Cyprianum cum fautoribus demas, non errabundam & poſtea emendandam, ſed Apoſtolicam, & plenario pòſt Arelatenſi Nicænoque Concilio corroborandam retinebat conſuetudinem. Et ibidem c. 9. *Concilium vniuerſale nondum factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* Et l. 4. c. 6. *Nec inuenio, cur iſtam conſuetudinem improbent, quæ poſt*

Digitized by Google

Cyprianum etiam plenario totius orbis Concilio confirmata eſt, &c. cùm eius conſuetudinis mutandæ causâ authoritatem Cyprianus quæreret, nonniſi in Africa ſola factum paucis ante ſe annis Agrippini Concilium repetiret. Quod cùm ſibi aduerſum totius orbis morem non ſufficere cerneret, &c. Et l. 5. c. 23. *Donec per plenarium Concilium quid eſſet rectius eluceret, non aliqua nouitate inſtituta, ſed vetuſtate roborata.* Vides quò pertinuerit quid perfecerit plenarium Concilium, ſeu Arelate, ſeu Nicææ collectum? non vt nouam hæreticorum faceret diſtributionem, ſed vt vetuſtam conſuetudinem à Stephano propugnatam accenſa veritatis face illuſtratam confirmaret. Et l. 7. c. 20. *Nam veritate poſtea liquidiùs reuelata ceſſit error veritati, cùm illa ſaluberrima conſuetudo etiam plenarij Concilij authoritate firmata eſt.* Et l. de vnico baptiſmo con. Petil. c. 14. *Ecce duo erant vno tempore, vt de aliis taceam, qui diuerſa ſentiebant: duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romana ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in vnitate Catholica conſtituti. Multi cum illo, quidam etiam cum iſto ſentiebant, &c.* Quis porro Auguſtino exercitatior in hac diſceptatione? Quis altiùs ingreſſus in huius quæſtionis, quæ adhuc cum Donatiſtis feruebat, indagationem? Cui exploratiora & Stephani & Cypriani verba atque ſenſa? Non illum præterierant illa Stephani verba, *de quacumque hæreſi.* Nec tamen ille erraſſe Stephanum inde elicuit, ſed ex aduerſo, Apoſtolicæ traditioni inexpugnabiliter adhæſiſſe. Canonis autem Arelatenſis ac Concilij plenarij ſenſum, fructumque, non in emendanda, ſed in confirmanda priore conſuetudine, quis ipſo dilucidiùs potuit peruidere?

In hac enim parte vniuerſam aliquando caligaſſe Ecclesiam, & mendacij retibus implicatam fuiſſe, cupidè quidem amplectuntur hæretici, quibus ſponſa Chriſti proſtibulum eſt. Apage autem vt aſſentiantur vnquam viri Catholici. Subſcribant potiùs Auguſtino, vt cætera taceam, rei recentiſſimæ teſti, quam noüellis hæreticis,

XXI. Quàm dictu nefas, totam aliquando erraſſe in hoc etiam negotio Eccleſiam.

Digitized by Google

post mille quadringentos pene annos noua subinde mendaciorum & calumniarum monstra parturientibus. Tam malè de Ecclesia Christi suspicari dedoceat illos Augustinus l. 2. contra Cresconium Grammat. c. 33. *Proinde quamuis huius rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas. Vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.* Non fidei igitur tantùm, sed & disciplinæ castigatioris regula, sicubi sileat Scriptura, ipsa tamen est Ecclesia, de qua non silet Scriptura. Si vniuersa autem aliquando Ecclesia, etsi dissimili, in errore tamen iacuisset, ecquid illam consuli attineret? Si errasset extra Synodum vniuersa, quin errasset & in Synodo plenaria? Num tutior ab errore est, repræsentatio Ecclesiæ, quàm Ecclesia? Num collecta in vnum locum, quàm effusa in omnem? An vbi ipsa effunditur vbique terrarum, effunditur & euanescit Spiritus sanctus, pectoris hospes intimus? Cui Catholico hæc bilem non moueant?

XXII. Item ex Vincentio Lirinensi.

Vincentius quoque Lirinensis omnem cauillandi facultatem resecat Common. 1. c. 9. *Quondam igitur venerem. Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium, contra diuinum Canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta maiorum rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali inuexit, vt non solùm hæreticis omnibus formam sacrilegij, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præberet erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquauersum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur: tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit; dignum, vt opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci au-*

Digitized by Google

thoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola quæ tunc ad Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit, nihil nouandum, niſi quod traditum eſt. Vbi perſpicis quàm omnia ad Stephani defenſionem ſint inſtructa. Et hæc quidem ſcribebat Vincentius poſt Arelatenſe, poſt Nicænum, poſt CPolitanum generale Concilium. Non his ergo Conciliis æquè repudiatam Stephani ac Cypriani ſententiam ſuſpicabatur.

His adde Facundum Hermianenſem Epiſcopum l. 10. *Cùm Cyprianus non ſolùm priuatim vt ei viſum eſt, verùm etiam congregato Concilio definierit, vt omnis hæreticus ab Eccleſia rediens baptizetur, & propter hoc culpatus à Stephano Antiſtite Romano reſtiterit, iniuriosè tractans eundem B. Stephanum, à quo fuerat iure culpatus, &c.* Et l. con. Mocianum: *Idcirco B. quoque Stephanus Præſul Apoſtolicæ ſedis cùm ſanctum Cyprianum atque alios Afros Epiſcopos de baptizandis omnibus hæreticis decreuiſſe cognoſceret, continuò ei denunciauit, quòd ſi qui hæc auderent, ab Eccleſia pellerentur. Et Stephani potiùs quàm Cypriani ſententiam tenet Eccleſia, non ſolùm de non rebaptizandis hæreticis, verùm etiam de rebaptizantibus non ferendis.* Quid his apertius optari poteſt?

XXIII. Ex Hincmaro Rhemenſi, & Auguſtino rurſus.

Hincmarus denique, ne longiùs progrediar, in opuſculo 55. capp. c. 19. *Et quia Concilium Nicænum Paulianiſtas hæreticos ad Eccleſiam venientes baptizari præcepit, quidam etiam alios hæreticos baptizandos eſſe dixerunt, quod Apoſtolica ſedes & plenaria Concilia, ſicut decreta Romanorum Pontificum, & ſanctus Auguſtinus verbis & ſenſibus copiosè oſtendit, penitus abdicarunt.* Paulianiſtæ enim, vt ſuprà tradidit Innocentius, in nomine Trinitatis non tinguebant, tinguebant alij ferè hæretici, etſi iis nominibus non eam, quam Eccleſia Catholica, fidem complecterentur. Vnde Auguſtinus l. 3. de bapt. con. Donat. c. 15. *Quamobrem ſi Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Nam ſub eiſdem verbis, id eſt, in nominibus*

Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti non ſolùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales paruuli Eccleſiæ, de quibus dicebat Apoſtolus, Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diuerſitates opinionum fortaſſis, quot homines, numerarentur. Conſule Epiphanium, & alios, qui de hæreſibus ſcripſere, etſi minutias ferè conſectati ſint omnes, euerſam tamen ab vllis formam baptiſmi vix reperies, niſi ab vno & altero. Vnde ſcitè Auguſtinus l. 6. de bapt. con. Donat. *Cæterùm quis neſciat non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Euangelica quibus Symbolum conſtat, illic defuerint? Sed facilùs inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.*

XXIV. Altera attingitur controuerſia, an poſt decretum Stephani plenario adhuc eſſet opus Concilio, vt innuere videtur Auguſtinus.

Iam ſatis, vt opinor, ſuperque diluxit, quantilla fides habenda ſit Nouatoribus, quando in re tam aperta fucum facere, & omnium Patrum conſpiratiſſimæ ſententiæ obluctari conati ſunt. Ad alteram iam accingamur huius controuerſiæ partem expediendam. Et ex ſuprapoſitis Auguſtini teſtimoniis illud quidem emicabat, excuſatos illum vtrumque habuiſſe Stephani aduerſarios, quod necdum res plenario Eccleſiæ Concilio diffinita atque elucidata fuiſſet. An ergo ante Concilij plenarij definitionem, nullius culpæ affines ſunt, qui ſedis Apoſtolicæ conſtituta deſpicantur? An ea erat inter Cyprianum & Stephanum æqualitas, vt pari iure, in tantæ rei diſſonantia ſuo vterque iudicio frueretur?

XXV. Contrà ex eodem Auguſtino, etiam ante Concilium & ſumma fuit Stephani poteſtas, & Cypriani error expiandus, non excuſandus.

Nequaquam ita habere, vel Auguſtinus ipſe fideiuſſor eſt. Nam l. 5. c. 23. contra Donat. de bapt. *Scribit Cyprianus Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verùm etiam contra ſcripſiſſe, atque præcepiſſe.* Sic ergo alibi ſupràdixit duos fuiſſe eminentiſſimarum Eccleſiarum Præſules diuerſa ſentientes, vt hic agnoſcat alterum alteri *præcepiſſe.* Et l. 1. de bapt. con. Donat. c. 18. *In quâ Eccleſiâ, ſi aliud alij adhuc de iſta quæſtione ſaluâ pace ſentirent, donec vniuerſali Concilio vnum aliquid eliquatum ſincerumque*

Digitized by Google

placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis: ſicut ſcriptum eſt, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Quâ enim abſente cætera inaniter habentur, eâdem præſente quædam venialiter non habentur. Peccaſſe Cyprianum non diſſimulat: quem mox ait *ad palmam martyrij peruenisſe, vt ſi qua in eius lucidam mentem ex humanâ conditione nebula irrepſerat, gloriosâ ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur.* Et mox addit, quod de baptiſmo aliter ſenſerat quàm ſe res habebat, *id charitatis vbertate penſatum, & Paſſionis falce purgatum eſſe.* Et l. 5. c. 25. *Iam illa, quæ in Stephanum irritatus effudit Cyprianus, retractare nolo, quia & non opus eſt. Ea præterire melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt. Stephanus autem & abſtinendos putauerat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem conuellere conarentur. Iſte autem quæſtionis iſtius difficultate permotus, & ſanctæ charitatis viſceribus largiſſimè præditus, in vnitate cum eis manendum, qui diuerſa ſentirent. Ita quamuis commotiùs, ſed tamen fraternè indignetur: vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, vt in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.* Vides vt Cypriani efferueſcentiam perſtringat, Stephano eadem placuiſſe aſtruat, quæ vniuerſali poſt Eccleſiæ, vt ne baptiſma hæreticorum iteraretur, & iterantes abſtinerentur: denique diſpenſationi, quâ errori ſuo blandiebatur Cyprianus, ad auertendum ſchiſma acquieuiſſe tandem Stephanum. Etſi enim nullo decreto, ipsâ tamen patientiâ ſuâ, quâ intentatum fulmen inhibuit, conſenſit Stephanus in hanc œconomiam. Itaque Stephano in illam œconomiam conſentiente, eius authoritatem iam non ſpernebant, qui Concilium plenarium opperiebantur.

XXVI. Ex eodem, Cyprianus Petro comparatur erranti, ſed corripientē tollegam audienti.

Quid quòd ſexcenties idem Cyprianum Petro comparat, Epiſcopum Apoſtolo, errantem erranti, martyrem martyri? Cùm tamen Petrus Paulo corripienti acquieuerit, eius erroris ſectatores ab Eccleſiâ præciſi ſunt. Ita & Cypriani martyris imitatores [illegible] ſe abrupere. Lib. 7. c. 1. *Hæretici nati [illegible] quem Petrus deuians à*

Paulo reuocatus est, in hoc vsque persistunt. Sicut ergo illi, Petro in primatu Apostolorum martyrij gloriâ coronato, in sua peruersitate præcisi ab Ecclesia remanserunt; sic isti Cypriano per abundantiam charitatis in sortem sanctorum passionis claritate suscepto, seipsos exules vnitatis agnoscunt. Ita Cyprianus Stephano, vt Petrus Paulo saltem obtemperaret. Id ergo præterea sanguine eluit. Et l. 3. c. 8. *Monet nos non fuisse impossibile, vt de baptismo Cyprianus aliquid aliter saperet, quàm veritas postulabat, quæ ab Ecclesia & ante illum & post illum retenta est, sicut potuit aliquid etiam, Petrus aliter sapere, quod veritas non habebat, quam Paulo Apostolo doctore didicimus.*

XXVII. Quam non possit excusari Cyprianus ex eodem, traditioni Apostolicæ & Ecclesiæ vniuersali immoriger.

Quàm non posset etiam Augustinus Cyprianum absoluere, apertum est præterea ex l. 2. con. Donat. de bapt. c. 7. vbi ait, etsi res nondum diligentiùs pertractata fuisset, *saluberrimam tamen consuetudinem tenebat Ecclesia, &c. quam consuetudinem credo ex Apostolicâ traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentiùs inquisita veritas docuit, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi.* Idem alibi pluries inculcat, eam non iterandi baptismi consuetudinem *ab vniuersali Ecclesia* hactenus obseruatam fuisse. Culpa liberari ergo non poterat Cyprianus, qui consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ, & traditionem ab Apostolis vsque ipsis deriuatam contemnebat, posthabebatque nuperæ per Agrippinum inuectæ corruptelæ. Minùs adeò est mirum, si Apostolicæ sedis statuta minoris faceret, qui Apostolicas traditiones & vniuersalis Ecclesiæ leges flocci faciebat. Ab hoc Cypriani contemptu, quem martyrio expiauit, nihil aduersùs vel primæ sedis, vel Ecclesiæ vniuersalis, vel Apostolicarum traditionum authoritatem rite excipi potest.

Ita

Digitized by Google

Ita Hieronymus Dial. adu. Lucifer. fruſtra à Cypriano impetitam vtramque copulat authoritatem & ſedis Apoſtolicæ & vniuerſalis Eccleſiæ. *Legat B. Cypriani Epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ vrbis Epiſcopum, & inueteratæ conſuetudinis lacerat errorem.* Ita & Vincentius Lirinenſis loco ſuprà laudato: Cypriano *Stephanus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit: dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci dignitate ſuperabat.* Æquum erat vtique morem vt ei gereret Cyprianus, qui cæteros collegas & fidei deuotione, & *loci dignitate ſuperabat.* Quid mirum autem ſi ei non ceſſit, qui Agrippino potiùs ſe addixit, *primo omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem atque inſtituta maiorum, rebaptizandum eſſe cenſenti?* Ita & Facundus ſuprà aiebat *iure culpatum* à Stephano Cyprianum, & Stephani ſententiæ, non tum quidem Cyprianum, ſed Eccleſiam, & tum & poſtea acceſſiſſe.

XXVIII. Eadem ex Hieronymo confirmantur, Vincentio Lir. & Facundo Her.

Et rurſum Auguſtinus octoginta Epiſcopos cum Cypriano, quinquaginta cum Firmiliano conſenſiſſe non neſcius, nihilo tamen ſecius orbem Chriſtianum vniuerſum à Stephani partibus ſtetiſſe fidenter affirmat. Vt hinc rurſus pareſcat, tam non poſſe aduersùs Stephani, quàm nec aduersùs Eccleſiæ vniuerſalis authoritatem vel decreta quidquam hinc obiectari. Sed & Stephani & Eccleſiæ poteſtas quidem inuicta, ſed permodeſta, & multis œconomiæ & veniæ blandimentis temperata intelligatur. Lib. 3. con. Creſconium c. 3. *Proinde ſi omnino iam credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit: cur non potiùs etiam ipſos paucos Orientales ſuum iudicium correxiſſe dicamus?* Et l. 2. c. 9. de bapt. con. Donat. *Nondum factum erat vniuerſale Concilium, quia conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum.* Vide & l. 4. c. 6. vt ſuprà retu-

XXIX. Rurſus ex Auguſtino.

Digitized by Google

limus. Eusebius quoque suprà relatus l. 7. c. 2. & 3. antiquam consuetudinem, cui Stephanus tuendæ incumbebat, in omni Ecclesiâ inualuisse insinuat ab initio. Vt necesse sit Firmilianum partium suarum studio raptum extra veri semitam fuisse, cùm de copiâ suorum assectatorum licentiùs gloriatur.

XXX. Non vltra minas sæuiit Stephanus, & tandem dispensationi acquieuit, atqueita decreti sui executionem suspendit ipsemet.

Quòd autem Stephanus vltra minas & terrorem non eruperit, cohibitoque mucrone sacro, indulgentiæ tacitus saltem acquieuerit, vt ne eâ de causâ vnitas Ecclesiæ scinderetur, multis assequimur coniecturis. Eusebius nouum & insolens Cypriani decretum & Synodi Carthaginensis, *grauissimè tulisse* ait Stephanum, nec vltra indignationèm æstuasse, aut tentasse quid narrat. Hieronymus suprà laudatus, aiebat Cyprianum Concilij sui decretum ad Stephanum misisse, sed *conatum eius frustra fuisse:* denique illos ipsos Episcopos ad vetustiorem consuetudinem sese recollegisse. Vincentius Lirinensis feruorem Stephani magnificentissimis verbis prosecutus est, de anathemate prorsus silet. Augustinus l. 5. c. 23. *Cyprianus ad Pompeium scribens, indicat Stephanum non solùm sibi ad ista non consensisse, verùm etiam contrà scripsisse atque præcepisse.* Huc vsque sæuitum est. Et l. de vnico bapt. con. Petil. c. 14. *Cùm Stephanus non solùm non rebaptizaret hæreticos, verùm etiam facientes, vel vt fieret, decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani literæ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in vnitatis pace permansit.* Excommunicandos censebat, non excommunicabat: minitabatur Stephanus, non iaculabatur. Ideo & Cyprianus permansit in pace vnitatis, etiam cum Stephano, vnde ibidem mox: *Ecce duo erant vno tempore, vt de aliis taceam, qui diuersa sentiebant. Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum; Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus ambo in vnitate Catholicâ constituti. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, vtrique cum eis in vnitate consistentes.* Nihil his apertius fieri potest. Atque adeò mitiganda sunt nonnihil Firmiliani ad Cyprianum verba,

Digitized by Google

aduersùs Stephanum ſtridentia in hunc modum: *Pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus; modò vobiſcum, qui in meridie eſtis: à quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, vt eos nec ad ſermonem ſaltem colloquij communis admitteret; adhuc inſuper præciperet fraternitati vniuerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet: vt venientibus non ſolùm pax & communio, ſed tectum & hoſpitium negaretur.* Rhetoricabatur Firmilianus, & cauſæ ſuæ æſtu effuſiùs incandeſcebat. Vt aſperiùs primò acceperit legatos Cypriani Stephanus, quo ad officium illum reuocaret, nihil moror: at pacem ab eo non eſſe ruptam, id ſuperiora argumenta peruincunt. Et ipſe denique Cyprianus in epiſt. ad Pompeium, qua aſperiores ad ſe Stephani literas aſperrimè exagitat, fratrem tamen ipſum appellat, ruptæ communionis nuſquam meminit. Et ad cumulum Auguſtinus l. 5. con. Donat. c. 25. *Stephanus abſtinendos putauerat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem conuellere conarentur. Cyprianus in vnitate cum eis manendum, qui diuerſa ſentirent. Ita quanuis commotiùs, ſed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, vt in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.* Vtcumque igitur conſenſit Stephanus, qui diuerſa ſentirent, ab vnitate non præcidi: & vniuerſale Concilium expectari.

Quocirca vt eius authoritati à multis reſiſteretur, charitas eius in cauſa fuit, quæ ad veniam tandem ipſum & œconomiam inclinauit. Alioqui quantâlibet poteſtate & ſcientiæ vbertate afflueret Cyprianus, inflecti tamen ipſum debuiſſe *grauiori authoritate* author eſt ipſe Auguſtinus l. 2. de bapt. con. Donat. c. 3. *Certè nobis obiicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium, &c. Quis neſciat ſanctam Scripturam canonicam omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illâ omnino dubitari & diſceptari non poſſit, vtrùm verum, vel vtrùm rectum ſit, quidquid in eâ ſcriptum eſſe conſtiterit. Epiſcoporum*

XXXI. Grauiori authoritati cedere debuiſſe Cyprianum ex Auguſtino.

Digitized by Google

autem literas, quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur: & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuſlibet in eâ re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deuiatum eſt. Quorumlibet, vt vides, Epiſcoporum, atque adeò Cypriani literæ, reprehendi poterant, non ſapientiore tantùm cuiuſlibet priuati ſermone, non Concilij tantùm congregatione, ſed aliorum etiam Epiſcoporum, atque adeò præ cæteris Romani Præſulis *grauiore authoritate* doctioreque prudentia. Hæc enim tria perſpicuè diſcriminat Auguſtinus.

XXXII. Et Cyprianus & alij eius conſentanei forſan reſipuere.

Quid ſi & ipſe Cyprianus ante obitum reſipuit? Nolim equidem vel illius, vel Firmiliani ſanctitatis famam ab hoc religare ambiguo. Sed & rem dubiam nolim indubiè explodi. Sobriè & ſapienter ſuo more Auguſtinus l. 2. de bapt. con. Don. *Si Petrum laudat & prædicat Cyprianus, ab vno poſteriore collegâ patienter concorditerque correctum; quantò citiùs ipſe cum Concilio prouinciæ ſuæ, vniuerſo orbis authoritate, veritate patefactâ, ceſsiſſet? Quia profectò & vni verum dicenti, & demonſtranti poſſet facillimè conſentire tam ſancta anima, tam pacata. Et fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ in illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ literiſque mandari potuerunt: aut omnia quæ mandata ſunt, nouimus.* Vides vt has coniecturas nec leuiter aſtruat, nec fidenter aſpernetur ſanctus Pater. Et epiſt. 48. *Cyprianus aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis, aut hoc poſtea correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi næuum cooperuit vbere charitatis.*

Dionyſium Alexandrinum docet Hieronymus lib. de Script. Eccl. *in Cypriani & Africanæ Synodi dogma conſenſiſſe;* Et tamen vt eius Epiſtolas ad Romanos Pontifices ex Euſebio datas ſileam: Baſilius in epiſt. ad Amph. ſemel iterumque conqueritur de Dionyſio, quòd Pepuzenorum baptiſma approbaret. Hinc coniectura eſt, ad Romanorum ſententiam tandem acceſſiſſe. Hieronymus autem adu. Lucif. *Illi ipſi Epiſcopi qui rebaptizandos hæ-*

Digitized by Google

ticos cum Cypriano ſtatuerant, ad antiquàm conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum, &c. Auguſtinus l. 3. contra Creſcon. c. 2. innuit, *orientales ſuum iudicium correxiſſe.* Incaſſum ergo Baronio indignantur, eiuſmodi quid ominanti de Firmiliano. Si tamen fides eius rei adhuc nutat, nec plus æquo indulgendum eſt ſuſpicionibus animi noſtri, conſultius erit Auguſtinum rurſum audire, l. de vnico bapt. con. Petil. c. 13. *Nec nos qui baptiſmi veritatem etiam in hæreticorum iniquitate agnoſcimus potiùs, quàm negamus, ideo meliores Cypriano ſumus, ſicut nec Petro, quia gentes iudaïzare non cogimus. Hoc de Agrippino aliiſque Epiſcopis qui illa Concilia feciſſe perhibentur, reſponderim, qui ſic diuerſa ſenſerunt, vt cum eis contra quos de hac quæſtione ſentiebant, in vnitate perſiſterent, vbi charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Et Bedam rurſum audire ſuperiùs relatum: qui Aidani vitam Euangelicæ amuſſi coaptatam laudabat, non laudabat autem quod canonicum Paſchæ tempus, *vel ignorans, vel ſuæ gentis authoritate, ne agnitum ſequeretur, deuictus, non obſeruaret.*

XXXIII. Altera aperitur via ſoluendæ huius controuerſiæ, ex diſcrimine quæſtionum de fide & de conſuetudinibus.

Et hinc rurſus alia ſe pandit ratio ſedandæ inter varia Auguſtinianæ doctrinæ capita conflictationis: cùm idem ipſe & Concilij plenarij ſpem amputarit Pelagianis, inexorabilem indicens neceſſitatem Africanis Conciliis & Apoſtolicæ maximè ſedis definitionibus ſubſcribendi: & Cypriano eiuſque collegis copiam fecerit, aut patrocinium adornauerit, vt ante Concilium plenarium non acquieſcerent. Ingenti enim prorſus hæ quæſtiones diſtant internallo. Illa ad fidem, hæc ad conſuetudines magis Eccleſiæ pertinet. In vnitatem fidei concinere neceſſum eſt fideles omnes, in vnitatem conſuetudinum non eſt ſemper neceſſe: A fide deuiantibus nil veniæ ſupereſt, niſi rectæ orbitæ ſe reddant: à conſuetudinum recto tramite declinantes ex veniâ perſæpe tolerantur. Hic haber, illic non habet locum diſpenſatio. Definitæ ſemel fidei derogari deinceps nunquam & nuſquam poteſt: conſtitutæ quomodolibet conſuetudinum diſciplinæ non

Digitized by Google

rarò posterior ætas derogat, ipsa saltem desuetudine. Conciliis etiam œcumenicis consuetudines aliquas sancientibus, aut non statim obtemperatur, aut obtemperari definitur postea, vt non citra culpam, at citra vñitatis Ecclesiasticæ labem: at fidei semel constitutæ irreuocabiliter obaudiendum est. Tertullianus l. de Virgin. veland. *Regula*, inquit, *fidei omnino vna est, sola immobilis, & irreformabilis.*

XXXIV. Varia huius discriminis documenta.

Ideo forsitan in vnitatis & pacis gremio retenti sunt ad Concilium vsque Nicænum, qui de Paschæ die à Catholicâ Ecclesiâ dissonabant: cùm cæteræ hæreses etiam ante Nicænam Synodum à corpore Ecclesiæ detruncatæ fuerint. Ideo de quæstione Paschatis dirimendâ laborarunt vehementer Nicæni Patres; de priscis hæresibus innumeris per prouincialia tantùm Concilia antehac proscriptis, rursus proscribendis, & ex œcumenicæ authoritate Synodi fulminandis nihil fuere solliciti. Ideo & concertationem de baptismo iidem sopire studuerunt, vnos rebaptizari iubendo Paulianistas. Quia vt liberior & versatilior sua sponte est disciplina; ita vniuersali magis consensu opus est, sicubi restringatur. Ideo & Cyprianus vehementer contendebat, & Stephanus tandem condonauit, vt diuersa quamlibet sentientes, ab vnitatis tamen indiuiduo nexu ne discederent: sicut & in negotio Paschatis Irenæus aliique sentiebant, sequioris obseruantiæ tenaciores quosque à compage Ecclesiæ non scindendos. Denique disciplinæ varietatem alicubi etiam ornamento esse & Augustinus & Gregorius infrà suo loco nos docebunt. Gregorius autem non assensus modò, sed hortatus etiam est, diuersos ab Ecclesiâ Romanâ ritus, sicubi tempestiuiores occurrerent, in Ecclesiam Anglicanam transplantari. In fide autem nemo hanc licentiam concesserit.

XXXV. Quæstionem hanc ciuiliter tractatam esse, vt ad con-

Nec me fallit quodam posse modo ad fidei negotium reuocari istas de baptismo hæreticorum quæstiones; multò etiam magis, quàm de Paschatis die, in quo aberran-

Digitized by Google

res Eccleſias, Victor heterodoxas appellabat. Sed vnum id exiſtimo ex priſcorum Patrum ſcriptis ſcintillare, hanc rem illos non aliter, quàm vt conſuetudinis Eccleſiaſticæ & diſciplinæ partem ſpectaſſe, nec ad fidei ſubſtantiam & neceſſitatem reuocaſſe. Ita ſentiebat Firmilianus in epiſt. ad Cypr. ſaluo vnitatis vinculo in his diſſentiri poſſe: *Circa celebrandos dies Paſcha, & circa multa alia diuinæ rei Sacramenta, videat quis eſſe apud Romanos aliquas diuerſitates, nec obſeruari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſeruantur. Secundùm quod in cæteris quoque plurimis prouinciis multa pro locorum & nominum diuerſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſia Catholica pace atque vnitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc facere Stephanus auſus eſt, rumpens aduersùm vos pacem, quam ſemper anteceſſores eius vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt.* Et toto paſſim epiſtolæ contextu bacchatur eo ferè nomine in Stephanum, quòd non potiùs ſuis quemque moribus frui ſineret, quàm fœdus pacis diſſolueret.

ſuetudines ſpectantem, non ad fidem, probatur primùm ex Firmiliano.

Ita ſentiebat & Cyprianus epiſt. ad Iubaianum. Cùm enim ſententiam ſuam multis ſepſiſſet argumentis, ait tandem: *Hæc tibi breuiter pro noſtrâ mediocritate reſcripſimus, nemini præſcribentes aut præiudicantes, quominus vnuſquiſque Epiſcoporum, quod putauerit, faciat, habens arbitrij ſui liberam facultatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam & dominicam pacem tenemus. Seruatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegij honor, dilectionis vinculum, concordia Sacerdotij.* Et in exordio Conc. Carthag. *Supereſt vt de hac ipsâ re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit. Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentiâ libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, &c.* In diſciplinæ negotio cum aliquo colore hæc diſſeruntur, in capite fidei Catholicæ alieniſſima eſſent omnia.

XXXVI. Item ex Cypriano.

Digitized by Google

Verba autem illa, *Quod putauerit, faciat, habens arbitrij facultatem liberam, &c. obsequendi necessitas, &c. de actu nostro iudicandi Christus vnus habet potestatem:* perspicuè ad disciplinam, non ad fidem referuntur. De fide enim à collegis dissentire, nulli fas est: si quis dissenserit contumax, à pace eiiciendus est & communione. At antiquas Ecclesiæ suæ consuetudines à quolibet Episcopo retentari, etsi ab aliis dissonas, vtcumque vsque ad Concilium plenarium aliquando & vltrà toleratur.

XXXVII. Item ex Stephano, ex Arelat. & Nicæna Synodo. Ex Optato.

Ita sentiebat & Stephanus, cùm quid fieri, non quid credi deberet, præciperet: traditionem antiquæ consuetudinis ostentaret. Ita & Eusebius suprà descriptus, meræ consuetudinis memor. Ita & Hieronymus, cuius prolixa disputatio, non aliud quàm antiquam & inueteratam consuetudinem venditat. Ita sensit & Arelatensis Synodus canone 8. vbi habet: *De Afris, qui propriâ sibi lege vtuntur vt rebaptizent*, nec contumelioſius quidquam in eos iactatur, vel in eorum errorem. Si enim aduersum fidei id visum esset, vt quid vocaretur ista non insania, non hæresis, sed propria lex rebaptizandi? Denique canones hîc non complectuntur nisi regulam disciplinæ, fidei autem definitio ferè in antiquis Conciliis seorsim digerebatur. Ita sensit & Nicæna Synodus, totam illam de baptismo controuersiam dirimere molita, non Symbolo aut confessione fidei, sed canone vnico, & hoc vno decreto, vnos deinceps Paulianistas iterum tingendos. De Apostolicis canonibus ad hoc idem attinentibus suo loco disseremus. Vnum insuper addo Optatum l. 1. *Apud quos non sunt Sacramenta.* In quæ verba Albaspinæus hæc adnotat: *Ergo ex hoc & ex multis aliis locis quantùm conijcio, Optatus non existimabat hæreticos posse baptizare.*

XXXVIII. Item ex Basilio.

Ita dubio procul sentiebat & Basilius, qui epist. ad Amphil. cùm hæreticos, qui ipsam fidei summam labefactare moliuntur, discreuisset à schismaticis, qui ob *sanabiles quæstiones* se abscinderunt, ait: *Visum est ergo ab initio hæreticos quidem omnino reiicere; eos autem qui se abscinderunt,*

Digitized by Google

derunt, seu schismaticorum baptisma admittere, vt qui adhuc sint Ecclesiæ. Firmiliano tamen & Cypriano mox ait visum esse, schismaticorum quoque baptismum iterare: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur.* Hæc ille de Cathatis, mox verò de Encratitis, *Quoniam nihil est de his apertè dictum, oportet nos eorum baptismum abrogare. Quòd si hoc vniuersali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine vtendum est, & sequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, prouiderunt.* Et infrà can. 47. omnes illos schismaticos à se rebaptizari ait, idemque suadet Amphilochio: quanquam expeditiùs dicat Episcopali Synodo has omnes controuersias dirimi. Multa hinc ebulliunt argumenta ad nostrum institutum. Primùm antiquiorem traditionem commemorat, partitione vtentem, tum se ab eâ dissentire confitetur. In fidei negotio non id sibi sumeret Basilius. Catharos & Encratitas in eadem schismaticorum naui collocat, tum illorum recipi permittit baptisma, horum vetat. Non ita in fidei quæstione alternaret. Catharorum baptisma suscipi ex dispensatione censet. At in negotio fidei non ita dispensationi locus datur. Encratitas rebaptizari suadet, si tamen vniuersali Ecclesiæ paci & dispensationi id obstrepat, admittendum censet eorum baptisma: nonne hæc ipsa est disciplinæ versatilitas? Ad nouam Synodum suspirat, quæ dubia illa omnia enubilet: vix ergo decantato illo apud Augustinum plenario Concilio sopita erat omnis controuersia. Ita de baptismo disceptatio, post Arelatensem, post Nicænam Synodum vix satis elucidata videbatur Basilio, noua illi in votis erat Synodus, rursus eâ de re secundum œcumenicum Concilium sanxit, quid sequendum esset. Frustra sunt ergo, cùm hinc prouocationes sibi fingunt à rescriptis sedis Apostolicæ ad œcumenicas Synodos: cùm peræquè ergo liceret ab œcumenicis Synodis ad alias prouocare, & ad alias etiam non œcumenicas. Etsi enim œcumenica fuerit Synodus Constanti-

nopolitana, Synodum tamen duntaxat expetierat Basilius.

XXXIX. Ex Amphilochio. Ita sentiebat & Amphilochius, qui in Nouatianorum baptismo iterando vel non iterando, suæ cuique moribus Ecclesiæ seruiendum esse censebat; vt testatur Basilius c. 1. epist. ad eundem scriptæ: *Quæ itaque ad Catharos pertinent, rectè admonuisti, quod oportet vniuscuiusque regionis morem sequi.* Quæ ita interpretatur Balsamon: *An oporteat baptizari Nouatianos, diuersæ sententiæ processerunt quemadmodum tu admonuisti, & placuit sequi morem vniuscuiusque regionis.*

XL. Ex Athanasio. Ita sentiebat & Athanasius, cuius orat. 3. adu. Arianos hæc sunt verba: *Si in nomine Patris & Filij datur perfectitudo baptismi, plenaque initiatio: Patrem autem verum Ariani non pronunciant, eò quòd negent aliquid ex ipso existere & simile esse illius substantiæ: negant quoque verum Filium, aliunde; ex non entibus conditum sibi comminiscentes in baptismate proferunt; quî, quæso, igitur non planè vanum ac inutile fuerit baptisma quod ab illis datur, cùm id nonnisi species sit & inane simulacrum? Non enim in Patre & Filio tribuunt baptisma Ariani, sed in creatore & creatura, in factore & facturâ. Sicut igitur creatura diuersum quid est à Filio, ita diuersum quid à vero baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris & Filij, quoniam illa in Scripturis vident, simulent se nominare.* Et infrà: *Certè aliæ etiam hæreses, eæque numero non paucæ, nomine tenùs ritum istum pronunciant, sed non rectè sentientes, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, nimirum lumine & religione destitutam. Adeò vt, qui ab illis aspergantur, sordescant potiùs praua religione, quàm rediguntur.* Hæc vir intaminatissimæ fidei de baptismo hæreticorum & cæterarum hæresum, tametsi inuocatione Trinitatis conferretur: Audi & quid mox subiiciat: *Itidem quoque & Manichæi, ac Phryges, ac discipuli Samosatensis, nomina ipsa pronunciantes, nihil ob id sunt minùs hæretici. Ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illudunt que eis qui ab ipsis baptisma accipiunt.* Hîc obiter ad-

zed by Google

uerte nomina ipſa perſonarum diuinarum, quia ſacris in paginis conſignata verbis conceptis ſunt, inter tingendum ab omnibus pene hæreticis pronunciata fuiſſe, ideoque nullius culpæ fuiſſe affinem vel Stephanum vel Eccleſiam Romanam, eorum baptiſma iterari vetantem. Porro Athanaſius Baſilio apertè ſuffragatur, caſſum ratus baptiſma, quod tametſi verbis Euangelicis conferatur, eorum tamen qui conferunt, alienus ſenſus ab Euangelio, aliena fides eſt.

XLI. Ex Epiphanio.

Ita ſentiebat & Epiphanius, cuius adſcribendus hîc eſt locus illuſtris in expoſit. fid. Cath. n. 13. *Alij qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus, priuatâ ſibi factione conflatâ præter Eccleſiæ conſuetudinem, ac citra Concilij generalis decretum, eos qui ab Arianis ad ſuas partes tranſeunt, iterum baptizare nihil verentur: cùm nondum ea res, vt dixi, vniuerſalis Synodi iudicio deciſa ſit: quòd adhuc populi promiſcuè ad hodiernum vſque diem habeantur. Inter quos multi quidem ſunt Catholici, ſed fictè ac per ſimulationem, ſacerdotum authoritatem ſequuntur, donec execranda illa ſecta ab Eccleſiæ communione ſegregetur, vt tunc aliquid de illa ſtatuatur. Ex iis qui ſuapte authoritate iterum hoc modo baptizant, audio quendam in Lycia presbyterum eſſe.* Nemini poſthac, vt arbitror, mirum accidet, ſi fluctuauerit Athanaſius, ſi Baſilius, ſi Amphilochius, & hæreticorum baptiſma in nomine, ſed non in fide Trinitatis collatum iterari optauerit; cùm Epiphanius Romanæ Eccleſiæ & Occidentalis morum ſcientiſſimus, æquè alternauerit, & eos qui ab Arianis ablutos iteratò abluebant, non hæreſeos ſed audaciæ inſimularit, vnumque illud iterum atque iterum deprecatus ſit, ne ante Concilij vniuerſalis definitionem rebaptizare eos perſeuerarent, maximè cùm illi necdum aut ſeceſſiſſent, aut execti eſſent ab Eccleſiæ Catholicæ communione.

XLII. Ex Cyrillo Hieroſol.

Ita ſentiebat & Cyrillus Hieroſolymitanus, qui præfat. in Catech. de omnibus hæreticis promiſcuè hæc habet. *Solis hæretici rebaptizantur. Siquidem priùs illud non erat*

baptiſma. Quæ autem vel leuiſſima illius ab Auguſtino decantatiſſimi plenarij ex toto Chriſtiano orbe Concilij fama euaſerat ad Baſilium, ad Amphilochium, ad Cyrillum Hieroſol. ad Epiphanium denique? vbi illa orbis conſenſio poſt plenarium Concilium ad non iterandum hæreticorum baptiſma? Cùm Arelatenſis vtique illa ſit Synodus ab Auguſtino indigitata, paulò ante eius natales celebrata, vt alibi oſtendemus: ecqua huius apud Græcos vſquam veſtigia vel ab emunctiſſimæ naris hominibus olfieri poſſunt? Non Zonaras, non Balſamon, non alij eius meminere Græci. Sed & in Arelatenſi Synodo, vbi illa tam copioſa elucidatio veritatis, qua Cypriani doctrina refelleretur, traditionis Catholicæ & vetuſtiſſimæ ratio & ſapientia ſplendidiſſimè eluceſceret? An temporum iniquitas intercepit tam egregia doctrinæ Catholicæ monumenta? An diu ante Synodum inter orthodoxos Epiſcopos res agitata & eliquata fuerat, & ita ad Synodum ventum eſt? Id forſan innuit Auguſtinus l. 2. de bapt. con. Donat. c. 4. *Quomodo potuit iſta res tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primò diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc diſputationibus & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* Illud certè ex antedictis conſtat, Arelatenſis Synodi vix rumore aliquo aſperſos eſſe Græcos, ideoque plenariam illam fortè ab Auguſtino dici, non quaſi œcumenicam, ſed vt ipſi moris eſt, quaſi vniuerſalem, hoc eſt, pluribus ex prouinciis congregatam, velut Regionalem, aut Nationalem. Vnde idem paulò infrà enodandis aliis quibuſdam de baptiſmo dubitationibus, optabit *authoritatem Concilij tanti, quantùm tantæ rei ſufficiat*: Optabit item *regionali cœpta Concilio, plenario Concilio terminari.* Idem alibi tranſmarina Concilia magni facere viſus eſt. Vnde autem Auguſtino de œcumenicis Conciliis hæc ſententia obrepſiſſet, qui ſolum pene Nicænum audiuit, CPolitanum vix ſciuit, Epheſinum morte anteuertit? Et ille ta-

men frequens plenaria Concilia crepat, aliaque aliis emendari autumat. Nec Basilius suprà de œcumenico Concilio satagebat, sed de Concilio tantùm, vt lis ista dirimeretur. Epiphanius œcumenicæ Synodi operam desiderat, peritior fortasse dissidij, quo Orientales nonnulli ab Occidentalibus adhuc dissidebant.

Ita sentiebant Patres centum quinquaginta in Synodo secunda œcumenica. Nam can. 7. ita edicunt: *Eos qui rectæ fidei adiiciuntur, & parti eorum qui ex hæreticis seruantur, recipimus secundùm subiectam hîc consequentiam & consuetudinem, Arianos quidem, &c. Eunomianos verò, &c.* Illos nempe vnctione chrismatis, hos baptismo. Suum simpliciſsimè morem enarrant, consuetudinem hanc esse perhibent, nihil amarulentius in secus vel sentientes, vel facientes stomachantur. Cæterùm Montanistas, seu Cataphrygas, Eunomianos, alioſque nonnullos baptizari iterum iubent, quos Romana in Ecclesia rebaptizatos non fuisse elicitur ex suprà positis Hieronymi aliorumq; testimoniis. Solos Paulianistas Nicæna Synodus iusserat iterum tingi, non Montanistas. In Ecclesiæ Romanæ Codice canonum deest canon iste. XLIII. Ex secunda Synodo œcumenica.

Ita sentiebant & Trullani Patres, qui can. 2. recipiunt cum aliis receptiſsimis Synodis, etiam *à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus & Martyr, & Synodo quæ sub eo fuit, emissum canonem; qui in prædictorum præsulum locis, & solùm secundùm traditam eis consuetudinem seruatus est.* Etsi à Cypriano dissentirent tunc Græci, hanc tamen eius consuetudinem suo loco & tempore viguisse censent. XLIV. Ex Synodo Trullana.

Ita sentiebant Græci olim omnes, quibus summo semper in honore fuit illa Basilij Epistola canonica ad Amphilochium, in codice Canonum Græco præ cæteris radians. Specialiter autem Timotheus Presbyter, cuius fragmentum refertur à Balsamone, vbi tres ordines recenset accedentium ad Ecclesiam, qui baptismo, qui chrismate, qui sola erroris eiuratione recipiuntur. *Et qui baptizantur quidem, sunt hi, Tascodrugi, Marcionistæ, Arrioyritæ,* XLV. Ex consensu Græcorum, maximè Theodori Studitæ. Pag. 1098.

Digitized by Google

Saccophori, Apotactitæ, Valentini, qui etiam Basilidij & Hermei appellantur, Nicolaïtæ, Montanistæ, Pepuzeni, Manichæi, Eunomiani, Rauliquistæ, Photinianistæ, Sabelliani, Cerinthiani, Menandriani, Ebionæi, Simoniani, Carpocratiani, Saturniani, & qui ab impio Marco, qui ab Apelle, qui à Theodoto Coriario, Helcesaïtæ, qui à Nepote, qui à Pelagio & Cælestio, & Melchisedecitæ. Qui autem sancto chrismate vnguntur, sunt hi, Tetraditæ seu Tessaresdecatitæ, Nouatiani seu Sabbatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ. Et paulò pòst ibidem subiicitur & istud ex epistolâ 4. Theodori Studitæ ad Naucratium excerptum, *Quæ à me petiisti, vt sigillatim responderem de sectis, & baptismis, &c. Accede ad sacrum librum Epiphanij, &c. Contemplatio tripliciter diuiditur. Baptizantur autem Marcionistæ, Tascodrugi, Manichæi, & qui sunt eiusdem ordinis, vsque ad Melchisedechitas, viginti quinque hæreses. Inunguntur autem sacro chrismate Tetraditæ, Nouatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ, simul quinque. Qui verò nec baptizantur, nec vnguntur, sed solam propriam & omnem aliam hæresin anathematizant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, &c.* Quæ prolixior ferè est Canonis septimi Synodi CPolitanæ interpretatio. Vides autem quàm immaniter hæc dissideant à consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quæ nunquam deinceps tamen eâ de re litem mouit Græcis, Canonem illum CPolitanum suo ex codice reiecisse contenta. Vides quàm rudes fuerint Græci, aut incurioſi illius plenarij Concilij, & Canonis Arelatensis de baptismo ab Augustino celebrati. Vides quàm iure meritòque Canon Arelatensis ad Afros destinetur, quorum propria lex erat, vt rebaptizarent.

XLVI. Ex Gennadio.

Ita sentiebat, vt ad Latinos rursus me referam Gennadius de dogmat. Eccles. c. 52. *Illos qui non sanctæ Trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti iuxta regulam à Domino positam tincti sunt. Vt sunt Paulini, Procliani, Borborita, Si-*

Digitized by Google

phori, qui nunc vocantur Bonoſiani, Photiniani, Montani, & Manichæi, variaque impietatis germina, vel cætera iſtorum originis ſiue ordinis peſtes, qua duo principia ſibi ignota introduxunt, vt Cerdon & Marcion; vel contraria, vt Manichæus; vel tria & barbara, vt Sethianus, & Theodoſius; vel multa vt Valentinus; vel Chriſtum hominem fuiſſe abſque Deo, vt Cerinthus, Ebion, Artemon & Photinus. Ex ipſis, inquam, ſi quid nos venerint, non requirendum ab eò vtrùm baptizati ſint, an non; ſed hoc tantùm, ſi credant Eccleſiæ fidem, & baptizentur Eccleſiaſtico baptimate. Minùs ſtupebis iam Græcos ab Arelatenſi Canone, & ab Eccleſiæ Romanæ ritu deuiaſſe, cùm videas ciuitati & Arelatenſi & Romanæ adiacentes Eccleſias ab eis æquè deflexiſſe. Multos enim horum, quos Gennadius tingi rurſus imperat, in Eccleſia Romana ſine nouo baptiſmo receptos fuiſſe ſuprà expreſsè nos admonuit Hieronymus. Sileo noſtro hoc æuo nouellos hæreticos à multis Catholicis ſub conditione rebaptizatos fuiſſe, idque vetandum fuiſſe Conc. Rotom. an. 1581. Remenſi an. 1583. Aquienſi an. 1585. Toloſano an. 1590. Narbon. an. 1609. Ita enim definierat Pius V. vt fertur in Synodo Ebroïcenſi an. 1576. apud Bochellum pag. 171.

XLVII. Ex Auguſtino.

Ita ſentiebat denique Auguſtinus ipſemet, ſexcentics hanc *conſuetudinem* appellitans, locis tum ſuprà allegatis, tum aliis innumeris, quibus huc congerendis ſuperſedeo. Addo hunc vnum locum, l. de vnico bapt. con. Petil. c. 13. *Ego autem vt quod de hac re ſentio, breuiter dicam: rebaptizare hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ præſumptionis.* Itaque ea fuit propria & hæretica Donatiſtarum peruerſitas, vt rebaptizarent eos, qui in Eccleſiâ Catholicâ iam abluti ſacro fonte fuerant.

XLVIII. Concilia plenaria Auguſtinus frequẽter ad conſuetu-

Plenarij autem Concilij authoritatem ab Auguſtino expetitam fuiſſe, non ad fidei, ſed ad conſuetudinis & diſciplinæ vnitatem vniuerſæ Eccleſiæ conciliandam,

dines ordinandas requirit.

quia consuetudo suâ sponte libera & indifferens, ita commodiùs astringitur ad vnum vbique ritum: liquet ex epist. 118. *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritûs sancti anniversariâ solennitate celebrantur. Et [illegible] quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universâ, quacumque se diffundit, Ecclesiâ. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Nec disciplina ulla est in his melior grani prudentique Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quancumque fortè devenerit.* Vbi perspicuum est, non vti fidem, ita disciplinam & consuetudines ad vnam formulam in omni Ecclesiâ restringi & adunari necessariò debere: sed in illa omnes conuenire, in hac alias ab aliis inculpatissimè Ecclesias discrepare. Sicubi autem etiam consuetudo aliqua vel obtineat, vel obtinere debeat in omni Ecclesia, hanc legem vel à Scripturis, vel ab Apostolica traditione, vel à plenariis Conciliis proficisci. Et l. 4. de bapt. cont. Donat. c. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Et l. 2. c. 7. *Quam consuetudinem non rebaptizandi hæreticos, credo ex Apostolicâ traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et tursus idem Augustinus l. 2. con. epist. Parmen. c. 13. *Et hæc quidem alia quæstio est, vtrùm & ab illis qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari. Nec aliquid temerè inde affirmandum est, sine authoritate tanti Concilij, quantùm tanta rei sufficiat.* Et l. 7. de bapt. con. Donat. c. 53. inquirens, an baptismus à pagano collatus, vel ioco, vel mimicè, ratus sit: *Nobis*, inquit,

Digitized by Google

inquit; *tutum est, in ea non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœptæ, nullo plenario Concilio terminata sunt.* Et epist. 119. c. 15. *Ad agendum Pascha ex Euangelio quia iam manifestum est, quo die Dominus resurrexit, adiuncta est etiam ipsorum dierum obseruatio per Patrum Concilia: & orbi vniuerso Christiano persuasum est, eo modo Pascha celebrari oportere.* In fidei autem dogmatis vix vnquam ita pendere animi dubium inuenies Auguſtinum à Conciliorum definitione. Adde Epiphanium ſuprà laudatum, an iterum luſtrali fonte piandi eſſent, quos tinxiſſent Ariani, *ab œcumenico Concilio* ſtatuendum eſſe opinantem. Adde Baſilium ſimiliter Concilij deſiderio æſtuantem, in iſta de baptiſmo hæreticorum fluctuatione. Cùm aduersùs Origeniſtas & tot alias tunc graſſantes hæreſes, nec Epiphanius, nec Baſilius tantâ flagrarint Concilij cupiditate. Denique *œcumenicam* ſuam illam conſtitutionem; vt à Cyrillo Hieroſolymitano vocatur catech. 18. ſynodicè ediderunt Apoſtoli, non de fidei, ſed de diſciplinæ capitibus: & prouinciales Synodi ſemel & iterum quotannis cogendæ olim erant, non tàm vt de fide quid ſciſcerent, quàm vt diſciplinæ caſtimoniam tutarentur. Etiamnunc ſanè de Confirmatione, de Ordine, de Abſolutione, de Matrimonio non pauca controuertuntur inter ſchoſæ optimates, aliqua inter Eccleſias ipſas diſcrepant: quæ his rata, his videntur irrita; ſed ciuilis & ad diſciplinæ ingenium temperata hæc conflictatio eſt: tametſi de his, vt de compluſculis aliis poſſent cudi definitiones, & ad fidei neceſſitatem trahi. Nec tamen quandiu & ſententiis & moribus certatur hinc & hinc diuerſis, vtriſque ex æquo applaudere integrum eſt. Longè anteferenda eſt enim altera ſententia, verbi gratiâ baptiſma hæreticorum non iterantium, vtpote & ſacramenti dignitati, & traditioni Eccleſiaſticæ, & Pontificum definitioni conſentanea. Sed ex Eccleſiæ & Pontificum ante Synodum vniuerſalem conniuentiâ & diſpenſatione, qui ſecus ſentiunt ac faciunt, videri

interim illi possunt, errore quidem aliquo, sed materiali tantùm, vt aiunt, laborare. Hac autem veniâ prolixiùs vti Ecclesiam & Pontificem non improbat Bellarm. l. 1. de Conc. c. 10. *Probabile est authoritate sedis Apostolicæ quæstionem illam apud omnes Catholicos fuisse finitam. Sed etiamsi quæstio finita non fuisset, vsque ad Concilij plenarij determinationem, vt Augustinus dicit: non tamen inde colligere oporteret, non potuisse finiri. Nam licèt Apostolicæ sedi cooperantibus prouincialibus Conciliis controuersiam illam finiendi authoritas non deesset: maluerunt tamen sancti illi Pontifices differre in tempus aliud magis opportunum absolutam determinationem eius quæstionis, quàm tot magnos viros ab Ecclesia separare.* Certè act. 1. septimæ Synodi laudatur Eustochius Patriarcha Hierosolymitanus, qui monachis Origenis deliria osculantibus, octo induciarum menses indulserat ad resipiscendum, & quintæ œcumenicæ Synodo subscribendum.

XLIX. Nequaquam ad quæstiones fidei.

In quæstionibus autem fidei nequaquam opus esse congregari, nequaquam fas esse appellari œcumenicas vel plenarias Synodos, vide vt idem Augustinus nos doceat. Etenim l. 1. con. Iul. c. 4. cùm Latinorum Patrum authoritates deprompsisset, ait: *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus est in eis commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus glorioſissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia?* Et infrà: *Non est ergo cur prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est; quia & fides ista Christiana est: & te certè Occidentalis terra generauit: Occidentalis regeneranit Ecclesia.* Quia ergo fides non alia alibi, sicut com-

Digitized by Google

ſuetudinum diſciplina, ſed vna vbique terrarum eſt, adeoque in Oriente eadem atque in Occidente eſt, nempe vna Chriſtiana fides, non licet ad Orientis Antiſtites ſeu ad œcumenicam Synodum prouocare; ſed auſcultandum eſt ſuæ cuique Eccleſiæ Epiſcopi, auſcultandum eſt maximè Romano Pontifici antiquam Eccleſiæ ſuæ fidem dictanti. Et l. 4. ad Bonifacium Papam c. vlt. *Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur. Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit. Cùm potiùs rariſſima inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit: multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ vbi exſtiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur.* Non hic conſuetudines, ſed hæreſes reſonant, fides ingeminatur, ideo œcumenicæ Synodi negatur imminere neceſſitas, cùm longè plurimæ hæreſes offocatæ ſint ſine iſtiuſmodi Synodis.

Inaniter ergo ganniunt, exemplo Firmiliani, Dionyſij, Cypriani, non neceſſariò ſtandum eſſe definitionibus ſedis Apoſtolicæ. Contrà enim, vt ex ſuperioribus conſtat, 1. erraſſe demonſtrati ſunt, qui illis non ceſſere, & hunc errorem eluendum vel cruentò, vel incruento quopiam martyrio habuiſſe. 2. Ceſſiſſe Cyprianum, veri non diſſimile duxit Auguſtinus. 3. Qui Stephano non obaudiere, nec traditioni Apoſtolicæ, nec vniuerſalis Eccleſiæ authoritati & conſuetudini morem geſſerunt; ex eorum ergo ſententia non licet quidquam in ius trahere. 4. Nec Arelatenſi vel Nicæno poſtea Concilio illi ipſi, vel eorum poſteri auſcultarunt. Arelatenſe fortaſſe neſcierunt: Nicænum accommodatè priſtinæ ſuæ ſententiæ interpretati ſunt: vt Baſilium ſuprà experti ſumus. Nec contra generales tamen Synodos hinc licet inſurgere.

L. Summa controuerſiæ huius poſterioris.

Digitized by Google

5. Vltra minas euectus non est Stephanus, & acquieuit ipse, dispensationis & vnitatis tuendæ ergo, cum diuersa & sentientibus & facientibus communicare. Quâ in re non paulo Cyprianum anteceſſit interuallo. Hic enim errorem ſuum charitatis copiâ & ſanguinis impendio abſterſit: ille à recti ſemita nec tranſuerſum vnguem deflexit: ſtrictè iuri primùm, vt par eſt, ſtuduit: vbi ſenſit ſchiſmatis imminere periculum, vſus eſt temperato. 6. Etſi quæſtio hæc ad fidem trahi poſſet, vt pleraque alia conſuetudinum capita; tunc ea tamen ciuiliter, vt diſciplinæ portio, agitabatur. Nèc à Cypriano, nec à Stephano primùm, nec poſtea à Nicæno vel CPolitano Concilio, nec à Baſilio, vel à poſterioribus Græcis vel Romanis, tametſi nonnihil diſſonantibus anathema in aduerſarios vibratum eſt. In huiuſmodi ergo rebus cum profiteantur Romani Præſules diuerſas Eccleſiarum conſuetudines à ſe vel laudari, vel non culpari, vel tolerari: quid mirum ſi cæteri Antiſtites hac vtantur libertate, vel abutantur? Gregorius in epiſt. ad Auguſt. Angl. Epiſc. *Mihi placet vt ſiue in Romana, ſiue in Gallicanâ, ſiue in qualibet Eccleſiâ inueniſti quod plus omnipotenti Deo placere poſſit, ſollicitè eligas.* Et vt ad ſacramenta vtcumque hæc etiam ſpectare ne dubites, Alexander III. in append. Conc. Later. c. 2. de frigidis: *Licèt Eccleſia Romana propter maleficia, legitimè coniunctos diuidere non conſueuerit; ſi tamen conſuetudo generalis Eccleſiæ Gallicanæ habet, vt huiuſmodi matrimonium diſſoluatur, nos patienter tolerabimus.* Sexcenta alia inferiùs ſuis locis adnotabuntur exempla, vt Romani Pontifices ad conſuetudinum etiam conſonantiam omnes cohortentur, interim tolerent diſſonantiam. Denique is ipſe Auguſtinus qui Concilio generali opus fuiſſe inculcarat, ad conſuetudines, non ad hæreſes damnandas reſtrinxit Synodorum hanc neceſſitatem.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

IN SYNODVM NICÆNAM

Anno Christi 325.

SYNOPSIS.

Ius primarium conuocandarum Synodorum generalium Pontificibus vendicatur, etsi eas conuocasse legantur Imperatores. Iura à factis secernuntur; & iura ipsa stricta à remissis. Ad num. vsque XI. Romanorum Pontificum ea ostenditur esse prærogatiua, iure diuino fulta: ad num. vsque XVI. Deinceps de pontificiâ & imperatoriâ potestate mixtim agitur, vtriusque fines delineantur: adhibitâ etiam recentiorum Scriptorum, Latinorum Græcorumque suffragatione.

NON Nicænam tantùm, sed & complures alias Synodos à Constantino Imperatore indictas, conuocatasque fuisse; eandemque potestatem à reliquis deinceps Imperatoribus perdiu vsurpatam, passim loquuntur Ecclesiastica Patrum & Conciliorum monumenta. Eusebius l. 10. c. 5. literas refert Constantini ad Miltiadem vrbis Romæ Episcopum: *Placuit mihi vt Cæcilianus Romam nauiget, &c. & ibi coram vobis & coram, &c. quos eâ causâ Romam properare iussi, possit audiri, &c.* Refert & mox Epistolam eiusdem alteram ad Chrestum Syracus. Episc. *quâ alteram Episcoporum Synodum fieri iubet, &c.* Et verba ipsa Constantini, *Quoniam plurimos ex diuersis ac propè infinitis locis Episcopos in vrbem Arelatensem intra Kalendas Augusti iussimus conuenire, tibi quoque, &c.* Et l. 3. de vitâ eius c. 4. *Quomodo Niceæ Synodum fieri iuss-*

I. Quas Synodos conuocarit Constantinus Imperator.

Digitized by Google

sit, &c. Synodum œcumenicam conuocauit, honorificis literis Episcopos vndique inuitans, vt quantocius adessent. Nec verò simplex ac nuda erat iussio, sed benignitas, &c. Et quo animo hæc ageret, idem declarat l. 1. de vitâ eius c. 44. *Ecclesiæ Dei præque curam gerens, cùm per diuersas prouincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei Concilia congreganit. Nec dedignatus adesse, & considere in medio illorum conuentu, cognitionis particeps fuit, ea quæ ad pacem Dei pertinent, conciliis procurans. Porro sedebat in medio, tanquam vnus è multis, &c.* Ac denique l. 4. c. 42. Constantinus ad Synodum Tyri scribens, *Idcirco vos sponte, vt aiunt, currentes adhortor, vt absque vllâ dilatione in vnum coëuntes, Synodum constituatis, &c. Si quis verò, quod minimè arbitramur, præceptum nostrum etiamnum violare præsumens, adesse renuerit, mittetur quamprimum à nobis aliquis, qui imperiali authoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minimè esse repugnandum.* His adde ex Apologia secunda Athanasij epistolam Constantini, *Ingredienti mihi Constantinopolim subitò Athanasius occurrit, &c. Cùm audiri se postularet, & ego recusarem, & propemodum eum summoueri iuberem; magnâ libertate nihil aliud postulauit, quàm vt vos huc euocari iuberem; quò vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset, &c. Scripto igitur vobis id denunciatum volui, vt quotquot Synodum Tyri absoluistis, sine tergiuersatione ad prætorium meæ clementiæ conueniatis.* Ergo Romanam, Arelatensem, Nicænam, Tyriam, Constantinopolitanam Synodum conuocauit Constantinus.

II. Inquiritur in ius ipsum Synodos generales conuocandi. Et aperitur primò vt tribus prioribus sæculis sint coactæ.

Sed viris cordatis curæ est trutinari, non tantùm quid factum, sed quo iure factum quidque sit. Nam ante Constantini tempora vel suâ sponte, vel maiorum sedium hortatu congregabantur Episcopi. Idque Christus ipse præmonuerat, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo.* Id Apostoli prælineauerant, Act. 15. ortâ dubitatione, an circumcidi, & legis iugo grauari oporteret conuersos ex gentibus, *Conuenerunt Apostoli & seniores videre*

de verbo hoc. Et cap. 6. ad eligendos Diaconos, *Conuocantes duodecim multitudinem discipulorum*, &c. Et c. 1. de electione Matthiæ in locum Iudæ, *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, &c.* Eundem disciplinæ tramitem deinceps Ecclesia triuit. Nam apud Eusebium l. 5. c. 16. aduersùs Montanistas, *Cùm fideles qui in Asiâ erant, sæpius & in plurimis Asiæ locis eius rei causâ conuenissent, nouamque illam doctrinam examinassent, & prophanam atque impiam iudicassent, damnatâ hæresi, isti ab Ecclesiâ & fidelium communione expulsi sunt.* Et apud eundem l. eodem c. 23. de controuersiâ Paschæ, *Synodi ob id cœtusque Episcoporum conuenere*, nempe vt subdit, in Palæstinâ, Romæ, in Ponto, in Galliis, in Osroënâ, Corinthi. Et c. 24. Polycrates Ephesi Episcopus ad Victorem Papam scribit, *Possem Episcoporum qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis vt conuocarem, sicut & feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cùm me pusillum hominem inuisissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt.* Et l. 6. c. 43. aduersùs Nouatum, *Cùm Romæ Synodus congregata esset, in quâ sexaginta quidem Episcopi, &c. Cumque in prouinciis seorsum Antistites quid agendum esset, consultassent, huiusmodi decretum omnibus promulgatum est.* Et c. 46. *Scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ urbis Episcopum, &c. se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, & à cæteris qui cum illo conuenerant, Firmiliano scilicet Cappadociæ, & Theoctisto Palæstinæ prouinciæ Episcopis inuitatum fuisse, vt ad Synodum Antiochenam occurreret, in quâ quidam Nouati schisma confirmare tentabant.* Et l. 7. c. 7. meminit idem Dionysius plurium Synodorum in causâ baptismi hæreticorum, Iconij, Synnadæ & alibi habitarum, vt sileam Concilium Cypriani in eâdem re Episcoporum octoginta. Et l. eodem c. 27. aduersùs Paulum Samosatenum, *Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, rogatus vt ad Concilium veniret, aduentum quidem suum distulit, &c. quid sentiret, per epistolas indicauit, &c. at reliqui Ecclesiarum Pastores vndique exciti simul omnes Antiochiam conuenerunt, tanquam aduersùs gregis Dominici vastatorem.*

Parco ex Cypriano yno non pauciora his colligere, quibus liqueat, ſua ſponte, vel mutua inuitatione identidem conueniſſe Epiſcopos.

III. Ex antedictis regulæ figuntur de iure conuocandi Synodos.

Hinc & inde ergo libratis diſciplinæ rationibus, quæ ante & poſt Conſtantinum viguit, iam fas eſt, quæ facta, quæ iura ſint, definire. Nam 1. penes Chriſti verba & exempla Apoſtolorum, ſatius eſt regulam iuris Eccleſiaſtici, quàm penes Imperatoris facta reſidere. 2. Et poſt Apoſtolos trecentorum pene annorum interuallo, quò antiquior & ſimplicior, eò venerabilior optatiorque forma conuocandarum Synodorum, quia Chriſto & Apoſtolis propior, quia ſimplicitatis fonti & veritati citimior: & merè Eccleſiaſtica. 3. Dignior, ſanctior, liberiorque ratio ea eſt, vt ſua ſponte, vel mutua inuitatione, ſiue Metropolitanorum aut Primatum conuocatione, congregentur Epiſcopi, quàm vt imperialibus tantùm iuſſis. 4. An iubendi, cogendique vel territandi ſunt Epiſcopi, vt ſuo munere fungantur? vt lupos arceant? Imperatoris, an Chriſti iuſſio ipſos colliget? Minæ Regum, an Chriſti charitas? Nemo ſanus non ſentit, quid iuri, quid officio, quid inſtituto Eccleſiaſtico, quid maieſtati Eccleſiæ ſit accommodatius. 5. Sed cum trecentis annis Eccleſiaſticâ fuiſſent authoritate collectæ Synodi omnes, & iure vtique collectæ: eccur noſtris myſteriis initiato tandem ſæculi principe, illud Eccleſiæ ius abrogatum Epiſcopis, in principem tranſcriptum eſt? An princeps temporalem contulit, ſpiritalem Eccleſiæ præſulibus ſuſtulit libertatem? An temporalem libertatem ſpiritali ſeruitute inquinauit? Sed quo tandem commentitio prætextu fingi poſſunt, per nouam principis Chriſtianitatem priſtino iure ſuo excidiſſe Epiſcopi Eccleſiarum? 6. An anteriores Conſtantini imperio Epiſcopi ſucceſſerant in vicem & in iura Apoſtolorum, poſteriores autem nequaquam? Vnde enim priores Epiſcopi, vbi conducere videbatur Eccleſiæ, vltrò coibant in Synodos, & alios inuitabant, niſi ex eâ dignitate ac poteſtate, quæ à Chriſto

Digitized by Google

Christo & ab Apostolis, in ipsos vt Christi vicarios, vt Apostolorum successores propagata erat? An ergo traducem potestatis huius Apostolicæ abrupit Constantinus, aut abrumpere potuit? An Episcopi post Constantinum desiere Apostolorum successores esse, & regni cœlorum claues administrare? An bipartita posthac fuit potestatis Apostolicæ successio, & eius quasi ex semisse hæres Constantinus portionem occupauit? Quantæ absurditatis sunt hæc omnia? 7. Imperatores Ethnici Episcopos ferè patiebantur potestate suâ frui, & Synodos cogere numerosissimas, quamplurimas, vbique terrarum, nec nisi pauciissimi, iique limphatissimi, ne quid à nostris conuentibus respub. caperet detrimenti, reformidabant. An ergo Christiano principi quadrabat, iura & libertatem Ecclesiæ artiùs premere & angustare, quàm ab Ethnicis principibus factum esset? An tot saltem annorum, tot sæculorum præscriptio contemni poterat? 8. Et quidem ante Constantinum non locales tantùm, sed generales etiam Synodi habitæ sunt, Carthagine de baptismo, Antiochiæ aduersùs Nouatum, & ibidem rursus aduersùs Samosatenum, & alibi plures, quò inuitabantur maiorum gentium Episcopi, Alexandrinus, Antiochenus, Cæsarienſis, Hierosolymitanus. Et ex suprà relatis Eusebij testimoniis liquet, harum Synodorum decreta, maximè Antiochenæ vtriusque aduersùs Nouatum & Samosatenum, totius orbis consensu ita roborata fuisse: & aliarum denique Synodorum prouincialium consensu, ita totam sibi Ecclesiam conspirasse: vt hæc instar haberent Synodi œcumenicæ, & peræquè fidei aut disciplinæ periclitanti succurrerent.

Quin imò si vnam demas Nicænam Synodum, longè auspicatiores fuerant pacatioresque ante Constantinum Synodi, quàm quæ vel ab ipso postea, vel ab eius filiis conuocatæ sunt, vel à compluribus postea Imperatoribus, quandiu & quoties eam potestatem ita vsurpauerunt, vt non ab imperio & nutu sacerdotum pendulam

IV. Quantæ clades è Synodis quas Imperatores suo, non sacerdotum consilio & nutu collegerunt.

Digitized by Google

& obnoxiam exererent. Nam in percenſitis ſuprà antiquioribus Synodis, quàm ſancta, quàm decora, quàm pacata omnia? Nuſquam iurgati Epiſcopi, nuſquam hæreſes authoratæ, nuſquam innocentes damnati. Nam etſi variatum quandoque ſententiis eſt, in diſciplina verſatili certamen erat, non in fide, & ſoſpite vnitatis & fidei nexu diſſidebatur. At vbi Conſtantinus occupauit, & ſucceſſoribus refudit cogendarum Synodorum poteſtatem: quis ſub ipſo & poſt ipſum maximè ortas inde clades Eccleſiæ, mente aut calamo valeat comprehendere? Quis Hieroſolymitanæ, quis Tyriæ ſub ipſo Synodi labes? Quis ſub Conſtantio Mediolanenſe, Syrmienſe, Ariminenſe flagitium? Quis fidei formulas toties & tam perfidiosè fixas & refixas? Quis Epiſcoporum infatigabiles diſcurſationes, proſcriptiones, exilia, cruces? Vbi ita Synodis illuſum, & de Synodis illuſum fidei & maieſtati Eccleſiæ ante Conſtantinum? Et vnde hæ clades, niſi ex eo vno capite, quod Imperatores nutu & arbitrio ſuo Synodos cogebant Epiſcoporum, & pro ſua libidine agebant? Non tam malè conſuluit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, vt eius ſalutem ad terreni imperij verticem religauerit. Quid enim ſi nullus aliquando extiterit Imperator? Quid ſi ab Eccleſia deficiat? Quid ſi in plures ſcindatur imperium? Quid ſi Reges vndique irruentes imperium dilanient, & in ſuo quiſque tractu imperitent? Quid ſi qua imperij portio lacera, non regij, ſed ſequioris ac decoloris alicuius regiminis ſortem experiri malit? Quid ſi hæc omnia? Nam & hæc omnia poſt Conſtantinum labentibus ſæculis contigere in variis imperij Romani tractibus. Ergo ſi horum quodlibet, ſi plura, ſed ſi omnia eueniant, non poterit congregari à ſæculari principe œcumenicum Concilium. An igitur Eccleſia interim de ſummâ rerum periclitabitur? Minimè verò. Nam vt fides, vt diſciplina Eccleſiæ ad ſæculi vſque finem perpetuanda ex Chriſti promiſſione non dubitatur, ita nec dubitatur ex eiuſdem inexpugnabili ſponſione & poteſtate,

Digitized by Google

æternandus in Ecclesia Episcopatus vnus, vnus in vnitatis suæ vertice Petri successore, vnus in vniuersitate sua. Ita nunquam deerunt, à quibus Concilia & conuocentur, & frequententur. At si ad lubricum & procellosum imperij terreni sceptrum salutem Ecclesiæ & Conciliorum authoritatem religes, malè consulis Ecclesiæ æternitati. Vni & æternæ Ecclesiæ, ne tam labile & ruinosum substruas fundamentum.

V. Facta & iura secernenda: nec modò quid factum, sed quo iure perpendendum est.

Ergo secernenda sunt facta & iura: & vbi sexcentics legis etiam in ipsa Conciliorum fronte, in Patrumque monumentis identidem audis, conuocatas ab Imperatore synodos, hæc facta quidem sed non statim iura interpretare: aut si iura, non stricta & primæua, sed indulgentiæ & œconomiæ plurimæ accommodata. Quanquam enim optimè meritus de Ecclesia fuerit Constantinus, nemo tamen inficias ire potest, *aliquantò plus illum sibi in negotiis Ecclesiasticis vindicasse, quàm laïco principi conueniret*, vt aduertit doctissimus Valesius in c. 51. l. 3. vitæ eius. Donatistæ non aliter coërciti fuissent Episcopalibus Synodis, quàm tot ante hæreticorum cunei compressi fuerant, etsi nec Gallos ipse primùm Episcopos Romæ iudicaturos dedisset, nec damnatorum querelas audisset, aliudque cùm *tam non esset necesse*, Arelatense iudicium dedisset, nec post Episcopos, ipse iudicare adgressus esset, idque ausus esset, *cuius venia ab Episcopis petenda erat*, teste Augustino. Quàm illud omne præter iuris regulas extiterit, alibi docuimus. Rursus autem in causâ Arij & circa Athanasium, eiusque præcessorem Alexandrum, ab Eusebio vtroque fascinatus, quàm multa cespitauit? Dum Alexandrum æquè inclementer primò habet, atque Arium: dum Arium semel damnatum purgari coram se posse sperat, ab eoque illusus, recipi eum iubet in Ecclesiam; & nisi cœlitus prospectum fuisset, tantum perfecisset scelus: dum Tyriam, aliasque Synodos aduersùs Athanasium cogit, & sæuire sinit; dum Athanasium exilio pellit, dum sub exilij interminatione Episcopos

Epist. 162.

Digitized by Google

Synodis à ſe indictis adeſſe iubet, dum qui & quanti adeſſe debeant Synodis Epiſcopi, ipſe præſcribit. Dies me deficiet, ſi perſequi ſingula aggrediar. Nemini autem obſcurum eſſe poteſt, quid Apoſtolici & Epiſcopalis, quid ſæcularis & imperatorij ſit iuris. Et vt vno verbo rem abſoluam, Epiſcopalis habeatur iuris, quidquid ante Conſtantinum ſub imperio Gentilium perficiebant Epiſcopi. Neque enim tunc vel ſuſpicio ipſos vlla affla-re poteſt, quaſi imperatoria iura inuaſerint. Quod autem Conſtantino tanta audenti cederent, annuerentque Epiſcopi: vel vis illa erat, vel voluntas. Si vis, vt in multis circa Arium & Athanaſium, nihil inde iuris ei accreſcebat. Si voluntas, vt in longè pluribus aliis, nec ſic quidem ius imperatorium condebatur, cùm ex œconomiâ tum neceſſariâ id totum de iure Epiſcopali remitteretur. Conducebat enim vehementer multa condonari Imperatori, qui primus omnium Chriſto nomen dediſſet, Eccleſiam tot perſecutionibus tandiu iactatam liberaſſet, eius toto orbe propagandæ muniendæque, idololatriæ autem extinguendæ certam ſpem faceret. Tali Imperatori non ſua tantùm iura, iuſtaque tribuenda erant, ſed aliena quoque tunc indulgenda. Sed iure ſuo non exuuntur Epiſcopi, cùm ex neceſſariâ diſpenſatione aliquam eius partem remittunt. Nam etiam tum ius ſuum, ius proprium & ſummum penes ipſos eſt, cùm eo ſibi condonato ex diſpenſatione alius vtitur, vel abutitur.

VI. Pontificum conſilio & hortatu conuocatas ab Imper. Synodos multis exemplis demonſtratur.

Etſi autem conuocarint Concilia, maximè œcumenica Imperatores, conſilio tamen, aſſenſu, hortatu Epiſcoporum, & in primis Romani Pontificis, id factum eſſe, atque ita ius ſummum & regium penes Epiſcopos reapſe fuiſſe, vt quod Eccleſiaſticum per ſeſe & Apoſtolicum ſit; extrinſecam autem ſpeciem & dignitatem penes Imperatores hæſiſſe, vt ſolet in iſtiuſmodi rebus: multa ſunt quæ reuincant. Atque imprimis in Proſphonetico ſextæ Synodi ad Conſtantinum Imperatorem, act. 16. hæc Græci Patres clamant, *Arius diuiſor Trinitatis inſurgebat,*

Digitized by Google

& continuò Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Syluester laudabilis, magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant, &c. Macedonius Spiritûs denegabat deitatem, ſed maximus Imperator Theodoſius & Damaſus fidei adamas protinus obſtiterunt, &c. Gregorius & Nectarius in hac regia vrbe conuentum congregabant, &c. Iterum Neſtorius, & iterum Cæleſtinus & Cyrillus: ille quidem Chriſtum diuidebat, illi verò cùm ſceptrorum Domino diuiſorem deiiciebant, vt Epheſus & ibidem geſtorum tabulæ loquuntur, &c. Deinde Eutychetis inſania, &c. Leonis tuba tanquam leonis rugitus vehementer vociferans ex Roma archimandritam beſtiam perterruit, &c. Marcianus Imperator & Anatolius Conſtantinopol. Antiſtes cum omni Chalcedonenſi à Chriſto congregata collectione, &c. Sicut & Vigilius poſt hæc Iuſtiniano piiſſimo conſonauit, & quintum Concilium conſtitutum eſt, &c. Hæc Græci Patres ſextæ Synodi œcumenicæ ad Imperatorem ipſum, qui ſextam Synodum ipſe indixerat; vbi ſuperiores Synodos generales non ſolo Imperatoris nutu, ſed inſtinctu maximè ſacerdotum collectas fuiſſe interpretantur. Idque iure meritiſſimo. Nam quamuis obſcura in prioribus œcumenicarum Synodorum conuocationibus & rarâ exiſtant veſtigia ſacerdotalis authoritatis; extant tamen aliqua, extabant tunc fortè plura; & ex paucis obſcuriſque licet tantæ Synodo interpretari, quid iuris ſit: quid indulgentiâ conniuentium Epiſcoporum moliti ſint Imperatores. Etenim vel ſola Epiſcoporum conniuentia qui tunc ſilebant, priùs non ſiluerant, nec poſtea ſiluerunt; ſatis argumenti habet, vt penes ipſos ius illud omne fuiſſe cogendarum Synodorum philoſophemur. Sed de Nicæna ſpecialiter Synodo, Damaſus in vita Syluestri: *Huius temporibus factum eſt Concilium cum eius conſenſu in Nicæâ Bithyniæ, & congregati ſunt Epiſcopi, &c. Et in vrbe Roma congregauit ipſe cum Concilio Auguſti Epiſcopos, &c.* Ruffinus l. 1. c. 1. ait Synodum ab Imperatore, *ex ſententia ſacerdotum conuocatam.* Athanaſius in Apolog. de fugâ ſuâ, *Quin & Euſebiani ad Iulium literas miſere; & vt nos terrerent,*

petierunt vt Synodum congregaret. Et in epist. ad Solit. *Scripsit Iulius oportere fieri Synodum, vbi voluissemus* Et Iulius Papa apud Athanasium Apol. 2. ad Eusebianos scribens, *Siquidem legati vestri, &c. roganerunt nos, Concilium vt congregaremus, scriberemusque ad Athanasium & Eusebianos, vt in præsentia omnium iusto iudicio de causâ cognosceretur.* Quæ omnia ad Sardicensis Concilij conuocationem spectant, quæ tamen apud eundem in epist. Synod. se profitetur *cooperante Dei gratiâ à religiosissimis principibus conuocatam.* Et Harmenopulus in præfat. Epitom. Canonum, *Ex ipsorum* Imperatorum *& Romani Episcopi sententia*, 341. *Episcopi in hac Synodo Sardica conuenerunt.* Et rursum Athanasius epist. ad solitarios, de Synodo Romanâ agens, quam Iulius congregauerat, & ad eam Eusebianos conuocauerat, *Cæterum*, inquit, *Eusebiani vbi semel audissent Ecclesiasticum consessum fore, vbi nec Comes affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quæ Synodi sunt: quibus rationibus & non aliis Episcopos vicerant, imò qui sine hoc præsidio ne loqui quidem auderent; ita inhorruerunt & metu contracti sunt, &c.* Vbi vides & sine Imperatore collectas Synodos, & in eis omnia meliuscule ordinata, & præ illis contemni ab Athanasio indictas gestasque nutu Regum Synodos. Et apud eundem Liberius Papa, *Quòd si Imperator curam suam pro Ecclesiasticâ pace interponere quærit, &c. fiat Ecclesiastica Synodus longè à palatio, vbi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec iudex minatur, & vbi solus Dei timor ad omnia sufficit.* Et infrà Osius ad Constantium, *Ne te misceas Ecclesiasticis negotiis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita & tu cane, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Et rursum Athanasius

VII. Ex Athanasio idem prolixè.

Digitized by Google

infrà: *Obtendit in ſpeciem Epiſcoporum iudicium: ſed interim facit, quod illi volupe eſt, &c. Si iſtud eſt iudicium Epiſcoperum, quid commune cum eo habet Imperator? Quando iudicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? &c. plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res principi perſuadere conati ſunt, nec princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris domo, & per eos ſalutabat in literis Philippenſes, non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit. Nunc autem nouum quoddam ſpectáculum ab Arianâ hæreſi editur. Conuenerunt enim in vnum hæretici & Conſtantius Imperator; vt ille quidem ſub prætextu Epiſcoporum, ſua poteſtate aduersùs eos quos velit, vtatur, & tamen in perſecutione mouenda perſecutor non appelletur: illi verò ſuccincti principis poteſtate, faciant inſidias quibus volunt, &c.* Omnis hæc porrò diſſipandæ per Synodos Eccleſiæ poteſtas Conſtantio acceſſerat ex earum conuocandarum authoritate, vt planum eſt. Adde ipſum Valentiniani Imperatoris iudicium apud Sozomenum l. 6. c. 7. vbi petentibus Epiſcopis facultatem cogendæ Synodi, reſpondit ille, *Sibi qui vnus è Laïcorum numero erat, non licere ſe eiuſmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Epiſcopi, inquit, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, vbicumque ipſis lubitum fuerit, in vnum conueniant.* Vbi permittit quidem Synodum fieri, nec permittendi, ſed conuocandi certè Synodos abrogat ſibi poteſtatem. Nam id ſcientiæ, id charitatis, id muneris eſſe agnoſcit, non Imperatorum, vtpote laïcorum, ſed Epiſcoporum, ſcire & iudicare vbi & quando conuocandæ ſint Synodi. Epiſcoporum eſt ergo indicere loca & tempora Synodorum, Imperatorum tum permittere, ſi modò reſpub. nil capiat detrimenti. Idem non minùs apertè teſtatus eſt Theodoricus Rex in Synodo 3. Romanâ in causâ Papæ Symmachi: *Sancta Synodus apud vrbem Romam ex præcepto glor. Regis Theodorici diuerſis è regionibus congregata in Chriſti nomine, dixit: Cùm ex diuerſis prouinciis ad vrbem Romam conuenire ſacerdotes regia præcepiſſet au-*

VIII. Et ex Valentiniani Imp. reſponſo: & ex Romana Synodo ſub Symmacho.

Digitized by Google

thoritas, &c. Memorati Pontifices ſuggeſſerunt, ipſum qui diccbatur impetitus, debuiſſe Synodum conuocare, ſcientes quia eius ſedi primùm Petri Apoſtoli meritum vel principatus, deinde ſecuta inſſionem Domini Conciliorum venerandorum authoritas, ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, &c. Sed potentiſſimus princeps ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam literis demonſtraſſe ſignificauit. Vnde & à manſuetudine eius paginæ poſtulatæ ſunt, quas ab eo directas conſtabat, &c. Animaduerte, quæſo, vt *ex ex præcepto Regis & authoritate* regiâ ſe congregatos pro more præſentur hi patres; & tamen mox aſtruant ab ipſo Papa, licèt impetito, ſe *conuocari* debuiſſe: nec id Rex inficietur, quanquis ab Eccleſiâ alienus. Et infrà, *Rex taliter Deo aſpirante reſpondit; in Synodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reuerentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere.*

IX. Ex antedictis quædam regulæ fignatur.

Plura alibi in rem iſtam accruabuntur ſuffragia, ex his interim operæ pretium eſt aduertere 1. hæc quæ à nobis relata ſunt, non facta eſſe, ſed iura. Nam quòd Synodus Romana vociferetur, non Regis fuiſſe, ſed Papæ Synodum conuocare; quòd Rex acquieſcat; quòd voluntatem Papæ literis demonſtratam oſtendat; quòd ad ſe nihil de rebus Eccleſiaſticis præter reuerentiam pertinere confiteatur, hæc non facta ſunt tantùm, ſed iura. Quòd Valentinianus Imperator, ſe vtpote laïcum, negotiis Eccleſiaſticis inſeri non debere agnoſcat, & copiam faciat Epiſcopis conuenire, vbi libuerit ipſis, quorum curæ cauſa fidei & Eccleſiæ demandata eſt: non facti tantùm, ſed iuris iſta ſunt. Quòd Athanaſius, Hoſius, Liberius Imperatorem hortentur res imperij curare, negotiis Eccleſiæ abſtinere; Imperium enim ipſi, Eccleſiam à Deo Epiſcopis commendatam: ad iura pertinent hæc, non ad facta. Quòd iidem Synodos optent, ſed verè Eccleſiaſticas, vbi nec Comes affuturus ſit, nec ſatellites pro foribus excubent, nec ex præſcripto Imperatoris gerantur omnia, & ex Imperatoris in Synodos poteſtate

Digitized by Google

ſtate labem omnem Eccleſiarum prorupiſſe ingemiſcunt; non facta hinc, ſed iura ſplendent. 2. Conſtantium per Synodos nutu ſuo, aut libidine potiùs ſuâ congregatas, fidei & Eccleſiæ Chriſtianæ ea damna & dedecora importaſſe, quæ nemo niſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ rudis omnino & hoſpes neſcire poteſt, nemo non deteſtari poteſt. At prima mali huius tanti labes hinc manauit, quòd Laïcus cùm eſſet, ſacerdotum partes inuaderet, & temerè ſtolidèque pro vſurpata poteſtate Synodos indiceret, cùm intempeſtiuum, cùm exitiale maximè erat Eccleſiis. Et hanc illi poteſtatem auſpicatus erat, dedicaueratque Conſtantinus parens. 3. Vbi & quando ſalutiferum aut perniciale ſit Synodos colligi, definire, id non Imperatoriæ, ſed Eccleſiaſticæ & Pontificiæ vel maximè ſcientiæ eſſe & poteſtatis. 4. Tametſi Imperator Synodos plerumque indiceret, nonnullas tamen à ſacerdotibus ſolis indictas fuiſſe, vel ab ipſis maxmè: & has maximè Eccleſiaſticas & fidei conducibiles extitiſſe. 5. Tametſi Imperator indiceret Synodos, plerumque tamen de conſilio & aſſenſu Epiſcoporum id factum eſſe, & ſemper fieri debuiſſe. Authores qui id aſſerant, ſuprà audiuimus; audiuimus & Synodum Romanam, quæ Regis præcepto ſe collectam præfata, Pontificis tamen voluntate ſe colligendam, ſe collectam fuiſſe mox excipit. Audiuimus ſextam Synodum œcumenicam, quæ & ipſa perinde vt reliquæ ab Imperatore conuocata ſolenni more ſcribitur; quæ tamen & ſuæ & anteriorum Synodorum conuocationi, ſacerdotalem etiam authoritatem Imperatoriæ acceſſiſſe aut anteceſſiſſe potiùs teſtificatur. Nam in re Eccleſiaſtica & Apoſtolicæ propria poteſtatis, etſi verbo tenus primæ partes honoris videantur Imperatoribus concedi; reapſe tamen principatus iuris & poteſtatis penes Epiſcopos eſſe interpretandus eſt, quorum eſt & modeſtia & authoritas Apoſtolica. Itaque etſi Epiſcopi petant, Imperator iubeat; etſi Imperator vltro præcipiat, Epiſcopi aſſentiantur Synodum conuoca-

ri, vel tunc tamen conuocatio principaliùs reapſe fit ab Epiſcopis, quia eorum ius & Apoſtolicum priuilegium eſt, Eccleſiæ fideique conſulere vel per Synodos, vel ſine Synodis.

X. Exterior Epiſcopatus Conſtantini exponitur, & circumſcribitur ſuis limitibus.

Quòd autem apud Euſebium Conſtantinus l. 1. de vitâ eius, c. 44. *Eccleſiæ Dei præcipuè curam gerens, cùm per diuerſas prouincias quidam inter ſe diſſentirent, ipſe velut communis omnium Epiſcopus à Deo conſtitutus, miniſtrorum Dei Synodos congregauit.* Et l. 4. c. 23. & 24. *Miſſa lex eſt ad præſides prouinciarum, vt diem dominicum etiam ipſi venerarentur. Eidem feſtos dies martyrum iuſſu principis obſeruabant, &c. Quocirca non abſurdè cùm Epiſcopos aliquando conuiuio excipiret, ſe quoque Epiſcopum eſſe dixit: his ferè verbis vſus nobis præſentibus. Vos quidem, inquit, in iis quæ intra Eccleſiam, ego verò in iis quæ extra geruntur, Epiſcopus à Deo ſum conſtitutus. Itaque conſilia capiens dictis congruentia, omnes imperio ſuo ſubiectos, Epiſcopali ſollicitudine gubernabat; & quibuſcumque modis poterat, vt veram conſectarentur pietatem, incitabat.* Tametſi hæc inter epulas, adeoque pro loco & tempore ioculariter magis quàm ſeriò, & feſtiuè potiùs quàm dogmaticè dicta videri poſſent faſtidioſo interpreti; & ab ipſo de ſeipſo, non ab Epiſcopis de ipſo dicta; non ij tamen nos ſumus, qui tanti principis laudibus inuideamus. Subſcribimus itaque & quidem lubentes laïco Epiſcopatui, ſi modo tamen id caueatur, ne bono principi vltra limites ita amplificata tribuatur poteſtas, vt deterior in perniciem Eccleſiæ illâ abutatur ſucceſſor. Horreat animo, ſucceſſuros in Conſtantini locum Conſtantium, Iulianum, Valentem, & alios hæreticos, deſertores, fidei hoſtes, pueros, fœminas, & ſciſſo imperio quandoque nullos, aut pro vno plurimos. Talis ergo ſtatuatur exterior hîc Epiſcopatus, vt laïcâ & carnali ſucceſſione ad tales deuolutus, Eccleſiam ne peſſumdet. 2. Ne excidat trecentis fermè ante Conſtantinum annis, fide & ſanctimoniâ eximiè præfulſiſſe Eccleſias, euerſas hæreſes innumeras, Synodos complures vbique coïiſſe pa-

Digitized by Google

catiſſimas; cùm necdum Epiſcopatus huius exterioris vlla vel vmbra extitiſſet. Item multis ab hinc ſæculis poſtquam excuſſa eſt Imperatoribus & Epiſcopis reddita poteſtas Synodorum cogendarum, multas & oppreſſas hæreſes & collectas Synodos exitu longè auſpicatiore & tranquilliore, quàm olim poſt Nicænam, poſt tertiam, quartam, quintamque Synodos œcumenicas ab Imperatoribus indictas. 3. Exterior, eſto, Epiſcopus ſit Imperator, ſit Rex, ergo interiorum iura antiquiora, intimaque ne conuellat Epiſcoporum. Nam ſi intrudat ſe in ea priuilegia Apoſtolica quibus antè gaudebant Epiſcopi, non exterior tantùm, ſed interior erit Epiſcopus, & vnus in omnium cladem Epiſcoporum Epiſcopus. 4. Exterior vt ſit Epiſcopus Imperator, ergo in laïcos tantùm & ſæculares ius ſuum exerter; non in Epiſcopos, non in Epiſcoporum ſenatum omnem. Nam ſi in Epiſcopos & in Synodos, quæ ipſa Eccleſiæ penetralia & quaſi præcordia ſunt, dominetur, non exterior, ſed intimo interior erit Epiſcopus. 5. Si Exterior eſt Epiſcopus, ergo interioris velut animæ & cordis nutum inſtinctumque ſequatur: & ſequatur, non præeat: obſequatur, non imperitet: exequatur, non leges dictet. Id enim diſcriminis exteriorem & interiorem, velut corpus & animam intereſſe æſtimatur: interior vt præeat & dictet, ſequatur & exequatur exterior. At ſi Epiſcopis, ſi Synodis, ſi legibus imminear Imperator, cum hæc ſint viſcera ipſa Eccleſiæ, erit vtique ille iam interior & ſpiritualis Epiſcopus. 6. Id apertè clamat textus Euſebij. Nam fores ſimulacrorum clauſas, diem dominicum obſeruari iuſſum præſidibus, itemque feſtos dies martyrum Imperatoris iuſſu cum præmonuiſſet, tum ait illum exteriorem ſibi viſum Epiſcopum. Ergo in exequendis legibus Eccleſiæ, & foras promulgandis authorandiſque, in hoſtibus fidei ſubiugandis, in laïcis ad Eccleſiæ pietatem colligendis Epiſcopatus ille exterior defungendus eſt. Altâ enim mente repoſtum nobis eſt diſcrimen, quod omnes Eccleſiæ patres inter Epiſco-

Digitized by Google

pale & Regium imperium ſtatuêre : hoc in corpora, illud in animas ; hoc in ſæcularia, illud in Eccleſiaſtica; hoc extra, illud intra Eccleſiam ; hoc in ciues, illud in ipſos Reges ſtatuêre. Quæ omnia turbantur & peſſum eunt, ſi rei maximè Eccleſiaſticæ, & ad Eccleſiæ, ad fidei, ad ſalutis æternæ ſummam maximè ſpectantis, hoc eſt, Synodorum cogendarum poteſtas primaria, & primus authoritatis cardo Imperatoribus arrogetur.

XI. Conuocandarum Synodorum œcumenic. poteſtas ſumma penes ſummum primæ ſedis Pontificem.

Quòd autem id vnum enixi ſumus hactenus, vt principalem congregandæ Synodi authoritatem Regibus extorqueremus, Epiſcopis vendicaremus quaſi poſtliminij iure; nec Romani Pontificis eâ in re eximiam prærogatiuam niſi perfunctoriè adſeruimus, conſultò id à nobis factum eſt. Propterea nimirum, quia cum hæreticis luctamur, qui Imperatori eam authoritatem affingunt: ſuo more Eccleſiæ illudentes, cùm tam multa iamdiu fluxerint ſæcula elumbati & ita ſecti imperij Romani fruſtillatim, vt œcumenicum Concilium ab Imperatore conuocari iam neutiquam poſſit. Deinde quia ſi ius cogendæ Synodi penes Epiſcopos ſit, nemini obſcurum eſt quis inter eos emineat, nec de eo vlla apud Epiſcopos controuerſia. Denique etſi Epiſcoporum conſenſu colligerentur generalia Concilia, verticis tamen & ſummi capitis iudicium, arbitrium, imperiumque euidentiſſimè emineret.

XII. Eiuſdem rei alia argumenta.

Adde quod & ſuperiùs apud Euſebium Polycrates Epheſiorum Epiſcopus authoritate Victoris Synodum à ſe congregatam teſtatus eſt. Et apud Bedam de Æquinoctio vern. *Tunc Papa Victor Romanæque vrbis Epiſcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæſarienſis Palæſtinæ Antiſtitem, vt quomodo Paſcha rectò iure à cunctis Catholicis celebraretur Eccleſiis, inibi fieret ordinatio, vbi Dominus & Saluator mundi in carne fuerat verſatus. Perceptâ itaque authoritate prædictus Epiſcopus, non ſolùm de ſuâ prouinciâ, ſed etiam de diuerſis regionibus omnes Epiſcopos conuocauit. Vbi cùm illa multitudo conuenit ſacerdotum, tunc Theophilus Epiſcopus protulit auctho-*

Digitized by Google

ritatem ad ſe miſſam Victoris Papæ, & quid ſibi operis fuiſſet iniunctum, oſtendit. Sexta Synodus ſuprà relata poteſtatem omnem & prouinciam colligendæ Synodi œcumenicæ ad ſolum Pontificem Romanum & Imperatorem reuocauit. Apud Athanaſium Euſebiani à Iulio petunt, vt Synodum congreget. Synodi Romanæ ſub Symmacho Patres, non Romanas tantùm, ſed quaſcumque Synodos à Romano Pontifice conuocandas affirmauere, *quia eius ſ. ſi primùm Petri Apoſtoli meritum vel principatus, deinde ſecuta inſtionem Domini Conciliorum venerandorum authoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem.* Acſi dicant, cùm Epiſcopos ad Synodum euocare eius ſit, qui inter Epiſcopos principetur: diuino iure ſeu *diuina inſtione*, vt inter Apoſtolos ſolus Petrus, ita inter Apoſtolorum ſucceſſores ſolus Petri ſucceſſor principatur; reliqui autem Metropoliticæ ſeu Exarchicæ poteſtatis conſortium aliquod Eccleſiaſtico iure aſſecuti quidem illi ſunt, quo Epiſcopis præſint; ſed ab eo defluum pendulumque, qui diuino iure id ipſum obtinet. Ennodius item in libel. Apolog. *Venerando Concilio authoritatem etiam contra ſe, ſi mereretur, indulſit Symmachus, &c. Hocine ergo nullo conſtabat exemplo, vt ſacerdotum Papa Concilium conuocaret, cuius arbitrium eſt collectio Synodalis?*

XIII. Oecumenicas Synodos à Romano præſule conuocatas declaratur: & primùm de quatuor priotibus.

De Nicænâ iam dictum eſt Synodo. Quis præter Damaſum congregauit Romanam, quæ CPolitanæ nomen & robur œcumenicum conciliauit? Epheſinam primam collegit Theodoſius Iunior, ſed & ſecundam. Quanquam vel primæ procellas quis non adhuc ſtupet? Poſt Epheſinam prædatoriam Synodum tunc œcumenicâ Synodo opus fuit, incontanter Leo eius colligendæ author fuit Theodoſio, qui author fuerat eidem, ne Epheſi priùs colligeretur. Epiſt. 12. *Si pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Epiſcopale Concilium, citò, auxiliante Deo, poterunt omnia ſcandala quæ in perturbationem totius Eccleſiæ ſunt commota, reſecari.* Si non Epheſi, ſed in Italiâ habita fuiſſet Syno-

Digitized by Google

dus, indubium est, exitum eius longè auspicatiorem futurum fuisse. Postea rursus eidem suasor fuit Leo, vt in Italiâ Synodus conueniret, ad Ephesinum dedecus abstergendum, nec impetrauit. Epist. 33. *Concilium vniuersale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat.* Præposterа ergo hîc omnia & exitialia Ecclesiæ principis consilia extitere, dum sacerdotalis chori principem non audit. Felicius cessit Chalcedonensis Synodus, quòd eam Leonis Papæ *authoritati* totam commiserit Marcianus, velut *principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentis*, vt habetur in eius Sacrâ. Vnde & Episcopi Mœsiæ secundæ in epist. ad Leonem Imp. Eutychianam vesaniam peremptam aiunt *in Chalcedonensium ciuitate multis sanctis Episcopis conuenientibus per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum: & venerabilis sacerdotis & Patriarchæ Anatolij Concilio celebrato.* Vnde act. 1. Conc. Chalced. Lucentius sedis Apost. legatus, reum agit Dioscorum Alexand. Episc. *Quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit; & Synodum ausus est facere sine authoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Et Vigilius Papa epist. 4. ad Iustinianum Imp. *Nobis pios direxistis affatus, in quibus beatæ recordationis Cælestinum, atque Leonem Apostolicæ sedis Præsules, qui singulas hæreses pro diuinâ sibi dispensatione commissâ, cum Synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant Christiani, mansurâ in æuum lege sanxerunt: laudabili commemoratis affectu.* Et Liberatus in breuiario c. 13. *Marcianus imperij culmen adeptus, pro illâ Papæ & principum Romanorum petitione vniuersale Concilium congregari iussit.*

Part. 3. Concil. Chalc. c. 32.

XIV. De quinta, septima, & aliis.

In quintæ Synodi conuocatione vix vllæ fuere partes Vigilij. Sed sacræ & regiæ potestatis iura vt permiscuerit Iustinianus, & ita vtraque temerauerit, omnibus exploratum est. Nec nisi consensu demum accedente Romanorum Pontificum adiectam esse huic Synodo œcumenicam authoritatem, æquè compertum. Ideo & sexta

Digitized by Google

Synodus Vigilio & Iuſtiniano gloriam adſerit huius Concilij ad optatum exitum prouecti. Ideo & paulò pòſt Pelagius II. epiſt. 8. *Cùm generalium Synodorum conuocandi authoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari priuilegio ſit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolicâ authoritate non fuerit fulta.* Et mox: *Multis denuo Apoſtolicis & canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis non debere abſque ſententiâ Romani Pontificis Concilia celebrari.* Non neſciebat tantus Pontifex, quantùm ſibi ſumpſiſſent Imperatores in quinta, in tertia, in ſecunda Synodo conuocanda: ſed æquis omnia lancibus pendebat, Synodicamque authoritatem à Pontificali potiùs petitione, conſenſione, condeſcenſione, quàm ab Imperatoria iuſſione dimanaſſe intelligebat. Quid de Lateranenſi ſub Martino, quid de Occidentali ſeu Romanâ Synodo ſub Agathone? vna hîc coruſcat Romani Pontificis maieſtas, & hinc generalis authoritas Synodo ſextæ apud Græcos pòſt habitæ irradiata eſt. Audi quæ ſcribat Gregorius Papa ad Leonem Iſaurum: *Concilium Chriſti amantium Imperatorum & piorum Pontificum virtus eſt vna, quando cum pace atque charitate res adminiſtrantur. Scripſiſti vt Concilium vniuerſale cogeretur. Et nobis inutilis ea res viſa eſt. Tu perſecutor es imaginum, & hoſtis contumelioſus, & euerſor. Ceſſa. Nobis hoc largire, vt taceas; tam mundus pace perfruetur, & ſcandala tacebunt. Finge nos te audiſſe, & ex vniuerſo terrarum orbe Pontifices congregatos eſſe, Senatumque ac Conſilium ſedeſſe. Vbi eſt Chriſti amator ac pius Imperator, qui de more in Senatu ſedere debet, &c.* Et infrà: *Teſtis eſt Deus, quaſcumque miſiſti ad nos Epiſtolas, auribus cordibuſque Regum Occidentalium obtulimus, patem illorum tibi, ac beneuolentiam conciliantes, &c. Scire debes ac pro certo habere, Pontifices qui pro tempore Romæ extiterunt, conciliandæ pacis causâ, ſedere tanquam parietem intergerinum, ſeptumque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores eſſe, &c. Quòd ſi nobis violenter inſultes, & minas intentes, non eſt nobis neceſſe tecum in certamen deſcendere. Ad quatuor & viginti ſtadia*

In anteactis ſeptimæ Synodi. ἡ συμβολία. ἡ σύνοδος.

ſecedet Romanus Pontifex; tùm tu vade, ventos perſequere, &c. Totus Occidens ſancto Petro principi Apoſtolorum fide fructus offert?

XV. Multa ex Gregorij Papæ literis argumenta.

Vbi aliquammulta obſeruanda ſe ingerunt. Primùm expetitam à Leone Iſauro œcumenicam Synodum fuiſſe, ſed interceſſiſſe Pontificem Romanum, ac prohibuiſſe. Intererat ſanè ad Eccleſiæ & fidei Catholicæ incolumitatem, vt Pontificis poteſtas in eo certamine ſuperior emineret. Ad hæc non poterat tum Imperator niſi ex Oriente Epiſcopos conuocare: Occidens enim pene totus iugum eius excuſſerat. Ergo concredenda ei non eſt facultas Synodi œcumenicæ, cuius imperium ad tantas poteſt aliquando vel maiores anguſtias coarctari. At pontificia primæ ſedis authoritas in omnem Eccleſiam & in omne æuum valebit. Præterea ſi memoriam reuoluere libeat ſuperioris ætatis, imperij & ſacerdotij eadem ferè erat conditio etiam tempore ſextæ Synodi, imò & quintæ, quartæque, ac tertiæ. Vt enim ipſius imperij ſectiones taceam, iam Hiſpania, iam Africa, iam Gallia, iam Britannicæ inſulæ, iam longè maxima Italiæ pars in alienorum propriorumque principum ditionem conceſſerant; vt his regnis Regibuſque nulla prorſus, aut ſi qua reſidua eſſet Romani imperij reuerentia, ea, vt ſuprà Gregorius ſignificabat, Romanis Pontificibus accepta referenda eſſet; quibus cum Occidens totus adhæreſceret, per eos vtcumque etiam Orientis Imperatori adhuc compaginabatur. Id quoque ipſum centum viginti quinque Epiſcopi Romanâ in Synodo ſub Agathone congregati inſinuarant Imperatori Pogonato: *Nos licèt humillimi ſummis viribus enitimur, vt Chriſtiani veſtri imperij reſpub. in qua B. Petri Apoſtolorum principis ſedes fundata eſt, cuius authoritatem omnes Chriſtiane nobiſcum nationes venerantur & colunt, per ipſius B. Petri Apoſtoli reuerentiam, omnium gentium ſublimior eſſe monſtretur.* Vides vt non aliter quam ſequeſtre & conciliatore Romano Pontifice, Eccleſia omnis, vt ibidem mox ſubditur, Septentrionalis,

Act. 4. Synodi 6.

Digitized by Google

nalis, & Occidentalis in eandem cum Orientali Imperatore Synodum conſpiraret. Quin imò cùm Occidentalis hæc Synodus prior quæ fidei erant, definiret, non poterant ab ea poſtea diſſentire Orientales, vt antè Auguſtinus innuebat, vtque infrà ſuis locis prolixiùs aperietur. Itaque magnificentia nominum Orientalibus & Synodis & principibus permittebatur, vis ipſa & poteſtas penes Romanam & ſedem & Synodum reſidebat.

Quò referendum eſt & illud Leonis Papæ ſerm. 1. in natal. Apoſt. Petri & Pauli: *Iſti ſunt, Roma, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt ſis gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis & regia; per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuinâ, quàm dominatione terrenâ. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperij tui terrâ marique protuleris; minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Si Chriſtiana ergo Eccleſia vltra Romani imperij pomœria fines ſuos protulit, non potuit Romani Imperatoris iuſſu Synodus œcumenica conuenire. At Petri ſedis principatus cum Eccleſiâ ipsâ vbique gentium propagatur. Siue ergo diſtractas à Romani corpore imperij, ſiue ab eius poteſtate vſque immunes regiones attendas, non ſecundam, non tertiam, non vllam deinceps aliam Synodum œcumenicam, qua œcumenicam conuocaſſe potuit Imperator Romanus: ſed hanc cum illo gloriam Romanus Pontifex vltrò communicauit. Quocirca ſcitè Gregorius ſuprà monebat, mutuo Pontificum & Imperatorum conniſu Synodos coaleſcere. Et idem rurſus epiſt. 2. ibidem, *Conſtantinus Magnus, Theodoſius Magnus, Valentinianus Magnus, & Conſtantinus Iuſtiniani pater, qui ſextæ Synodo interfuit, Imperatores iſti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus vno conſilio ac ſententiâ Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, ſanctas Eccleſias conſtituerunt, & ornarunt.*

XVI. Rurſus ex iiſdem.

Quâ de re Nicolaus Papa I. epiſt. 8. ad Michaël. Imp. illa quæ in actis Conciliorum leguntur conuocationis

XVII. Carolus Magnus Synodos conuocabat,

Digitized by Google

sed iussione & authoritate summi Pontificis.

iussa imperatoria, preces & hortatus interpretatur. *Attendat clementia vestra, quanta fuerit erga sedis Apostolicæ reuerentiam antecessorum vestrorum amor & studium. Qualiter legibus suis pro adunandis ei Ecclesiis promulgauerint. Pro colligendis Conciliis ac proferendis sententiis non imperauerint, sed precati & hortati solùm exiterint; & quæ illi decreuerunt, ipsi consenserint: & quæ illi damnauerunt, ipsi respuerint.* Et idem epist. 38. *Generale Concilium sine Apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi.* Quæ ille ad Gallos scribit, apud quos Carolus Magnus, & reliqui eius in imperio successores eandem arripuerant conuocandarum Synodorum potestatem. Otiosum esset sigillatim omnes perlustrare Synodos, quæ à principe sc. conuocatas ipsæ præfantur. At ipsæ eædem Pontificali, & maximè primæ sedis authoritate se collectas testantur. Et tunc Galli vnanimiter epistolis Romanorum Præsulum inhærebant, quæ eis hanc reseruant facultatem. Et Capitular. l. 6. c. 287. *Authoritas Ecclesiastica atque canonica docet, non debere absque sententiâ Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et Addit. l. 4. c. 12. *Legitimâ Synodo suo tempore Apostolicâ authoritate conuocatâ, cuius iussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum authoritas, & sanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum decretis multipliciter prinata tradita est potestas.* Sic igitur Galli Imperatores Synodum conuocabant, vt præ se ferrent hanc peculiarem esse potestatem sedis Apostolicæ, *Domini iussione* constitutam, sibi vt eius executoribus communicatam, & nec alio nomine siue à priscis vsurpatam, siue ab vllis vsurpandam Imperatoribus.

XVIII. Gallicanæ Ecclesiæ consensus ex Hincmaro.

Sed Gallicanæ Ecclesiæ; Gallicani quoque imperij quis locupletior interpres Hincmaro Remensi? Ille ergo in Opusc. 55. cap. c. 20. *Septima apud Græcos vocata vniuersalis Pseudosynodus de imaginibus, sine authoritate Apostolicæ sedis Constantinopoli est habita, &c. Vnde tempore Caroli Magni Imp. iussione Apostolicæ sedis generalis est Synodus in Franciâ conuocante præfato Imperatore celebrata*, &c. Vides vt au-

Digitized by Google

thoritatem & iuſſionem ſedis Apoſtolicæ præire iubeat, tum conuocationem ſeu executionem ab Imperatore expectari. *Claret vniuerſales ac generales Synodos nominari, cùm plures Epiſcopi fuerint congregati Apoſtolicæ ſedis iuſſione & imperiali conuocatione, ſicut Sardicenſis Synodus, &c. & in Africanis Synodis cum legatis Apoſtolicæ ſedis celebratis.* Et rurſus: *Sic igitur vniuerſales Synodi ſpecialiter Apoſtolicæ ſedis authoritate conuocantur, & æquè prouinciales canonicæ Synodi, decreto ſedis Apoſtolicæ à metropolitanis & prouinciarum primatibus conuocantur. Sicut de collatis clauibus regni cælorum, id eſt, ligandi & ſoluendi pontificio ſpecialiter ſancto Petro dato, & ſimul omnibus Apoſtolis, & in eis Catholicis Epiſcopis collato, ſancta & vniuerſalis tenet Eccleſia.* Quæ omnino apoſitè dicuntur ad noſtrum hoc inſtitutum. Nempe non ſolùm iuſſione & authoritate Apoſtolicæ ſedis conuocari generales Synodos, ſed & prouinciales, & quaſcumque demum Synodos, congregari à præſidibus quidem ſuis, ſiue metropolitanis, ſiue primatibus, ſed iſtas etiam *decreto* ſedis Apoſtolicæ. Itaque vt metropolitanis prouinciales, ita ſummo Pontifici generales conuocare Synodos proprium & adnatum ius eſt. Sed præterea nec prouinciales poſſunt coire Synodi ſine decreto ſedis Apoſtolicæ, tacito nimirum vel expreſſo, quia portio hæc eſt priuilegij Petri. Omnis enim poteſtas clauium Apoſtolis, & per Apoſtolos Epiſcopis conceſſa, Petro tamen & Petri ſucceſſoribus *ſpecialiter* collata eſt, ideoque ab illis non eſt ſine horum conſenſu adminiſtranda.

Et idem rurſum Hincmarus Opuſc. 44. tom. 2. n. 28. *Si nos fraterna charitas inuitauerit, potiuſque iuſſio Apoſtolicæ ſedis & præceptio domni Caroli Imperatoris Auguſti nos ad Synodum, ſicut præcipiunt regulæ, vocare decreuerit, pro talibus quæ forte prouinciali nequiuerint examine diffiniri, &c. Quoniam Imperatorum authoritate conuocatas generales Synodos & in hiſtoriis Eccleſiaſticis, & in epiſtolis Apoſtolicæ ſedis Pontificum reperimus. Et ſanctus Gregorius Reges Francorum Synodos in Gallicis & Belgicis prouinciis conuocare ſæpe commonuit.* XIX. Rurſus ex eodem.

Digitized by Google

Iussio sedis Apostolicæ primas semper tenet, tum sequitur præceptio & conuocatio Imperatoris, hoc est, executio. Itaque duplex hæc Pontificis & Imperatoris potestas nequaquam sibi collidi suspicanda est, cùm altera alteri obsequatur.

XX. Quando hæc Imperatorũ potestas arctiùs coërcita.

At vbi postea principes in ipsam Ecclesiam arma strinxere, pro qua induerant, tum necessum fuit ad solos Pontifices omnem hanc reuolui potestatem. Accipe quæ disserat Fridericus I. Imp. ad Concilabulum Papiense à se congregatum an. 1160. apud Radeuicum, l. 2. c. 64. 65. *Quamuis nouerim officio ac dignitate imperij penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis; hoc enim & Constantinus & Theodosius, necnon Iustinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus & Otto Imperatores fecisse memorantur: authoritatem tamen definiendi huius maximi & summi negotij vestræ prudentiæ, vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi.* Vbi secernas velim, quid iactantia extundat, de potestate cogendæ Synodi; quid exculpat vel inuito veritas, de potestate Synodorum in Imperatores ipsos. Si enim sacerdotibus *dedit Deus potestatem iudicandi:* num potestatem non dedit iisdem conueniendi ad iudicium? Num mendicare hanc facultatem iussit ab iis, de quibus iudicaturi sunt? Quid dementius in mentem venire cuiquam potest, quàm vt iudices à Deo constituti, non possint nisi conuocati ab iis quos iudicaturi sunt, conuenire? Cùm præfatus ergo, cùm alij complures deinceps principes abuterentur priore illa potestate, cœpere soli Pontifices & iubere & conuocare Synodos œcumenicas, consilio & consensu principum & optimatum vtriusque ordinis priùs explorato. Quæ disciplina à veteri in speciem plurimum, reapse perparum distat. Inuariatum id enim & constantissimis æternæ legis regulis coaptatum semper viguit: vt Ecclesiæ siue per orbem effusæ, siue synodaliter in vnum aliquem locum congregatæ præesset sum-

Digitized by

mus Sacerdos, Christi Vicarius, Caput sacerdotum omnium, præesset inquam vt caput membris: membra colligaret, membra colligeret & adunaret. Ad id vbi opus foret, vteretur etiam ministerio principatus ciuilis, qui non aliter sacerdotio, quàm vt corpus animæ, vt membra capiti coaptatur. Id & olim valuit, & etiamnunc viget; id in medullâ ipsâ fixum & immutabile est, etsi extima rerum species & veluti cortex aliàs aliter se habere videatur. Gregorius X. in Conc. Lugdun. *Nos cum fratribus nostris, aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque obseruationis exemplum nos instruit, decreuimus congregandum.*

XXI. Alia ad idem argumenta ex Florentina Synodo.

In Florentina Synodo diu altercatum est, cùm Romanus Pontifex Ecclesiasticam libertatem suæ ipsius amplitudinis comitem indiuulsam retentaret: Græcus Imperator veteres refricaret Synodos; Imperatorum, à quibus conuocatæ essent, nomina præferentes. Alibi de eâ Synodo copiosius. Vnum hic aduerto, in actis Synodi præceptum non Imperatoris, sed Patriarchæ extare, quo eius quasi nomine Synodus iterum indicitur, à Romano Pontifice iam indicta. Quod pacis, cui tunc laborabatur, studio dispensatum est. Nec tamen Imperatori ea potestas communicata. Inferiùs autem semel iterumque testificatur Marcus Ephesinus Metropolita, canonum inter Græcos scientissimus: *Secutum se œcumenicum Patriarcham, & diuinitus datum Imperatorem ad Synodum.* At act. 25. hæc aiunt Græci: *Admisimus priuilegia Papæ, præterquam duo; Ne conuocet Synodum œcumenicam absque Imperatore, & Patriarchis, si veniant: quòd si aduocentur & non veniant, ne propterea impedimento sint, quò minus Synodus fiat*, &c. At Pontifex respondit: *Authoritatem sibi esse ac facultatem conuocandi Synodum œcumenicam, cùm opus fuerit, & omnes Patriarchas parere eius voluntati.* Quin ille ipse nuper editus scriptor historiæ huius Synodi Græcus Episcopus, ha-

rum teſtis concertationum Imperatoris Græci, pro ſuo ſcilicet iure tuendo: ſexcentis locis obtritam ab Imperatore lamentatur Eccleſiæ libertatem, obrutamque poteſtatem omnem Patriarchæ & Epiſcoporum, eâque de re frequentes Patriarchæ & Epiſcoporum querelas non ſilet. Quâ de re aliàs.

XXII. Iamdiu Imperatores, & Reges intelligunt non poſſe, niſi à Romano Pontifice Synodos congregari ſiue iure, ſiue facto.

Vmbram aliquam rei eiuſdem ſuſpicari quis poſſet ad Carolum vſque eius nominis quintum defluxiſſe, ex præfatione Synodi Auguſtanæ an. 1548. *Cæſareæ maieſtati hanc Synodorum congregandarum facultatem Germanorum Eccleſiæ veluti olim Conſtantino Imperatori totus ferè orbis acceptam ferunt.* Sed ad conſenſionem meram hæc ſpectare, & ad particulares Germaniæ Synodos, non ad totius Eccleſiæ vniuerſales quis non videt? Tridentinam quippe Synodum ſolus conuocauit, tametſi de Imperatorum Regumque, maximè Chriſtianiſſimorum Galliæ, conſiliò, Pontifex; ſolus conuocare potuit. Quota enim Chriſtianæ reipub. portio à multis iam ſæculis pareret iſtiuſmodi imperatoriis iuſſionibus? Ideo cùm Philippus Pulcher & vterque optimatum ordo ad Synodum œcumenicam prouocaſſet à Bonifacio Papâ, non ſuam, non Imperatoris poteſtatem conuocandæ Synodo parem auguratus eſt, ſed ad Cardinales, vt Romanæ Eccleſiæ cardines confugiendum eſſe ſenſit, ad eoſque ſcripſit: *Chriſtus Eccleſiam in Petri vocabulo fundauit ſupra Petram, voſque ipſius columnas Eccleſiæ, fidei cardines, & Apoſtolorum conſtituit ſucceſſores. Quapropter venerabilem cœtum veſtrum attentè requirimus, & rogamus, quatenus ad conuocationem & congregationem prædicti Concilij generalis, prout ad vos pertinet, intendatis.* Multa hic præter ius commiſſa non neſcio, vnum id aduerto, recurrendum fuiſſe ad ipſam Romanam Eccleſiam, & poſtea ad Clementem V. vt Synodus cogeretur, quam à ſæculari principe quouis colligi poſſe deſperabatur.

Hiſt. du Differ. entre Bon. & Phil. pag. 116.

XXIII. Antedicta à Nicol. Cu-

Cuſanus autem l. 2: de Concor. c. 2. ſuprà delibato idem aſtruit argumento. *Habet quiſque præſidens in ſuo gradu*

Digitized by Google

ſibi vnitos conuocare, ſine quo aut eius vices gerente Concilium nec plenum, nec ritè adunatum cenſetur. Vnde cùm Romanus Pontifex ſupremus Capitaneus militantis huius Eccleſiæ, & princeps in Epiſcopatu fidei exiſtat; vniuerſalia Concilia ſine eo ritè, eiuſve authoritate regulariter non celebrantur: ſicut nec ſine metropolitano prouincialis, aut ſine Patriarchâ vniuerſalis patriarchalis, aut ſine Epiſcopo diœceſana. Et ne in ornamentis imperatorij apicis obmuteſcere poſſe putes Cuſanum, rurſus ille l. 3. c. 13. *Ex ſuperioribus habetur, Imperatores ſanctos congregationes Synodales vniuerſalium Conciliorum totius Eccleſiæ ſemper feciſſe. Ita ego perluſtrans geſta omnium vniuerſalium Conciliorum vſque ad octauum, verum eſſe reperi.* Refert mox Heliæ Preſbyteri & Syncelli Throni Hieroſolymitani verba in eadem octaua Synodo, hæc nempe: *Scitote, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos ex toto orbe terrarum.* Addit Cuſanus: *Et legi in gloſſulâ Anaſtaſij Bibliothecarij Apoſtolicæ ſedis, qui eandem Synodum de Græco tranſtulit, ſuper eodem dicto, quod vniuerſales Synodos de omni terrâ, Imperatores colligere ſoliti fuerant: locales verò nunquam eos legitur collegiſſe.* Sedandæ denique huius inter Pontificem & Imperatorem conflictationis rationem idem ipſe infrà extricat c. 15. *Ad illud diſcutiendum dicamus, quod hoc intereſt inter vtriuſque conuocationem, quoniam Papa vt primus & habens præceptiuam poteſtatem ex principatu ſacerdotij ſui in omnes alios Epiſcopos, quoad eam congregationem, reſpicientem vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum, in qua ipſe primam curam gerit. Ex qua credita poteſtate, præcipere habet Chriſti fidelibus vt conueniant, maximè ſubiectis omnibus ſacerdotibus. Imperator verò exhortatur, & ſuadet Epiſcopis, ac præcipit laïcis.*

ſano multis confirmantur: à quo & pontificiæ imperatoriæque in hoc negotio poteſtatis diſtinctio, ac conciliatio promitur.

In eandem ſententiam conceſſit & Almainus, lib. de dominio nat. ciu. & Eccleſ. *Dico primò quòd iure diuino ſummo Pontifici competit authoritas ordinaria & regularis Concilium generale conuocandi, & nulli alteri. Summo enim Pontifici iure diuino obligatur quilibet fidelis obtemperare, & nulli alteri. Ergo iure diuino ſoli ſummo Pontifici regulariter & ordi-*

XXIV. Item ex Almaino.

Digitized by Google

mariè ſubiiciuntur cæteri Prælati, vt ad eius præceptum teneantur pro vtilitate Eccleſiæ ad certum conuenire locum. Et idem denuo l. de authoritate Eccleſiæ c. vlt. *Ad nullum authoritatiuè ſpectat congregare Concilium, præterquam ad ſummum Pontificem ex iure diuino. Probatur ſic. Authoritatiuè congregare Concilium eſt, iis qui intereſſe habent, præcipere, vt ad certum locum conueniant. Sed nullus præter ſummum Pontificem ſingulis, qui habent intereſſe, authoritatiuè præcipere poteſt, vt ad certum conueniant locum ex iure diuino. Ergo nullus præter ipſum authoritatiuè congregare poteſt.*

XXV. Similiter ex Ioanne Gerſonio.

Similiter Ioannes Gerſon libellò de Auferib. Papæ: *Fateantur priùs, quòd regulariter Concilium generale non eſt celebrandum, de iure etiam diuino, non vocante vel approbante Papa, ſi eſt vnicus, nec aduersùs eum allegatio, legitima.* Eòdem pertinent quæ iſle diſſerit tomo eodem primo pag. 179. 263. 264. 291. 371. Item tom. 4. pag. 105. 106. nempe regulariter iure diuino conuocandas à ſummo Pontifice Synodos vniuerſales, etſi extraordinariè aliter quandoque congregatæ ſint. Quo poſtremo loco hæc habentur cæteris intertexta: *Poſt incrementa naſcentis Eccleſiæ primitiuæ, præmiſſa authoritas & poteſtas congregandi generalia Concilia, rationabiliter limitata fuit & reſtricta, ſic ſcilicet quod ſine authoritate Papæ nulli liceret huiuſmodi Concilia congregare. Ratio fuit vt honoraretur ſedes Apoſtolica, & vt obuiaretur hæreticis vel ſchiſmaticis, qui quandoque ad libitum pro potentiâ principum ſæcularium Concilia vocari & congregari procurabant, ad ſuorum errorum fulcimentum.* Extraordinariè verò poſſe coïre Concilia œcumenica Romano Pontifice non conuocante, ſæpicule quidem clamitat Gerſonius, nec nos diſſimulamus, quin optimo viro acquieſcimus Magiſtro Duuallio, par. 4. q. 2. vbi ait: *Quæ diximus, regulariter & per ſe ſunt accipienda. Nam ſi contingeret Concilium æcumenicum Eccleſiæ eſſe prorſus neceſſarium, ita vt eius defectu omnia retro ſublapſa ferrentur in Eccleſiâ, neque induci poſſet Pontifex vt illud indiceret: in hoc caſu Cardinales poſſent illud indicere: qui ſi etiam nollent, primates diuerſorum regnorum*

Digitized by Googl

regnorum possent inter se conuenire, & Episcopos sibi subiectos in vnum locum conuocare: quibus etiam renuentibus Episcopi ipsi mutuo hortatu in vnum locum ad Ecclesiæ rebus prouidendum legitimè inter se conuenire possent, &c. Hæc eadem locis suprà citatis vrget Gersonius, eadem Almainus, ita tamen vt hanc conuocandæ Synodi extraordinariam potestatem neuter eorum adsignet tunc Imperatori, vt propriam & singularem, sed communem esse iubeat vniuersæ Ecclesiæ, Episcopis, principibus, denique fidelibus omnibus, omnibus nempe in extremo discrimine suos fines exilientibus, & publicas curas induentibus, maximè autem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

XXVI. Ex Petro de Alliaco.

Quibus consentaneus est Petrus de Alliaco l. de Eccles. author. c. 3. *Vbi necessitas aut vtilitas emineret, pro conseruandâ fide, vel bono regimine Ecclesiæ, ad Papam vel in eius defectu, ad Cardinales pertinet generale Concilium conuocare. Et hoc eis conuenit non tam humanâ, quàm diuinâ institutione, vice & nomine totius vniuersalis Ecclesiæ, quia ipsi Cardinales succedentes Apostolis in ministerio generali verbi Dei, &c.* Quæ hactenus & eo tantùm consilio à me promuntur, vt liquescat hinc lucidissimè, quàm conspiratè adimatur Imperatori præceptiua Episcopos ad œcumenicas Synodos conuocandi potestas: & quàm inserta inuiscerataque ea sit sedis Apostolicæ Præsuli, quando ab eo in eius optimates refunditur quodam modo.

XXVII. Ex recentioribus denique Græcis, itemque antiquioribus.

Nec Græci recentiores ab hac sententia recesserant, etsi pene obruti mole imperatoriæ potestatis, ipsa tantùm non altaria inuadentis. Congregandæ enim Synodi potestatem quantamcumque adeptus esset Imperator: precariam, & obnoxiam tantùm, atque ab Ecclesia indultam fuisse, declarat Symeon Thessalonicensis de sacris Ordinat. par. 2. c. 9. *Imperator eâ de causâ sacram Episcoporum Synodum conuocat, eâ vtens authoritate, sibi antiquitus à diuinis patribus, vt Ecclesiæ defensori, concessâ.* Patrum ergo atque Episcoporum propria est hæc authoritas. Romani autem Pontificis peculiarem esse, etsi iamdiu dissimulant Græci,

Digitized by Google

non dissimulabat tamen olim Chrysostomus, cùm Innocentium; non Eutyches, cùm Leonem; non Flauianus, cùm eundem Leonem & œcumenicum Concilium appellabat. Vnâ enim atque eâdem operâ Romanos Pontifices & œcumenicas Synodos ab illis congregandas appellabant, vt infrà accuratiùs suo loco demonstrabitur. Non dissimulabat Cyrillus, qui Concilium Ephesinum conuocauit illico, vt personam induit & vices Romani Antistitis, teste Liberato c. 5. *Porro Cyrillus cum suis, habens vices sedis Apostolicæ, Concilio euocato ducentorum Episcoporum, Nestorium vocauerunt.* Non dissimulabant Patres Synodi CP. primæ, cùm ad Damasum scriberent, *Concilium voluntate ac nutu Dei Romæ conuocantes, nos velut propria membra per epistolas Deo amantissimi Imperatoris accersiuistis.* Non dissimulabant Patres sextæ Synodi, cùm, vt suprà relatum est, Imperatori ad conuocandas Synodos Romanum præ cæteris omnibus Ecclesiæ principibus consociabant. Non dissimulabat denique Socrates l. 2. c. 13. cùm ex Iulij Papæ sententia ait, *vetari Ecclesiastico canone, absque sententia Romani Antistitis, Ecclesiis canones sancire:* siue vt Cassiodorus vertit hist. tripart. l. 4. c. 9. *Concilia celebrare.*

κανόνας

XXVIII. Longè melior Ecclesiæ nunc quàm olim in hac parte conditio.

Finem dicendi facio, & reliqua, de Synodorum maximè particularium conuocatione, in proprias singularium Conciliorum obseruationes differo; vnum hoc antè professus, magnam nostris & superioris æui principibus gratiam habere eos omnes, quibus Ecclesiæ Christi sponsæ maiestas cordi est, & libertas. Conuocant enim illi etiamnum Synodos seu generales, seu particulares, sed tantâ pietatis & modestiæ luce, vt discreta sacerdotij atque imperij iura effulgescant. Vbi Synodum enim indixit, conuocauitque Pontifex, tum illi suæ quisque ditionis Episcopos eò conuolare vrgent. Quòd autem rarissimas hinc quidam mussant Synodos colligi, aut imperitè, aut inconsideratè faciunt. Veniat in mentem innumerabilium Synodorum, quas inconsultis & inuitis Pontificibus Imperatores olim coëgere in perniciem fidei Catholicæ.

Digitized by Google

Recurrat animo quàm multa olim maximi momenti ſine Synodis profligata ſint. Vbi maximè opus erat, tunc perſæpe negatas à principibus Synodos penſitent; vbi importunum erat, acceleratas. Auguſtinum meminerint Pelagianis œcumenicam Synodum petentibus, os obturaſſe, atque oſtendiſſe complurimas hæreſes ſine congregatione Synodi oppreſſas. Gregorium Nazianzenum, & Martinum Turonenſem recordentur, quàm alieni fuerint à frequentiâ Synodorum. Quanquam ergo ſaluberrima ſit Conciliorum congregatio ex Auguſtino; ſi Pontifices tamen incumbentem quancumque difficultatem aliter & commodiùs & compendioſiùs explicari poſſe arbitrabuntur, ſanctiſſimorum antiquiſſimorumque & prædeceſſorum & aliorum patrum iudicio moribuſque accommodatè facient. Libertas autem ſi quibus minor ſub Pontifice, quàm ſub Imperatore fuiſſe videtur, næ illi nimiùm ſomniculoſi in euoluendis priſcarum Synodorum monumentis fuere, aut eas nec ſummis fortè digitis attigere. Principes gentium dominantur earum, Pontifices non dominantur in clero: & vt dominari fingantur, mitiùs vtique, quà inermes. Poſtquam enim magnificentia etiam, & pompa conuocationis Synodorum penes Pontifices ferè ſolos fuit, num prædatoria vſquam graſſata eſt Synodus in fidem Eccleſiæ, in vitam Pontificum? Numqua Tyriæ ſimilis, aut Mediolanenſi, aut Ariminenſi, aut Epheſinæ ſecundæ, aut vt cæteras taceam innumeras, tot Conſtantinopolitanis aduersùs duas Chriſti voluntates, aduersùs ſacras imagines? Nuncubi carceres aut vincula crepuere? num exilia aut neces? Num Cyrillus quiſpiam carceratus, num interemptus Flauianus, ne Martinos, ne Stephanos, ne Theodoros commemorem? Denique decreta ipſa Synodica improbè quidem, ſed tamen imperatoria poteſtate extorqueri cauillabantur hæretiçi. Vide Epiphanium in Audianis, qui ſtatutam de Paſchæ die legem Nicænam, ab Imperatore, non à Synodo mentiebantur conſcriptam. At decreta Synodica ſcribere, Pontificum eſt.

DISSERTATIO IV.

IN SYNODVM GANGRENSEM.

SYNOPSIS.

Vnanimi Patrum Latinorum, Græcorumque ſuffragatione euincitur, longè plurimas hæreſes iam inde ab incunabulis Eccleſiæ confectas, obtritaſque fuiſſe ſine Synodis ſolo Epiſcoporum conſenſu: vel Synodis localibus, firmatis conſenſione Epiſcoporum & Eccleſiarum totius orbis. Synodos œcumenicas nec ipſis hæreticis in mentem veniſſe: aut ſi venerint, & ad has prouecauerint, plerumque has velut tergiuerſationes exploſas fuiſſe. Ad num. vſque XXIII. Idem efficitur ex recentioribus Theologis ad num. vſque XXIX.

Conſenſio iſta vniuerſalis Eccleſiæ, qua authorantur Synodi particulares, vel Eccleſiarum ſententiæ ſine Synodis, ad nutum & conſenſionem ſedis Apoſtolicæ religata fuiſſe oſtenditur: eam enim in definienda fide ſemper ducem præiſſe. Ad num. vſque XXXVII.

Deinceps declaratur qualeſcumque Epiſcoporum conuentus, vel ſine conuentu concentus Synodicam authoritatem obtinuiſſe.

I. Ab exordio Eccleſiæ ſine Synodis ſolo Eccleſiarum conſenſu oppreſſæ complures hæreſes. Ex Euſebio prolixè id demonſtratur.

COMPLVRA ſecantur hæreſum capita in hac Synodo, vt ex ſingulis eius liquebit canonibus, etſi illa particularis tantùm & paucorum fuerit Epiſcoporum. Nec vllo tamen poſtea maiore, aut œcumenico Concilio opus fuit, vt quaſi decretorio iudicio res finiretur. Sexcentæ quippe hæreſes ante Nicænam Synodum exortæ, oppreſſæque ſunt, aut particularibus tantùm Synodis, aut ſolâ Eccleſiarum ſine Synodis conſenſione.

Digitized by Google

Conſule Euſebium l. 3. cap. 26. 27. 28. 29. Menandrum, Ebionem, Cerinthum, Nicolaum cum gregalibus ſuis perſpicies proſcriptos citra Synodos, ſolâ Apoſtolicæ fidei in Eccleſiis conſcientiâ. Et lib. 4. cap. 7. aduersùs Saturnini, & Baſilidis, aliorumque in dies pullulaſcentium impietatem, nullæ coaleſcunt Synodi, ſed *Eccleſiæ per vniuerſum orbem inſtar clariſſimorum ſiderum fulgent, & viget in omne genus humanum fides Chriſti, &c. Plurimi Eccleſiaſtici viri patrocinium veritatis ſuſcipiunt, & pro Eccleſiaſtica, Apoſtolicaque doctrina diſertiſſimè decertant, &c. Et aduerſariorum quidem inuenta à ſemetipſis confutata, confeſtim extincta ſunt, aliis ſuper alias exorientibus ſectis, cùm priores aſſiduè diffluerent, & in multiplices ac multiformes errorum ſpecies vario quoque modo euaneſcerent. Catholica autem Eccleſia, quæ ſola vera eſt, ſemperque ſui ſimilis & conſtans, nouis quotidie incrementis augebatur, &c. omnium oculos non modò Græcorum, verùm etiam Barbarorum perſtringens, &c. Manſitque tandem diſciplina noſtra, ſola omnium conſenſu ſuperior & victrix.* Et cap. 11. Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci præſtigias & mendacia memorat; & ſolo Eccleſiæ ſole diſſipata fuiſſe innuit. Et c. 29. Tatianum *ab Eccleſiâ defeciſſe* monet. Eodem & ſequente quinto libro complures hæreſes, nullas Synodos memorat, donec ad Montaniſtas & Cataphrygas c. 16. perlapſus, *Hi perpauci*, inquit, *erant Phryges, huiuſmodi fraude decepti. Vniuerſam verò, quæ per orbem terrarum ſparſa eſt, Eccleſiam, idem ille arrogantiſſimus ſpiritus maledictis appetere eos docebat, eò quòd nec honorem, nec aditum vllum ad ipſam pſeudopropheticus ſpiritus reperiret. Nam cùm fideles qui in Aſia erant, ſæpius & in plurimis Aſiæ locis conueniſſent, nouamque illam doctrinam examinaſſent, & prophanam atque impiam iudicaſſent, damnatâ hæreſi, iſti ab Eccleſiâ, & fidelium communione expulſi ſunt.* Hæc ibi ex Apollinari Hierapolytano, vbi primùm audis Synodos in Aſiâ aduersùs Montanum coactas, ſed præ cæteris, *vniuerſa per orbem omnem terrarum ſparſa Eccleſia* aduersùs illum conſpirationem. Et c. 18. de

Montani assecla, ex Apollonio, *ausus est in Dominum, in Apostolos, & in sanctam Ecclesiam impiè loqui.* Et cap. 20. Irenæus aduersùs Florinum hæreseos nouæ signiferum scribens, *Hæc dogmata*, inquit, *dissentiunt ab Ecclesiâ*, &c. *Hæc dogmata, hi qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterunt, nequaquam tibi tradidere.* Et c. 19. Serapion Antiochenus Episcopus aduersùs Cataphrygas scribens epistolam, *Atque vt sciatis*, inquit, *qualiter vniuersa, quæ in terris est, fraternitas operationem illam simulatæ factionis, quæ noua prophetia nominatur, auersata atque abominata est.* Addit Eusebius: *Aliorum complurium Episcoporum idem sentientium propriis ipsorum manibus appositæ subscriptiones in illâ Serapionis epistolâ leguntur.* Synodi itaque instar habebat hæc subscribentium Episcoporum consensio. Et c. 21. l. eiusdem 5. Artemonis discipuli, Christum merum hominem blatterantes, *affirmant priscos quidem omnes, & ipsos Apostolos ea quæ ab ipsis nunc dicuntur, & accepisse & docuisse, vsque ad Victoris Papæ tempora: Zephirini autem temporibus adulteratam esse veritatem:* aduersùs quæ statim excipitur à Victore ipso Theodotum Coriarium, qui nudum hominem Christum esse asseruit, ab Ecclesiâ eiectum esse. Meminit idem l. 6. c. 33. Synodi aduersùs Beryllum Bostrorum Episcopum: & cap. 37. aduersùs Arabas in fide similiter aliquid nouantes. Et c. 43. aduersùs Nouatum & Catharos, *Cùm Romæ congregata esset Synodus, in quâ sexaginta quidem Episcopi „Presbyteri verò ac Diaconi multò plures conuenerunt. Cumque in prouinciis Antistites, quid agendum esset, singuli consultassent, huiusmodi decretum cunctis promulgatum est, &c. Extant Epistolæ Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, in quibus & Romana Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliasque locorum illorum prouincias sententia declarantur.* Mox ait Cornelium epistolæ suæ subiunxisse, non eorum tantùm Episcoporum nomina, qui in vrbem Romam conuenientes, Nouati amentiam damnauerant; sed eorum etiam, *qui Romæ quidem minimè affuerant, superiorum tamen*

Digitized by Google

Episcoporum sententiam literis approbauerant; vocabula simul & ciuitates vnde singuli literas dederant, accuratè commemorantem. Et l. 7. c. 24. Nepotis in Ægypto Episcopi Iudaïca quædam somnia, Dionysius Alexandrinus *conuocatis Presbyteris & Doctoribus, qui fratribus per vicos praerant*, examinat opprimitque. Et c. 27. 28. 29. aduersùs Paulum Samosatenum conuenit Antiochiæ Synodus prior & *postrema plurimorum valde Episcoporum.*

II. Vel sine Synodis, vel particularibus tantùm Synodis obtritas sufficienter hæreses, ex consensione omnium Ecclesiarum.

Ex his autem dilucidum fit, rariora ac pene nulla, nisi senescente secundo sæculo, coacta memorari Episcoporum Concilia: exinde autem sensim celebrescere ea cœpisse, nulla tamen nisi prouincialia, vel localia ante Nicænum coïsse. Et interim tamen emersere multò plures & atrociores, sopitæque & compressæ sunt hæreses nihilo difficiliùs, quàm postea. Igitur fidei regula non penes Synodos tantùm est, sed penes Episcopos, & Ecclesias etiam singulas, sedesque maximè Apostolicas. Et cùm regulæ fidei assertrices, hæresumque auerruncatrices laudantur, non vniuersales tantùm, aut generales, sed prouinciales etiam & locales intelliguntur Ecclesiarum consensiones, & coïtiones. 2. Sine Synodis instar quoddam Synodorum erat, ipsa Episcoporum inter sese per epistolas communio, dogmatumque communicatio, & vltro citroque disceptata deliberatio; & complurium Pontificum in vnius alicuius principis dogmaticam epistolam subscribentium coniuratio Ecclesiastica. 3. Sine Synodis instar habebat Synodi consultatio tum vsitatissima singulis Episcopis, in Presbyterorum, Diaconorum, & Doctorum parœciæ suæ conuentu, de quolibet incursante fidei, vel disciplinæ capite ambiguo. 4. Sine Synodis generalibus, instar quoddam Concilij œcumenici habebat, plurium per omnes orbis Christiani plagas particularium Synodorum pertractatio, & consiliorum communicatio, vltro citroque commeans, & in idem fidei vinculum conspiratio. 5. Denique sine Synodis generalibus instar erat Synodi œcumeni-

Digitized by Google

cæ, quælibet particularis Synodus, cum actis & decretis eius reliqua Ecclesiæ per orbem totum crescentis vniuersitas, vel per Synodos alias prouinciales, vel per epistolas, vel tacito consensu per indissociabile communionis vinculum suffragabatur. Vniuersim enim ex Scripturarum, Patrumque concentu liquidissimum est, Ecclesiæ ipsi desponsam oppigneratamque esse à Christo fidei veritatem inconcussam, siue illa in Synodos confluat, siue per epistolas consultet, siue silentio antiquitatis & traditionis retinentissimo nouitates diluat. Nec enim ante Synodos errat Ecclesia, & in Synodis canit palinodiam: neque si prohibeantur Synodi hostili vi aliquâ, in errorem vnquam delabetur columna veritatis: nec Synodus tantùm, sed Ecclesia ipsa ante Synodos & sine Synodis *in nomine Christi congregata est*, & in medio sui, habet Christum, & Spiritûs sancti Oraculum. Ad hæc expende quæcumque suprà ex Eusebio aceruata sunt; hæreses enmprimum nascentes conterebant, vel Episcopi vel Ecclesiæ singulares sine Synodis, vel Synodi particulares; & ita irreuocabiliter prorsus damnatæ, contritæque toto orbe habebantur. Adeò quorumlibet Episcoporum sigillatim, & quarumlibet Episcopalium synodorum particularium erat hæreses proscribere: & vbi vel expressus vel tacitus reliquarum Ecclesiarum consensus accessisset, iam prouocandi aut diutius tergiuersandi locus nullus supererat. Tacitus autem ille Ecclesiarum reliquarum consensus, non alio significabatur argumento, quàm ipso silentio, & continuato Ecclesiasticæ communionis fœdere cum Romano sedis Apostolicæ Præsule, vt infrà dicetur.

III. Idem ex Irenæo prolixè ostenditur, Ecclesias ipsas & earum Præsules sine Synodis sufficere damnandis hæresibus.

Atque vt Eusebio ipso antiquiores accersamus fideiussores, aderit primùm Irenæus l. 1. c. 2. & 3. *Ecclesia enim per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & à discipulis eorum, accepit eam fidem quæ est, &c. Hanc prædicationem cùm acceperit & hanc fidem Ecclesia, & quidem in vniuersum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum*

Digitized by Google

domum inhabitans; & similiter credit his, videlicet quasi vnam habens animam, & vnum cor: & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, &c. Sed sicut Sol creaturæ Dei in vniuerso mundo vnus & idem est; sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Hoc ille arriete euertit omnes hæreses; non Synodum allegat, sed vniuersalis Ecclesiæ vbique terrarum consentientis doctrinam, quæ instar habet iugis & indesinentis & œcumenicæ Synodi; ita vt Nicæna Synodus nihil aliud possit edicere, quàm *Ecclesia Catholica credit.* Et l. 3. c. 40. *Fidem*, inquit, *perceptam ab Ecclesia custodimus, & quæ semper à Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum, iuuenescens & iuuenescere faciens ipsum vas, in quo est. Vbi Ecclesia, ibi Spiritus Dei. Et vbi spiritus Dei, illic Ecclesia; & omnis gratia. Spiritus autem veritas.* Et idem l. 3. c. 2. ait oppugnari hæreticos bifariam, vel Scripturis, vel *cùm ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos*, &c. Et c. 3. *Traditionem itaque Apostolorum*, inquit, *in toto mundo manifestatam, in Ecclesiâ adest perspicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus numerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur.* Successionem mox recensetEcclesiæ Romanæ fundatæ à Petro & Paulo, & traditionem ibi seruatam, *in quâ semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio:* & cùm Episcopos omnes Romanos ad sua vsque tempora numerasset, *Hac ordinatione*, inquit, *& successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & veritatis præconatio, peruenit vsque ad nos.* Et infrà: *Sed & quæ est Ephesi Ecclesia, à Paulo quidem fundata, Ioanne autem per-*

manente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis. Et c. 4. *Non oportet apud alios quærere veritatem, quàm facile est ab Ecclesiâ sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium dives, plenissimè in eâ contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vt omnis quicumque velit, sumat ex eâ potum vitæ.* Et paulò pòst, *Quid enim, & si qua de aliquâ modicâ quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt; & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum, & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam reliquerunt iis quibus committebant Ecclesias; cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum, qui in Christum credunt, sine charactere & atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, &c.* Et l. 4. c. 43. *Quapropter*, inquit, *eis qui in Ecclesiâ sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatûs successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt.* Et c. 63. *Agnitio*, inquit, *vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi, secundùm successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos.* Et l. 5. c. 1. *Perfecit Christus*, inquit, *Apostoli verò tradiderunt, à quibus Ecclesia accipiens, per vniuersum mundum sola bene custodiens, tradidit filiis suis.* Et eodem l. infrà c. 20. *Eorum qui ab Ecclesiâ sunt, semita, circuiens mundum vniuersum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, & videre nobis donans omnium vnam & eandem esse fidem.* Et mox, *Qui ergo relinquunt Ecclesiæ præconium, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes quantò pluris sit idiota religiosus, à blasphemo & impudente Sophistâ.* Ex his, vt opinor, luminis & præsidij plus satis accedit iis quæ suprà præstruximus. Quibus concinit Clemens Alexandr. l. 6. Strom. *Cognitio ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita peruenit.* Et l. 7. *Homo Dei esse,*

Digitized by

& Domino fidelis esse perdidit, qui aduersùs Ecclesiasticam recalcitrauit traditionem: & in humanarum hæresεon desiluit opiniones. Et infrà, *Clarum est ex antiquissimâ & verissimâ Ecclesiâ has recentiores, & quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innouatas adulterinæ notæ hæreses. Vna est vera Ecclesia, ea quæ est antiqua. Ecclesiæ eminentia sicut initium constructionis, est ex vnitate, omnia alia superans, & nihil habens sibi simile, vel æquale.* Vbique Ecclesiam, nusquam Synodos obiectat hæreticis. Summa capita annotabo, vbi & Tertullianum his adprimè consentaneum ostendero.

IV. Idem ex Tertulliano aperitur.

Tertullianus ergo concinit per omnia Irenæo lib. de præscript. *Deinc in orbem*, inquit, *profecti Apostoli, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot & tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem Sacramenti vna traditio.* Et paucis interiectis: *Quid prædicauerint*, inquit, *Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viuâ voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Et infrà: *Age nunc*, inquit, *omnes erraverint* Ecclesiæ, *nullam respexerit Spiritus sanctus, vt eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus*

Digitized by Google

de Patre, vt esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot & tantæ in vnam fidem errauerint, variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Et infrà singulares recitat Ecclesias Apostolicas, de doctrina fidei percontandas, Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, Romam præ cæteris, *Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.* Et l. 1. contra Marcionem, *Non alia agnoscenda* erit traditio Apostolorum, quàm quæ hodie apud ipsorum *Ecclesias editur.* Et l. 4. aduersùs eundem: *Constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctum: Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti, quid legant Thessalonicenses, Philippenses, Ephesij, quid etiam Romani, &c. Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit authorem. Sic & cæterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas iam Apostolicas, sed apud vniuersas, quæ illis de societate Sacramenti confœderantur,* &c. Et l. 5. aduersùs Marcion. *Hoc probabit Apostolus dicens, &c. veritatis Euangelij quod peruenit ad vos, sicut & in totum mundum. Nam si iam tunc traditio Euangelica vbique manauerat, quantò magis nunc? Porro si nostra est, quæ vbique manauit,* &c.

V. Summa doctrinæ Irenæi & Tertulliani.

Pluribus tempero. Ex his autem, in quibus tam bellè conuenit Irenæo & Tertulliano, aduerte 1. de Synodis vbique apud vtrumque altum in his esse silentium, præscribi aduersùs hæreticos solâ authoritate Ecclesiæ, ad hanc illos conueniri, ad hanc prouocari, quòd in eam quasi *in depositorium diues plenissimè omnia contulerint Apostoli quæ sunt veritatis; vt omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ.* Quòd doctrinam suam *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit.* 2. Ecclesiam

Digitized by

porro iſtam, à quâ ſcitanda, hauriendaque ſint oracula veritatis, eſſe illam vniuerſalem, quæ totum orbem occupauerat iam inde ab Apoſtolorum æuo; *quantò magis nunc?* Cui Spiritus ſanctus *à Chriſto miſſus, de Patre poſtulatus doctor* veritatis. Quam Spiritus ſanctus *Chriſti vicarius* non potuit, *niſi negligeret officium ſuum*, ſinere *aliter credere, quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat.* Quæ tot & tantis Eccleſiis cùm conſtet, non potuit *in vnam fidem errare. Variaſſe enim debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Catterùm quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Quæ denique toto orbe *vnam animam habens & cor, vnum os poſſidens*, vnam fidem & traditionem prædicans, inſtar habens Solis, qui vnus in vniuerſo orbe lucet, & omnes illuminat, nullius poteſt hominis eſſe figmentum. 3. Sed & ſingulares quaſlibet Eccleſias, ſedeſque Epiſcopales conſulendas in omni lubricâ quæſtione, & audiendas eſſe, quia *traditio quæ eſt ab Apoſtolis per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur*, & ad hanc *prouocantur* omnes hæretici. Quia *habemus numerare* eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores corum vſque ad nos, qui nihil *tale docuerunt.* Quia *ordinem traditionis reliquerunt Apoſtoli iis quibus committebant Eccleſias.* Quia *multæ gentes Barbarorum* ſine Scripturis Chriſto credunt, ſanamque fidem ex traditione Eccleſiæ ſuæ cuſtodiunt. Quia Preſbyteri Eccleſiæ, *cum Epiſcopatûs ſucceſſione charisma veritatis certum excepe-runt.* Quia Eccleſiæ omnes Apoſtolicæ ſunt, id eſt, vel ipſæ ab Apoſtolis prognatæ primùm, vel ab Apoſtolicis Eccleſiis ſeminatæ: & ita originaliter Apoſtolicæ, ſicut Epiſcopi omnes Apoſtolorum ſunt ſucceſſores. Quia denique omnes Eccleſiæ, fraternitate, communione, & conteſſeratione vnius Sacramenti, vna Eccleſia eſt. 4. Sed præſertim tamen *ad antiquiſſimas Eccleſias*, vt ait Irenæus, ad Apoſtolicas *matrices & originales*, vt docet Tertullianus recurrendum eſſe: ad eas quas viuâ voce Apoſtoli, quas per literas, quæ leguntur illic etiam-

num, ſeminarunt. Et ante cæteras ad Eccleſiam Romanam, vt ait idem Irenæus, ob potentiorem eius principalitatem: & vt ait Tertullianus, *cui Euangelium Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.* 5. Sed ita particulares Eccleſias ſedeſque Epiſcopales, vel percontandas, vel incontanter audiendas, quandiu ſuâ cum aliis omnibus Eccleſiis communione, vnum fidei ſacramentum conteſſerant. Hac enim communione, *tot & tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apoſtolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.* Sic omnes vna, ſic extremæ prima, ſic ſingulæ & particulares tota & vniuerſa. Omnes enim in ſingulis, & vniuerſa in quibuſlibet eſt, dum vbique in vnum corpus conſpiratur, & in vnum ſpiritum. 6. Concilia autem laudantur à Tertulliano, *per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani, magnâ veneratione celebratur.* Illis ergo maieſtas, veneratio, veracitas, & neſcia erroris fides inde conciliatur, quòd ſint *repræſentatio totius nominis Chriſtiani:* hoc eſt, quòd quæ vbique locorum & priùs ſemperque in ſingulis Eccleſiis ab omnibus Epiſcopis catholicâ communione fruentibus fides tenebatur: ea in Concilio retineatur, & pompaticè, vnoque veluti ex ore vniuerſi generis humani promulgetur.

VI. Rurſum ex Cypriano.

His addes, ſi voles, Cyprianum, qui lib. 1. epiſt. 3. *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſiâ ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm diuina magiſteria obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùm ſacerdotum collegium quidquam moueret, &c. nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens & tumens ſeorſum foris nouam hæreſin conderet,* &c. Et lib. 3. epiſt. 13. *Quàm vanum eſt, vt Nouatiano nuper retuſo & refutato, & per totum orbem à ſacerdotibus Dei abſtento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de maieſtate ac dignitate Eccleſiæ iudicare.* Et rur-

Digitized by Google

ſum l. 1. epiſt. 3. ait, *Priuatum veterem hæreticum in Lambeſitana prouincia, ante multos annos nonaginta Epiſcoporum ſententiâ condemnatum.* Quibus ſi addas, quæ in præfatione Ancyranæ Synodi ſuprà, ex eodem Cypriano decerpſimus, manifeſtè perſpicies 1. quæ Irenæi & Tertulliani æuo rariora erant Concilia, paſſim iam & numeroſa temporibus Cypriani congregata fuiſſe. 2. Quæ ab vno, vel paucis Epiſcopis alicubi in hæreſes nouas decreta fuerant, ea protinus cæteris communicata fuiſſe Eccleſiis, & approbata, & in authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ recepta: quia vnus toto orbe Epiſcopatus indiſſociabili collegio, & fidei vinculo ſibi cohærebat. 3. Vice Concilij œcumenici id fuiſſe tunc, quod nouellus quiſque hæreticus *refutaretur & retunderetur, & abſtineretur per totum orbem à ſacerdotibus Dei.* Quid enim oberat locorum intercapedo, cùm omnes vbique gentium Epiſcopi, velut vno ſpiritu, vnoque ore, ad hæreſin, hæreticumque damnandum conuenirent, conſpirarentque? 4. Nulli prouinciali Concilio nouellam hæreſin damnanti obtrectari, vel derogari poterat, cui nimirum ſumma ſtatim & ineluctabilis authoritas vniuerſæ Eccleſiæ conciliabatur, cæterarum omnium Eccleſiarum, & Epiſcopalium ſedium, vel tacitâ, vel expreſsâ conſenſione.

VII Idem oſtenditur ex Paciano & Optato.

Atque vt cæteros quoque vnà conglobem in vnum veluti cuneum, Pacianus epiſt. 1. ad Sympron. *Parua nobis de Apoſtolicis viris, parua de primis ſacerdotibus, parua de beatiſſimo Cypriano martyre atque doctore currit authoritas? An volumus docere doctorem? Quid tot earum partium ſacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax vna ſolidauit? Quid tot annoſi Epiſcopi, tot martyres, tot confeſſores?* Et epiſt. 3. aduersùs eosdem Nouatianos, *Age, inquies, certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego huc vſque ſecurus, ipsâ Eccleſiæ ſerie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla diſcordiæ ſtudia didici, nulla certaminum argumenta quæſiui. Tu poſtquam à reliquo corpore ſegregatus es,* &c. Cumque Nouatianus obiectaret, Eccleſiam eſſe *Virginem*

ſanctam, caſtiſſimis ſenſibus, &c. reponit ipſe eſſe etiam Eccleſiam, *fœcundam vitem in lateribus domus Domini, matrem adoleſcentularum quarum non eſt numerus, vnam ſpecioſam columbam, &c. Eccleſia plenum eſt corpus & ſolidum, & toto iam orbe diffuſum, non vt vos eſtis Nouatiani, quædam inſolens portiuncula, tuberque collectum, à reliquo corpore ſeparatum. Eccleſia eſt templum Dei, templum amplificum, domus magna, &c. Multus huic virgini partus & proles innumera, quâ totus orbis impletur*, &c. Quanquam in Nouatianos collectæ fuerant Synodi particulares multæ, nullius earum meminit Pacianus, ſed eos validiſſimè impetit conteritque vniuerſali Epiſcopatus toto orbe ſparſi, & ſibi cohærentis, vniuerſali & ineluctabili authoritate Eccleſiæ Catholicæ orbem vniuerſum occupantis, & paucitatem hæreſeos cuiuſlibet obruentis. Huic enim authoritati vniuerſali particulares illæ Synodi implicabantur. Optatus Mileu. l. 1. *Videndum eſt quis in radice cum toto orbe manſerit, quis foras exierit.* Et l. 2. *Ergo quia probamus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa*, &c. Et mox, *Cathedra vnica ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vnâ communionis ſocietate concordat.* Identidem inculcat, Catholicos eſſe qui *communicant memoriis ſanctorum Apoſtolorum*, & Eccleſiis quas fundauerunt Apoſtoli: at hæreticos, *vnitatem cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apoſtolorum habere noluiſſe.* Nuſquam Concilia hæreticis intentat, ſemper vnitatem, conſenſionem, communionem Epiſcoporum vniuerſalis Eccleſiæ.

VIII. Item fusè ex Hieronymo.

Hieronymus aduèrsùs Vigilantium ſic inſurgit, *Malè facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli, ſecundùm nos, oſſa veneranda: ſecundùm te, vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia: & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria? Et non ſolùm vnius vrbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur baſilicas mortuorum*, &c. Viden vt Romani Epiſcopi

Digitized by Googl

Episcopi sententiam, & cæterorum orbis Episcoporum consensionem etiam sine Synodis, satis præsidij esse putet, vt nouitati hæreseos os obstruatur? Et adu. Lucifer. paulò ante finem, *Poteram*, inquit, *diem istiusmodi eloquio ducere, & omnes propositionum rivulos vno Ecclesiæ sole siccare. Verùm breuem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illâ esse Ecclesiâ permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat.* Et superiùs acriter exarserat in eos, qui Ecclesiam à sua vniuersitate in angulum contruderent: *Allocutio Patris impleta est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. In sole posuit tabernaculum suum, &c. Et vbi isti sunt nimiùm prophani, qui plures Synagogas asserunt esse, quàm Ecclesias? &c. Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardiniâ tantùm habet, nimiùm pauper factus est, &c.* Quæ illo pertonat in Luciferianos Alexandrinæ Synodo & dispensationi ibi constitutæ non acquiescentes, ideoque ab Eccleſiæ vniuersæ vinculo desciscentes. Et in Epitaphio Paulæ, *Igitur iuxta Ecclesiarum traditiones & Apostolum Paulum, &c.* Et in epist. ad Demetriadem, *Vt sancti Innocentij qui Apostolicæ Cathedræ & supradicti viri successor & filius est, teneas fidem,* &c. Et paulò antè, Anastasius *vir ditissimæ paupertatis & Apostolicæ sollicitudinis statim noxium perculit caput, & sibilantia Hydræ ora compescuit.* Ita ille sine œcumenicis Synodis & Pelagianos ab Innocentio, & Origenistas ab Anastasio damnatos testatur. Et in Apolog. aduer. Ruff. *Et tamen mihi quomodo probauerit Italia, quod Roma contempsit? Episcopi susceperint, quod fides Apostolica condemnauit?* Et in epist. ad Theophilum, *Scio nihil nobis esse antiquius, quàm Christi iura seruare, nec patrum transire terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Et in Apologia adu. Ruff. *Non valet*, inquit, *apud eos* Origenis defensores, *super Origenis damnatione, Episcoporum authoritas. Quid facient epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasij in toto orbe hæreticum persequentes?* Et idem infrà

decerpit aliqua ex epistola Origenis, *quâ totâ Demetrium Alexandrinæ vrbis Pontificem lacerat, & in totius orbis Episcopos & clericos inuehitur, & frustra ab Ecclesiis excommunicatum esse se dicit.* Et rursus in Apologia adu. Ruffinum, cùm illum à Theophilo & Anastasio damnatum sæpius oggessisset, *Si vel paruam*, inquit, *schedulam contra me Romani Episcopi, aut alterius Ecclesiæ protuleris, omnia quæ in te scripta sunt, mea crimina confitebor.* Inserta est & eidem tomo epistola Theophili ad Epiphanium, hortantis, vt coactis vbique Synodis damnentur Origenistæ, *vt omnes vno spiritu congregati cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradamus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ possidet eos.* Et epist. ad Marcum presbyt. aduersùs eos qui ei vt hæretico obtrectabant, *Aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.* Et infrà: *Pudet dicere de cauernis cellularum, damnamus orbem. In sacco & cinere volutati, de Episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus?* Quibus quid inuictius, vt liqueat non semper allegandas Synodos, sed Catholicæ fidei indubiam tesseram esse consensionem communionemque cum Episcopis, cum Ecclesiis per orbem, maximè cum Apostolicis cathedris & inter istas maximè cum Romana? Et epist. ad Pammachium & Marcellam, *Prædicationem quoque cathedræ Marci Euangelistæ, cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.*

IX. Item prolixè ex Augustino suggillatos, qui Synodos œcumenicas peterent.

Augustinus l. 4. ad Bonifac. c. vlt. cùm Cypriani & Ambrosij testimonia aduersùs Pelagianorum deliramenta protulisset, *Quid ergo*, inquit, *quod iactant rabiosâ nunc mentis cæcitate, toto penitus Occidente, non minùs stultum, quàm impium dogma susceptum? Quandoquidem Domino miserante, suamque Ecclesiam misericorditer gubernante, sic vigilauit Catholica fides: vt non minùs stultum, quàm impium dogma, quemadmodum Manichæorum, sic etiam non susciperetur istorum.* En vnde authoritatem accersit vniuersalem & inconcussam Synodis localibus, vbi hæresis Pelagiana explosa

fuerat. Et infrà : *Quidest ergo quod dicunt : De simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est? Nunquid beatissimis & in fide Catholicâ excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio ante istos, adversùs istos extorta subscriptio est? &c. Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit. Cùm potiùs rarissima inueniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multòque sint atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras deuitanda innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversùs Deum, vt non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente, peruertere nequeunt, saltem commouere conantur: cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ pastorali, post factum illis competens sufficiensque iudicium, vbicumque lupi isti apparuerint, conuincendi sint.* Perspicuè patres isti, & ante cæteros Augustinus, non errandi prærogatiuam Ecclesiæ vendicant vniuersæ, & singulis Ecclesiis episcopalibus, quandiu vniuersæ consentiunt, sibi quoque ipsis consentienti. Perspicuè nullas vt ea non errandi dos constet, flagitant Synodos. Perspicuè complurimas hæreses sine Synodi congregatione illic improbatas, damnatasque docent fuisse, vbi eruperant; vt inde per cæteras terras deuitandæ innotescerent. Perspicuè id Catholicæ Episcoporum inter se communioni tribuunt, vt quod alicubi, id vbique: quod ab aliquo eorum, id ab omnibus iuratur censura ecclesiastica. Perspicuè particularibus Synodis sufficienter iudicari, damnarique hæreses definiunt, nec opus esse totam fatigari Ecclesiam, vt Synodus generalis habeatur. Perspicuè nec ipsi hæretici ab episcopalibus Conciliis localibus prouocabant ad vniuersale Concilium, etsi de illis querebantur, quod solent mali litigatores, & quicumque causa cecide-

Digitized by Google

runt; & ad maiorem Synodum ſuſpirabant, non prouocabant tunc quidem: aut ſi prouocabant, hæc non vt legitima prouocatio, ſed vt fruſtratoria tergiuerſatio contemnebatur. Et ne ſemel Auguſtino hæc placuiſſe quis ſibi fingat, eadem pene leges lib. eodem 4. ad Bonifacium c. 8. Et ſerm. 2. de verbis Apoſt. vbi de Pelagianis, *Prorſus vbi tales*, inquit, *inueneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Iam enim de hâc causâ duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt: vtinam aliquando finiatur error.* Et l. 2. operis vlt. aduerſ. Iulian. num. 103. *Quid adhuc*, inquit, *quæris examen, quod apud Apoſtolicam ſedem iam factum eſt? Quod denique iam factum eſt in Epiſcopali iudicio Palæſtino. Ergo hæreſis ab Epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coërcenda eſt poteſtatibus Chriſtianis.* Et ſuprà num. 2. cauillans Iuliano, *quia rerum eſt maxima confuſio, & ſtolidorum maxima multitudo; eripiuntur Eccleſiæ gubernacula rationis, vt erecto cornu veliſicetur dogma populare.* Reſpondet Auguſtinus, *Tales populos non fecit, ſed inuenit Ambroſius: non fecit, ſed inuenit etiam ipſe Cyprianus: tales populos in Eccleſiâ etiam pater tuus, quando baptizatus eſt, inuenit: poſtremò Catholicos populos inueniſtis & vos: compeſcite vos, fatemur, quia dogma noſtrum eſt populare, quia populus Dei ſumus, &c. Nunquid Manichæus pluribus placet? Nonne ſicut parricidæ, & pauci, & peſſimi ſunt? Nolite ergo de paucitate gloriari*, &c.

X. Rurſum ex Auguſtino.

Et idem rurſum Auguſtinus Pelagianos ſin minùs in Synodo, ſaltem in collatione aliquâ nouum examen flagitantes, & exemplo Donatiſtarum ſe tuentes, quibus non ita pridem collatio eſſet indulta: ita retundit: *Abſit à Chriſtianis poteſtatibus terrena reipub. vt de antiquâ Catholicâ fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus eius locum & tempus examinis præbeant; ac non potiùs in eâ certi atque fundati, talibus quales vos eſtis, inimicis eius diſciplinam coërcitionis imponant. Quod enim propter Donatiſtas factum eſt, eorum violentiſſimæ turbæ fieri coëgerunt, ignorantes quid antè ſit ge-*

Digitized by Google

ſtum, quod eis fuerat oſtendendum: quales vos turbas Deus auertat vt habeatis: Deo tamen propitio non habetis. Ita lib. 1. oper. vlt. con. Iul. n. 9. Cui gemellus eſt locus alter ille ex l. 2. operis prioris adu. eundem c. 1. *Iam vos ergo totius pœniteat huius erroris, ne argumento miſerrimo vtamini, quo vniuerſi vtuntur hæretici, quos à perniciosâ licentiâ leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippe huiuſmodi dicunt, laborare illam partem rationis inopiâ, quæ in diſſerendo, cùm terrorem ſurrogat, nullum à prudentibus impetrat, ſed cæcum à meticuloſis extorquet aſſenſum. Noui denique hæretici vos eſtis, ſed iſtam pene omnium hæreticorum veterem vocem cum cæteris agnouiſtis atque tenuiſtis. Nec vos & alios decipiatis velùt talem vocem habentes aduersùs nos, qualem nos aduersùs Donatiſtas, quos ad collationem nobiſcum venire per imperialia iuſſa compulimus. Illorum enim furor occupauerat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra ſuum patiebatur errorem, violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, &c. Quod verò ante centum fermè annos, maiores noſtri cum eis egerant, iam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur neceſſitas compulit, vt ſaltem geſtis noſtrâ collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam, & reprimeremus audaciam. Veſtra verò apud competens iudicium communium Epiſcoporum modò cauſa finita eſt. Nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantùm ad ius examinis pertinet, niſi vt prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini. Quòd ſi nolueritis, à turbulentâ vel inſidioſâ inquietudine cohibeamini.* Confert eos mox Donatiſtarum ſurculo, Maximianiſtis, quibus enixè petentibus collationem, negarunt Catholici: *Cupiebant enim exiguitatem ſuam nomine ſaltem certaminis conſolari. Nec ſperabant victoriæ gloriam, ſed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant.* Poſt prouinciales ergo Synodos & Apoſtolica reſcripta, ſemel damnatis hæreticis, ad nouum examen ne collatio quidem, nedum Synodus debetur. Ex diſpenſatione conceſſa, aut inflicta potiùs eſt Donatiſtis collatio, neceſſitate id præter ordinem vſitatũ extundente, ob eorum multitudinem & turbulentiſſimas infeſtationes.

XI. Ex eodem rursus.

Et epist. 157. *Hæresis nouæ vel authores, vel certè acerrimi notissimique suasores cùm Pelagius & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantiâ, in adiutorio Saluatoris qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ sedis Papâ Innocentio & Papâ Zozymo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, totò Christiano orbe damnati sint.* Et rursus l. 1. op. vlt. in Iul. *Quasi verò in Concilio Episcoporum quod non salubriter, sed iactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, &c.* Nusquam, vt videt, vel tantisper in spem vlterioris examinis, vel Synodi generalis respirare eos sinit.

XII. Siricij Papæ & Ambrosij suffragatio.

Præmittendæ his fuerant Ambrosij & Siricij aduersùs Iouinianum Synodi & epistolæ. Siricius enim ait: *Facto presbyterio constitit doctrina nostra, id est Christianæ legi esse contraria.* Vnde ait Iouinianum cum sociis suâ & totius cleri sententiâ *in perpetuum damnatos extra Ecclesiam remanere. Quòd custodituram sanctitatem vestram non ambigens, scripta direxi, &c.* Cui cum Synodo suâ rescribit Ambrosius, *Quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos.* Nec vltrà progressa est ad alias Synodos illa disceptatio.

XIII. Item Leonis Magni.

Leo Magnus epist. 17. damnato semel Eutychete in Synodo CPolitana à Flauiano, supersedendum putabat à conuocatione Synodi generalis, *Cùm tam euidens fidei causa sit, vt rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum.* Idem postea Chalcedonensem colligi Synodum laborauit, vt non tam damnandæ Eutychetis hæresi, quàm proscribendæ Ephesinæ Pseudosynodo necessariam. Et epist. 86. aduersùs Pelagianos scribens, qui, vt suprà vidimus, œcumenicam Synodum flagitauerant, *Damnent apertis professionibus sui superbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit detestetur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmauit authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.* Et epist. 93. aduersùs Priscillia-

Digitized by Google

nistas, particularibus tantùm Synodis & tacito Ecclesiarum omnium concentu damnatos, *Meritò patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersâ Ecclesiâ pelleretur. Quando etiam principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt authorem eius, ac pleroſque discipulos legum publicarum ense prosternerent?* Vide & ibidem cap. 16. 17.

XIV. Item Sulpitij Seueri.

Sulpitius Seuerus Dialog. 1. c. 2. *Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter Episcopos atque monachos certamina gerebantur; ex eâ occasione, quia congregati in vnum sæpius sacerdotes, frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet; qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insanius scripta memorabant: quæ adsertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potiùs fraudulenter inserta dicebant, &c. Aduersùm hæc Episcopi obstinatiùs renitentes pro potestate cogebant, recta etiam vniuersa cum pravis, & cum ipso authore damnare; quia satis superque sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset, &c.* Et infrà: *Etsi fortasse videantur parere Episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam, multitudinem tantam sub Christi confessione viuentem, præsertim ab Episcopis oportuisset affligi.* Ad proscriptiones enim monachorum ventum est. Vides autem vt tunc Origenes vir tantus & de Ecclesia tam bene meritus, inustus sit censura episcopali in particularibus tantùm Synodis. Ex hoc eodem & ex Idacij Chronico adde, si voles, quæ de Priscilliano narrantur, particularibus tantùm Synodis damnato, ad Cæsarem prouocante, & capite luente.

XV. Idem euincitur ex Prospero.

Adde Prosperum l. adu. Collat. c. 41. *Quando b. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit. Quando Pelagium, ad proferendam in se suosque sententiam, Palæstinorum Episcoporum Synodus coarctauit. Quando Africanorum Conciliorum decretis b. recordationis Papa Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit: & ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteræ omnium armauit Antistitum, &c.*

Digitized by Google

Et ibidem: *Cæleſtinus ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtinus quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi.* Vides Synodis localibus & Apoſtolicis reſcriptis etſi non acquieſcant hæretici, acquieſcere Eccleſiam vniuerſam; & nouam audientiam poſtulantes in longinqua deportari exilia. Et carm. de ingratis idem proſequitur,

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri. Non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura enituit.
Tu cauſam fidei flagrantiùs Africa noſtra
Exequeris: tecumque ſuum iungente vigorem
Iuris Apoſtolicæ ſolio, fera viſcera belli
Conficis, &c. Geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur.

Et Epheſina quidem Synodo damnati rurſus fuere Pelagiani, ſed citra nouum examen, ſolâ prioris damnationis memoriâ renouatâ, vt infrà dicetur.

XVI. Ex libro de promiſ. & prædict.

Et l. 4. de prom. & præd. ſeu de dimidio temporis, c. 5. vniuerſalem regulam figit, vt ſine Synodis dignoſcantur hæretici, ſicubi non allubeat Eccleſiæ Synodos colligere, aut non expediat: *Ab Apoſtolorum conſortio alieni inueniuntur omnes hæretici, qui relictâ pace communionis, & panis vnius Dei, & Apoſtolorum, in ſuis non Eccleſiis, ſed plateis prædicant, & eorum memoriis non communicant: ſeparati à toto Catholicum ſibi nomen aſciſcunt. Cùm in ipsâ Hieruſalem Iacobus & Stephanus primus martyr, Ioannes apud Epheſum, Andreas & cæteri per totam Aſiam, Petrus & Paulus Apoſtoli in urbe Româ Gentium Eccleſiam, in quâ Chriſti Domini doctrinam erudierunt, pacatam, vnamque poſteris tradentes, ſanguine memoriiſque ſuis ex dominicâ paſſione ſacrarunt. Huic generali Eccleſiæ communicans Chriſtianus Catholicus eſt: ab hâc ſegregatus, hæreticus eſt, & Antichriſtus.*

XVII. Item ex Caſſiano.

Caſſianus quoque l. 1. de Incarn. c. vlt. cùm Leporij preſbyteri confeſſionem fidei, ſeu libellum emendationis recitaſſet,

Digitized by Google

recitaſſet, addit, *Hanc eius confeſſionem, id eſt, Catholicorum omnium fidem, & omnes Africani Epiſcopi vnde ſcribebat, & omnes Gallicani ad quos ſcribebat, comprobarunt. Sufficere ergo ſolus nunc ad confutandam hæreſin deberet conſenſus omnium. Quia indubitatæ veritatis manifeſtatio eſt, authoritas vniuerſorum: & perfecta ratio facta eſt, vbi nemo diſſenſit. Ita vt qui contra hoc ſentire nitatur, huius primâ ſtatim fronte non tam ſit audienda aſſertio, quàm damnanda peruerſitas: quia præiudicium ſecum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuerſitatis impugnat: & audientiæ locum non habet, qui à cunctis ſtatuta conuellit. Confirmatâ enim ſemel ab omnibus veritate, quidquid contra hoc venit, hoc ipſo ſtatim falſitas eſſe noſcendum eſt, quòd à veritate diſſentit.* Conſenſiſſe præfatus Africanos & Gallicanos Epiſcopos, iactabundus illico vniuerſitatem conſenſiſſe, & inconcuſſæ veritatis documentum id eſſe prædicat. Nec vlla ibi Synodorum mentio. Inſtar ergo habet Synodi illa Epiſcoporum ſpiritalis compaginatio, in vnum quid conſentientium, & totius Eccleſiæ conſenſum præ ſe ferentium, quod nuſquam ſibi intercedatur, nuſquam pax & communio abrogetur. Et l. 6. c. 10. Neſtorium ita obiurgat: *Videlicet pro arbitrio ac libidine tuâ, cùm vis, diſcipulus es: & Eccleſiæ, cùm vis, hoſtis. Cùm vis, Catholicus: cùm vis, Apoſtata. Dignus nimirum author, qui in quamlibet partem te contuleris, Eccleſias poſt te trahas. Cuius voluntas, lex vitæ noſtræ ſit: qui mutabilitate tuâ humanum genus mutes: & quia tu eſſe nolis, quod omnes ſunt; omnes ſint, quod tu velis. Præclara videlicet authoritas: vt quia tu quod eras, non es: eſſe mundus deſinat, quod fuit.* Vide l. 7. c. 30.

XVIII. Ex Vincentio Lirinenſi.

Vincentius Lirinenſis commonitorio vtroque fuſiſſimè hoc vnum perſequitur argumentum. *In ipsâ Catholicâ Eccleſiâ magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt enim verè proprièque Catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat: quæ omnia ferè vniuerſaliter defendit. Sequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Ita com. 1. cap. 3. Et c. 32. vſum Conciliorum deſcribere ingreſſus ait: *Chriſti*

Digitized by Google

Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, &c. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur. Quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem postea instantiùs prædicaretur. Quod antea securiùs colebatur, hoc idem postea sollicitiùs excoleretur. Hoc, inquam, semper, neque quidquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod priùs à maioribus solâ traditione susceperat, hoc idem posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret; magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando. Solo igitur Ecclesiasticæ fidei sole, sine Synodorum præsidio complurium discussæ sunt hæresum tenebræ; si quando accessere Synodi, non noua, sed eadem ac priùs fides, ac doctrina sese explicuit.

XIX. Ex Ferrando Diacono, ex Petro Cluniacensi, ex Floro Magistro.

Ferrandus Diaconus epist. ad Seuerum Scholasticum: *Interroga, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ sedis Antistitem, cuius sana doctrina constat indicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diuersa terrarum loca Pontifices, quibus scientia cælestium præceptorum diuinitus inspirata, famam grandem sui cum veneratione collegit. Istos sine dubio & ad disputandum idoneos, & ad suadendum frequenti exercitatione paratos, nec vituperaberis, si consulas, adhuc incertus; & laudaberis, si sequaris, veraciter doctus. A me autem sic expete debitum charitatis, ne incurrere suadeas culpam temeritatis.* Aspice quos consuli iubeat, quos audiri. Nimirum Pontifices, maximè sedis Apostolicæ. Vt penes quos affluat, non doctrinæ tantùm, sed & authoritatis copia. Reliquos autem præter Episcopos, consuli quidem posse, & audiri, sed hæsitantiùs. De Synodo autem flagitandâ ibi non meminit. At in epist. ad Pelag. & Anatol. Conciliorum vniuersalium authoritatem dominari ait, quibus *sufficere iudicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam to-*

Digitized by Google

tius Ecclesiæ nullum offendiculum moueant vel scandalum fratribus, sed Apostolicæ fidei conuenire firmentur, Apostolicæ sedis roborata consensu. Vbi palam fit, orbis Christiani consensum tunc Synodis accessisse interpretandum esse, cùm nemo intercedit, cum silentio omnes orbis Episcopi fauent, cùm *in notitiam totius Ecclesiæ perducta nullum offendiculum mouent vel scandalum fratribus.* Et Florus Magister cum Ecclesia Lugdun. cap. 4. adu. Ioannem Scotum: *Qui si aliquid tam periculosum contra fidem Catholicam docere præsumpsit, vt necessario Synodali iudicio plecteretur: profectò dignum fuerat, iuxta antiquum Ecclesiæ morem vt tantus error propter cautelæ studium ne plures eo inficerentur, cæteris Ecclesiis in diuersis regni partibus constitutis per literas Synodicas & Ecclesiasticas ad omnium Coepiscoporum notitiam perferretur.* Ex posterioribus, vnum addo Petrum Cluniacensem adu. Petrobrusian. *Non debet credi testimoniis Ecclesiæ, cui indiuisibiliter Christus cohabitat, vsque ad consummationem sæculi? cum quâ Spiritus sanctus inseparabiliter permanet, non hîc tantùm, sed in æternum? Quæ vnum cum Patre, & Filio est, sicut Pater in Filio, & Filius in Patre? Cui eam claritatem Filius Dei dedit, quam accepit à Patre? Quomodo potuit falli, vel fallere Ecclesia, cum quâ verax Pater, cum quâ veritas Filius, cum quâ veritatis Spiritus perpetuò mansit?*

XX. Rursum ad Græcos venitur, & primò ad Alexandrum Alex. Episcop. Origenem, Greg. Nyssenum, Basilium.

Atque vt ad Græcos iter reflectam denuo, ex Alexandri Alexandrini Episcopi aduersùs Arium scriptâ epistolâ testimonium profero, vt videas ad hæreseos condemnationem corrogata plurium Episcoporum per varias prouincias sparsorum suffragia: & qui hac authoritate fracti non sunt, eos nec œcumenicis Conciliis si quando indulta sunt, postea cessisse. Ita ergo ille aduersùs Arium apud Theodoretum l. 1. c. 4. *Primùm epistolas collegarum qui sunt in Ægypto & Thebaïde, deinde eorum qui Libyam, Pentapolin, Syriam, Lyciam, Pamphiliam, Asiam, Cappadociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt, ad vos miss. Quorum exemplum vos imitantes, persuasum habeo ad nos itidem daturos litteras. Et cùm multæ aliæ curationes ad eos sa-*

Digitized by Google

nandos qui hoc errore vulnerati sunt, suppetebant: tum istud etiam remedium ad medicinam populo ab istis decepto faciendam, inuentum est, si modò obtemperare voluerint: & cùm consensum collegarum nostrorum intelligant, eorum hortatu ad pœnitentiam se seriò recipere. Quorum peruicaciam non edomuit iste collegarum consensus, ij nec Nicænæ Synodo obaudiere. Et Origenes in proœm. l. periarch. *Cùm multi sint, qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant; seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas, quæ in nulla ab Ecclesiasticâ discordat traditione.* Et tract. 29. in Matth. *Nos illis credere non debemus, nec exire à primâ & Ecclesiasticâ traditione: nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem, Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis, &c. Quodcumque professi fuerint de scripturis, & de mysteriis quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere, quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti vsque ad Occidentem. Qualis est veritas Ecclesiæ Dei. Ab eâ enim solâ sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Et velociter currit sola verè veritas Dei.* Et Cyrillus Hierosolym. catech. 18. hanc Symboli partem ita exponit: *Et in vnam Catholicam Ecclesiam. Catholica vocatur, quia in vniuersum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ vsque ad extrema. Et quia docet catholicè, ac sine vllo defectu omnia dogmata, quæ debent venire in cognitionem hominum.* Antequam inolescceret mos fidei Synodorum generalium profitendæ, initiatus ab Apostolis, & ipso Apostolico Symbolo confirmatus fuerat ritus subscribendi fidei Ecclesiæ, vt quæ vtroque sensu indiscretè Catholica sit, hoc est, & orbe toto sparsa sit, & intaminatorum omnium dogmatum sit magistra. Idem apertè insinuabat suprà Origenes, sacrorum librorum delectum, & à spuriis suppositititiisque discriminationem, ab vnâ repetens Ecclesiâ. Quem & Augustinus eâ in re secutus est l. 2. de doct. Christ. cap. 8. *In canonicis Scripturis Ecclesiarum*

ἀπλανῶς

Digitized by Google

Catholicarum complurium authoritatem ſequatur, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioreſque accipiunt, &c. Vbi nulla Synodorum memoria. Atque vt ad Græcos me referam: Athanaſius in diſput. contra Arium: *Ego incompoſitum numen veneror, cùm id didicerim ex ſacris literis, & ab iis qui per ſucceſſionem ſuſceperunt Epiſcopatum.* Gregorius Nyſſenus orat. 3. contra Eunomium, *Nullus*, inquit, *mihi ſubrepet, quòd illud etiam, quod à nobis pro confeſſo habetur, rationibus & argumentis indigeat confirmari. Sufficit enim ad noſtri ſermonis demonſtrationem, quòd habeamus à patribus venientem ad nos traditionem, veluti hæreditatem quandam per ſucceſſionem ex Apoſtolis per ſanctos ſequentes tranſmiſſam.* Baſilius epiſt. 64. ad Neocæſarienſes: *Hoc*, inquit, *ſtudiosè agitur apud vos, vt fides ſubuertatur, ſubuerſione inimicâ Apoſtolicis & Euangelicis doctrinis; inimicâ quoque traditioni magni ſcuera Gregorij, & eorum, qui illum ex ordine ſubſecuti ſunt ad beatum vſque Muſonium.* Idem habet epiſt. 75. Et epiſt. 72. *Ipſum orbem circumſpicite, & videte quàm modica ſit ea portio, quæ hoc morbo laborat: reliqua verò vniuerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus vſque ad fines Euangelium recipit, ſanam hanc & incorruptam doctrinam ſectetur.* Vides, quas fidei regulas conſuli iubeat, vel vniuerſalem Eccleſiam, vel ſingulares etiam Epiſcopos vniuerſali Eccleſiæ conſentaneos. Et rurſum denique Alexander idem Alex. Epiſc. epiſt. eâdem, Arianos ita deſcribit: *Qui nec vllos ſecum ex antiquis comparari ſinunt: nec eos quibus ab ineunte nos ætate magiſtris vſi ſumus, pares dici patiuntur. Quin imò nec vllum collegarum noſtrorum, qui vbique gentium ſunt, ad mediocrem ſcientiam peruenisſe cenſent: ſolos ſe ſapientes iactant, ſolos egeſtatem ſectantes, ſolos dogmatum inuentores, ſibique ſolis ea eſſe patefacta, quæ in nullius vnquam ſub Sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam*, &c. *Non illis diuina veterum Scripturarum claritas pudorem incuſſit: non conſentiens collegarum de Chriſto pia doctrina, horum aduersùs illum au-*

daciam repreſsit. Et Athanaſius l. de Synodis : *Nicæni Patres de fide ita ſcripſerunt : Credit Eccleſia Catholica. Et ſtatim confeſsio ipſa adiuncta eſt : vt oſtenderent eam non eſſe nouam ſententiam, ſed Apoſtolicam : & quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed Apoſtolorum documenta.* Suggillat mox Euſebianos, qui nouas in dies Synodos poſtularent, quaſi dicerent: *Nos qui maioribus noſtris contradicimus, & prauaricamur patrum traditiones, poſtulamus Synodum congregari.* Quæ pluribus deinceps vrget.

XXI. Item ad Epiphanium.

Epiphanius aduersùs omnes hæreſes expoſitionem fidei non à Synodis repetit, ſed ab Eccleſiâ Catholicâ: *Ad ipſam properemus ſanctam Hieruſalem, Chriſti virginem & ſponſam, baſim & petram ſolidiſsimam, venerandamque matrem noſtram, & Chriſti ſponſam, &c. Siquidem Eccleſia ab vnâ fide genita, ac per Spiritum ſanctum in lucem edita, vnica eſt vni, genitricique ſuæ. Tum verò quotcumque poſt illam vel ante prodiere, pellices nominantur.* Tum ita ingreſſus, Eccleſiaſticæ fidei & diſciplinæ capita omnia perluſtrat.

XXII. Ad Chryſoſtomum.

Chryſoſtomus hom. 52. tom. 5. eos qui alieno tempore Paſcha celebrarent, ita obiurgat: *Tu non Nicænos Patres tantùm, ſed & orbem terrarum vniuerſum condemnas, qui ſententiam illorum comprobauit.* Et in epiſt. 1. ad Corinth. hom. 43. *Sicut conſtitui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Non adducit vnam, aut duas, aut tres ciuitates, ſed totam genicm. Quod quidem facit etiam in dogmatibus, dicens, Sicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum. Si hoc enim eſt validum ad fidem faciendam dogmatum, multò magis ad facta æmulanda.*

XXIII. Ad Maximum Martyrem.

Maximus Martyr in diſput. cum Pyrrho. Arguente Pyrrho: *Satis ſint nobis ea, quæ à Synodis dicta ſunt, & ne dicamus vnam, neque duas voluntates.* Contrà ex aduerſo dicit: *Si ea tantùm confiteri oportet, quæ à Synodis dicta ſunt, nec vnam Verbi Dei naturam incarnatam, quæ totam pietatem myſterij complectitur, dicere oportebit, quia non eſt dicta ſynodicè.* Longè plura ergo ſine Synodis definit Eccleſia. Et quanquam & tunc, & ſæpè aliàs ad iugulanda hæreſum monſtra coïerint poſtea Synodi vniuerſales: vel tunc

Digitized by Google

nihilosecius hæreticæ infamiæ, & damnationis laqueo implicati fuere, qui antè Synodos priùs animam, quàm errores exuerant.

XXIV. E recentioribus Theologis suffragatur Sirmundus.

Operæ pretium erit, si recentiores quoque è Catholicis astipulatores accersiuerimus huius doctrinæ, quæ in omni Theologica re dominatur; atque vna sufficit, si animo penitùs inhæserit, ad omnes nouellarum hæresum protelandos, nulloque vel minimo conatu, propulsandos assultus. Familiam ducent Sirmundus & Petrus Aurelius. Ille quidem: *Ea olim fuit Ecclesiarum inter se concordia & reuerentia, canonumque apud omnes tanta authoritas & religio, vt quod Synodo aliquâ constitutum vspiam esset, idem alibi sibi pro re natâ imitandum, statuendumque esse ducerent, nec facilè quicquam aspernandum censerent.* Quæ non ad morum tantùm, sed etiam ad fidei regulas ampliandum est. Quin imò canones priscos innouari à recentioribus Synodis, canones prouincialium Synodorum à Chalcedonensibus Patribus commendari, & in arcem œcumenicæ authoritatis recipi inuenies. At damnatas vel nullis vel particularibus Synodis hæreses vetustas, vel in Nicæna, vel in Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensi, sexta septimave Synodo, rursum damnari, nusquam ferè reperire est. Otiosum id enim videbatur, cùm Ecclesia toto orbe diffusa eam in damnando vel probando dogmate authoritatem, quâ nulla maior Synodis adest, assecuta sit.

XXV. Petrus Aurelius quoque.

Porro supraposita doctissimi viri verba admiratus Petrus Aurelius part. 3. pag. 304. addit: *Quod tamen tuum dictum, si ego non intra solos canones constrinxero, sed ad decreta de fide protendero, & tantum Episcopalibus definitionibus honoris habitum affirmaro, vt pleraque hæreses solâ ipsarum ope, patriarumque Synodorum authoritate pereulsa, per totum deinceps orbem, assensu omnium reprobata cognouerint, quanimus multis antea validisque propugnatoribus niterentur: reprehensionem quâ me particularibus Synodis detraxisse arguisti, abunde, ni fallor, obtinuero. Hoc autem & dictum & probatum ha-*

Digitized by Google

bes ſanctiſſimis Patrum teſtimoniis non uno loco, nec paucis verbis. Et idem rurſus part. 1. pag. 33. *Etſi quantum inter generales Synodos & particulares interſit, nunquam neſcierit Eccleſia, Superiorumque temporum Chriſtiani; eas tamen ſummo ſemper indiſcreto, tantumque non pari honore habitas fuiſſe, quandiu Eccleſia palam non intercederet, ex perpetua Eccleſiæ obſervatione manifeſtum eſt.*

XXVI. Idem rurſus.

Quàm fruſtratoria ſit illa alia quorundam cauillatio, non omnem Epiſcoporum cœtum Synodi nomine dignandum eſſe, nec eius decreta eo loco authoritatis & religionis habenda, quo Synodica: alibi operoſiùs demonſtrabitur. Interim idem ibidem Aurelius epiſtolam defendens conſcriptam à conuentu Gallicanorum Epiſcoporum hæc habet: *Quis vnquam hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo nomine eluſit, quòd diceret, non eſſe infallibilis authoritatis? Quando ita argumentati ſunt Nouatus, Pelagius, Arius, tot alij hæretici, quos Epiſcopi in prouinciis primùm damnarunt? Nemo hoc effugio vſus eſt. Omnes vel obreptum Epiſcopis, vel ſibi calumnias inflictas, vel alias cauſationes, quibus non particulares ſolùm, ſed generales etiam Synodos ludificari ſolebant, protulerunt, vel exerto ore & hæreticâ petulantiâ reclamarunt. Non quærebatur illis temporibus, quænam Epiſcoporum Concilia errori obnoxia, quænam certæ veritatis eſſent. Omnes omnia colebant, omnia venerabantur, vt paſtorum vocem, vt magiſtrorum Eccleſiæ doctrinam, vt eorum quibus dictum eſſet, Qui vos audit, me audit. Itaque Priſcillianam doctrinam, poſtquàm à Synodo Cæſarauguſtanâ damnata eſt; Origeniſticam, poſtquam ab Alexandrinâ; Eutychianam, poſtquam à Conſtantinopolitanâ ſub Flauiano habitâ; Arianam denique poſtquam ab Alexandrinâ, vt alias præteream, nemo Catholicus hæreſes eſſe negauit, eorumve ſuſceptores hæreticos, etiamſi ſolis Epiſcoporum prouincialium iudicijs damnati eſſent.* Quod egregiè confirmat Hieronymus in epiſt. ad Pamm. Origenis defenſores aientes, *Quomodo damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Arium, damnaſſet vtique & Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet:* reper-

cutiens

Digitized by Google

eutiens hoc reſponſo: *Hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat, quos certè ante Synodum fuiſſe non dubium eſt.*

Et idem rurſus parte eâdem, pag. 127. vt particularibus Epiſcoporum prouincialium iudiciis ſubſcribat ſilentio ſuo ſummus Pontifex, ſubſcribat Epiſcoporum totius orbis ſeu Eccleſiæ Catholicæ vniuerſitas, ita declarat: *Ad publicam veritatis proculcationem Eccleſia Catholica, atque in primis Apoſtolica ſedes ſilere non poſſet. Non enim falſum eſſe vnquam poteſt illud de Eccleſiâ Dei Auguſtini praconium: Eccleſia Dei quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit. Nec verum eſſe non poteſt illud verbum Apoſtoli; Non ſolùm qui iſta faciunt, digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Conſentiunt autem, dum publicè laboranti atque oppreſſæ veritati non ſuccurrunt, qui debent, & qui ad hoc potiſſimum in Eccleſiæ tribunalibus collocati ſunt. Ergo cùm quieſcunt, probant: cùm patiuntur, decernunt: cùm tacent, clamant. Nam hæreſum plerarumque damnationes non ſemper expreſſâ & perſcriptâ Eccleſiæ totius conſenſione firmatas & authoratas fuiſſe ſuprà oſtendimus. Satis conſenſu tacito clamat Eccleſia, cùm reclamare deberet, ſi diſſentiret. Officio enim deeſſe, & veritatem prodere vniuerſa non poteſt.* XXVII. Idem denuo. Ep. 119. c. 19.

Quibus concinit Melchior Canus de loc. Theol. l. 5. c. 4. *Nec expedit; nec tolerabile eſt, ſingulis hæreticis condemnandis ſingulas generales Synodos cogere. Cùm ergo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit in neceſſariis, nimirum ad hæreſes priuatas in prouinciis refutandas, Concilia prouincialia ſatis erunt, ſi erunt modò ſummi Pontificis authoritate roborata. Præterea quoſcumque eiuſmodi Concilia damnauere, Eccleſia eos ſemper exploſit; errare igitur illa in fide nequeunt.* Et infrà: *Atque certè niſi ſint peculiariter reprobata, communi Eccleſiæ vel ſilentio vel etiam implicito conſenſu commendantur, ſi ad Eccleſiæ communem notitiam peruenerint. Non enim fit aliquo pacto veroſimile, vt Concilij prouincialis toto orbe vulgati hæreſin Eccleſia diu diſſimulauerit. Error enim cui non reſiſtitur, approbatur.* XXVIII. Melchior Canus.

Digitized by Google

XXIX. Duuallius. Accedat & doctissimus vir Duuallius, splendidissimæ toto orbe Academiæ sidus eximium, part. 2. q. 2. *Plurimi Pontifices varios errores absque vllo generali Concilio condemnarunt, quorum condemnatio à totâ Ecclesiâ acceptata fuit, vt patet ex primis trecentis annis, quibus nulla vnquam Concilia generalia propter ingruentes persecutiones coacta leguntur: cùm tamen multæ in fide quæstiones toto hoc tempore feliciter sopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones. Nec dicant aduersarij hos errores pro hæresibus habitos non fuisse, donec his definitionibus Conciliorum generalium calculus accederet. Falsum enim est, omnibus quotquot fuerunt erroribus à sede Apostolicâ damnatis, & qui iam pro hæresibus in Ecclesiâ habentur, semper accessisse Concilij cuiusdam generalis condemnationem. Quod enim, quæso, Concilium generale Pelagianos damnauit, &c.* Et paucis interiectis: *Diligentissimè itaque obseruandum est, vt aliquod dogma tanquam hæreticum habeatur, non esse necessariam Concilij generalis celebrationem, sed sufficere summi Pontificis condemnationem, vnà cum acceptatione totius Ecclesiæ per orbem diffusæ. Licèt enim decretum Pontificis, quatenus ab eo solo promanat, de fide non sit: cùm eius in decernendo infallibilitas fide Catholicâ minimè constet: nihilominus si hæc condemnatio ab vniuersali Ecclesiâ, licèt diffusâ & non coactâ in Concilio approbetur, iam nemo citra fidei detrimentum ei potest contradicere. Est enim de fide, Ecclesiam non tantùm vt congregatam in œcumenico Concilio, sed vt diffusam per orbem errare non posse.* Multo similiora veri hæc sunt, & antiquitati Ecclesiasticæ consonantiora, quàm quæ suadere nititur Ioannes Gersonius tom. 1. pag. 431. & seq. 585. & seq.

XXX. Consensio ista vniuersalis Ecclesiæ, qua authorantur Synodi particulares, vel Ecclesiæ sine Synodis, ad consensionem sedis Apostolicæ religata est, & inde pendet.

Quod autem semel iterumque iuniores isti Theologi monuere, tum demum vniuersalem & infallibilem adsequi authoritatem prouinciales Episcoporum Synodos, synodicasque definitiones, cùm Romani Pontificis calculo fuerint approbatæ; id perinde est, ac si dicerent, cùm Ecclesiæ vniuersalis approbatio eis fuerit accumulata. A Romano enim Pontifice & ab Ecclesiâ vniuer-

Digitized by Google

sali authorari, vnum idemque est. Vnus corporis & capitis nutus, vnus assensus est. Annuente capite, annuisse vniuersa corporis compago existimatur. Quod ne leuiter & perfunctoriè dictum, videri queat, ad vetustiores rursus Theologos deuolui non pœnitebit, & Ecclesiæ adolescentis primæuam quasi iuuentutem explorare: vt tota hæc de rebus fidei definiendi authoritas iam tum intelligatur, ita vniuersis per orbem Episcopis communis fuisse, vt & in eos à vertice suo, seu à Romano Antistite defflueret, & in ipso suo fonte principaliter resideret.

XXXI. In fide definienda principem & ducem omnibus semper Synodis & Ecclesiis Romanam sedem præisse ostenditur exemplis priorum sæculorum ante Nicænam Synodum.

Et suprà quidem abundè constitit, in Paschæ, Baptismique quæstionibus summam potestatem statuendi & Ecclesias gubernandi, Victori & Stephano Romanis Pontificibus vendicatam esse. Illi Synodos toto orbe haberi iussere; illi antiquitatem & vniuersitatem in Ecclesiis tueri contra nouitatem & singularitatem præ cæteris enixi; illi vel territando, vel fulminando, vel dispensando vnitatem & veritatem inter vniuersos orbis Episcopos illæsam seruare studuerunt: illis vt veritatis & vnitatis cardini, omnes & spectatissimi maximè orbis Episcopi, vel bene sentientes adhæsere, vel aberrantes errorem suum excusare conati sunt: illi denique vel tunc, vel postea, Ecclesiam vniuersam ad se pertraxere. Victori suffectus est Zephirinus. Is de mœchis pandendâ pœnitentiæ & reconciliationis ianuâ sanxit. Reclamatum est à Tertulliano & aliis delirantibus. Sed tandem omnis Ecclesia obsecuta est. Romano Antistiti, seu Zephirino, seu Victori, siue etiam Eleutherio, alternant enim eruditorum eâ in re sententiæ, vt vertici fidei se approbare præ cæteris studuerant Montanistæ, quasi vniuersæ Ecclesiæ ab eo indiuiduæ pace simul potituri. Idcò Tertull. adu. Prax. de Praxea ipso conqueritur, quòd *Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, & ex eâ agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, coëgit literas pacis reuocare iam emissas*. Et antè Marcion, vt ait Epiphan. hær. 42. à patre suo Episcopo iectus Ecclesiâ, vt communionem

Digitized by Google

ſuffuraretur, *Romam poſt Hygini Papæ obitum ſe contulit, qui à Petro Paulóque Apoſtolis nonus Eccleſiæ præfuerat. Eò ſtatim atque Marcion peruenit, ad Seniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant; vt in communionem admitteretur, ab eis fruſtra petiit.* Origenes, vt author eſt Euſebius l. 6. c. 14. *Zephirino Romanam Eccleſiam gubernante ſe in vrbem Romam veniſſe ſcribit, cùm ſibi in votis fuiſſet, ſicut ipſemet alicubi dicit, Romanam Eccleſiam videre omnium antiquiſſimam*, vel principaliſſimam. Idem apud eundem l. 6. c. 36. *Ad Fabianum Romanæ vrbis Epiſcopum, & ad complures alios Eccleſiarum Antiſtites ſcribit de recta fidei ſuæ ratione*, nempe cùm obliquis ſuſpicionibus ſuam fidem exagitari ſentiret. Vnde Hieronymus in epiſt. ad Pamm. & Ocean. de error. Orig. *Ipſe Origenes in epiſtolâ quam ſcribit ad Fabianum Romanæ vrbis Epiſcopum, pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit.* Apud Athanaſium in epiſtolâ de ſententiâ Dionyſij Alexandrini Epiſcopi, quem Sabellio inſultantem in aduerſum errorem titubaſſe quidam criminabantur: *Cùm Dionyſius Epiſcopus contra Sabelly hæreſin ſcripſiſſet, quidam ex Eccleſiâ rectè ſentientes, ſed ignari eius cauſæ, cur ab eo ſcriptum eſſet: Romam aſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium eiuſdem nominis Romanum Epiſcopum accuſauerunt. Re compertâ Alexandrinus, poſtulauit à Romano præſule, vt obiecta ſibi indicarent, quibus acceptis opus edidit ſub nomine Elenchi, & Apologiæ.* Et mox Athanaſius, *Porrò ex Dionyſij Romani Epiſcopi voluminibus contra eos, qui Filium Dei opus, vel creaturam aſſeuerant, ſcriptis clarè oſtenditur, hæreſin Chriſto rebellium Arianorum non nunc primùm, ſed olim iam ab omnibus damnatam fuiſſe.* Et idem rurſus Athanaſius l. de Synodis, *Duo Dionyſij fuere, qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præſul erat. Ibi cùm quidam Alexandrinum Epiſcopum apud Romanum accuſarent, quaſi qui Filium opus & non conſubſtantialem Patri diceret: Synodus quidem Romæ coacta indignè tulit, Romanus autem omnium ſententiam ſcripſit ad cognominem ſuum. Ac iam inde ille ſe ad defenſionem parans, libello ſuo titulum refutationis & apologiæ indidit.*

τὴν ἀρχαιοτάτην.

Digitized by Google

Quis hîc non videt Romanum Præſulem in Epiſcopatu fidei principem ſedere; quoſlibet vel Pontificiâ dignitate, vel eruditionis famâ præclariores apud illum accuſari, apud illum defendi: in eius communionem adrepere, qui paci Eccleſiarum reſtitui ſe cupiunt: Romanam Eccleſiam vt in vertice & ſumma luce fidei radiantem, ſpectaculo eſſe & miraculo omnibus Chriſtianis: denique prædamnatum à Dionyſio Papa Arij dogma, iam tum deteſtationi fuiſſe orbi Chriſtiano.

XXXII. Alia ad idem argumenta.

Synodi illius magnæ aduersùs Paulum Samoſatenum Synodica epiſtola apud Euſebium l. 7. c. 25. inſcripta eſt Dionyſio eidem Papæ, & Maximo, & aliis per orbem vniuerſum Epiſcopis: & domus ipſa qua Samoſatenus poſt depoſitionem ſuam decedere detrectabat, ab Aureliano Imperatore illis dari iuſſa, quibus Italiæ & Romanæ vrbis Epiſcopi ſcriberent. Vbi rurſus Orientales Synodos vides Romano Antiſtiti communicatas, & per eum Occidentalibus omnibus. Ratum eſt enim de omnibus Occidentis Epiſcopis, quod de Carthaginenſi ait Auguſtinus l. 3. contra Creſcon. c. 34. *Ad Carthaginis Epiſcopum Romano prætermiſſo, nunquam Orientalis Catholica ſcriberet.* Ita non communionis tantùm, ſed fidei communis & Synodicarum definitionum inter Orientis & Occidentis Epiſcopos arbiter erat Romanus Præſul; vt nulla decreta Synodica vniuerſalem conſequerentur Eccleſiæ conſenſionem, niſi eo authorante.

XXXIII. Eiuſdem prærogatiuæ ſuffragii primæ Sedis alia argumenta.

Sed quid Irenæo illuſtrius, homine Græco, & Latinam illuſtrante Eccleſiam, vt Orientis Occidentiſque concentus intelligatur? Ille ergo l. 3. c. 3. quamquam illimem fidei fontem in omnibus ſcatere putet non tantùm Synodis, ſed & Eccleſiis, vniuerſali Eccleſiæ cohærentibus: vberiùs tamen & magnificentiùs à Romanâ ſede exundare eam ita prædicat. *Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à gloriioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & con-*

Digitized by Google

ſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles, in quâ ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Vides Romanam Eccleſiam, ceu fidei Catholicæ ſolem oſtentari omnibus toto Chriſtiano orbe conſpicabilem, & hanc eius prærogatiuam ex eo accerſi, quòd à principibus Apoſtolorum Petro & Paulo ſit fundata. Ita & Tertullianus lib. de Præſcrip. complures Eccleſias enumerat, à quibus ſincera fides hauriatur, ſed præ cæteris Romanam extollit. *Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.* Ab hac ergo principaliter *Cathedra*, non Synodo tantùm fidei amuſſim mutuandam hortatur. Quibus ita accommodata ſunt, quæ Auguſtinus lib. 1. oper. primi contra Iul. c. 2. habet, vt ab iis diuelli nec tanto temporis interſtitio queant. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes, & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia?* Ita cæteris per orbem Eccleſiis, Synodiſque ſua adſeritur elucidandæ fidei authoritas, vt omnibus Romana ſuperponatur, vt ad quam cæteræ velut tum Carthaginenſes, tanquam ad magiſtram fidei referantur.

Digitized by Google

Ita & Optatus fidem vnitatemque ab vniuerſali Eccleſia repeti ſuadebat, ſed omnibus tamen aliis Cathedram anteponebat Petri, eiuſque ſucceſſorum quos enumerabat vſque *ad Siricium hodie, cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum, in vnâ communionis ſocietate concordat.* Itaque conſenſio cum Romanâ cathedrâ, & conſenſio cum vniuerſali Eccleſiâ, vna eademque eſt: ſed quia omnes percurrere longum eſt, compendio res agitur, vbi vni, cui omnes inhærent, inhæretur. Ita & Hieronymus ſuprà Vigilantio opprobrabat conſenſum orbis totius Epiſcoporum, ante alios & inſtar omnium Romani. In epiſtola ad Demetr. ab Anaſtaſio, ab Innocentio Apoſtolicam Cathedram tenentibus, fidem defenſatam, fidem aiebat ediſcendam. In Apolog. aduersùs Ruff. non poſſe Epiſcopos orbis ſuſcipere, quòd Roma, quòd fides Apoſtolica condemnaſſet. Et rurſum aliis locis ſuprà allatis, damnatum ab Epiſcopis cæteris Origenem, ſed Anaſtaſij Papæ literas hæreticum toto orbe perſequi: de ſuo in fide concentu cum Cathedra Petri Alexandrinam Eccleſiam gloriari. Et Theophilus Epiſc. Alex. in ſerm. ad Monachos, vt refertur in Edicto fidei à Iuſtiniano Imp. *Quare*, inquit, *anthematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos, ſicut nos, & Anaſtaſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi dux creatus eſt: quem & vniuerſa beatorum Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit ac probauit Alexandrinæ Eccleſiæ ſententiam in impium latam.* Ita Auguſtinus, ita Proſper in teſtimoniis ſuprà aceruatis, Synodos quidem in Oriente & in Africa habitas non tacebant: ſed ſummam victoriam, & gloriæ palmam de Pelagianis reportatam vni Apoſtolicæ Cathedræ adſignabant. Ambroſij & Ferrandi ſuffragia erant lucidiſſima pro Romanæ Eccleſiæ principatu in fide dictanda.

XXXIV. Alia rurſus argumenta.

Rurſum Auguſtinus epiſt. 157. laudat epiſtolas *ſiue quæ ſpecialiter ad Afros, ſiue quæ vniuerſaliter ad omnes Epiſcopos de memoratâ ſede manarunt.* Ad omnes Epiſcopos enim fidem

XXXV. Alia denuo.

Digitized by Google

dictare, non Africanarum erat quamuis vniuerſalium Synodorum, ſed ſedis Apoſtolicæ. Itaque conſenſus ille, quo vniuerſalis Eccleſia Synodis particularibus ſubſcribit, aptus religatuſque eſt ab aſſenſu ſedis Apoſtolicæ, ab eoque indiuiduus. Vnde Innocentius ad PP. Conc. Mileu. *Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, i. ſui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio: quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.* Cui ſubiunge Facundum vel Græcorum potiùs Antiſtitum ipſos apices, qui in dubio tum adhuc de tribus capitulis conflictu, hoc vno ſe patrocinio tutos putabant, ne Chalcedonenſi Synodo fideique quid derogaſſe viderentur, quòd ſedem Apoſtolicam, quòd Vigilium conſuluiſſent. Lib. 2. cap. 6. *Et adhuc dicunt, quòd de tantâ ſuâ præſumptione Eccleſiam quoque Romanam conſulnerunt, & nunc ſententiam B. Vigilij præſulis eius expectent.* Nec dubitat Facundus Vigilium prædeceſſoris ſui Leonis decreta firmaturum, & ita fidei atque Eccleſiæ vniuerſali conſulturum. *Experientur quantùm illos ſua ſuſpicio fefellerit. Quia ille non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potiùs in defenſionem atque vltionem, primam accepit & maximam poteſtatem: nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus cæteris ſuis conſacerdotibus poteſt.* Vide & l. 4. c. 3. Vbi perſpicis primam, maximamque poteſtatem, & præ cæteris conſacerdotibus in veritatis defenſionem & vltionem, quà in Oriente, quà in Occidente, datam Romanæ ſedi, & Græcos & Latinos tum conſenſiſſe. Similiter pene alibi ſuprà Vincentius Lirinenſis teſtabatur, Stephanum Papam errori *cum cæteris, ſed tamen præ cæteris reſtitiſſe; dignum enim exiſtimaſſe, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci authoritate ſuperabat. Itaque ipſum ſanxiſſe, ne quid nouaretur.* Totam enim Eccleſiæ perſonam, vtpote eius caput ſuſtinebat: & velut os Eccleſiæ, ſanciebat. Et rurſum Sozomenus l. 6. c. 21. flagrante apud Orientales controuerſiâ de Spiritûs ſancti Deitate; &

Digitized by Google

& in dies magis magiſque adoleſcente: Athanaſio, Baſilio, Gregorio rectam fidem contra Macedonianos ſtrenuè propugnantibus: *Epiſcopus Romanus de câ contentione certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, vt vnà cum ſacerdotibus & Epiſcopis Occidentis Trinitatem & conſubſtantialem eſſe & gloriâ æqualem exiſtimarent. Quo facto, ſinguli rebus ab Eccleſiâ Romanâ ſemel iudicatis acquieuerunt, & hæc controuerſia finem habere viſa eſt.* Et Euagrius lib. 3. c. 18. geſta Synodi Chalcedonenſis breuiſſimo perſtringens compendio, inter cætera hæc habet: *In vnum rurſus congregati Epiſcopi primùm reſponderunt ad rogatum principum, de verâ rectâque fide doceri cupientium. Deinde dixerunt, non debere quidquam amplius de causâ Eutychis ſemel ab Epiſcopo Romano conclusâ definitâque ſtatui. In quam ſententiam omnes quaſi pedibus ierunt.* Et rurſum Arnobius in conflictu cum Serapione: *Apoſtolicæ recordationis vir ſanctus Cyrillus Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus, cùm cognouiſſet Neſtorianum dogma contrarium fidei pullulare, ſcripſit per totam Ægyptum: & ad ſanctum Cæleſtinum Apoſtolicæ recordationis Antiſtitem ſcripſit, dicens ad laudem ſuam pertinere, ſi ab eo qui Pontificatûs arcem tenebat, fuiſſet aliquid emendatum. Sanctus verò Cæleſtinus ita encomiaſtes eius extitit, vt in Neſtorium damnationis dictaret ſententiam.* Et Synodi Mopſueſtenæ patres teſtantur, Synodica geſta ſe Imperatori *nota facturos, & in omnibus ſanctiſſimo beatiſſimoque antiquioris Romæ Papæ.* Vt refertur Synodi 5. act. 5. Et in eorum ſuggeſt. ad Vigilium Papam: *Decebat, cùm primam inter ſacerdotes dignitatem ſortiti eſtis, ſanctiſſime, ea quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ diuinitus honoratæ beatitudini fieri.*

XXXVI. Summa antedictorũ de prærogatiua primæ ſedis.

Quibus hæc teſtium copia non ſatis eſt, neſcio quid ſatis ſit. Conſtat enim abundè tot teſtimoniis, Eccleſiis, Epiſcopiſque omnibus ſiue ſynodicè, ſiue extra Synodos, ſolâ execratione nouitatis hæreſes exorientes damnantibus, vel præiiſſe, vel acceſſiſſe, vel ſucceſſiſſe ſedem Apoſtolicam, & ſummum authoritatis pondus &

Digitized by Google

vim ineluctabilem atque vniuerſalem adieciſſe. Si quid aliæ Eccleſiæ Synodive perficere non poterant, ipſa efficiebat : ſi quid effecerant, perficiebat : ſi quid priuatim ſanxerant, id ipſa toto orbe Catholico authorabat. Nihil inuidiæ, nihil contentionis ſtrepebat. Nunc quod cæteræ ſequerentur, ipſa dictare occupabat, certa de membrorum ſuorum conſenſu & obſequio. Nunc reliquas in impietatis apud ſe exortæ damnationem præcurrentes, ipſa lubens ſequebatur, confirmabat ; & ſin minùs tempore, certè conſenſu, dignitate, authoritate antecedebat. Ita ſiue præfinirent aliæ Synodi, quod vt aiebat Proſper, *regna ſequerentur* tum demum, cùm *Roma probaſſet*; ſiue præciperet Romana Eccleſia fidem omnibus amplectendam ſcribere ; plerumque temporis, ſemper authoritatis ordine caput membris anteibat. Cùmque fides commune ſit Eccleſiarum omnium decus, non poterat illa à priuatis vel Eccleſiis, vel Conciliis ſanciri, niſi præſumpto vel adhibito conſenſu ſuffragioque principis Eccleſiæ, cuius vnius ius erat confirmare & promulgare quod omnes Eccleſiæ ſequerentur.

XXXVII. Quod in fide definiendâ nunc vnus omnibus eminet Romanus Pontifex, olim ſimiliter habuit.

Quod ergo hodie quidam mirantur, inaniter mirantur, in definiendis fidei quæſtionibus ſolam nunc ferè conſuli, ſolam audiri Romanam Eccleſiam. Nihil noui, nihil inuſitati eſt in re iſtâ. Etſi enim variatum aliquid ſit in cortice, in receſſu tamen ſimillima erat vetus diſciplina. In causâ Paſchatis ſolus emicat Victor. In causâ baptiſmi hæreticorum ſolus Stephanus. In cauſa mœchorum, ſolus Zephirinus. In cauſa Dionyſij Alexandrini ſolus Dionyſius Romanus. In cauſa Donatiſtarum ſolus præ cæteris Miltiades. In cauſa Athanaſij ſolus Iulius. In cauſa Arianæ hæreſeos, ſoli Romani Præſules Occidentem in fide retinent, Orientem ad fidem reuocant. In cauſa Macedonij ſolus ante cæteros Damaſus coruſcat. Iouinianum vnus Siricius confodit, eius iudicium ſequitur cum aliis Ambroſius. Origenem primus Anaſtaſius toto orbe hæreticum perſequitur, Theophi-

Digitized by Google

lus aliique Petri cathedræ ſe hærere geſtiunt. Pelagium præ Conciliis Africanis Pontifices Romani Innocentius, Zozymus, Bonifacius, Cæleſtinus, Sixtus confecere, teſte Auguſtino & Proſpero. Neſtorium primus impetiuit Cyrillus, ſed ille ipſe Cæleſtino proſternendum reſeruauit. Cæleſtino Neſtorium, Leoni Eutychetem damnanti; Epheſina & Chalcedonenſis Synodi, nihil aliud quàm ſubſcribere ſe teſtificatæ ſunt. Eòdem ergo res redit, ſiue Romanam Eccleſiam aliæ præeuntem ſequantur, ſiue eius ſecuturæ & aſſenſuræ fiduciâ præeant, niſi quod illud ſecurius. Atque vt vno verbo abſoluam, ſiue Eccleſia vniuerſalis, ſiue Synodus œcumenica, cùm hæc illius repræſentatio ſit: afficiuntur & reguntur eodem prorſus modo; vtrique fidem ſuam propinat, vtriuſque vel conſenſionem tacitam, vel confeſſionem expreſſam confirmat ſedes Apoſtolica, vtrobique vt caput membris anteire cenſenda.

XXXVIII. In dubiis & intricatioribus primùm conſulitur ſummus Pontifex.

In dubiis tamen & implicatioribus quibuſque de nouo emergentibus cauſis Apoſtolicam primùm ſedem conſuli moris antiqui fuit. Innocentius I. epiſt. 4. *Mirari non poſſumus, dilectionem tuam ſequi inſtituta maiorum; omniaque quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quaſi ad caput, atque ad apicem Epiſcopatus, referre: vt conſulta videlicet ſedes Apoſtolica, ex ipſis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronunciet.* Leo I. epiſt. 84. *Si fortè inter ipſos qui præſunt, de maioribus, quod abſit, peccatis, cauſa naſcatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit inſtruere: & ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita indicio, ad noſtram cognitionem quidquid illud eſt transferatur.* Hæc ille ad Anaſt. Epiſc. Theſſal. Et Ioan. VIII. ep. 93. ad Epiſc. Arelat. *Si qua inquiſitio de fide vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, quæ difficiliùs diſcerni poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque decidatur. Sin autem decidi nequiuerit, diſcuſſa veritate ad noſtrum indicium referatur.* Idem & alij ſanxere Pontifices. Et illæ ſanè Synodicæ conſulta-

Digitized by Google

tiones, quarum fidem facit Hieronymus, quæ ex Oriente & Occidente Romam missitabantur, argumento sunt, quam toto ex orbe non Episcopi singulares modò, sed Synodi amarent de rebus vtique dubiis sedem Apostolicam percontari. Consule Siricij & Innocentij, aliorumque deinceps Pontificum epistolas, istiusmodi percontatoribus rescriptas, & ex iis coniectura sit de anteriorum etiam literis Pontificum. Constantem vbique & inueteratum morem animaduertes, non in fidei modo, sed in disciplinæ ambiguis Cathedram Petri interrogari. Quod ex veteri quoque instrumento mendicatum videri potest. Deuteron. c. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore. Quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, &c. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto Iudicis, morietur homo ille, &c.*

XXXIX Quaslescumque Episcoporũ conuentus vel concentus Synodicam authoritatem obtinuisse colligitur.

Postremò denique ex congestione tot suprà testium illud liquidò fulgebat, quàm esset maioribus nostris persuasissimum, quibuscumque Episcoporum cœtibus & decretis Synodicam & inuiolabilem inesse authoritatem, quandiu prima sedes, siue Ecclesia vniuersa non intercederet. Quid enim attinet anxiè rimari, an conuentus illi Episcopales synodaliter se gesserint, synodique nomine donandi sint, cùm etiam Synodi nullæ ad complures hæreses proterendas sint coactæ? Num sine Synodis, non idem est Ecclesiarum & Episcoporum sensus & consensus, eadem cum ipsis collegarum omnium conspiratio? Cùm apud Eusebium vnius Episcopi literis, vel paucorum Episcoporum Synodo longè plurimi subscribunt alij per orbem Antistites, num ibi aliud quàm Episcoporum sententiæ conspirantes spectabuntur? Item apud eundem cùm Dionysius Alex. Nepotis deliria refellebat, *conuocatis presbyteris & doctoribus, qui fratribus per vicos prę-*

Digitized by Google

erant? Vtcumque Episcopi conueniant, vel non conueniant nisi Spiritu, num Apostolorum successores, num Apostolicæ traditionis propagatores, num ipsorum Ecclesiæ Apostolicæ, vel ab Apostolicis matricibus deriuatæ, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ non sunt, vt iure meritissimo illorum & illarum fidei incumbatur, iuxta Irenæum & Tertullianum? Apud Cyprianum Romanæ Ecclesiæ viduatæ Clerus Synodicis consultationibus respondet, & causas vniuersales Ecclesiarum administrat. Cyprianus ipse hinc auguratur labascere omnia, & retro sublapsa referri, quòd sacerdoti Dei, quòd collegio sacerdotum mos non geratur: hinc hæreses, hinc schismata. Pacianus, & Optatus similiter non Synodos crepant, non collectiones Episcoporum ad legum amussim accuratas, sed sacerdotes, sed annosos Episcopos, sed Ecclesiæ castitatem, sed concentum omnium inter se sacerdotum per orbem & cum radice vnitatis, cathedrâ Petri.

Hieronymus omnibus hæreticis, non Romanas, non alias Synodos obiectat, non Synodorum gesta rimatur, sed Præsulis Romani & aliorum Episcoporum mores imitandos suadet, qui martyrum reliquias venerantur: Innocentij fidem tenendam, qui Apostolicam cathedram tenet: Anastasium sequendum, qui Apostolica sollicitudine sibilantia Hydræ ora compescuit, qui literis suis hæreticum toto orbe persequitur: si vel Romani, vel alterius cuiuslibet Episcopi vel parua schedula aduersùm se proferretur, omnia illicò à se recantatum iri: & id genus alia complura. Num Episcoporum sententias, nisi synodicè proferantur: num Synodos, nisi ad solennes regulas sint elimatæ: num definitiones, nisi communibus votis conscriptas aspernaturum se, vel aspernari quenquam Catholicum posse innuit? Num examinatorum & gesta, & vota singula examinaturum, ponderaturum, numeraturum, & subductis calculis huc vel illuc inclinaturum se vel quenquam alium sobrium virum significat? Quid Augustinus aduersùs Pelagianos quasi non discusso negotio

XL. Idem rursus ostenditur, nec fideles vllos de iudicibus suis iudicare ausos.

Digitized by Google

audientiam poſtulantes & œcumenicam Synodum? Reſpondet Synodis opus non eſſe, examen Epiſcopale ſufficiens datum eſſe, cum quatuordecim Orientales Epiſcopi, & plures Africani ſententiam dixiſſent: ſedem Apoſtolicam reſcripſiſſe, litem proinde finitam eſſe. Synodi Romanæ rarus aut nullus meminit, ſuffragiâ conſultorum nuſquam numerat, epiſtolas Pontificum Innocentij, Zozymi ſolas oſtentat, etiam ad omnes orbis Epiſcopos datas. Quid Iouinianum Siricius? *Facto presbyterio* illum damnatum ait, nam ***omnium noſtrûm*** *tam presbyterorum*, ***& diaconorum***, ***quàm etiam totius Cleri***, *vnanimitata ſententia eſt, &c.* Et protinus reſcribit Ambroſius, quos ſanctitas eius damnaſſet, ſecundùm eius iudicium à ſe quoque, ſuâque Synodo damnatos. Procul exulabant, vt vides, cauillationes, procul tricandi libido, procul moroſitas. Epiſcopali authoritati, & ſententiæ incontanter à Catholicis ſubſcribebatur; nec id ſibi ſumebant fideles, vt de iudicibus ſuis iudicarent. Ex ſuperiori aggere authorum, plura huc referes & coaptabis; genus ipſum indigitaſſe ſufficiet.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

IN SYNODVM ARIMINENSEM

An. 359.

SYNOPSIS.

Illud Hieronymi, Ingemuit orbis, & se esse Arianum miratus est: *nihil officere Ecclesiæ Catholicæ vniuersalitati: nec enim posteriorem etiam illam Ariminensem Synodum, vel Synodi partem hæresi consensisse, sed dispensationi seruisse, ex Athanasio, Hieronymo, aliisque Patribus palam fit aduersùs hæreses antiquas & nuperas. Vsque ad num. XI.*

Illo ipso tempore ostenditur mira fuisse paucitas Arianorum, præ multitudine Ecclesiæ Catholicæ. De consubstantiali voce disseritur, quæ quandoque aberat à confessionibus Catholicis: item de communione Ecclesiæ Catholicæ, cui perdiu Ariani intermixti fuere. Ad num. vsque XXII.

Deinceps de Lucifero Calaritano Episcopo pauca disceptantur. Ecqui illum à schismatis infamiâ absoluere fas sit. Regulæ dispensationis ex Iuone Carnotensi promuntur: iuxta quas eadem quandoque facta, vel easdem personas, putà Ariminenses Patres, nunc alij & alij, nunc iidem ipsi ex Patribus accusant & excusant: vituperant & laudant: citra rerum & sententiarum, etsi non citra verborum conflictum.

DE eâ parte priore Ariminensis Concilij, quæ strenuè Nicænam fidem, & consubstantiale propugnauit, quandiu incolumis ei libertas constitit: nec verbum vllum faciam, quòd nihil de eâ ambi-

I. Proponitur difficultas de facto facto Ariminensibus Patribus, & quod orbis mira-

Digitized by Google

tus est se esse Arianum.

gatur. At posteriorem, de quâ Hieronymus Dial. adu. Lucifer. dixit, *Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est:* paucis hîc perstringam, quod eo velut ariete soleant nouatores Ecclesiæ toto orbe diffusæ vniuersitatem impetere; nec omnibus Catholicis satis expeditæ sint rationes huius machinæ retundendæ. Atque vt ab Hieronymo ipso exordiar, sic ille rem ab ouo, vt ita dicam, orditur. *Sub Rege Constantio, Eusebio & Hippatio Consulibus, nomine vnitatis & fidei infidelitas scripta est, vt nunc agnoscitur. Nam illo tempore, nihil tam pium, nihil tam conueniens seruo Dei videbatur, quàm vnitatem sequi, & à totius mundi communione non scindi. Præsertim cùm superficies expositionis nihil tam sacrilegum præferret?* Itaque is erat scopus piorum omnium, vnitatem sequi, & à totius mundi communione non scindi. Ideo amplexi sunt tandem Ariminenses Patres confessionem, cuius superficies nihil sacrilegum præferebat, in cuius medullâ nihil veneni suspicabantur. Quid non hîc orthodoxum?

II. Ariminenses Patres nec in posteriore parte Synodi consenserût hæresi. Probatur id primùm ex Hieronymo Dialog. aduers. Lucifer.

Pergit porro confessionem ipsam Ariminensem expendere. *Credimus, aiebant, in vnum verum Deum, Patrem omnipotentem. Hoc etiam nos confitemur. Credimus in vnigenitum Dei Filium, qui ante omnia sæcula, & ante omne principium natus est ex Deo. Natum autem vnigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo secundùm scripturas, &c. Nunquid hîc insertum est, Erat tempus, quando non erat? vel, De nullis extantibus creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum aiebant vnigenitum, solum ex solo Patre. Quid est natum? Certè non factum. Natiuitas suspicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea, qui de cælo descendit, &c. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat.* Sonabant hæc omnia pietatem, & Catholicum dogma sapiebant, Arianicum iugulabant.

Et rursùm ibidem Hieronymus: *De vsiæ verò nomine abiiciendo, verisimilis ratio præbebatur. Quia in Scripturis, aiebant, non inuenitur: & multos simpliciores nouitate suâ scandalizat.*

Digitized by Google

dalizat. Placuit auferri. Non erat curæ Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto. Quid apertius? Sola vox abiecta, probabili de causâ: nec curæ fuit de vocabulo, cùm fides esset in tuto. Ergo Episcopi à fide Catholicâ non vnquam delirarunt.

Sed cùm fraudem fuisse in expositione rumor populi ventilaret, iterum iterumque Valens applaudente Synodo anathemata complurima ingeminauit in eos qui dicerent Filium non esse æternum, Patri similem, esse de nullis extantibus, esse creaturam vt sunt cæteræ creaturæ, & id genus alia: professusque est, *se Arianum non esse, & penitus ab eorum blasphemiis abhorrere*: Hæc Hieronymus ex actis ipsius Concilij, qui & addit: *Supersunt homines, qui illi Synodo interfuere.* Et tandem: *His ita gestis Concilium soluitur. Læti omnes ad prouincias reuertuntur. Id enim Regi, & bonis omnibus curæ fuerat, vt Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur.* Patet nullam Synodo placuisse perfidiam. Si quid autem Valens fraudulenter reconderet, id Patribus minimè suspicantibus affingi non posse.

III. Non Catholica tantùm erat confessio cui subscripserunt, sed & Ario anathema etiam ab aduersarius dictum est.

Pergit rursus: *Sed diu scelera non latent. Et cicatrix malè obducta, incocto pure dirumpitur. Cæperunt postea Valens & Vrsacius, caterique nequitiæ eorum socij, egregij videlicet Christi sacerdotes, palmas suas iactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen abolitum est. Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est. Igitur alij intra suam communionem remanere. Alij ad eos confessores, qui sub nomine Athanasij exulabant, cæperunt literas mittere. Nonnulli initam societatem meliorum desperatione planxerunt. Pauci verò vt se natura hominum habet, errorem pro consilio defensauere. Periclitabatur nauicula Apostolorum, &c.* Scelera plangit Hieronymus, sed Valentis & Vrsacij, & sociorum, qui reconditâ fraudulentiâ imposuerant Synodo. Non vulnus ait à Synodo inflictum Ecclesiæ, sed vulneri priori cicatricem malè obductam, quòd latentem sub innocuis

IV. Ex eodem Hieronymo alia argumenta.

Digitized by Google

vocibus fraudem non essent odorati. Ingemuisse orbem ait, & miratum se esse Arianum, nempe quòd id nouum, id præter mentem & voluntatem suam esset; imò quòd impossibile id esset, & tamen ita esse specie tenus videretur, ob fascinationes Arianorum, quibus ita Synodum excantauerant, non vt ipsa Arianæ perfidiæ assentiretur, sed vt eos ab Arianismo resipuisse existimaret. Ideo hac fraude periclitabatur Nauicula Apostolorum, non mergebatur; mergeretur autem, si quadringenti Occidentales Episcopi à fide desciuissent, à qua permagna Orientis pars iam defecerat.

V. Eodem suspicio hæreseos ab eisdem propulsatur.

Et perspicuè Ariminenses Episcopos à Catholicâ fide nec transuersum vnguem deuiasse, idem mox docet. Post mortem enim Constantij, restituto in suam sedem sub Iuliano cum cæteris confessoribus Athanasio, *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientiâ, hæretici ferebantur: confitentes corpus Domini, & quidquid in Ecclesiâ sanctum est, se nihil mali in suâ fide suspicatos. Putauimus, aiebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesiâ Dei, vbi simplicitas, vbi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati sacerdotes Christi aduersùs Christum pugnare. Multaque alia, quæ breuitatis studio prætereo, flentes asserebant: parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.* Quid his verbis eliquatius? Vbique elucet non Arianorum partibus suffragatos Episcopos, sed ab iis resilire Valentem cum sociis, arbitratos esse: eorumque verba confessionis, vt sonabant, ingenuè & simpliciter interpretatos esse, latitantes autem eorum erroris sinus, nec deprehendere potuisse, neduin approbare.

VI. Ariani non erant, conscij erroris non erant, hæretici non fuerant, id Synodi sententia declaratum: id Orien-

Et rursus: *Quid à confessoribus agendum putauerint? Depositis, inquit, veteribus Episcopis, nouos ordinassent. Tentatum est. Sed quotusquisque bene sibi conscius patitur se deponi? Præsertim cùm omnes populi, sacerdotes suos diligentes, pene ad lapides, & ad interemptionem deponentium eos conuolauerint.*

Digitized by Google

Manſiſſent, aiunt, intra ſuam communionem. Hoc eſt dicere, irrationabili crudelitate totum orbem Diabolo condonaſſent. Cur damnaſſent eos, qui Ariani non erant? Cur Eccleſiam ſcinderent, in concordiâ fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obſtinatione ſuâ facerent Arianos? Et infrà: *Poſt reditum confeſſorum, in Alexandrinâ poſtea Synodo conſtitutum eſt, vt exceptis authoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur. Non quò Epiſcopi poſſent eſſe, qui hæretici fuerant: ſed quòd conſtaret eos qui reciperentur, hæreticos non fuiſſe. Aſſenſus eſt huic ſententiæ Occidens: & per tam neceſſarium Concilium, Satanæ faucibus mundus ereptus eſt.* En quàm inculcatè aſſerat, Epiſcopos Ariminenſis Concilij hæreſeos conſcios non fuiſſe, bene credidiſſe, in concordia fidei permanſiſſe, Arianos non fuiſſe, hæreticos non fuiſſe. Ergo cùm orbis miratus eſt ſe eſſe Arianum, rem inauditam & impoſſibilem miratus eſt, fuco & aſtu Arianorum illuſam, quaſi eſſet, cùm reapſe non eſſet.

tis & Occidentis conſenſu firmatum ex Hieronymo.

Non ſuam tantùm ſententiam Hieronymus ibi profert, ſed Athanaſij, ſed Alexandrinæ ſub eo Synodi, ſed Occidentis & Orientis vniuerſi, qui Synodo illi ſuffragatus eſt, vbi Epiſcopi ſuis ſedibus redditi ſunt, quòd *conſtaret eos hæreticos non fuiſſe.* Sed audiatur Athanaſius ipſe ad Ruffinianum ita ſcribens: *Scias quòd in principio quidem, cùm vis quæ facta eſt, ceſſaſſet, facta eſt Synodus, præſentibus ex partibus externis Epiſcopis. Facta eſt autem & apud ſacrorum comminiſtros qui habitant in Græcia: nihiloſecius autem & apud eos qui habitant in Hiſpania & in Gallia. Et placuit hoc quod hîc & vbique: vt iis quidem qui lapſi ſunt, impietati autem præſunt, venia quidem detur pœnitentibus ac reſipiſcentibus, locus autem cleri non detur. Illis autem qui impietatis authores non fuerunt, ſed vi & neceſſitate tracti ſunt, viſum eſt dari veniam, habere autem etiam locum in clero: maximè quia probabilem defenſionem attulerunt: & viſum eſt hoc quodammodo, œconomico conſilio factum eſſe. Affirmarunt enim ſe non fuiſſe ad impietatem traductos; ne autem quidam à pietate longè alieniſſimi Eccleſias corrumperent, maluerunt vi cedere,*

VII. Ex Athanaſio & Theodoreto idem oſtenditur, quod Ariminenſes Patres fecerunt, diſpenſatione rationabili feciſſe.

Digitized by Google

& onus ferre, quàm populos perdere. Hoc autem dicentes, visi sunt etiam nobis probabiliter dicere; quod ipsi in excusationem adducerent, Aaronem Moysis fratrem in deserto prævaricationi populi consensisse; se autem hac ratione defendisse, ne populus in Ægyptum reuersus in idololatria permaneat. Probabile enim videbatur, quòd in deserto manentes, possent ab impietate desistere: Ægyptum autem ingressi, perpetuarent & augerent impietatem. Hæc Athanasius, qui & ipse defensioni patrocinatur, qua se tuebantur Episcopi Ariminenses, prouidâ scilicet dispensatione Arianis se tum communicasse, ne si id pertinaciùs recusarent, exturbarentur suis Ecclesiis, & in eas Ariani irrumperent, virusque suum impunè deinceps & latissimè disseminarent. Porrò Gallicanis, Hispaniensibus, & Græcanicis Synodis idem visum testatur. Ergo probabilis hæc fuit dispensatio, non Arianica perfidia, quâ orbis ingemuerit se esse Arianum. Vt enim notat Balsamon in hanc epistolam, exterior tantùm hæc fuit Catholicorum & œconomica cum Arianis communicatio, non consensio in eorum vesaniam. Extat & apud Theodoretum lib. 2. c. 22. epistola Damasi Papæ, Synodique Romanæ Episcoporum nonaginta, qua perhibetur contestatos esse Ariminenses Patres, se vim passos esse, *nec se cogitasse suam fidei formulam sententiæ Niceni Concilij aduersari.*

VIII. Multi tamen Patrum Ariminensem defectionem planxere.

Vbi ergo sancti Patres Ariminensibus Episcopis defectionem à fide videntur affingere, pingui loquuntur minerua; & communionem pro fide accipiunt, reique non veritatem, sed speciem ab Arianis iactatam prosequuntur. Augustinus epist. 50. dispensationis Ecclesiasticæ præconia ingeminans, *Sic multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus subuenire consuevit. Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis atque sanandis, qui veneno perierant Ariano.* Ambrosius in c. 6. Lucæ: *Nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in Arimenensi Concilio perfidæ prævaricationis authores, dum Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt?* Liberius epist. 11. ad Orientales: *om-*

Digitized by Google

nes illi ferè Episcopi qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, à fide tum quidem desciuerant: nunc tamen ad sanam mentem reuersi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini congregatis editæ anathema denunciarunt, & fidei Catholicæ & Apostolicæ Niceæ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum iam vnà communicant. Facundus Hermian. lib. 5. cap. 3. *Multo plures apud Ariminum in Arianum dogma fuerunt subacti, opprimente Constantio, & in Ariminensi Concilio multi Ariano dogmati cohibentes, tres diuersas eiusdem sanctæ Trinitatis mentiti sunt esse naturas.* Et l. 12. c. 2. *Nusquam coactum Concilium nisi falsitati subscripsit, sicut in Arimino factum est, Constantio compellente: & apud Ephesum opprimente Dioscoro.* Et Basilius epist. 52. *Omnia secum habentes quæ in Arimino gesta sunt, ad ea dissoluenda, quæ illic per vim facta sunt.* Patres alios, Synodosque parco accumulare, à quibus anathema illisum est posterioribus Synodi Ariminensis gestis.

Hos tamen Patres, has Synodos haud equidem prioribus Patribus Synodisque conflictari existimarim. Nam vnus sanè secum consentit saltem Athanasius. At is l. de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, & in epistolis compluribus, posteriora Ariminensis Synodi vt Nicænæ Synodo aduersantia repudiat conspuitque. Et idem tamen probabilem dispensationem hanc fuisse suprà interpretatus est cum Synodo suâ Alexandrinâ. Ergo inter hæc nulla conflictatio imaginanda est. Etenim si sententiam animi, si fidei medullam, si sensum Episcoporum Ariminensium introspicias, omnia hæc Catholici dogmatis tenacissima semper fuere. Si speciem rerum extimam, si fucum ab Arianis factum, si rumores ab illis sparsos, si communionem exteriùs initam, Arianicum his omnibus venenum erat superfusum. Itaque Catholici Episcopi tam clementer excipiendi fuere, quàm qui à Nicæna fide nunquam desciissent, & probabili vsi essent dispensatione. At decreta Ariminensia per fraudem & ludibrium Arianorum expressa, ita fulminanda fuere, vt quæ Aria-

IX. Horum cum superioribus conciliatio. Cùm eosdem idem Athanasius exculet & accuset.

Digitized by Google

nicæ perfidiæ virus clam alerent. Vtque fides vel ab inuitis extorqueatur, audi rursum pauca ista ex epist. Parisiensis Synodi sub Hilario ad Orientales Episcopos scriptâ: *Nam plures numero, qui Arimini affuerunt, sub authoritate vestri nominis, ad Vsiæ silentium sunt coacti: quod verbum à vobis quondam contra Ariomanitarum hæresin inuentum, nobis semper sanctè fideliterque susceptum est.* Et infrà: *Itaque charissimi, cùm ex literis vestris fraudem se passam in vsiæ silentio simplicitas nostra cognoscat, &c. nos quoque ab his omnibus quæ per ignorantiam perperam gesta sunt, referimus, &c.* Itaque non hæresi se consensisse, sed fraudem se passos testantur; verba enim sibi data, quasi Orientales Catholici in Vsiæ vocabuli silentium, dispensationis ergo, assensi essent; ideoque & se per simplicitatem & ignorantiam in idem annuisse. Quin & ipse Hilarius ibidem in fragmentis paulò antè, suo more illud quod Valens Arimini confessus erat, & quo Catholicos Episcopos pertraxerat, Filium non esse creaturam vt cæteras creaturas, illud inquam Catholicè dici vendicat. *Respondistis sanctis Ariminensibus non Christum creaturam negatum fuisse, sed dissimilem cæteris creaturis, &c. Quasi verò vlla creatura aliis sit similis, vt angelus homini, homo aui, auis pecudi, &c.*

X. Confirmantur antedicta ex Sulpitio Seuero.

Audiendus rursum Sulpitius Seuerus l. 2. hist. *Legatos Ariminensis Concilij ex parte nostrorum compellit Imperator vniri hæreticorum communioni: eisdemque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus inuolutam; quæ Catholicam disciplinam, perfidiâ latente loqueretur. Namque Vsiæ verbum, tanquam ambiguum, & temere à Patribus vsurpatum, neque ex authoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne vnius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium fatebatur. Sed interiùs aderat fraus parata, vt esset similis, non esset æqualis.* Fidei subscriptum vides, non hæreticæ, sed *verbis fallentibus inuolutæ, quæ Catholicam disciplinam, perfidiâ latente, loqueretur.* Itaque hæresi non consenserunt, quam nec suspicati sunt. Et mox: *Valens & Vrsatius affirmantes præsentem fidem Catholicâ ra-*

Digitized by Google

tione conceptam, ab Orientalibus Imperatore authore prolatam, cum piaculo repudiari: Et quis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret. Postremò si quid minus plenè præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent; præbituros se in his quæ essent adiecta, consensum. Fauorabilis professio pronis omnium animis excepta: nec vltrà nostri repugnare ausi, iam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptæ à Fægadio & Scruatione professiones edi cœpere: in queis primùm Arius, totaque eius perfidia damnatur: cæterùm non etiam Patri æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius pronunciatur. Tum Valens tanquam nostros adiuuans, subiecit sententiam cui inerat occultus dolus, Filium Dei non esse creaturam sicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potiòr tantùm cæteris pronunciabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arianis, professiones verò postea adiectæ pro nostris erant: præter illam quam Valens subiunxerat, quæ tum non intellecta, serò demum animaduersa est. Hoc verò modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum. Vbique elucet circumuentos fuisse Catholicos Episcopos, non vt hæresi annuerent, sed vt ab eà Arianos resipuisse crederent: vt latentes in eorum professionibus insidias serò nimis animaduerterent: denique non vt fidem, sed vt communionem cum versipellibus consociarent. Tuncque ingemuit orbis se esse Arianum, non fide aut perfidia potiùs, sed vt ipse Nouatorum primipilus concinit, *linguâ & communione.* *Blondel. de primo l. 153.*

Quàm non inaniter autem desudatum à nobis sit in hac parte, tum intelliges, cùm audieris, quantum sibi præsidij olim Pelagiani, Donatistæ, aliique hæretici collocatum esse putauerint in hac Ariminensi defectione, & germanorum tunc Catholicorum mira, vt ipsi somniant, paucitate. Huc enim sexcenties confugêre, cùm suam illis paucitatem exprobraret Ecclesiæ Catholicæ orbem vniuersum implens maiestas. Ideo Iulianus lib. 1. XI. Donatistæ & Pelagiani olim vt ex defectione Ariminensi aduersùs Ecclesiam insolescerent.

Digitized by Google

num. 7. apud Auguſt. in vlt. opere aduersùs eum edito, ait: *In Synodo Ariminenſi vehementiùs clamaſſe, quid apud plumbeos animos vel ambiguitas verbi, vel comminatio noui vocabuli poſſit ſceleris obtinere. Nam cùm ſub Ariano principe vir magnæ conſtantiæ, fideique ſaniſſimæ Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, dilapſo à fide Apoſtolorum omni pene mundo, & impietatis temporibus obſtitiſſet, atque ob hoc in exilia coactus eſſet: de ſexcentis & quinquaginta, vt fertur, Epiſcopis, vix ſeptem inuenti ſunt, quibus chariora eſſent Dei præcepta, quàm Regis: videlicet vt nec in Athanaſij damnationem conuenirent, nec Trinitatis confeſſionem negarent. Illa verò omnis deiectorum pectorum multitudo, extra iniuriarum metum, hoc eſt potiſſimum vel nominis comminatione, ne Athanaſiana vocaretur, vel interrogationis calliditate decepta.* Quàt in his verbis, & hinc ſuis partibus ſuppalpatur Iulianus, quod & olim dilapſus à fide Apoſtolorum eſſet omnis pene mundus, & de ſexcentis & quinquaginta Epiſcopis vix ſeptem defectionis immunes fuiſſent. Similiter & Donatiſtæ, vt docet Auguſtinus epiſt. 48. paucitati ſuæ hinc patrocinia captabant, & Hilarij ipſius verba prætexebant ſibi, qui in ſuorum temporum calamitatem ita deſtomachabatur, quaſi fides & Eccleſia de terris periſſet.

XII. Vniuerſalitas Eccleſiæ Catholicæ vendicatur ex Auguſtino etiam illo ævo vigens: & obiecta hæreticorum diluuntur.

Vt ergo & antiquis & nuperis hæreticis ora obſtruantur, præter ſuperiùs de Cõncilio Ariminenſi diſceptata, quæ longè aliter ſanè habent, atque illi ineptire ſolent: & abunde produnt, ne tunc quidem corruiſſe fidem multitudinis Epiſcoporum: operæ prætium eſt, vniuerſalitatem Eccleſiæ Catholicæ illis ipſis temporibus demonſtrare, & præ eâ Arianorum paucitatem. Imprimis autem Auguſtinus offuſas popularibus præiudiciis nebulas diſſlabit epiſtola ſuprà laudata, in hunc modum. *Si aliqua in his verbis diuinis diſtributio facienda eſt, fortaſſe non fruſtra dictum ſit de ſemine Abrahæ, ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arena quæ eſt in litore maris: vt in ſtellis cæli pauciores, firmiores clarioreſque intelligantur: in arena autem maritimi litoris magna multitudo infirmorum atque carnalium. Quæ aliquando tranquillitate*

Digitized by Google

tranquillitate temporis quieta & libera apparet: aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur. Tale tunc erat tempus de quo scripsit Hilarius, vnde putasti insidiandum contra testimonia tot diuina, tanquàm perierit Ecclesia de orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot Ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quando dicebat Apostolus, O stulti Galatæ, &c. Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parui sensus fuisse delusos, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant. Alios autem timore cessisse, & simulatè consensisse, non rectè ingredientes ad veritatem Euangelij, quibus tu postea correctis, sic quemadmodum ignotum est, nolles ignoscì, &c. Quanquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum: sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia quæ per omnes gentes crescit, in frumentis dominicis conseruata est, & vsque in finem, donec omnino gentes omnes etiam barbaras teneat, conseruabitur, &c. Hilarius ergo decem prouinciarum Asianarum, aut zizania non triticum arguebat: aut ipsum etiam triticum quod defectu quodam periclitabatur, quantò vehementiùs, tantò vtiliùs arguendum putabat. Habent enim etiam Scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perueniat. Quadrant hæc Augustini omnia in Ariminensia tempora: sed & in omnes Arianorum procellas. Obserua autem 1. etiamtum in semine Abrahæ, seu in sinu Ecclesiæ Catholicæ fuisse non stellas tantùm cæli, sed & arenam maris; id est, non paucos tantùm fortes & lucidos, sed & innumeros carnales atque infirmos. Nam si à fide hi exorbitassent, non infirmi tantùm & carnales, non in semine Abrahæ, non in zizaniis computarentur. Et eos sanè ait tribulationum fluctibus operiri & turbari, non demergi. 2. Hieronymo, Seuero, aliisque suprà laudatis assentiri Augustinum, & cladem Ariminensem imputare simplicitati eorum, qui *parui sensus quòd essent, delusi sunt obscuris verbis, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant, &c. verba ha-*

reticorum insidiosa intelligere non potuisse. Quo quid euidentius? Alios addit timore cessisse, & simulatè consensisse, ac statim rediisse. Non ergo vnquam à fide orthodoxâ, non ab Ecclesiâ vnquam desciuit multitudo Episcoporum, nunquam ad illam paucitatem Ecclesia perducta est. 3. Ab Hilario docet non omnes, sed Asianas tantùm prouincias increpitas esse, & ipsas quidem non quòd penitus defeciissent, sed quòd *quidam* in eis: more in Scripturis vsitatissimo, vt obiurgatio ad omnes concrepet, quæ ad quorundam tamen duntaxat insaniam coërcendam pertinet.

XIII. Rursus ex eodem, & ex Hilario.

Quod autem de Episcopis post Hieronymum, & Athanasium, affirmauit Augustinus, id multò æquius est de populis arbitrari. Illos nempe etiam per Orientem totum fidei Catholicæ retinentissimos fuisse; & in dubiis Eusebianorum confessionibus, non fucata eorum deliramenta, sed quam ementiebantur, Nicænam fidem cogitasse & collaudasse. Vnde scitissimè Hilarius l. con. Auxentium: *Et huius quidem vsque adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur, vt iam sub Antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum, putant esse quod dicunt. Audiunt Filium Dei, putant in Dei natiuitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora, putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quàm corda sunt sacerdotum.* His nihil absolutius, vt plebes Ecclesiarum toto tunc orbe Nicænam fidem retentasse constet: vt quæ sanctiores haberent aures cordibus Eusebianorum Antistitum: & in vocibus ambiguis eorum simplicitatem fidei antiquæ contineri interpretarentur. Similiter Hieronymus in alio argumento, nempe aduersùs errores Ioannis Hierosol. *Hæc audiens indoctum vulgus nullam strophas, nullas insidias suspicatur. Credit esse quod dicitur. Sanctiores enim sunt aures populi, quàm sacerdotis animus.*

XIV. Quanta paucitas vel tunc

His consentiunt, quicumque illorum temporum historiam literis mandarunt. Socrates l. 2. c. 22. *Ciuitates*

Digitized by Google

autem Græciæ, Illyrij, & cæterarum orbis partium ad Occidentem vergentium, tumultu & perturbatione propterea carnere, quòd inter se ipsæ concordarunt, decisioque de fide in Concilio Nicæno tradita apud ipsas semper dominata sit. Et l. eodem c. 31. de Concilio Seleuciæ agens, quò soli conuenerant Orientales, quos in fide Nicæna magis titubasse indubium est: *Postquam illa vicerat sententia, quæ primùm de fide quæri voluit; qui à partibus Acacij stabant, fidem Nicænam abrogandam, aliam nouam describendam significarunt: qui autem parti alteri adhærescebant, qui & numerò plures erant, alia omnia Nicænæ Synodi placita receperunt: solam repudiarunt vocem Consubstantialis.* Vides ergo inconcussam in toto Occidente vigere Nicænam fidem; vigere eandem in pluribus Orientis Episcopis; & eorum qui ab illa descciuerant, Episcoporum plebes, harum argutiarum insolentes, pleraſque simplicitatem antiquæ fidei retinuisse. Et lib. eodem c. 34. in vrbe Orientis principe, duo agmina Catholicorum describit, Eusthatianorum, & Meletianorum: quæ secum mutuò vix communicabant, Consubstantiali tamen subscribebant. Et l. 3. c. 4. post mortem Constantij statim Athanasium Alexandrinæ sedi restitutum narrat, *Arianos ab Ecclesiis exturbatos, ædes sacras Athanasij gubernationi redditas, Arianos in domibus obscuris conuenisse.* Ex vtraque hac vrbe principe, de toto Oriente coniicere fas est. Idem l. 4. c. 27. ait Gotthos à Vulphila Episcopo Christiana primùm fide imbutos, & Arianico simul perfusos veneno: aliquos ex ipsis strenuo perfunctos martyrio, quòd Arij argutiarum rudes *Barbari animo simplici religionem Christianam amplexi, pro fide Christi vitam, qua hîc fruebantur, profundere non dubitarunt.* Quod eo tantùm consilio retuli, vt monerem multò similius verì esse, populos à teneris vnguiculis innutritos fidei Nicænæ, ab eâ per Episcoporum suorum cauillatorias disceptationes diuelli nòn potuisse. Et l. 5. c. 4. idem ostendit, Antiochiæ quàm Consubstantialis vindices præpollerent. Et cap. 10. Cùm Theodosius hæreticorum omnium conuentus exe-

Arianorum præ Catholica multitudine, ex Socrate.

Digitized by Google

gisset Constantinopoli, de hæreticis ait, *Suos per literas consolari cæperunt, hortarique vt ne animos contraherent, quòd multi opinione ipsorum derelictâ ad fidem Consubstantialis transissent: nam multos esse vocatos, paucos verò electos. Quam quidem tum neutiquam protulere sententiam, cùm maxima populi pars ex Imperatorum nutu pendens, ipsis adhæresceba*t. Quæ perspicuum est de solâ vrbe Constantinopoli intelligenda.

XV. Ex Theodoreto.

Accedat Theodoretus, qui lib. 2. hist. Eccl. cap. 3. ait presbyterum illum Arianici furoris fomitem, etsi gratiâ aulicâ multùm floreret, *tamen cùm videret Constantini Imperatoris animum in religionis doctrinâ confirmatum, morbum suum aperire ausum non esse.* Et c. 22. Romanæ Synodi sub Damaso post Concilium Ariminense habitæ epistolam refert, vbi dicitur: *Itaque vestra integritas manifestò videt, hanc fidem solam, quæ authoritate Apostolica Nicææ stabilita est, firmiter perpetuò tenendam esse: & de eâ tum Episcopos Orientis, qui se de Catholicâ Ecclesiâ esse profitentur, tum Occidentis etiam Episcopos gloriari nobiscum.* Et c. 24. de vrbe, & Ecclesiâ Antiochenâ, eiusque Episcopo Leontio Ariano hæc scribit, vel exscribit ex Athanasio; *Tametsi sordibus erat Arianæ blasphemiæ inquinatus, tamen eas callidè admodum dissimulare studebat. Etenim cùm Clerum & laïcam etiam multitudinem in duas partes diuisam cerneret: & alteram quo laudes Filij magis celebrarent, hanc coniunctionem* (&) *adhibere: alteram autem hanc præpositionem* (per) *ponere: & cùm ad Spiritum sanctum ventum esset, præpositionem* (in) *addere: ipse totam glorificationem tacitus secum recitauit, adeò vt qui prope eum erant, solam hanc particulam audirent, in sæcula sæculorum.* Ergo in eâ ipsâ vrbe vbi maximè Ariana impietas principabatur, præter illa Catholicorum examina, quæ seorsim suos agitabant conuentus, conueniebant & complures orthodoxi promiscuè cum Arianis, & illi quidem tam numerosi, vt Arianus Episcopus morbum suum dissimulare cogeretur. Quo rursus exemplo constat, quàm multæ sub Arianis etiam Episcopis, sed virus suum prementibus, Nicænam fidem plebes retentarent. Et c. 31.

Digitized by Google

Antiochiæ electum Episcopum Meletium narrat non à Catholicis tantùm, sed ab Arianis, qui suæ sectæ ducem quærentes non potuerunt non incidere in Catholicum hominem. Moxque cùm duo alij Episcopi de Filio impiè concionati essent, *Tertius surrexit magnus ille Meletius, qui quæ sit recta Verbi Dei prædicandi regula, ostendit: nam ad veritatem omnia, velut ad amussim, dirigens, nimiùm & parum facilè deuitauit. Quæ cùm ei à multitudine tribueretur permagna laus, &c.* Audin multitudinem Catholico dogmati adplaudentem? Sed euidentissimè l. 3. c. 3. sub Iuliano Apostata statim docet milites omnes non Christianam tantùm, sed Catholicam fidem mordicus seruasse. Itaque Iulianus Christianum se primò simulare cogebatur. *Imperium nactus, diu suam occultauit impietatem. Nam milites disciplina veræ pietatis imbutos, præter cæteros extimuit. Si quidem primùm nunquam satis laudatus Constantinus, & eorum animos vetere liberauerat errore, & doctrinâ veritatis accuratè erudierat. Deinde eius filij disciplinam, quam pater in eorum animis insenerat, multò magis confirmabant. Etenim tametsi Constantius quorumdam suasu in fraudem inductus, verbum ὁμούσιον non approbauit: tamen ipsam rem, quæ verbo significabatur, sincerè & ex animo confessus est. Quippe ingennè Filium ante sæcula à Patre genitum Deum Verbum nominauit: eosque honore pòtiùs abdicauit Ecclesiastico, qui audirent eum creaturam nuncupare.* Quod magno argumento vniuersim est, de solâ voce plerosque Consubstantialis digladiatos esse, Catholicæ alioqui veritatis retinentes. Quod autem de militibus, idem sentiendum de plebibus, quarum milites portio quædam sunt. Vide & l. 4. c. 1. vbi Iouiniano Imperatori creato vtique ex Catholicis, Catholicos se profitentur milites, nempe vel à Constantino, vel à Constantio imbuti. At infrà c. 32. de Vulphila Gothorum Episcopo ait, *Cùm illum Eudoxius, & verborum lenociniis, & pecuniis inescasset, perficit, vt Barbaros illos ad communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adiecit præterea, quò facilius ei persuaderet, contentionem illam ex am-*

bitione ſolùm ortam, nullamque omnino doctrinæ eſſe differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gothi Patrem maiorem eſſe Filio dicunt illi quidem: ſed Filium creaturam appellari, licèt cum his, qui illud dicunt, communicent, neutiquam ferre poſſunt. Quin imò ab anitâ doctrinâ non penitus deſtiterunt. Etenim Vulphilas cùm eis communionem Eudoxij & Valentis perſuadere conaretur, dixit nullam eſſe doctrinæ diſcrepantiam, ſed ex inani & leui contentione, eam in Eccleſiam inuectam eſſe diſcordiam. Conſimiliter ergo & populorum turbæ complurium, communione non fide fœderabantur Epiſcopis Arianis: neç ſe illorum adaptabant fidei, ſed ſuæ & auitæ illos doctrinæ adhæreſcere opinabantur. Et l. 5. c. 3. de Apollinariſtis: *Qui poſtea cùm ſuam ipſorum perſpicerent tenuitatem & Eccleſiæ ſplendorem, omnes paucis exceptis ad Eccleſiæ communionem ſe contulerunt, &c.* c. 6. inculcat in Occidente toto ſanam fidem ſemper floruiſſe.

XVI. Ex Sozomeno.

At Sozomenus præclariſſimè l. 3. c. 12. poſt Concilium Antiochenum, & Sardicenſe, Eccleſiæ ſtatum ſubiiciens oculis, & conſequentium temporum: *Eccleſia versùs ſolem obeuntem ſita, quoniam Patrum decretis rite gubernata erat, omnino à contentione & captioſis verborum argutiis, quæ inde naſci ſolent, libera & vacua fuit. Nam quamuis Auxentius Epiſcopus Mediolani, & Valens & Vrſacius ex Pannoniâ oriundi, impensè laborarent, opinionem Arij in illam imperij partem traducere: tamen eorum conatus haudquaquam ſucceſſit ex animi eorum ſententiâ: quandoquidem ſedis Romanæ Antiſtes, & alij Epiſcopi ac ſacerdotes ſtudiosè præcauerunt, & illius hæreſis germina amputarunt. Pars verò imperij ad ſolem orientem porrecta, etſi poſt Concilium Antiochenum diſſidere, & à fide Concilij Niceni palam iam diſſentire cœpit: tamen meo quidem indicio, ſi complurium mentem ſpectes, in eandem reuera ſententiam, quaſi pedibus itum eſt: conceſſumque Filium ex Patris eſſentiâ conſtare. At verò quidam contentionis ſtudio adducti, contra vocem Conſubſtantialis depugnarunt.* Subdit multos pudore retractandæ ſententiæ prioris, aliquos aliis affectibus implicatos, circa eam vocem belligeratos eſſe:

Digitized by Google

Multi qui ridiculum putarent in eiusmodi contentionibus tempus terere, in sententiâ Concilij Nicæni acquieuere. Ac prater cæteros omnes qui in Oriente ætatem degebant, visi sunt decretis Concilij Nicæni mordicus adhæresçere Paulus Episcopus Constantinopolitanus, Athanasius Alexandriæ, & tota monachorum multitudo. Quin etiam Antonius magnus, qui adhuc in vitâ manebat, & qui cum eo versabantur omnes: alij denique quamplurimi tum in Ægypto, tum in aliis Romanorum prouinciis. Perspicuè in Oriente ipso vides longè plurimos fidem Nicænam irreuocabiliter amplexatos, & plerosque aduersantium, fidei ipsi consensisse, in solam vocis Consubstantialis insolentiam bacchatos esse. Et lib. 3. c. 29. declarat idem Antiochiæ, etsi Ariani Ecclesias occupassent, magnam tamen Cleri populique partem Catholicæ fidei adhæsisse: Alexandriæ autem ne vnâ quidem Ecclesiâ Arianos, etsi suffragante Constantio, potiri potuisse. Et l. 6. c. 19. post obitum Athanasij, inuadente Alexandrinam Ecclesiam Lucio Ariano, *Multi & diuini viri id temporis monasteriis illius regionis præerant, & omnes opinionem Arij detestabantur. Quorum testimoniis etiam populus obsecutus, eandem quàm illi doctrinam amplexatus est: qui de dogmatibus disserere & garrire neque voluit, neque nouit: sed veritatem credidit penes illos esse, qui virtutem factis declarabant, quales tunc ex monachis Ægyptiis, &c.* Et infrà c. 27. cùm prouincias aliquas ab Eunomianis, & Apollinaristis peruasas dixisset, ait: *Sed idem ferè istis, quod antè Arianis acciderat. Nam populus in hisce regionibus, monachos propter virtutem & rectè facta admiratus, eos verè de fide sentire credebat: & qui aliter sentirent, illos vtpote doctrinis adulterinis corruptos detestabatur: non aliter sanè atque Ægyptij, qui monachorum suorum doctrinam secuti, Arianis strenuè restiterunt.* Vbique terrarum ergo examina numerosissima populorum antiquam fidem constantissimè retinuerunt.

Sed expugnabit, vt spero, vel ab inuitis assensum Athanasius, oculatus ipse omnium testis, & fidei signifer

XVII. Item ex Athanasio.

Digitized by Google

primarius. Ille ergo apud Theodoretum lib. 4. c. 3. in epist. Synodicâ ad Iouianum Imperat. pauciſſimis poſt Ariminenſem Synodum annis ſcriptâ: *Pro certo ſcias, velimus, Auguſte Sanctiſſime, hanc ipſam fidem ab omni ſæculorum memoriâ prædicatam fuiſſe: hanc confeſſi ſunt qui in Nicæâ conuenerunt Patres, huic omnes vbique Eccleſiæ conſentientes ſunt, vt Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Myſiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Eccleſiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Iſauriæ, & Eccleſiæ Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ, & finitimarum regionum, Orientis denique Eccleſiæ, exceptis paucis quæ ſectæ fauent Arianæ. Iſtarum enim omnium Eccleſiarum ſententiam experimento cognouimus, & literas accipimus, & certò ſcimus, quòd etſi pauci contradicant huic fidei, non poſſunt præiudicium facere orbi vniuerſo.* Quid his, quæſo, expreſſius aut vehementius optari potuit? Nicænæ fidei omnes Orientis, Occidentiſque Eccleſias conſentaneas eſſe docet, omnes pernumerat, paucos contradicere iterum iterumque monet, ſed per eos non poſſe præiudicari πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. Et rurſus Athanaſius epiſtolâ ad Orthodoxos: *Indicamus vobis etſi longo tam tempore hæc peſtis incubuit, nihilominus tamen in pleriſque populis, & in pleriſque Epiſcopis decus Apoſtolicæ fidei remanere. Quanquam nonnulli vi, verbiſque fallacibus detineant populum, & multitudinem Epiſcoporum, partim formidine illuſtrium virorum in vrbibus, partim gloriæ ambitu: at ij ea quæ ſentiunt, diſſimulant: & quæ non ſentiunt, præ ſe ferunt.* Et initio Apologiæ omnes pene orbis prouincias enumerat, in Sardicenſi Synodo ſibi ſuffragatas; cum in Antiocheno Concilio triginta ſex tantùm Ariani eſſent, vnde ad eos Iulius, *Audio paucos eſſe iſtorum malorum authores.* Et Athanaſius ipſe infrà ſubſcripſiſſe abſolutioni ſuæ ait Epiſcopos per orbem vniuerſum trecentos quadraginta quatuor: & epiſt. ad Solitarios ex prouinciis triginta quinque conflatam fuiſſe Sardicenſem Synodum docet, in qua purgatus eſt. Et infrà rurſus: *Cùm viderent Ariani tantum cum Athanaſio animorum conſen-*

ſum

Digitized by Google

ſum & pacem agitari, erant enim in hoc numero plures quàm quadringenti, tum è magnâ Româ, atque vniuersâ Italiâ, &c. Cretâ, Lyciâ, Palæſtinâ, Iſauriâ, &c. hæc videntes, metu inuidiâque anxiabantur. Inuidiâ quidem, propter tantorum conſpirationem: metu autem, ne eorum hæreſis traduceretur, & de eâ vbique gentium triumphus ageretur. Mox Arianos ad Conſtantium ita loquentes inducit: *Quidquid terrarum eſt, ſcriptis ſuis, quibus nos impetit, adimplenit Athanaſius: & plurimi quidem cum eo communionem habent: eorum autem qui videntur nobiſcum eſſe, hi quidem adiunxerunt ſe illi: ceteri idem facturi ſunt, nos autem remanſimus ſoli, &c.* Et paulò pòſt, minis & exiliis coactos ait à Conſtantio Epiſcopos eiurare Athanaſij communionem, *Idque ideo faciebat, quod animaduerteret hæreſin ab omnibus odio haberi. Quæ res in causâ fuit, cur tam multos compelleret, hæreticorum paucitati ſe vt adiungerent, &c.* Et infrà: *Omnia quidem illi pro hæreſi ſuâ moliti ſunt; at per Eccleſiam vnamquamque ſeruantes quam didicerant fidem, magiſtros quidem expectant, Chriſti verò inimicam hæreſin deprehenderunt, & non aliter quàm ſerpentem deteſtantur.* Et infrà: *Sicubi pius & Chriſtianus aliquis eſt, ſunt enim vbique multi tales, ſicut Prophetæ & Elias abſcondantur, &c.* Et infrà: *Iſte verò quoniam omnes hæreſin fugiunt, & ſana fides in Chriſtum confeſſionibus celebratur, Epiſcopos in exilium eiicit, populos verò dum prohibet conuentus celebrare, &c.* Et epiſtolâ ad Afros poſt Ariminenſe Concilium ſcriptâ: *Huic Nicænæ Synodo & olim vniuerſus orbis aſſenſus eſt, & nunc cùm multæ factæ ſint Synodi, omnes tamen eius memores ſunt, tum per Dalmatiam, Dardaniam, Epirum, &c. Et ſubſcriptione approbarunt, adeò vt ſi quis relictus apud eos ſit ex radice Arianorum, ſurſum germinans amaritudinem (loquimur autem de Vrſatio, Valente, cæteriſque qui idem ſentiunt) per iſta ipſa ſcripta abſcinduntur & reiiciuntur.*

Poſtremò vt ad Hieronymum à quo exorſi ſumus, reuoluamur, ſic ille aduersùs Luciferianos Eccleſiæ Catholicæ inexpugnabilem vniuerſitatem oſtentat: *Abſit, vt fruſtra Deus mortuus ſit. Allocutio Patris impleta eſt, Po-*

XVIII. Rurſus ex Hieronymo, Ambroſio, Baſilio.

Digitized by Google

ſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Et vbi, quæſo, iſti ſunt nimiùm religioſi, imò nimiùm prophani, qui plures ſynagogas aſſerunt eſſe, quàm Eccleſias? Si Eccleſiam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardiniâ tantùm habet, nimiùm pauper factus eſt, &c. Ambroſius epiſt. 32. *Maior numerus Arimini Nicæni Concilij fidem probauit, Ariana decreta damnauit.* Et Baſilius epiſt. 72. *Ipſum*, inquit, *orbem circumſpicite, & videte quàm modica ſit ea portio, quæ hoc morbo laborat: reliqua verò vniuerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus ad fines vſque recipit Euangelium, ſanam hanc & incorruptam doctrinam ſectetur.* Et epiſt. 75. ad Neocæſ. *Fuerat*, inquit, *iuſtius, res noſtras æſtimare, non ex vno, aut altero eorum qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, ſed ex multitudine totius orbis Epiſcoporum, qui gratiâ Chriſti coniuncti nobis ſunt. Requirantur verò Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges, & qui vtriuſque ſunt Armeniæ, quotquot vicini vobis ſunt Macedones, Achæi, Illyrij, Galli, Hiſpani, tota ſimul Italia, Siculi, Afri, & qui in Ægypto adhuc ſani ſunt, & quæ reliqua eſt portio Syriæ. Qui quidem literas ad nos mittunt, & viciſſim à nobis recipiunt.*

XIX. Statim poſt Nicænam Synodum non ſemper exigebatur clara & exerta confeſſio Conſubſtantialis.

Vtque minùs abhorreat animus ab hac Ariminenſium Patrum defenſione, conducet cum doctiſſimo Petauio obſeruaſſe, recenti adhuc Nicæno Concilio, non ſemper in fidei Catholicæ confeſſionibus, teſſeram illam fidei, ac τῷ ὁμοσίῳ claram diſertamque confeſſionem ſolitam fuiſſe exigi. Quod ille probat his documentis, & verbis in notis Epiphan. *Exemplo ſit Vrſacij & Valentis Arianæ factionis principum libellus, quem Iulio Papæ obtulerunt, quo & erroris ſui veniam deprecati ſunt, & Ario damnato Catholicam fidem profeſſi. Extat apud Athanaſium Apologia ſecunda. In eo verò de ὁμοσίῳ verbum nullum. Nam & in Concilio Aquileienſi, in quo adnitente Ambroſio Palladius & Secundianus Epiſcopi damnati ſunt, cùm tam ſtudiosè id ageret Ambroſius, vt ab iis indicium aliquod Arianæ profeſſionis eliceret, ideoque variis interrogationibus laceſſeret, nullam Con-*

Digitized by Google

ſubſtantialis mentionem attigit: ſed hæc tantùm communia, Ecquid Filius immortalis, bonus ac verus eſſet, & reliqua generis eiuſdem. Quin etiam Athanaſij ſymbolum cùm ſit quædam fidei expoſitio ab eo edita, qui τὸ ὁμοούσιον acerrimè propugnaret, eiuſdem vocabuli mentionem omiſit. His ſi ſubtexas quæ Marcus Epheſius in Synodo Florentina ſeſſ. 5. attigit, lux aliqua exorietur noſtro huic inſtituto opportuna. Sic ergo ille: *Poſt factam à prima Synodo fidei expoſitionem, tranſactis non paucis annis vſque ad ſecundam, medio illo tempore diuerſis in locis à prouincialibus Conciliis facta ſunt ſupra triginta expoſitiones; in quibus ſublatâ voce illâ Conſubſtantialis, reliqua ſunt valde ſimilia primæ illi expoſitioni.* Conſtat ratio non improbabilis ſententiæ Marci, ſi de Semiarianorum agat formulis, quæ ſimile ſubſtantiâ retinebant. Nam Anomœorum impietas longiùs exorbitabat. Quid ex his porro naſcatur in Ariminenſis Synodi purgationem, ſatis lucet, ſi quid vſquam lucet. His adde Theophanem in Chronogr. vbi eos quibus ſuſpectus erat Arianæ opinionis Cyrillus Hieroſol. *Quòd Conſubſtantialis vocem in Catecheſibus conticuerit*, ita refellit: *Oportebat Conſubſtantialis vocem ſilere, quæ plurimos offendebat, & aduerſariorum controuerſiis à ſacro baptiſmate multos deterritura erat: Conſubſtantialis autem notitiam, paris ſignificationis vocibus clariùs exprimere: quod à Cyrillo præſtitum eſt.*

XX. Multi ſolam refugientes vocem Conſubſtantialis, ipſum dogma Catholicum tenebant.

His adde Theodoretum lib. 3. c. 3. & Sozomenum lib. 3. c. 12. ſuprà relatos, diſertè affirmantes, Catholica ipſa dogmata animo complexos eſſe eos, qui ſolâ Conſubſtantialis voce abſtinebant, aut eam duntaxat oppugnabant. Sed audiatur præ cæteris Athanaſius lib. de Synodis, vbi multa in Arianos ſtomachatus, addit: *Cæterùm qui omnia Synodi ſcripta recipiunt, de ſolo autem Conſubſtantiali ambigunt, non vt aduersùs inimicos affici nos decet. Neque enim veluti aduersùs Ariomanitas, aut quaſi aduersùs bellantes cum Patribus contradicimus: ſed veluti fratres cum fratribus diſceptamus, vt cum quibus nobis eadem ſit ſententia, controuerſia autem de verbis. Nam cùm profiteantur Filium ex*

Digitized by Google

ſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Et vbi, quæſo, iſti ſunt nimiùm religioſi, imò nimiùm prophani, qui plures ſynagogas aſſerunt eſſe, quàm Eccleſias? Si Eccleſiam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardiniâ tantùm habet, nimiùm pauper factus eſt, &c. Ambroſius epiſt. 32. *Maior numerus Arimini Nicani Concilij fidem probauit, Ariana decreta damnauit.* Et Baſilius epiſt. 72. *Ipſum*, inquit, *orbem circumſpicite, & videte quàm modica ſit ea portio, quæ hoc morbo laborat: reliqua verò vniuerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus ad fines vſque recipit Euangelium, ſanam hanc & incorruptam doctrinam ſectetur.* Et epiſt. 75. ad Neocæſ. *Fuerat*, inquit, *inſtius, res noſtras æſtimare, non ex vno, aut altero eorum qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, ſed ex multitudine totius orbis Epiſcoporum, qui gratiâ Chriſti coniuncti nobis ſunt. Requirantur verò Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges, & qui vtriuſque ſunt Armeniæ, quotquot vicini vobis ſunt Macedones, Achæi, Illyrij, Galli, Hiſpani, tota ſimul Italia, Siculi, Afri, & qui in Ægypto adhuc ſani ſunt, & quæ reliqua eſt portio Syriæ. Qui quidem literas ad nos mittunt, & vicißim à nobis recipiunt.*

XIX. Statim poſt Nicænam Synodum non ſemper exigebatur clara & exerta confeſſio Conſubſtantialis.

Vtque minùs abhorreat animus ab hac Ariminenſium Patrum defenſione, conducet cum doctiſſimo Petauio obſeruaſſe, recenti adhuc Nicæno Concilio, non ſemper in fidei Catholicæ confeſſionibus, teſſeram illam fidei, ac τῷ ὁμοσίῳ claram diſertamque confeſſionem ſolitam fuiſſe exigi. Quod ille probat his documentis, & verbis in notis Epiphan. *Exemplo ſit Vrſacij & Valentis Arianæ factionis principum libellus, quem Iulio Papæ obtulerunt, quo & erroris ſui veniam deprecati ſunt, & Ario damnato Catholicam fidem profeßi. Extat apud Athanaſium Apologia ſecunda. In eo verò de ὁμοσίῳ verbum nullum. Nam & in Concilio Aquileienſi, in quo adnitente Ambroſio Palladius & Secundianus Epiſcopi damnati ſunt, cùm tam ſtudiosè id ageret Ambroſius, vt ab iis indicium aliquod Arianæ profeßionis eliceret, ideoque variis interrogationibus laceſſeret, nullam Con-*

Digitized by Google

ſubſtantialis mentionem attigit: ſed hæc tantùm communia, Ecquid Filius immortalis, bonus ac verus eſſet, & reliqua generis eiuſdem. Quin etiam Athanaſij ſymbolum cùm ſit quædam fidei expoſitio ab eo edita, qui τὸ ὁμοούσιον acerrimè propugnaret, eiuſdem vocabuli mentionem omiſit. His ſi ſubtexas quæ Marcus Epheſius in Synodo Florentina ſeſſ. 5. attigit, lux aliqua exorietur noſtro huic inſtituto opportuna. Sic ergo ille: *Poſt factam à prima Synodo fidei expoſitionem, tranſactis non paucis annis vſque ad ſecundam, medio illo tempore diuerſis in locis à prouincialibus Conciliis facta ſunt ſupra triginta expoſitiones; in quibus ſublatâ voce illâ Conſubſtantialis, reliqua ſunt valde ſimilia primæ illi expoſitioni.* Conſtat ratio non improbabilis ſententiæ Marci, ſi de Semiarianorum agat formulis, quæ ſimile ſubſtantiâ retinebant. Nam Anomœorum impietas longiùs exorbitabat. Quid ex his porro naſcatur in Ariminenſis Synodi purgationem, ſatis lucet, ſi quid vſquam lucet. His adde Theophanem in Chronogr. vbi eos quibus ſuſpectus erat Arianæ opinionis Cyrillus Hieroſol. *Quòd Conſubſtantialis vocem in Catecheſibus conticuerit*, ita refellit: *Oportebat Conſubſtantialis vocem ſilere, quæ plurimos offendebat, & aduerſariorum controuerſiis à ſacro baptiſmate multos deterritura erat: Conſubſtantialis autem notitiam, paris ſignificationis vocibus clariùs exprimere: quod à Cyrillo præſtitum eſt.*

XX. Multi ſolam refugientes vocem Conſubſtantialis, ipſum dogma Catholicum tenebant.

His adde Theodoretum lib. 3. c. 3. & Sozomenum lib. 3. c. 12. ſuprà relatos, diſertè affirmantes, Catholica ipſa dogmata animo complexos eſſe eos, qui ſolâ Conſubſtantialis voce abſtinebant, aut eam duntaxat oppugnabant. Sed audiatur præ cæteris Athanaſius lib. de Synodis, vbi multa in Arianos ſtomachatus, addit: *Cæterùm qui omnia Synodi ſcripta recipiunt, de ſolo autem Conſubſtantiali ambigunt, non vt aduersùs inimicos affici nos decet. Neque enim veluti aduersùs Ariomanitas, aut quaſi aduersùs bellantes cum Patribus contradicimus: ſed veluti fratres cum fratribus diſceptamus, vt cum quibus nobis eadem ſit ſententia, controuerſia autem de verbis. Nam cùm profiteantur Filium ex*

Patris ſubſtantiâ, & non ex aliâ ſubſiſtentiâ eſſe, &c. non longè abſunt ab hac voce, Conſubſtantiali, recipiendâ. Talis eſt Baſilius ex Ancyrâ, &c. Quinimò non Athanaſius tantùm, ſed Baſilius, Nazianzenus, Theodoretus, Sozomenus, Hilarius laudibus proſequuntur, non Baſilium tantùm Ancyranum, ſed Dianœum Cæſarienſem, Marcum Arethuſium, alioſque nonnullos, quos alij Semiarianorum choro ſolent includere. Denique illas ipſas, quas Semiarianorum vulgò appellitamus, fidei formulas, variis poſt Nicænam Synodis cuſas & recuſas, vt ad Catholicum ſenſum traducere enixus ſit Hilarius, neminem fallit. Iſtiuſmodi ſaltem erat, quæ Arimini per fraudem ſubſcripta eſt. Facundus Hermian. Epiſc. lib. 10. c. 6. in laudem Hilarij hæc diſſerit: *Illud eſt multo amplius quod idem ſanctus Hilarius æquè defendit Syrmienſe Concilium, in cuius decretis dictum eſt: Si quis, &c.* Subiicit duriſſima Syrmienſis Concilij dicta, Chriſtum obſecutum Patri in creatione omnium, non exæquari vel comparari Filium Patri, ſed ſubiectum intelligi; & alia id genus: *Quæ omnia memoratum Syrmienſe Concilium ſanctus Hilarius neceſſariè contra Photinum & Orientales aſſerit decreuiſſe. Quorum ſufficientem excuſationem faciens, quomodo ſint accipienda demonſtrat.* Et lib. 11. c. 8. de eodem Hilario diſſerens excuſante Syrmienſem Confeſſionem fidei: *Fas non eſt omnino de tantæ pietatis viris malè ſentire, qui ex ſemetipſis alios æſtimantes, excuſare ſtuduerunt dicta maiorum. Et qualiter à ſe dici poſſent, taliter ab illis prolata & ab Eccleſiâ ſuſcepta crediderunt, vt in eâ permanerent Epiſcopi.* Igitur in Syrmienſi Synodo, etiam Ariminenſi patrocinium parauit Hilarius, & multò quidem magis. Ariminenſes enim Epiſcopi, non illis componendi veniunt, quos excuſat Hilarius; ſed ipſi propemodum Hilario, ex ſemetipſis alios æſtimantes, & qualiter à ſe dici poſſent, taliter ab illis prolata credentes.

XXI. Perdiu poſt Nicænam Synodum Ariani

Iam verò quod ad Communionem quoque ſpectat, quam Catholici Ariminenſes Patres cum Arianis inie-

Digitized by Google

runt, hæc quoque eorum culpa extenuabitur, ſi in mentem veniat eorum, quæ ex Epiphanio ſuprà retulimus. Nempe improbè à quibuſdam irritatum, iteratumque fuiſſe Arianorum baptiſmum, cùm necdum eâ de re Concilium œcumenicum coaluiſſet: *quod adhuc populi promiſcuè ad hodiernum vſque tempus habeantur; inter quos multi quidem ſunt Catholici, ſed ſictè ac per ſimulationem ſacerdotum authoritatem ſequuntur, donec execranda illa ſecta ab Eccleſiæ conſortio ſegregetur, vt tunc aliquid de illâ ſtatuatur.* Vbi vides eorum, qui Arianis Epiſcopis adglutinati erant, multos fuiſſe orthodoxos. Tunc quippe necdum corporali diuortio ſeceſſerant Ariani ab Eccleſiâ Catholicâ. Et Theodoretus epiſt. 112. *Nam & in magnâ Synodo Nicænâ ſuffragati quidem ſunt orthodoxis illi, qui Arij partium erant, & Apoſtolicæ fidei expoſitioni manibus ſuis aſſenſere. Perrexerunt tamen veritati bellum inferre, quoad Eccleſiæ corpus diſcerpſere. Et triginta quidem per annos inter ſe communicantes perſtiterunt, tum qui Apoſtolicis dogmatibus inhærebant, tum qui Arij blaſphemiâ laborabant.* Hilarium compluribus Orientalium communicaſſe, quorum formulas fidei excuſabat, indubium eſt. His perpenſis etſi non omnino abolebitur, extenuatur tamen culpa communionis Ariminenſium Patrum, eaque euincitur nihil imminutas fuiſſe partes Catholicæ multitudinis.

Catholicis communione cõmixti fuere.

Id magis magiſque eliqueſcet ex Luciferianorum querelis, ſuam paucitatem à multitudine Catholicorum opprimi expoſtulantium. Ita enim in libello precum Marcellini & Fauſtini ad Imperatores habetur. *Nec in exiguis hominibus deſpicitis veritatem, nec in multis vel potentibus roboratis mendacium. Siquidem ius ſæculi ideo ſcriptum eſt, ne contra verum æquumve potentia vel multitudo prævaleat, etiamſi ab exiguis vendicetur, &c. Quomodo in negotiis diuinis ſanctæ fidei veritas impiorum caterua, & fraudulentiſſimis eorum circumuentionibus offuſcatur & premitur?* Et infrà: *Sed quia apud quoſdam multitudo præponitur veritati, eò quòd pauculos habeat ſectatores: & ob hoc affligimur, quòd in paucis ſe-*

XXII. Catholica rurſus tunc multitudo colligitur ex querelis Luciferianorum.

Digitized by Google

quimur inuiolabilem fidem, &c. Vna est pars, in qua sunt multi Episcopi. Sed vbi sunt multi, illic per prævaricationem sacra Christi fides violata est, semper antè defensa. Illic metu Regis, Arij suscepta impietas est, semper antè damnata. Vbi verò pauciſsimi sunt, illic per exilia, per cruciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem fides Christi vendicatur; & Arij impietas atque omnis hæresis, vt summum malum execrabiles sunt. Sed etsi non est dubitandum paucos Episcopos esse pretiosos de merito confessionis, & inuiolabilis fidei: multos verò nullificari merito hæreseos vel prævaricationis: quia in causâ veri, maximè in causâ religionis & sacræ fidei, non numerus numero comparandus est, sed pura illa Apostolica fides, probata exiliis, probata cruciatibus, licèt vnius, multorum infidelitatibus præponenda est. Igitur etiam post Ariminensem labem, cuius occasione Luciferiani ab Ecclesiâ Catholicâ diuulserunt sese, inuidiam faciebat Ecclesiæ paucitas schismaticorum, vt multitudinem & potentiam suam ostentanti, & eâ vnâ potiùs, quàm veritatis præsidio vincenti.

XXIII. De Lucifero ipso inquiritur. Variæ Patrum de eo sententiæ.

Quoniam autem in Luciferianos incurrimus, mirari succurrit quæ Sulpitius Seuerus l. 2. hist. de Lucifero eorum principe scribit. *Cæterùm Lucifer tum Antiochiæ longè diuersâ sententiâ fuit. Nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnauit, vt se etiam ab eorum communione secreuerit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentiâ recepissent. Id rectè, an perperam constituerit, dicere non ausim.* Itane verò dubium est, rectè an perperam secreuerit se à communione vniuersalis Ecclesiæ? Orientem enim atque Occidentem conspiratsse in illam cum Ariminensibus Patribus dispensationem suprà Hieronymus & Athanasius nos docuere. Paulò explicatior Hieronymus in Dialog. adu. Lucifer. *Ventum est ad asperrimum locum, in quo aduersùs voluntatem & propositum meum cogor de beato Lucifero secus quidquam, quàm & meritum illius & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, & inuitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tantâ rabie luporum, segregatis paucis ouibus, reliquum gre-*

Digitized by Google

gem deseruit. Bonus quidem ipse Pastor, sed multam prædam bestiis relinquens. Prætereo illa quæ quidam ex maledictis, quasi satis firma defendunt: hoc illum amore gloriæ & nominis in posteros transmittendi feciſſe: nec non & pro simultate, quam aduersùs Eusebium propter Antiochenam dissensionem susceperat. Nihil istorum de tali viro credo. Vnum est quod etiam in præsenti constanter loquar, verbis eum à nobis dissentire, non rebus, siquidem recipiat, qui ab Arianis baptisma consecuti sunt. Deinde prolixè exagitat Hilarium, qui ne baptizatos quidem ab Arianis recipiebat. Culpat Hieronymus Luciferum, sed leuiusculè, & inclementiæ tantùm ergo, seu asperitatis, quòd dispensationi & veniæ à reliquis Catholicis præsulibus authoratæ non acquieuerit. Denique verbis illum magis, quàm rebus à nobis discrepare confitetur. Paulò acerbiùs Innocentius I. epist. 13. ad Episcopos Hispaniæ, quorum aliqui, nempe Bætici & Carthaginenses, diffidebant à pace cõllegarum, ob receptos ab hæresi Priscillianorum conuersos. *Nam quæ alia causa & superioribus temporibus illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit à concordiâ illorum, qui Arianorum hæresin prudenti conuersione damnauerant? Eodem studio post Priscilliani detestabilem sectam omnium meritò detestatione damnatam, receptos in Catholicam fidem eos qui saniore consilio conuersi sunt, ægerrimè aliquos tulisse cognouimus. Quibus factum vtile & ipsam Ecclesiarum pacem displicuisse detegitur.* Itaque pertinacia Lucifero crimini datur, non ita tamen vt Hispanis his Episcopis. Hos enim frangere debuerat prioris exempli, & in mores iam recepti authoritas. At Lucifer veterem, & hactenus nullâ dispensatione perstrictum canonum rigorem retinebat, nouæque & antea inauditæ remissioni aduersabatur, eò vtique excusatior. Multò asperior Ambrosius in Luciferum, De obitu Satyri fratris, qui baptismi auidus, *Aduocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam; percontatusque ex eo est, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Et fortè ad id locorum in schismate*

Digitized by Google

regionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat: & quanquam fide exulaſſet; & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putauit tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenerent, &c. Aſperrimè denique Auguſtinus l. de agone Chriſt. c. 30. *Poſt perſecutionem quæ per Arianos hæreticos facta eſt, Epiſcopi qui perfidiæ Arianorum in illâ perturbatione conſenſerant, multi correcti, redire in Catholicam delegerunt, damnantes ſiue quod crediderant, ſiue quod credidiſſe ſe ſimulauerant. Hos Eccleſia Catholica materno recepit ſinu, tanquam Petrum, poſt fletum, negationis per Galli cantum admonitum: aut tanquam eundem, poſt prauam ſimulationem, Pauli voce correctum. Hanc illi matris charitatem ſuperbè accipientes & impiè reprehendentes, quia Petro poſt Galli cantum ſurgenti, non gratulati ſunt; cum Lucifero qui manè oriebatur, cadere meruerunt.* Et antea fusè inuehebatur in eos qui etſi non rebaptizarent, Luciferiani tamen, quàm Catholici dici, & præcidi voluerant à radice.

XXIV. Variæ de eodem opiniones hiſtorico, rum illius temporis.

Adiiciamus nunc animum, atque aures ad eos qui hiſtoriam illorum temporum literis mandauerunt. Theodoretus l. 3. c. 5. *Lucifer rediit Sardiniam, & alia quædam Eccleſiaſticis dogmatibus addidit. Qui ea autem ſunt amplexati, ex eius nomine nomen mutuati, Luciferiani perdiu dicti ſunt. Extinctum eſt autem & hoc dogma, obliuionique traditum.* Pinguiùs hæc ſanè dicta ſunt, niſi dogma nouum capias ipſum ſchiſma, quod & ſuprà Ambroſius & antiqui Patres non ita valde ſatagebant ab hæreſi diſcriminare, vt quò hæreſis aduersùs Eccleſiam, ſymbolo & ipſam quoque implicatam, ſin minùs contra Chriſtum concineatur. Ruffinus aliquantò clementiùs l. 1. c. 30. *Reuerſus ad Sardiniæ partes, ſiue quia citâ morte præuentus, tempus ſententiæ mutandæ non habuit, etenim temere cœpta, ſpatio corrigi ſolent: ſiue hoc animo immobiliter ſederat, parum firmauerim. Ex ipſo interim Luciferianorum ſchiſma, quod licèt per paucos, adhuc voluitur, ſumpſit exordium.* Multò etiam humaniùs Socrates lib. 3. c. 7. *Recuſauit Lucifer cum Euſebio communicare,*

Digitized by Google

communicare, ſtudioque contentionis inductus, Concilij decreta reiecit. Iſta quidem triſtibus & afflictis Eccleſiæ rebus obuenientib, multos ad deficiendum ab Eccleſiâ impulere, vnde alia rurſum naſcitur Luciferianorum hereſis. Sed Lucifer iram ſuam adimplere non potuit. Obſtrictus enim tenebatur ſuii ipſius reſponſis, quibus per Diaconum miſſis pollicitus fuerat, ſe decretis Concilij conſenſurum. Quapropter ipſe quidem, idem cùm Eccleſiâ ſapiens, ad propriam ſedem in Sardiniam reuerſus eſt: quorum autem animi non minùs exulcerati erant, hi adhuc etiam ab Eccleſiâ ſegregati manent. Et verbum à verbo pene reddens Sozomenus l. 1. c. 12. *Lucifer decreta Concilij Alexandrini inſimulare aggreditur: quæ cauſa fuit hereſeos eorum, qui ab eo appellati ſunt Luciferiani. Nam qui vnà cum illo his de rebus grauiter offendebantur, ſe ab Eccleſiâ ſepararunt. At ille ipſe licèt animo alienato & cum primis offenſo eſſet, tamen cùm per Diaconum, quem vnà cum Euſebio miſerat, confeſſus fuiſſet ſe decretis Concilij Alexandrini ſtaturum, Catholicæ Eccleſiæ conſentiens, Sardiniam reuertitur.*

Ex hac farragine teſtimoniorum liquet, quàm ſcitè & ſapienter dictum ſit à Bellarmino, Luciferum ita zelo fidei arſiſſe, *vt à ſanctis Patribus etiam poſt ſchiſma factum, & ſectam Luciferianam poſt ſe relictam nonniſi timidè & dubitanter arguatur.* Ex hiſtoricis Socrates & Sozomenus apertiſſimè illi patrocinantur, nec ab ipſo, ſed ab eius ſectatoribus ſchiſma conflatum docent. Ex Patribus Hieronymus & Seuerus aſperitatem eius & ſeceſſionem non diſſimulant, ſed hanc eius culpam reliquâ ſanctitate redimi & compenſari pene innuunt. Euidentiùs illum in crimen vocant Innocentius, Ambroſius & Auguſtinus; ſed hæc criminatio ad nomen eius, vel ad ſectam eius nomine palliatam magis pertinet fortaſſe, quàm ad perſonam. Vt Nicolaum enim infamarunt diſcipuli immerentem, prout nec pauci, nec obſcuri cenſent ſcriptores: ita Luciferum Luciferiani. Nec Socrates tantùm & Sozomenus, ſed & Hieronymus cauſam Luciferi à Luciferianis longo interuallo diſpeſcuit. Toto enim Dia-

XXV. In re tam ambigua quid ſimilius veri ſit. L. de Scrip. Eccleſ.

Digitized by Google

logo Hilarium Diaconum magis insectatur, & Luciferianos, Lucifero ipsi ferè parcit. In libro similiter de Scriptoribus Ecclesiasticis, nulla illum accusatione onerat. Sed illud validissimum, quòd idem Hieronymus in Chronico, Luciferi obitum his verbis cohonestat, & tantùm non consecrat: *Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libyæ, nunquam se Arianæ miscuit prauitati.* Epiphanius & Philastrius nec Luciferum, nec Luciferianos in sua hæreseon enumeratione locauerunt, vt adnotat Augustinus l. de hæresibus, qui eos cæteris permiscet. Itaque siue non desciuit ab Ecclesia Lucifer, sed paulò effusiùs iræ indulgens, abruptèque in suam secedens Ecclesiam, scissionis speciem magis quàm rem exhibuit; siue desciuit, & resipiscens postea in matris Ecclesiæ sinum se recollegit: idem illi contigerit quod Cypriano, de quo Vincentius Lirin. Common. l. 1. c. 11. *Absoluuntur magistri, condemnantur discipuli.* Si desciuit autem nec resipuit, idque Seuerus & Hieronymus significant, tunc sanè timidè quidem ab illis arguitur, sed multò timidiùs debet defendi. Cyprianus errorem suum charitate vnitatis Catholicæ diluit: at error quo vnitas ipsa Ecclesiæ soluitur, quo, precor, alio medicamine diluetur? An idem Lucifero contigit, quod Paschasio? Hunc enim in schismate excessisse, & tamen ignorantiæ patrocinio excusari docebit nos infrà Gregorius magnus. An idem, quod de sanctis viris schismaticum Pascha sectantibus, testatus est Beda superiùs? An potiùs quod de seipsis testati sunt Confessores apud Cyprianum epist. 46. qui Nouato schismatico aduersùs Cornelium primò adhæserant, mox se Ecclesiæ reddiderunt? *Nos errorem nostrum confitemur: nos impostoram passi sumus, circumuenti sumus perfidiâ & loquacitate captiosâ. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico & hæretico homine habuisse; sincera tamen mens nostra semper in Ecclesiâ fuit.* Ita ingenti populi suffragio recepti sunt, *quos errantes & palabundos tamdiu, & vi-*

XXVI. Quæ optima ratio purgandi Luciferi.

Digitized by Google

derat & dolebat Ecclesia: ex quo spes fiebat Cornelio Papæ, vt ipse ait, *Cæteros quoque qui in errore hoc sunt constituti, in Ecclesiam breui reuersuros, cùm authores suos viderint nobiscum agere.* Vbi vides duces schismatis maturiùs, sequaces tardiùs resipuisse: & illorum non tam schisma, quàm repentinam eruptionem & efferuescentiam fuisse, illico castigatam; horum autem diuturnam pertinaciam in schisma degenerare potuisse. Ita propiùs à vero abest, & ea via est compugnantiæ Patrum & Historicorum in concordiam reuocandæ: Luciferum impotentiùs primùm & zelo veteris austeritatis, & iracundia excanduisse, vt quandam scissionis speciem præ sé ferret; postea in suam Ecclesiam reuectum detumuisse, & Catholicæ se reddidisse paci: etsi secessum eius, secessionem interpretati discipuli, irreuocabili pertinacia Catholicam ipsi quidem refugerint deinceps communionem. Quocirca permagna illis habenda gratia est huius æui & Episcopis non paucis & aliis, qui Luciferi memoriam purgare studuerunt, Calaritanæ & Vercellensis Ecclesiæ vetustâ in eum religione, templorum dedicatione, miraculorum etiam nupera perpetratione ad eius tumulum permoti. Huius autem ex Cypriano deprompti exempli aliud non multùm dissimile suppeditat epistola 13. Innocentij Papæ ad Episcopos Synodi Toletanæ, cùm ob receptos in suis ordinibus sectarios quosdam Priscilliani, à communi vnitate aliqui resilirent.

Atque vt ne frustra nos ad Luciferum ab Ariminensi Synodo deflexisse putes: quanquam apta contextaque vtriusque causa est; illud quoque ab exemplo Luciferi perficimus, quam non temere statim prosiliendum sit ad eorum condemnationem, quorum aliqua vel ignauè, vel imprudenter facta vituperantur. Si enim Luciferum penè absoluimus, quem timidè Patres arguerunt: quid Ariminenses Episcopos, quorum apologiam Hieronymus & Athanasius ex instituto conscripsere? Vt & alios suprà relatos taceam, atque Augustinum ipsum, qui loco suprà

XXVII. In eo momenti aliquid est ad Ariminensium quoque Patrum excusationem.

Digitized by Google

allegato; quo Luciferum acriùs vellicat, satis innuit, non perfidiâ sed simulatione peccatum esse apud Ariminum. Ita enim & Petrum peccasse ait, cùm simulationem eius Paulus reprehendit. *Conuersationis fuit id vitium, non prædicationis*, vt ait Tertullianus l. de præscript.

XXVIII. Nunc alij & alij Patres, nunc iidem eadem facta, easdemque personas, citra dissonantiâ accusant & excusant.

Illud quoque ex superioribus colligemus, vsui futurum ad historiæ & disciplinæ nodos complures extricandos. Non semper sibi pugnare, qui eadem vel eosdem damnant, & absoluunt: laudibus, & vituperio afficiunt. Ariminensis Synodi Præsules & ipsam eorum confessionem posteriorem, alij ex sanctis Patribus perfidiæ, alij simulationis tantùm incusarunt. Athanasius alicubi insimulauit, alias rationabilis dispensationis ergo laudauit. Hieronymus apertè culpam suprà vel extenuauit, vel eleuauit prorsùs, & idem in Chronico, eandém atrociter exaggerat. *Synodus apud Ariminum & Seleuciam Isauriæ facta, in quâ antiqua Patrum fides, decem primùm Legatorum, dehinc omnium proditione damnata est.* Et infrà: *Omnes toto orbe pene Ecclesiæ sub nomine pacis & Regis, Arianorum consortio polluuntur.* Et rursus: *Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat.* Quin Alexandrina ipsa Synodus lapsos Arimini exauthorare primùm meditabatur: vbi id ex animi sententia haud cessurum coniectura fuit, eosdem suis sedibus frui iussit, vt qui bene credentes, vt qui nunquam Ariani fuissent. Ita enim apertissimè Hieronymus aduers. Lucifer. *Quid à confessoribus agendum putauerint? Depositis, inquit, veteribus Episcopis, nouos ordinassent. Tentatum est. Sed quotusquisque bene sibi conscius patitur se deponi? Præsertim cùm omnes populi, sacerdotes suos diligentes, penè ad lapides & ad interemptionem deponentium eos conuolauerint. Cur damnassent eos, qui Ariani non erant? Cur credentes bene, obstinatione suâ facerent Arianos?* Tam nulla est inter diuersos Patres, quàm nulla inter ipsos secum singulares Athanasium, Hieronymum, Alexandrinum Concilium conflictatio.

XXIX. Er Similiter Aaronem alij accusant passim, excusabat suprà

Digitized by Google

Athanaſius prudenti diſpenſatione vſum. Ita Honorium Papam plerique Monotheleticæ veſaniæ contagio quodam perfuſum, alij diſpenſatione fortaſſis minùs prouidâ, non tamen hæreticâ vſum diſſerunt. Ita Paſchalem Papam indultis Teutonico Principi inueſtituris, alij hæreſeos maculâ aſperſum, alij ſalubri diſpenſationi obſecutum cenſuere. Ita, vt vno verbo abſoluam, Iuo Carnutenſis ſuadet epiſtolâ 162. pro ſuarum quemque virium modo, fortes rigido, infirmos temperato iuri ſe dedere. *In quâ diſceptatione, cùm ipſi & ratione, & authoritate ſciatis, quid ſit verius, quid honeſtius: tamen pro temporum opportunitate ſequi vos oportebit, quod infirmitati veſtræ erit tolerabilius. Si autem ſciremus vos eſſe paratos, vt cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum veſtrorum: poſſemus vos exhortari, vt ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere. Sed quia in donis ſpiritalibus conſilium & fortitudo coniunctа ſunt: conſilium aliud, niſi quod patientia veſtra tolerare poßit, dare non audemus: quia qualis veſtra ſit fortitudo, ignoramus.* Et epiſt. 195. *Quâ in re ſi adeſſet nobis ſpiritus fortitudinis, ſicut adeſt ſpiritus conſilij, ſeueritatem diſciplinæ eſſe ſeruandam cenſeremus. Sed quia in hoc rigore, grauium diſſenſionum periculum imminere ſentitis, rem diſpenſatione egere intelligimus.* Hinc igitur iiſdem perſonis & factis, aliâ tamen & aliâ contemplatione criminatio & excuſatio, laudes & vituperia citra inconſtantiam ingeruntur. Fortitudine enim defieri, quæ ius ſtrictum tueretur, in culpa eſt: conſilij ſaltem ſpiritu non deſtitui, & viribus ſe ſuis metiri, id laudatur. Infirmari Epiſcopos, id crimini datur: At infirmitati ſuæ prudenter obſequi, & aliquo ſuo vulnere publicam ſtragem redimere, hoc verò approbatur.

Iuone repetitur regula ſedandæ eius compugnantiæ.

DISSERTATIO VI.

IN SYNODVM OECVMENICAM II. SEV CONSTANTINOPOLITANAM I.

SYNOPSIS.

Ius confirmandi Synodos œcumenicas eſt penes ſedem Petri. Approbatio & confirmatio etiam aliqua à cæteris Epiſcopis, à ſanctiſſimis monachis, à Catholicis plebibus exprimebatur. Sed hi omnes ſubſcribebant confeſſionis magis ſuæ, quàm confirmationis teſtimonium: quo firmitatem proderent ſuam, non adiicerent Synodo. Id efficitur ad num. uſque XIV.

Deinde prouinciales quoque & locales quaſlibet Synodos à prima ſede confirmandas fuiſſe docetur, ut authoritatem Certam, Irretractabilem, & Vniuerſalem conſequerentur.

I. Quatenus hanc Synodum receperit Romana Eccleſia, ex Gregorio Magno.

DE hac Synodo Gregorius Magnus l. 6. epiſt. 31. pauca hæc habet: *Et canones quidem Conſtantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant, ſed quis fuerit eorum author Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Eccleſia eoſdem canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreſes, quæ ibi memoratæ ſunt, ab aliis iam Patribus damnatas reprobat.* Et idem tamen Gregorius lib. 1. epiſt. 24. dixerat: *Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor. Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur. Epheſinum, &c.* Ergo

Digitized by Google

instar Euangelij venerabatur secundam hanc etiam œcumenicam Synodum Gregorius, sed hactenus tamen, qua illam Romana Ecclesia receperat, in Macedoniani erroris damnatione.

Sexta autem Synodus act. 18. in prosphon. ad Imperatorem: *Macedonius Deitatem Spiritûs sancti denegabat, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus adamas fidei, cuius solida mens adgressionibus, atque conflictibus alienarum sectarum, nullatenus erat sauciabilis, Gregorius & Nectarius illam in hac regia vrbe Synodum congregabant. Et sacrilegam quidem linguam à sacerdotio abscindebant, &c.* Quæ paulò explanatiùs Photius l. de Synodis: *Secunda Synodus &c. eò congregati sunt centum quinquaginta Episcopi, &c. Principes erant Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, &c. Nectarius, &c. Quibus non multo post tempore etiam Damasus Romanus Antistes, eadem confirmans agnoscebatur, consentaneus decretis factus.* Reapse enim non ipse, non per legatos affuit Damasus, non Occidentalium quisquam Episcoporum: vt œcumenica dici non possit hæc Synodus, nisi ex posteriore Romani Pontificis & Occidentalium consensione, vt notat Photius. At Patres sextæ Synodi, spretâ ratione temporum, & ipsam in se se Synodum œcumenicam intuentes, omnium Episcoporum principem Damasum ante cæteros admirantur, vt fidei adamantem, vt Macedonij debellatorem.

II. Item ex sexta Synodo & Photio P. CP.

Hinc porro eluceſcit maximè prærogatiua Romanæ sedis, in confirmandis œcumenicis etiam Conciliis, vt non aliter œcumenica vel dici, vel esse queant. Ita Arelatensis Synodus ad Syluestrum, ita Sardicensis ad Iulium, idque ex officio retulerat, *Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque prouinciis Domini referant sacerdotes.* Ita Orientales Episcopi hi ipsi, qui secundam hanc œcumenicam Synodum conflarunt, de Apollinari à se damnato ad Damasum retulerant, quibus & Damasus rescribit, apud Theodoretum l. 5. c. 10. *Quod*

III. Ius confirmandi Synodos generales penes sedem Petri, vt non aliter sint œcumenicæ.

Digitized by Google

vestra charitas debitam sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit, vobis ipsis quoque maximo honori est. Et Synodus ipsa centum quinquaginta Patrum, in epistolâ Synodicâ ad Damasum & Occidentales omnes Episcopos missâ, cùm damnatum Macedonium, creatum Constantinopoli Nectarium, Antiochiæ Flauianum Episcopum narrassent, subdunt: *Quibus velut legitimè à nobis & secundùm canones constitutis, vestram pietatem hortamur, vt congratuletur: spiritali charitate nos mutuò deuinciente, &c. Sic enim doctrinâ fidei concorditer stabilitâ, & Christianâ charitate in nobis confirmatâ, cessabimus illud dicere, quod ab Apostolis damnatum est, Ego quidem sum Pauli, Ego verò Apollo, Ego autem Cephæ. Omnes autem cùm simus Christi, qui in nobis non est diuisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratiâ, indiuisum conseruabimus.* Non ergo vniuersali authoritate munita fuissent acta illius Synodi, nisi ad Occidentales Episcopos missa, & ab iis, à Damaso maximè eorum capite & Ecclesiæ totius principe confirmata fuissent. Omnia enim illo æuo synodicè fiebant, sed in Synodo penes eius præsidem erat τὸ κύρος καὶ αὐθεντία rerum omnium. Itaque Orientalis Synodi statuta communi & Synodica Occidentalium consensione firmabantur, vt in œcumenicæ Synodi authoritatem inualescerent, sed huius confirmationis authoritas, & vis potissima penes præsidem Synodi & totius Ecclesiæ residebat. Ideo suprà aiebat Gregorius reliqua huius Synodi statuta non recipi *à Romana Ecclesia*: & sexta Synodus debellatum *à Damaso* Macedonium: & Photius Orientalium placita *à Damaso* postea fuisse roborata eadem decernente: & Sardicensis Synodus *ad Petri sedem* omnia referenda monuit: & Iulio ipsi adscribi solent, quæ synodicè ab ipso pro Athanasio decreta sunt. Non quo à rerum istarum laude eliminentur Episcopi Synodum conflantes; sed quòd à vertice suo non secernatur Synodus, & tota corporis maiestas & principatus gloria, non dematur membris, cùm capiti vendicatur.

IV. Ius illud communicari

Et quidem non me fugit, omni quodammodo Ecclesiæ

Digitized by Google

communicari posse ius illud Synodos confirmandi. Antiquæ enim pleræque hæreses non aliter omni ex orbe Christiano explosæ sunt, quàm quòd Synodo proximæ quæ eam proscripserat, reliqua sine Synodis ferè assentiebatur Ecclesia vniuersa. Ea de re Concilij Gangrensis præfatione prolixè disputatum est. Vnde Petrus Aurelius, *Id hæresibus non paucis similiter contigit, vt nimirum ab vnius prouinciæ, aut regni Episcopis damnatæ sint, cæteris consensu solùm tacito, non Synodalium decretorum authoritate suffragantibus. Sic enim Eustathianos, quos Synodus Gangrensis damnauit, non legimus ab aliarum prouinciarum Conciliis apertè deinde damnatos. Idem Aërianis, Collyridianis, aliisque accidit; quos præter locorum vbi exorti sunt, Episcopos, non constat ab aliarum regionum Synodis reiectos esse; sed vniuersali Ecclesiæ consensione, quæ sensim sine sensu inolenit, exauthoratos; quemadmodum singulorum postmodum Patrum scriptis declaratum est.* Itaque *vniuersali Ecclesiæ consensione, eaque sensim sine sensu inolescente*, vel damnationes hæresum, vel Synodi particulares earum peremptrices ita confirmantur, vt in œcumenicæ Synodi authoritatem semper, etsi non semper in eiusdem nominis gloriam consurgant. Ideo ergo Chrysostomus vel ipsi Nicænæ Synodo robur accessisse ex consensione orbis vniuersi docet eo sensu, qui infrà exponetur: *At tu non illos tantùm condemnas Nicænos Patres, sed & orbem terrarum vniuersum, qui illorum sententiam comprobauit.* Ideo & Facundus Herm. l. 5. p. 216. de prima, secunda, quarta, omnique penitus generali Synodo verba faciens, ait: *Et ideo non idem modus esse debet atque ordo quærendi post definitionem Concilij, totius Ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem.* Et l. 7. p. 297. Ephesinam Synodum recens habitam non tantæ fuisse authoritatis ait, atque postea, *Nam & ipsa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas.* Quod & nos experimento quotidiano probamus, reuerentiam antiquitati vtique maiorem, & lubentiùs impendi. Nec id frustra in Ecclesiasticis saltem causis. Plures enim & noui subinde ex-

firmandi Synodos videri posset aliquatenus cum omni Ecclesia communicari.

Part. 1. pag. 98.

Tom. 5. hom. 52. pag. 707.

Digitized by Google

urgunt ſanctitatis & doctrinæ copiâ locupletes, qui priora ſtatuta verſando priuatim, & retractando, admirandoque, nouum authoritatis pondus adiiciant.

V. Ab Epiſcopis omnibus quædã etiam aliquando flagitata approbatio generalium Synodorum.

Nec inficias ibit quiſquam tamen, hanc conſenſionem ſeu tacitam, ſeu loquacem Eccleſiæ vniuerſæ, non plebibus, non clericis minoribus, ſed Epiſcopis adſcribendam. Epiſcoporum eſt enim, ceu Apoſtolis ſuccedentium, & Eccleſiæ magiſtrorum præire diſcipulis ſuis, & Synodalia ſtatuta condere, authorare, promulgare. Itaque Chalcedonenſem etiam Synodum numero Epiſcoporum, concordiâ & authoritate longè maximam, Leo tamen Imperator poſtea omnium Orientis Epiſcoporum ſubſcriptionibus fecit roborari. Liberatus c. 14. *Direxit per totum Orientem, &c. reſcribunt Chalcedonenſem Synodum uſque ad ſanguinem vindicandam, &c. Et hæ epiſtolæ vel relationes Epiſcoporum omnium, in vno codicis corpore vocantur Encyclicæ.* Extant ad Chalcedonenſis Concilij calcem epiſtolæ illæ metropolitanorum triginta ſeptem, cum ſuis Synodis ad confirmationem Chalcedonenſis Concilij conſpirantium. Sed audiendus hic eſt Facundus Hermian. l. 12. p. 541. *Volens hæreticos Leo Imperator, non ſua tantùm, ſed communi Eccleſiæ voce confundere: hoc & ipſe fecit quod Imperatorem decuit Chriſtianum, vt per metropolitanos Epiſcopos literas generales mitteret, conſulens de Timotheo Alexandrino Epiſcopo parricidâ, vel de Concilio Chalcedonenſi, vt conuenientibus ſecum Coëpiſcopis ſuis & Clericis, ſua reſponſione ſignarent, quid eis videretur. His ergo acceptis iidem metropolitani cum ſuis collegis, ſicut erant commoniti de ſuâ quiſque prouinciâ reſponderunt, tam concordi atque conſtanti ſententiâ, quàm ſolet multos vnire ſpiritus veritatis. Nam licèt è diuerſis longèque diſtantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium reſponſa diuerſum; quibus decreuerunt irretractabiliter eſſe cuſtodienda Chalcedonenſis decreta Concilij: proteſtantes atque dicentes, Neque iota vel vnum apicem poſſumus aut commouere, aut commutare eorum quæ apud illam definita ſunt. Et iterum: Quoniam ſicut Soli nihil minus eſt, ad demonſtrandum quia Sol eſt:*

Digitized by Google

ſic & magnâ, & ſanctâ, & vniuerſali Synodo Chalcedonenſi minus quidem bonorum nihil omnino eſt; neque additamento aliquo eget, neque detractione; ab Spiritu ſancto veluti diuino quodam Sole condita. Hæc tot Epiſcoporum tam mirifica confirmatio inſtar habuit Synodi alterius, quam in confirmationem Synodi Chalcedonenſis Leo antè meditatus fuerat, vt narrat Liberatus. Adde Ruſticum diſput. con. Acephal. *Licèt ſufficeret tibi vnica authoritas Synodi vniuerſalis, quæ numero ſuperat vniuerſas: quæ toties cunctarum Eccleſiarum conſona ſententia, tam per encyclicas epiſtolas regnante Leone, quàm per libellos ſacerdotum forſan duorum millium & quingentorum imperante Iuſtino confirmata eſt.* Idem & in quintæ Synodi negotio factitatum, ſi quid fidei ſit epiſtolæ Pelagij Papæ, quam Cuſanus ad Valerianum Patricium ſcriptam excripſit l. 2. Concord. c. 20. *Quod celſitudo veſtra dicit, vbi conuenire debeamus, & quaſi Synodum facere, iſtud canones nulli permittunt, poſt vniuerſalem Synodum, & poſt iudicium quod tanquam vno ore propè quatuor millia Epiſcoporum, tam in metropolitanis ſuis quàm ſingulares Conſtantinopoli protulerunt, iterum contentionem ad medium reuocare.* Sardicenſi Synodo ſubſcripſiſſe Epiſcopos ſaltem trecentos quadraginta, ſuprà ab Athanaſio didicimus; quorum videlicet plerique poſtea, & ſeorſim, non in ipſa Synodo conſenſionem ſuam adſcripſerunt. Sextæ Synodo vt authoritatem ſuam adiungerent, rogati à Leone Papa Hiſpaniarum Epiſcopi, in Concilio Toletano XIV. hæc definiunt can. 2. & 3. *Per Romani Præſulis baiulum, geſta Synodalia ſocietati noſtræ aduecta ſunt, &c. Leonis quoque antiquæ Romæ Epiſcopi innitatoria epiſtolaris gratia conſulta ſuſcepimus, &c. In cuius etiam gratioſo epiſtolæ tractatu, ad hoc omnes Præſules Hiſpaniæ inuitati ſunt, vt prædicta Synodalia inſtituta quæ miſerat, noſtri etiam vigoris manerent authoritate ſuffulta: omnibuſque per nos ſub regno Hiſpaniæ conſiſtentibus pateſcerent diuulgata, &c.* Et mox: *Licèt in vnum generaliter colligi per idem tempus Hiſpanorum omnium Præſulum ſocietas nequiuiſſet, ſparſis tamen ſedibus atque locis, præ-*

Digitized by Google

fatas geſtorum regulas pertractandas ſuſcepimus, ſuſceptas perlegimus, approbantes in his de vtrarumque Ieſu Chriſti Filij Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas & operatio prædicatur, recti dogmatis ſenſum, inculpandæ diſputationis edictum, Apoſtolicæ traditionis ſtylum. Vides geſta Synodi œcumenicæ ab Hiſpanis Epiſcopis perlecta, pertractata, approbata. Multo id expeditius eſſet in ſeptima Synodo demonſtrare. Sed quia prolixiùs id enucleari poſtulat, proprio ſeorſim loco expendetur.

VI. Sed nihil inde priuilegio ſedis Romanæ derogatur ad Synodos confirmandas.

Sed quanquam vniuerſus orbis Chriſtianus, quanquam prouinciales Synodi ſeiunctim, quanquam ſingulares ſeorſim Epiſcopi generalium Synodorum acta approbare & confirmare vtcumque perhibeantur, quando aſſentiuntur, & ſubſcribunt: non infringitur tamen ſingulare Petri, & Apoſtolicæ ſedis in confirmandis Synodis priuilegium. Quinimo maieſtas & prærogatiua capitis ex membrorum præcellentia exaggeratur. Nam quod ad minores Synodos attinet, cùm ab iis ad Pontificem prouocari poſſit, ſine eius conſenſu & authoritate, minùs ratæ illæ ſunt. Quod ad œcumenicas verò ſpectat, cùm earum caput & præſes ſit Romanus Pontifex, illarum τὸ κῦρος, & principalis authoritas penes ipſum eſt, non aliter quàm prouincialium Synodorum penes metropolitanum. Vnde Cuſanus lib. 2. de Concordantia Catholica, cap. 15. *Et verum eſt nullum indicium cuiuſcunque Synodi, vbi non eſt authoritas Apoſtolicæ ſedis, firmum eſſe: quia ſemper appellari poteſt à iudicio illius Synodi ad Apoſtolicam ſedem, &c. Propter appellationem quæ ab ea interponi poteſt ad Apoſtolicam ſedem, abſque confirmatione eiuſdem ſedis, rata non eſt.* Hæc de Synodis minoribus. De œcumenicis verò paulò pòſt: *Fortè diceres, etiam hæc regula de vniuerſali Concilio vniuerſæ Eccleſiæ vera eſt, quoniam nec illius Synodi etiam conſtitutiones, abſque Apoſtolicæ ſedis, imò Romani Pontificis authoritate ratæ ſubſiſtunt. Fateor de Conſtitutionibus fidem tangentibus verum eſſe, quòd ſi ſedis Apoſtolicæ authoritas non interuenit, ratæ non ſunt. Imò & ipſius Pontificis conſenſus*

Digitized by Google

interuenire debet, cùm ſit princeps in Epiſcopatu fidei. Sic & in aliis omnibus conſtitutionibus, quoniam ipſæ robur à concordia Synodica recipiunt. Nam etiam minimus ſuffraganeus in prouinciali, aut Canonicus in Epiſcopali, aut metropolitanus in patriarchali Synodo, eſt ideo de ſuæ Synodi eſſentia, quia robur ex omni concordia dependet. Sicut Damaſus Papa Concilium Ariminenſe ex hoc multùm arguit, quia Vincentius qui longo tempore fuit Epiſcopus, & alij Epiſcopi conſenſum non dederunt. Ergo ſtatutis œcumenicæ Synodi robur & firmitatem gradatim accumulant ſinguli Epiſcopi, prouinciales aut regionales Synodi, ſedes Apoſtolica, pro ſuo quique gradu. Ex communi enim omnium conſenſione roborantur decreta. Si minuſculis ergo membris ſua eſt tamen vis, ſuumque pondus in conſentiendo: quanto maior, & longè maxima eius eſt authoritas, qui *princeps in Epiſcopatu fidei* eſt, qui caput, qui Occidentales omnes maximè Epiſcopos, ſtrictiùs ſibi deuinctos, ſuo nutu circumagebat, ſibi ſemper conſentaneos, & ſecum geſtæ in Oriente Synodo, vel conſentientes, vel diſſentientes?

VII. Reliqui per orbem Epiſcopi ſubſcribunt poſtea Synodi decretis, confeſſionis magis ſuæ, quàm approbationis teſtimonium.

Et quidem ſi non cortici rerum inhæreas, ſed in ipſam introſpicias medullam, non latebit quo illæ pertinuerint ſubſcriptiones Epiſcoporum, poſt quartam, quintam, ſextamque Synodos corrogatæ. An Chalcedonenſis enim Synodus à ſexcentis ampliùs Epiſcopis habita, à Leone Papa cónfirmata, Occidenti, Orientique vniuerſo approbata, in ſuſpendio tamen adhùc per aliquot annos fuit, donec Leo Imperator Orientalium Epiſcoporum nouis ſeiunctim ſubſcriptionibus confirmari curaret? Cui niſi vehementer inſano tam delira in mentem venient? Quæ enim poſthac Synodus œcumenica non nutabit, ſi retractari à poſteris, ſi nouis ſemper ſuffragiorum corrogationibus confirmari indigeat? Idem de ſexta Synodo & aliis id genus pronunciandum. Ergo peracta ſemel Synodo cæteri per orbem Epiſcopi ſuæ magis confeſſionis, quàm approbationis vel confirmationis teſtimonium ſubſcribebant. Id liquet ex verbis metropolitanorum Chal-

Digitized by Google

cedonensi postea Synodo succinentium, quæ suprà ex Facundo retulimus. Profitentur enim, quod vniuersaliter valet in omnes receptas semel in authoritatem Synodos; nihil iis vel addi, vel demi posse; nihil ibi constitutorum retrà ↄari debere. Idem patet ex epistola Martini Papæ I. ad Episc. Gall. post Monotheleticam hæresin Romana in Synodo *Apostolico mucrone, Patrumque definitionibus vno ore, vnoque spiritu condemnatam. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, vt tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, & Synodali conuentione, scripta vnà cum subscriptionibus vestris, nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro orthedoxa fide statuta sunt.* Subscribi & subscribendo confirmari hortatur Lateranensis Synodi statuta, sed citra nouum examen. Id magis liquebit ex Leonis secundi epistolâ secundâ ad Episcopos Hispaniæ, quos sextæ Synodo hortatur subscribere, vt sibi consulant, non Synodo: *Abomnibus reuerendis Episcopis vnà vobiscum subscriptiones in eadem definitione venerandi Concilij subnectantur, ac sit profectò in libro vitæ properans vnusquisque Christi Ecclesiarum Antistes suum nomen adscribere; vt in vnius Euangelicæ atque Apostolicæ fidei consonantia, nobiscum & cum vniuersali sanctâ Synodo per suæ subscriptionis confessionem, tanquam præsens spiritu conueniat: quatenus Christo cùm ad iudicandum venerit, cum titulo orthodoxæ confessionis occurrens consortem se traditionis Apostolicæ per manus suæ demonstret signaculum.* Quanquam ergo Hispaniarum Episcopi suprà dixerint, gesta sextæ Synodi *nostri vigoris authoritate suffulciri*, & postea, *approbari:* sed Leo tamen iterum iterumque ab iis non postularat, nisi suæ *subscriptionis confessionem, titulum orthodoxæ confessionis*, non vt nouo authoritatis pondere Synodum quasi alioqui vacillantem confirmarent: sed vt ipsi *in libro vitæ scribi, & consortes se traditionis Apostolicæ per manus suæ signaculum demonstrare* properarent. Et infrà idem Leo: *Cùm vestrarum subscriptionum paginas susceperimus, has apud B. Petri Apostolorum principis confessionem deponemus, vt eo*

Digitized by Google

mediante atque intercedente, à quo Christianæ fidei descendit vera traditio, offeratur Domino nostro Iesu Christo ad testimonium & gloriam, eius mysterium fideliter confitentium ac subscribentium. Audih non approbantium, aut confirmantium, sed *confitentium ac subscribentium testimonium?* Et epistolâ 4. *Hortati sumus omnium Ecclesiarum reuerendissimos Præsules, vt subscriptiones suas eidem Apostolicæ Synodali definitioni subnectant, & vtpote pro filiis atque cum filiis Patres sua nomina in huiusmodi libro vitæ describant.* Et rursum vt ad quartam Synodum redeam, accipe quæ Euagrius scribit lib. 2. c. 9. & 10. Leonem non ad Episcopos tantùm, sed & ad monachos sanctitatis laude spectabiliores scripsisse, ac præ cæteris ad Symeonem Stylitam. Num etiam monachis ius suppetit confirmandæ Synodi? Sed quid rescribunt Episcopi? *Decretis Chalcedonensis Concilij inhæsere: ἐνέμειναν.* Quid Symeon? *Ego abiectus & vilis & aborsivus monachorum, Imperatori significaui meum propositum circa fidem Chalcedonensium Patrum sexcentorum triginta, inhærescens & confirmatus ab ea fide, &c.* Inhærere se & confirmari, non confirmare profitetur. Consule & authorem vitæ sancti Auxentij Abbatis, à quo similiter Marcianus confirmationem petiit Synodi Chalcedonensis.

VIII. Et his testimoniis, sicut & populorum Catholicorum consensioni, inest specimen non inane prorsus confirmationis.

Vtcumque tamen hæc singularium etiam Episcoporum, imò & monachorum, adeoque & laïcorum fidelium confessio, & expressa ad confessionis non ad confirmationis necessitatem subscriptio, confirmationis aliquam non inanem præ se fert imaginem. Hæc enim est Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, hoc semen Abrahæ stellis cæli, & arenis pelagi numerosius, huic Christus inconcussam stabilitatem, puramque ab errorum sordibus fidem pollicitus est. Ergo consensus ille Ecclesiæ Catholicæ explicatissimus, & à monachis etiam, laïcisque velut ad redundantiam quandam veritatis elicitus, non aspernandæ confirmationis instar habet. Ita Chrysostomus aduersùs Quartadecimanorum reliquias suprà vrgebat consensum orbis vniuersi. Ita Leo Imperator per

Digitized by Google

ſanctiſſimorum etiam monachorum ſubſcriptiones ſperabat ſuffundi poſſe Chalcedonenſis Synodi allatratores. Ita Auguſtinus lib. contra epiſt. Fund. c. 4. ea enumerans, quibus in gremio Eccleſiæ Catholicæ contineretur, ita orditur, *Tenet conſenſio populorum, atque gentium.* Ita Vincentius Lirinenſis Comm. 1. c. 33. *Quæ dogmatum nouitates ſi recipiantur, neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrum aut totâ, aut certè magnâ ex parte violetur. Neceſſe eſt vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes Virgines, omnes Clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot inſulæ, prouinciæ, reges, regna, nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tanto ſæculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet, pronuncietur.* Ita Ferrandus Carthag. Diaconus epiſt. ad Seuerum, *Vtinam mihi fide ſimplici, quam Catholica per vniuerſum mundum docet Eccleſia, ſic donec Deus eſſe contentum, &c. Loquantur & prædicent, quibus honor ſacerdotij docendi authoritatem tribuit, &c. Interroga ſi quid veritatis cupis audire principaliter Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, cuius ſana doctrina conſtat iudicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diuerſa terrarum loca Pontifices, quibus ſcientia cœleſtium præceptorum diuinitùs inſpirata, &c.* Vbi primas Apoſtolicæ ſedi, ſecundas partes tribuit reliquis Epiſcopis, compendio fidem tenendam monet, quam *Catholica per vniuerſum mundum docet Eccleſia.* Et infrà ad calcem eius opuſculi, ait: *Patienter hanc dubitationem ferendam, donec vniuerſalis Eccleſiæ authoritate vel pronuncietur ſuſcipienda, vel prodatur abiicienda.* Ita Ioannes II. epiſt. ad Senatores, ait: *Poſtquam epiſtolæ, vel dogmatis tenorem, cuncta Eccleſia, hoc eſt, ſacerdotum, ſenatus, & populi probauit aduerſus.* Nimirum in ipſa populorum toto orbe diſſeminatorum obedientia vnanimi & conſenſione ad vnum fidei per Epiſcopos trutinatæ iugum ſubeundum, ſpecimen diuinæ omnipotentiæ, & pignus elucet luculentiſſimum

Digitized by Google

lòculentiſſimum eius promiſſionis, qua Chriſto ſubiugandum orbem omnem priſca vaticinia cecinerunt. Ita ergo confirmatur & authoratur fides ab iis, qui authoritatis expertes cùm ſint, conteſtantur tamen hanc eſſe auitam, & ſibi à maioribus inſtillatam fidem. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 7. glorificandum Patrem non tantùm *per Filium*, ſed etiam *cum Filio* docens, ait: *Videas & à ruſticanis hodie hanc vocem more veterum pronunciari.*

IX. Sed principalis Synodos confirmandi authoritas, & iuridica poteſtas penes Pontificem Romanum eſt.

Sed principalem & legitimam poteſtatem confirmandarum Synodorum, etiam generalium penes ſedem Petri eſſe, multis argumentis euincitur. Ideo enim Iulius Papa apud Socratem lib. 2. cap. 13. ad Epiſcopos Concilij Antiocheni ſcribit, *eos contra canonem Eccleſiæ egiſſe, quia ipſum ad Concilium non vocauerunt, Eccleſiaſtico canone iubente, non oportere præter ſententiam Epiſcopi Romani, canones condere Eccleſiæ.* Aut vt apud Sozomenum lib. 2. c. 9. *Contra leges Eccleſiæ eſſe, quod ipſum ad Synodum non vocaſſent. Eſſe enim legem ſacerdotalem, quòd irrita declarentur, quæcumque fiunt præter ſententiam Romani Epiſcopi.* Ideo & apud Theodoretum lib. 2. c. 22. Synodica Epiſcoporum nonaginta Romæ congregatorum cum Damaſo Papa epiſtola de Synodo Ariminenſi, ait: *Siquidem numerus Epiſcoporum qui Arimini congregati fuerunt, præiudicij vim habere non debet. Quandoquidem factum illud eſt, neque Romanorum Epiſcopo, cuius ante alios oportebat ſententiam expectare: neque Vincentio, qui tot annis Epiſcopatum integrè geſſerat: neque aliis in res tales conſentientibus.* Vbi vides ante alios omnes neceſſariam Romani Epiſcopi conſenſionem, & ex eius deliquio irritari Synodum. Vnde & Siricius epiſt. 1. c. 1. *Poſt caſſatum Ariminenſe Concilium, miſſa ad prouincias à venerandæ memoriæ Liberio generalia decreta, &c.* De confirmata ſecunda hac œcumenica Synodo à Damaſo Papa, ſuprà dixi.

X. Euincitur id ex quarta maximè Synodo.

De quartæ Synodi confirmatione Facundus Hermianenſ. lib. 3. cap. 4. *Cùm Leo dicat: Et fraterna vniuerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolùm per fratres,*

Digitized by Google

qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum vnisse sententiam. Non ergo solam fidei definitionem, sed ipsa gesta Synodalia se pronunciat approbasse. Vbi obserua primùm, non per legatos tantùm suos affuisse; & consensisse Synodo Chalcedonensi Leonem, sed postea etiam *gesta Synodalia approbasse:* quod posterius propriam eius authoritatem continet, nulli præterea Episcoporum concessam. Item Facundum aduersùs eos effreuescere, qui fidem tantùm Concilij approbatam à Leone Papa iactabant, non reliqua omnia, non illa maximè famosa tria capitula: ideoque irretractabilem illam solam esse, de his verò redintegrari posse iudicium. Quibus validè resistitur à Facundo, ostenditurq; omnia prorsus Concilij Chalcedonensis decreta à Leone confirmata, ideoque omnia perinde irretractabilia. Vtrisque ergo conueniebat, accessione vel decessione approbationis sedis Apostolicæ fieri, vt acta œcumenicæ alioqui Synodi retractari possint vel non possint; adeoque vt nomen & pondus œcumenicæ Synodi obtineant, vel non obtineant in hac parte. Allegat mox Facundus Gelasium quoque Papam in epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos, vbi ait: *Beatum Papam Leonem sedis Apostolicæ Præsulem, cuius Synodus Chalcedonensis authoritate firmata est, quidquid vltrà quàm ab eodem pro fide & communione Catholica atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius præter Nicænos canones nouâ videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse.* Omnibus ergo id præsumptum animo, & præiudicatum erat tunc orthodoxis, ea demum rata & fixa, nec ad nouæ disputationis incudem reuocanda esse Synodi Chalcedonensis decreta, quæ Leo Pontifex confirmasset. A quibus non abludit Ferrandus Eccl. Carthag. Diaconus ad Pelag. & Anatol. pro tribus similiter capitulis scribens, & maximè pro epistola Ibæ: *Si quis tunc accusator epistolæ, cuius catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia prouocaret, accusationi forsitan secundùm consue-*

Digitized by Google

tudinem locus pateret. Sed quò iret? aut vbi maiores in Eccleſiâ reperiret iudices? Ante ſe habens in legatis ſuis Apoſtolicam ſedem: quâ conſentiente, quidquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum. Et infrà: *Si retractentur Chalcedonenſis decreta Concilij, de Nicenâ Synodo cogitemus, ne ſimile periculum patiatur. Vniuerſalia Concilia, præcipuè illa quibus Eccleſiæ Romanæ conſenſus acceſſit, ſecundæ authoritatis locum poſt canonicos libros habent.* Vtque Scripturas nemo ad examen, quaſi emendandas, vocat: *Sic omnino Concilia, quæ vetuſtas firmauit, & cuſtodiuit deuota poſteritas, obedientiam de nobis exigunt, &c.* Et ſtatim: *Quæ finiuntur iudicantibus Epiſcopis ſanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur atque firmantur, ſequenda ſunt, tenenda ſunt, amplectenda ſunt: in retractatione ſub qualibet pietatis occaſione teneri non debent.* Vides quàm iuridica & authoritatis ſummæ inſignibus ornata ſit ſententia Sedis Apoſtolicæ, decreta Conciliorum generalium confirmantis, quandoquidem *ea diligentiùs examinat, & firmat:* & illud adiicit momentum, ex quo id conſequuntur, vt deinceps irretractabilia ſint. Denique idem Ferrandus infrà: *Audi, fili, legem Patris tui, & ne ſpernas conſilium matris tuæ. Lex enim Patris fulget quantùm mihi videtur in canonicis libris: conſilium matris in vniuerſalibus Conciliis continetur, &c. Sufficere iudicatur ad plenam confirmationem, ſi perducta ad notitiam totius Eccleſiæ, nullum offendiculum moueant, vel ſcandalum fratribus, ſed Apoſtolicæ fidei conuenire firmentur, Apoſtolicæ ſedis roborata conſenſu.* Vbi conſenſu quidem totius Eccleſiæ roborari generalia Concilia annuit, ſed eo vno; quòd nemo offendatur, nemo auitæ fidei ea obſtrepere clamitet: ſed ſingulariter & nouo examinis atque authoritatis pondere à ſede Apoſtolica confirmari. Aduersùs Facundi autem & Ferrandi ſententiam prolixè diſputat Pelagius II. Papa epiſt. 5. ad Epiſc. Iſtriæ, nonniſi quæ ad fidem pertinent Chalcedonenſis ſtatuta Concilij, à Leone confirmata contendens; ideoque illis tantùm, non aliis irretractabilem firmitatem adſignans. Leonis

Digitized by Google

enim Papæ verba eadem quæ ſuprà Facundus cùm excripſiſſet: ſubdit: *In ſola ſcilicet fidei cauſa, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ ſedis placuit congregari.* Et mox ex epiſtola Leonis ad Maximum Antiochenum hæc excerpit: *Si quid ſanè ab iis fratribus quos ad ſanctam Synodum vice mea miſi, præter id quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apoſtolica ſede directi ſunt, vt exciſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores. Quidquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt diiudicandi habere rationem, &c.* Hæc Leo: tum Pelagius: *Priuatas cauſas, quæ ibi poſt definitionem fidei actæ ſunt, non ſolùm minimè confirmauit, ſed & retractari, atque diiudicari conceſſit.* Denique Leo ipſe Papa pondus authoritatis ſuæ in confirmando Chalcedonenſi Concilio non obſcurè declarauit. Nam epiſt. 59. ad Marcianum Auguſtum, ait: *Cùm veſtro præcipuè opere ſit effectum, vt per Synodale Concilium, damnatis impij dogmatis defenſoribus, omnes vires ſacrilegus error amitteret: ad eiuſdem deuotionis pertinet palmam, ſi malum quod in ſuis ducibus eſt oppreſſum, etiam in quibuſcumque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia veſtra arbitretur implendum, ſi per vniuerſas Eccleſias, definitiones ſanctæ Synodi Chalcedonenſis Apoſtolicæ ſidi placuiſſe doceantur.* Et epiſt. 60. ad Pulcheriam Auguſtam, *Quod verò piiſſimus Imperator ad omnes Epiſcopos qui Chalcedonenſi Synodo interfuere, voluit me ſcripta dirigere, quibus quæ illic ſunt de fidei regulâ definita, firmarem, libenter impleui: ne fallax cuiuſquam ſimulatio ſententiam meam haberi vellet incertam.* Ingens prorſus momentum authoritatis habitura erat Leonis Papæ confirmatio, quam Imperator poſtulabat, quam pij omnes expectabant, de qua fallaces erroris defenſores dubitare ſe malè ſimulabant. Quanquam ergo Chriſtiani orbis conſpiratione firmetur plurimùm Concilij placitum, vt idem Leo docet epiſt. 52. *Non vltrà iam excuſationis refugium conceditur, cùm ſexcentorum ferè fratrum & Coepiſcoporum no-*

Digitized by Google

ſtrorum Synodus congregata, &c. Non ſolùm ſacerdotibus Chriſti, ſed etiam principibus & poteſtatibus Chriſtianis, cunctiſque clericis, plebibus, ordinibus plenè atque euidenter apparuit hanc eſſe verè Apoſtolicam fidem ex diuina pietatis fonte manantem, quam ſinceram & ab omni face totius erroris alienam, ſicut accepimus, prædicamus, & vniuerſo iam mundo conſentiente defendimus. Conſenſu orbis auita hæc eſſe fides proditur. Nunquam enim in vnum vniuerſi aberrant. Erroris enim plura ſemper diuerticula, ſimplex & vna veritas eſt. Quidquid ergo vnum eſt vbique, non erratum, ſed traditum eſt. Sed confirmandæ Synodi ius tamen ſpeciale Petri ſedi vendicat idem Leo rurſus epiſt. 86. ad Nicetam Aquil. *Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris authores, & quidquid in doctrina eorum vniuerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur: omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem hæreſeos Apoſtolicæ ſedis confirmauit authoritas, amplecti ſe & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur.* Et epiſt. 77. ad Anatol. *Ita vt Chalcedonenſis Synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua ſubſcribendo conſenſit, & quam Apoſtolicæ ſedis firmauit authoritas, profiteatur ſe per omnia ſeruaturum.* Sed euidentiſſimè idem Leo canonem Chalcedonenſis Concilij. XXVIII. irritum eſſe decreuit, & peruicit, expungique fecit. Audi quid epiſt. ad Pulcheriam Aug. ſcribat: *Conſenſiones verò Epiſcoporum, ſanctorum canonum apud Niceam conditorum regulis repugnantes, vnitâ nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus: in omnibus, Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium ſacerdotum per 318. Ant ſtites Spiritus ſanctus inſtituit: ita vt ſi multo plures aliud quàm illi ſtatuêre, decernerent, in nullâ reuerentiâ ſit habendum, quidquid fuerit à prædictorum conſtitutione diuerſum.* Tanquam vindex canonum Nicænorum, aduerſantem illis canonem Chalcedonenſem extremum non quomodocumque ſuggillat & reſpuit, ſed *in irritum mittit, & per authoritatem B. Petri Apoſtoli generali*

Digitized by Google

prorſus Definitione ceſſat. Et ceſſit tandem Imperator, ceſſit Anatolius, cuius dignitas vertebatur, & eraſus ex albo eſt, ille reſciſſus canon à Leone, vt infrà dicemus. Summa ergo & propria vni Romano Pontifici competit hæc authoritas.

XI. Idem ex Pſeudoſynodo Epheſinâ, & aliis argumentis efficitur.

Et hanc ſanè Romani Pontificis, vt Synodorum generalium Cuſtodis, Vindicis, Executoris poteſtatem ad eaſdem confirmandas, vel irritandas Synodos ſingularem, luculentè Gelaſius Papa profitetur epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Confidimus quòd nullus tam veraciter Chriſtianus ignoret, vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, non aliam magis exequi ſidem pra ceteris oportere, quàm primam; que & vnamquamque Synodum ſua authoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit; pro ſuo ſcilicet principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſiâ nihilominus ſubſequente & tenuit ſemper & retinet.* Si odiorum nebulas, ſi iurgiorum procellas vel ad momentum abigere, & veritatis ſerenum haurire Nouatores inducerent in animum: quid æquius, quid ad Eccleſiæ tranquillitatem, canonumque vim tutandam opportunius, quàm vt Petri tot priuilegiis à Chriſto decorati ſedes perpetua, Synodorum Canonumque vindex & defenſatrix ſit? Et pro iure ſuo, quidquid nouæ in dies Synodi, priſcis Synodis reguliſque aduerſum ſtatuent, id reſcindat: quidquid conſonum, id confirmet? Ita Epheſinam ſecundam Synodum refutauit, Chalcedonenſem approbauit Leo, eodem ibidem Gelaſio authore. *Dioſcorum ſecunda ſedis Præſulem ſua authoritate damnauit ſedes Apoſtolica: & impiam Synodum non conſentiendo ſubmouit: ac pro veritate vt Chalcedonenſis Synodus fieret, ſola decreuit, &c. Sicut id quod prima ſedes non probauerat, ſtare non potuit: ſic quod illa cenſuit indicandum, Eccleſia tota ſuſcepit. Vbi etiam conſequenter oſtenditur, quia malè geſta Synodus, id eſt, contra Scripturas ſanctas, contra doctrinam Patrum, contra Eccleſiaſticas regulas, quam tota meritò Eccleſia non recepit, & præcipuè ſedes Apoſtolica non probauit;*

Digitized by Google

per bene gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas, pro fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè sedes Apostolica approbauit, vt debuerit & potuerit immutari. Inuidiosa videri non debent priuilegia primæ sedis, eo vno nomine impetrata, quòd prima sit, cùm primam aliquam esse iusserit schismatis præuertendi necessitas. Est enim primæ sedis præ cæteris canones, Synodosque vt publicæ salutis propugnacula tueri, aduersa refellere, consentanea approbare.

XII. Idem ex Synodi quintæ approbatione, & sextæ, & octauæ.

Nec minùs perspicuè id efficitur ex quintæ Synodi exemplo, cui vix, aut nec vix quidem œcumenicum pondus authoritatis antè affuit, quàm à sede Apostolica reciperetur. Dissentiebat enim primò Occidentalis prorsus Ecclesia, & nisi Vigilij demum, aut certè Pelagij Gregoriique Romanorum Pontificum consensio & authoritas perfregisset reclamantium pertinaciam, nunquam illa Synodus in vniuersam Ecclesiam, sed in Orientalem dumtaxat conualuisset. Pelagius II. epist. 7. c. 7. ad Episcopos Istriæ adhuc bellaturientes aduersùs quintam Synodum: *Rursum per epistolam vestram dicitur, à sede Apostolica vos doctos, atque ab scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo authore præsumus, confirmatos: ne huic rei quæ sub piæ memoriæ Iustiniano principe gesta est, consentire debeatis. Atque hanc opitulationem excusationi vestræ adiungitis, dicentes, quòd in causæ principio, & sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum prouinciarum principes damnationi trium capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippe homines, & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognouerunt: & tantò eis celeriùs credi debuit, quantò eorum constantia, quoniquè verum cognoscerent, à certamine non quieuit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent.* Ergo postquam consensit exploratæ iam veritati sedes Apostolica, tunc ne-

ceſſe fuit omnes quintæ Synodo aſſentiri : & ab hoc aſſenſu Iſtriæ priùs abhorrebant Epiſcopi, quòd & Vigilium abhorruiſſe ſentirent. Et c. 8. *Si in trium capitulorum negotio aliud, cùm veritas quæreretur, aliud autem inventâ veritate dictum eſt; cur mutatio ſententiæ huic ſedi in crimine obiicitur, &c.* Et epiſt. 5. ad eoſdem, eos hortatur vt ad Eccleſiam redeant, quæ vna eſt, & Apoſtolicis ſedibus ſuperfulta : *In his namque ait Auguſtinus eſſe Dei Eccleſiam conſtitutam, qui ſedibus Apoſtolicis per ſucceſſionem Præſulum præſidere noſcuntur, &c. Et Cyprianus: Exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra monſtretur.* Sed lux plurima & his, & ſuperioribus omnibus affundetur ex epiſtola Leonis II. qua ſextam Synodum confirmauit, ex ea planè authoritate, quæ Petri ſedem, quæ primam Eccleſiæ Cathedram, quæ fidei & diſciplinæ paternæ defenſorem, quæ Occidentalis maximè orbis patronum decet, cuius nutu & ſupercilio Occidentalis omnis agebatur Eccleſia, & ſuo aſſenſu vel diſſenſu, vel addebat, vel demebat Synodis Orientalibus œcumenicum nomen & momentum. *Igitur geſtorum Synodalium ſeriem recenſentes, curioſâque diligentiâ, ſingula quæ geſta ſunt, flagitantes, eadem quæ Apoſtolicæ ſedis legati narrauerant, ſcriptis conſonantibus conuenire reperimus. Cognouimus enim, quòd ſancta, & vniuerſalis, & ſexta Synodus, eadem quæ vniuerſa Synodus ſancta & Apoſtolica huic ſedi adiacens, ſenſerit atque decreuerit, ſub orthodoxæ fidei integritate, regulisque maiorum; atque concorditer nobis confeſſa eſt, vnum eſſe de Trinitate Chriſtum, &c. Per quæ reuera probauimus hanc ſanctam ſextam Synodum, Apoſtolicam prædicationem inoffenſo pede fuiſſe ſecutam, ſanctorumque & vniuerſalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus conſentientem, &c.* Et infrà : *Hanc rectæ & Apoſtolicæ traditionis normam prædeceſſor meus Agatho cum ſuâ Synodo prædicauit : hanc ſcriptis percurrentibus in ſuæ ſuggeſtionis pagina veſtræ pietati per ſuos legatos miſit, &c. quam ſancta Synodus nunc ſuſcepit, & nobiſcum amplexa eſt, &c. Idcirco & nos, & per noſtrum officium,*

d by Google

officium, hæc veneranda ſedes Apoſtolica concorditer, & vnanimiter, his quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & B. Petri authoritate confirmat. Confirmat & quidem ex authoritate Petri ſextam Synodum, poſt examinata eius decreta, vt conſentaneam fidei regulis ab Agathone Papa prælineatis, prioribus Conciliis generalibus, Occcidentaliſque totius Eccleſiæ ſeu Synodi ſententiæ.

XIII. Inde œcumenicæ Synodi exaggeratur authoritas, quòd eius cuſtos & executrix ſedes Apoſtolica non ſinat illi per nouas vllas Synodos derogari.

Parco ſeptimam hic Synodum excutere, quòd prolixiorem operam & alibi ideo ſeponendam res ea deſideret. Octauæ Synodo non ſubſcripſere legati Apoſtolici, niſi *vſque ad voluntatem* Papæ. Et Synodus ipſa confirmari ſe petens ab Hadriano Papa, *Predica hanc Synodum veluti propriam, & ſollicitiùs confirma cœuangelicis præceptionibus, & admonitionibus veſtris: vt per ſapientiſſimum magiſterium veſtrum etiam alius vniuerſis Eccleſiis perſonet & ſuſcipiatur veritatis verbum, & iuſtitiæ decretum.* Abunde ex ſuperioribus patet id quod ait Gelaſius Papa I. de anathemate, *Totum in ſedis Apoſtolicæ poſitum eſt poteſtate. Ita quod firmauit in Synodo ſedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit: quod refutauit, habere non potuit firmitatem: & ſola reſcindit, quod præter ordinem congregatio Synodica putauerat vſurpandum.* Nempe quia ſedes Apoſtolica tum, *Non promulgatrix eſt iteratæ ſententiæ, ſed veteris executrix:* vt ibidem ſubditur. Et epiſt. 13. *Quòd ſedes Apoſtolica ſicut decuit antiquam traditionem cuſtodiens, non Synodum duxit iterandam: ſed in eius prænaricatore pellendo, hanc eandem Synodum potiùs exequendam.* Et infrà ait Leonem à Marciano Imperatore laudatum, quòd improbando, irritandoque extrema Chalcedonenſis Synodi ſtatuta, *canonum regulas violari nullâ fuerit ratione perpeſſus.* Leonem enim *quod præter Nicænos canones nouâ videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuaſſe.* Et infrà de Romana Synodo agens quæ cum ipſo Acacium damnauerat, ait, *Non tanquam noua Synodus veterem primamque cognouit, ſed potiùs ſecundùm tenorem veteris conſtituti, particeps Apoſtolicæ executionis effecta eſt.* His adde Leonis primi & ſecundi verba ſuperiùs relata, clarebit om-

Digitized by Google

nino non ambiosè in vniuersam Synodum insolescere Romanos Pontifices, sed Synodorum potiùs vindices, custodes & executores esse; ideoque intercedere necessariò, ne antiquis Synodis per nouas derogetur, id est, ipsos maximè Synodorum maiestatem defensare. Hallucinantur ergo mirum in modum, qui fœdam hinc Concilij œcumenici seruitutem augurantur. Quin ex aduerso inconcussam æternamque illius authoritatem & gloriam inde certò ominamur, quod inuictissima eius custos sedes Apostolica, excubias actura sit, ne vllis posthac nouellis Synodis ei detrahatur.

XIV. Quod cum Italico, vel Occidentali Concilio, Synodos confirmaret vel refelleret sedes Apostolica, id eius maiestati nihil detrahit, sed addit plurimùm.

Et rursum quòd non sola, sed Italico, vel Occidentali Concilio succincta sedes Apostolica, Orientales confirmaret, vel refutaret Synodos, non eius inde infringitur eximia prærogatiua, sed roboratur. Nunquam enim sola, nunquam filiorum clientumque suorum numeroso agmine nuda, potest sedes Apostolica videri. Nunquam caput à membrorum compage, nunquam membrorum conspiratio à capite deficit: nec in iniuriam capitis, sed in eius gloriam redundat, quòd membrorum suorum venustate & ope semper valletur. Facessant impiarum rixarum commenta. Ne caput hinc, inde membra præter caput omnia & aduersùm caput velut in acie constituantur ac collidantur. Longè aliter Ecclesia Christi à Christo ipso imbuta olim est: quæ capitis & membrorum omnium suorum opes viresque prorsus communes, & indiscretas semper habere sibi visa est, & indiuiduo vnitatis, charitatisque vinculo connexas; ita vt seu capitis, seu membrorum quorumlibet gloria in totum corpus refunderetur. Hincmarus l. 55. cap. c. 20. *Iulius Romæ Synodum celebrauit, & eandem Nicænam Synodum Apostolicæ sedis authoritate per se, sicut prædecessor illius Syluester per legatos suos firmauit. Capitula quoque in eodem Concilio constituta, ipse omnibus validior antiquitatis vsus, & antiqua maiorum traditio, reuerendissimo vigore tenenda corroborauit.* Confirmat Nicæna statuta omnibus validior antiquitatis vsus,

Digitized by Google

hoc est, consensio & consuetudo Ecclesiarum, mores suos illis coaptantium. Sed confirmat eadem, confirmat Synodicam de fide definitionem Romanus Præsul Apostolicæ sedis authoritate : confirmat iste imperio, illi obsequio. Vide & eundem Hincmarum ibidem c. 23. & 24. vbi Concilij ipsius Chalcedonensis can. 9. & 28. item canonem huius Constantinopolitanæ Synodi de priuilegiis sedis Constantinopolitanæ editum, à sede Apostolica receptum fuisse negat, ideoque missum esse in irritum ex Gelasio Papa contendit, cuius prolixè verba describit. Nempe procusi fuerant illi canones *in absentia legatorum sedis Apostolicæ, quibusdam non consentientibus; & pòst reclamantibus, de sacrorum canonum, & priuilegij Apostolicæ ac primæ sedis iniuriâ & præiudicio eisdem legatis.* Quæ ergo confirmata non sunt à sede Apostolica, ne statuta quidem fuerant ab œcumenica Synodo, sed tumultuariè aut fraudulenter obrepsisse. Etenim is est capitis & membrorum, Pontificis Synodique concentus, vt quæ synodicè statuuntur, indubiè confirmentur: quæ non confirmantur, ea in Synodo magis, quàm à Synodo, & præter Synodicas leges subrepsisse, aut extorta fuisse æstimentur. Vnde idem Hincmarus lib. de diuort. Loth. & Tetber. pag. 686. tom. 2. *Quibus omnibus demonstratur quia Synodus compronincialium Episcoporum iudicia; generalis autem Synodus compronincialium diiudicationes, siue dissensiones vel probet, vel corrigat. Apostolica verò sedes & compronincialium & generalium retractet, refricet, vel confirmet iudicia; sicut Epistolæ Leonis, atque Gelasij cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus euidenter ostendunt. Et Episcoporum rectè iudicantium confirmatur, & secus iudicantium corrigitur, & interim fundius non perit authoritas.*

Vbi & illud perspicitur, prouinciales quoque Synodos, siue regionales, non aliter quàm sedi Apostolicæ approbatas, inuictum robur assequi. Ratio ipsa Hincmari id reuincebat. Vt singulorum Episcoporum iudicia à Synodis prouinciæ, ita harum à superioribus sedibus, &

XV. Prouinciales quoque Synodi à sede Petri confirmãdæ fuere, vt authoritatem certam, irretractabilem, &

vniuerſalem conſequerentur.

omnium denique definitiones à ſumma & prima ſede retractari, firmarique neceſſum eſſe. Vnde idem in epiſt. ad Carolum Regem operi de prædeſt. præfixa, *Synodus pro cognitâ infidelitate Felicis eſt habita, & ad Romanam Eccleſiam velut ad apicem Eccleſiarum tranſmiſſa.* Et idem tom. 1. p. 266. Concilia quædam à ſe habita, à ſede Apoſtolica firmitatem inexpugnabilem conſecuta eſſe ſic narrat, ſiue fingit: vtcumque id habeat, elucebit tamen pontificem confirmationem quantùm ambierit, quanti fecerit: *Quæ domni Apoſtolici Benedicti priuilegio ſub anathematis interpoſitione, vt inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur, ſunt confirmata: & demum domni Nicolai Papæ confirmatione, ſicut ſanctæ recordationis Benedictus Pontifex illam confirmauit: ſalvo Romanæ ſedis in* omnibus *inſſu atque iudicio, ſub terribili anathemate, vt quæcumque perſona magna vel parua, temerario auſu contra hoc ſuum Apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, anathematis vinculo ſit innodatus, ſunt roborata. Et quia ſedes Apoſtolica in hoc prorſus ſua ſibi magnopere iura conſeruat, & aliena cuſtodit, imò ſua propria facit, vt omnis quæſtio ad eam relata, iudicio & ſuæ confirmationis deciſione finem accipiat.* Id affectabant ergo Epiſcopi, vt irretractabilem authoritatem ſuis decretis confirmatio primæ ſedis impartiretur. Æquitatem non rarò eadem conciliabat, ſi quid peccatum eſſet, vt in Synodo de Lotharij Regis coniugio habita. Ideo Nicolaus epiſt. 23. ad Epiſcopos Synodi Metenſis, *Statuimus vt cuncta quæ fuerint definita, noſtro Præſulatui ſignificetis; vt ſi ea iuſtitiæ pulcritudine probabilique ſanctione definita perſpexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus. Si autem iniuſtitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renouare ſummopere iubeamus.* Ita & Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 111. ad Epiſcopos Galliarum, Synodi acta ſibi renunciari iubet, *vt ſubtiliter agnoſcentes, quid & cum quâ cautelâ, vel qualiter ſit decretum, omnipotenti Deo de vitâ veſtrâ vel moribus gratias perſoluamus.* Vide & epiſt. 112. Item epiſt. 70. *Quamuis ſine Apoſtolicæ ſedis authoritate nullas quæcumque acta fuerint vires habeant.* Vbi de

Digitized by Google

Constantinopolitanæ cuiusdam Synodi actis agit. Et l. 2. epist. 47. & 48. ad Episc. Numidiæ, *De vnitate ac pace Concilij, quod Deo authore congregare disponitis, charitas tua animos nostros subtiliter omnia indicando letificet.* Hunc enim fructum vnum decerpit ex hac sua in Ecclesias omnes indefessa vigilantia sedes Apostolica, vt de vnitate & sanctimoniâ ipsarum ipsis gratuletur, sibi gaudeat, Deo gratias referat: hunc autem fructum longè vberrimum illis affundit, vt quod decreuerint, id ad æquitatis normam expensum, id irretractabile, id vniuersali quadam authoritate ornatum sit. Ideo Posidius in vita August. c. 18. post laudata Africana aduersùs Pelagianos Concilia, *At illi tantæ sedis Antistites Innocentius & Zozimus, suis diuersis temporibus eosdem notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt.* De Carthaginensibus Conciliis à sede Petri confirmatis & inde nactis indubitatam, irreuocabilem, vniuersalem definitionum suarum vim prolixiùs infrà suo loco, sicut & de Synodo Arausicanâ. Penè suffugerat eximius locus epistolæ Flauiani Episcopi Constantinopolitani ad Leonem, suam qua Eutychetem damnarat, Synodum confirmari enixiùs petentis. *Propriam faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare: confortare autem & piissimi Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Remonebitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Vbi roboratam assensu sedis Apostolicæ Synodum, toto in orbe Catholico ad illud perspicis authoritatis fastigium euolaturam, vt iam otiosa futura sit Synodus œcumenica. Siue quòd œcumenicæ

instar habeat Synodi sedes Apostolica sola; siue quòd eius in omnes Ecclesias sententia promulgata, subscriptaque, œcumenicæ Synodi pondus obtineat illa omnium Ecclesiarum suffragatio; siue vtrumque, quia vtrumque sibi coniunctum est, & indiuulsum. Victor Tununensis in Chronic. *a Romano Antistite Apostolicâ authoritate firmatam ait*, Flauiani definitionem aduersùs Eutychetem.

XVI. Antiquiora eiusdem testimonia.

Et rursum Ennodius in Apologetico pro Romana Synodo, quî prouinciales omnes Synodi à Petri successore singulari confirmentur, ita declarat: obiectionem secus sentientium proferens & exufflans: *Ergo Concilia sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt? Legite, insanissimi, aliquando in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de maioribus negotiis ad collationem siquid occurrit, præfatæ sedis arbitrio fuisse seruatum. Sic enim habes: Si quis Episcoporum iudicio prouinciali depositus fuerit, Romanum Papam, si placet, rursus appellet; & ipse, si videtur, reparet iudicia in opitulatione damnati. Ecce enode est, quod ad laqueum præparastis.* Adde his Synodicas consultationes, teste Hieronymo, ab Oriente & Occidente Romam destinari solitas. Adde Synodos toto orbe habitas de Paschæ die, & de baptismo hæreticorum: à nutu & consensu primæ sedis omnium definitionum robur, omnium infirmationem manasse, vbique perspicuum. Hieronymus aduersùs Lucifer. *Cyprianus hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit; sed conatus eius frustra fuit.* Et Vincentius Lirinensis suprà laudatus, aiebat Cypriano nouanti & eius Synodo Stephanum tantò plùs cæteris restitisse, quantò *loci dignitate superabat. Denique in epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: Nisi quod traditum est.* Et quanquam obcalluisse tunc visa sit contumacia, *Quis tunc vniuersi negotij exitus? Quis vtique nisi vsitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa*

Digitized by Google

nouitas. Et mox: *Quid poſtremo ipſius Africani Concilij ſiue decreti, quæ vires? Donante Deo nullæ: ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Ad Romanæ enim & Eccleſiæ authoritatem, & diſciplinæ imitationem ipſi ſe Afri contulere, tametſi Græcos ſequi poſſent à rebaptizandorum hæreticorum more nunquam ſatis, nunquam penitus expiatos. De Paſchæ die autem ſuperiùs Beda nos docuit miſſam à Victore Papa *authoritatem* & formam, quam omnes Orientis Eccleſiæ ſequerentur. Valet ergo illud Ratherij Veronenſis Epiſcopi in itinerario, *Qua ignorantia quo melius exui, quo aptius poſſum quàm Romæ doceri? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romæ ignoretur? Illic ſummi illi totius orbis Doctores. Illic præſtantiores enituerunt vniuerſalis Eccleſiæ principes. Illic decreta Pontificum vniuerſorum congregatio, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio ſpernendorum. Poſtremò nuſquam ratum, quod illic irritum: nuſquam irritum, quod illic ratum fuerit viſum. Vbinam ergo melius inſipientiæ conſulitur meæ, quàm vbi fons ſapientiæ cernitur eſſe?* Et Ratramnus lib. 4. aduerſ. oppoſita Græcorum: *Si quidem omne Concilium vel quod in Oriente, vel quod in Africa geſtum eſſe dignoſcitur: vel Romani Pontificis vicarios ſemper habuit præſidentes, vel eius authoritate literarum, quæ fuerunt decreta, firmitudinem acceperunt.* Et mox: *Et reuera omnes Orientales Eccleſiæ, ſimul & Occidentales, Romanæ Eccleſiæ Præſulem ſemper quaſi Caput Epiſcoporum venerati ſunt, & ad eius ſententiam reſpexerunt: & de rebus dubiis quæcumque decreuit, eius iudicium ſuſtinuerunt, ipſiuſque decreto paruerunt. Quæcumque Concilia eius ſententiâ roborata ſunt, rata manſerunt: quæ verò damnauit, pro nihilo reputata fuerunt, nec authoritatem vllam habere potuerunt.*

Spicil. tom. 2. pag. 267.

Ibidem pag. 147.

Vbique enim valebat quod ſuprà Hieronymus de Eccleſiæ Alexandrinæ in Romanam veneratione, huius in illam magiſterio effatus eſt. *Scito me ſemper meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam: cuius ſe eſſe partici-*

XVII Et Synodi & Eccleſiæ Matricibus & Originalibus Eccleſiis neceſſariò adhæreſcunt.

Digitized by Google

pem, Alexandrina Eccleſia gloriatur. Et idem rurſus: *Prædicationem Cathedræ Marci Euangeliſtæ, Cathedra Petri Apoſtoli ſua prædicatione confirmet.* Si Alexandrina & Synodus & Eccleſia, vtique alia quæcumque multò magis, fidem & decreta Romanæ ſe ſequi gloriabitur; Romana, eius ſtatuta confirmabit. Hos enim officij numeros implere debet magiſtra & diſcipula, Petri & Marci Cathedra. Vt Eccleſias enim, ita Synodos, Eccleſiarum repræſentationes, regit, docet, confirmat quæ prima & princeps eſt. Vnde Tertullianus lib. de præſcriptionibus: *Conſtat omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, Matricibus, & Originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam.* Et lib. 4. aduersùs Marcionem: *Conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolicas fuerit ſacroſanctum.* Et quanquam tunc quidem multæ numerarentur Eccleſiæ Matrices, Originales, Apoſtolicæ, vna tamen cæteris Apoſtolicis Petri Cathedra eminebat, vt vnus Apoſtolis Petrus: cui quantò tutiùs quàm cæteris incumberetur, vt cætera nunc taceam, ipſa rerum euidentia, ipſa potiùs Numinis prouidentia perſpicuum fecit: cæteras omnes à vinculo fidei & vnitatis diuelli paſſa: hanc vnam inexpugnabilem, in arce veritatis & in Eccleſiarum principatu conſeruans.

XVIII. Ius confirmandarum Synodorum à Petri priuilegio ortum.

A Petri enim priuilegio deriuari hanc Synodorum firmandarum dotem, inſinuarunt ſuprà relati teſtes. Leo II. *Sedes Apoſtolica conſensit, & beati Petri authoritate confirmat.* Synodus IV. Romana ſub Symmacho: *Præſul Apoſtolicæ ſedis prærogatiua & meritis beati Petri Apoſtoli, per vniuerſum orbem primatum obtinens ſacerdotij, ſtatutis Synodalibus conſueuit tribuere firmitatem.* Gelaſius, *Synodum vnamquamque ſedes Apoſtolica confirmat, & cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Domini voce perceptum tenuit ſemper & retinet.* Leo primus, *Per authoritatem beati Petri Apoſtoli caſſamus.* Hieronymus, *Cathedra Petri confirmet.* Verùm, vt aiebat ſuprà Tertullianus:

Digitized by Google

Tertullianus : *Tot & tantæ Ecclesiæ vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes ; sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.* Ita omnes Ecclesiæ, Synodique Romano inhærentes magisterio, eius priuilegio decorantur ; & indubiam veritatem, inconcussam firmitatem, vniuersalem ipsæ quoque authoritatem consequuntur. Ita quod iam præmonuimus, nihil inuidiæ, nihil rixæ inter caput & membra inferendum est. Caput enim non aliter præesse se gaudet, quàm vt prosit : membra non illibenter obsequuntur, quæ hoc suo obsequio, ipsam capitis priuilegiorum communionem consequi se intelligunt.

DISSERTATIO VII.

DE

SYNODO AD QVERCVM,

Et de tota causa Chrysostomi.

SYNOPSIS.

Prouocatio Chrysostomi ad Synodum œcumenicam demonstratur perinde interpretanda, ac si ad Romanum Pontificem prouocasset: cuius erat eam conuocare, qui ei conuocandæ incubuit, qui eius non conuocatæ vices suppleuit, Chrysostomumque restituit. Item quid de illâ tunc sanctorum inter se virorum conflictatione sentiendum.

I. Scopus huius disceptationis.

NON calamitosæ huius historiæ lacinias omnes consectari aggredior: sed pauca meo more carpere, ex quibus inuictissimè id efficiatur, quod ad illustrationem priscæ disciplinæ conducat: nimirum cùm ad Concilium œcumenicum prouocabatur, perinde esse, ac si ad eius Præsidem seu Romanum Pontificem prouocaretur: eius muneris fuisse Concilium œcumenicum tunc congregare: interim dum in suspenso res erat, rectè aut temerè iudicata ab aliis, confirmare vel irritare.

II. Chrysostomi causa, vtpote ex maiorum numero, ad sedem Petri necessariò relata.

Palladium ergo primò excutiamus, qui vitam, causamque hanc maximè Chrysostomi, luculento Dialogo complexus est. *Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ lector, cum Papæ Theophili literis, quibus indicabat Ioannem à se fuisse depositum. Eas literas cùm legisset*

Digitized by Go

B. Innocentius Romanæ ſedis Antiſtes, exhorruit temeritatem faſtumque Theophili; agrè ferens, & quòd ſolus ſcripſerat, & quòd rei totius ſeriem referre omiſerat; cuius ſcilicet rei gratiâ, quibuſve adiunctis ſibi ſociis illum deponere auſus fuiſſet. Inter hæc manſit admirans, nihilque reſcribere voluit, rei indignitate commotus, &c. Poſt triduum aduenerunt Epiſcopi quatuor à Ioanne miſſi, tres Innocentio epiſtolas deferentes, vnam quidem Ioannis Epiſcopi, ſecundam Epiſcoporum quadraginta de communione Ioannis, tertiam ſcripſerat Ioannis clerus: omnes indiſciplinatum tumultum & ſeditionem pariter ſignificantes. Hic vides neceſſe fuiſſe, maiores cauſas ad primam ſedem referri: & certatim ad Innocentium retuliſſe, tum Theophilum, tum Chryſoſtomum: ſed illum præfractè & abruptè, vt facinoris totius architectum: hunc ſuppliciter, vt canonum gnarum, & opis indigum.

III. Prouocauit Chryſoſtomus ad Synodum œcumenicam, i. ad eius Præſidem, Romanum Præſulem.

Ibidem ſubiicitur epiſtola Chryſoſtomi, ex qua pauca libabo. Ait ſe Epiſcopos hos miſiſſe, *qui ad charitatem veſtram currerent, omnibuſque lucidè expoſitis, maturè tantæ cladi remedium dari ſalubre poſtularent.* Mox ait ſe Theophili iudicium recuſaſſe, vt aduerſarij, vt Ægyptum ſolam curare iuſſi: *nobis aſſerentibus, paratos nos eſſe præſentibus & centum & mille Epiſcopis crimina obiecta refellere, &c. Violenter abductus, iniectuſque in nauim, noctu nauigabam, quia Synodum ad iuſtum iudicium vocare volueram.* Reſtitutum ſe ait oraſſe Imperatorem *vt ad vlciſcenda facinora Synodum cogeret, &c. Nos nihilo ſegniùs inſtitimus vt Imperator Concilium congregaret, &c.* Rurſum denique eiectum ſe in exilium: *Ne igitur immanis iſta confuſio cuncta percurrat, & vbique dominetur; ſcribite, precor, & authoritate veſtrâ decernite, huiuſmodi iniquè geſta nobis abſentibus, & iudicium non declinantibus, nullius eſſe roboris, ſicut per ſuam naturam ſunt profectò irrita & nulla. Porro qui talia geſſere, eos Eccleſiaſticæ cenſuræ ſubiicite. Nos autem inſontes, neque conuictos, neque deprehenſos, neque vllius criminis reos comprobatos, Eccleſiis noſtris iubete reſtitui, vt charitate frui ac pace cum fratribus noſtris conſuetâ, poſſimus.* Qui ergo ad Synodum prouo-

carat Chryſoſtomus, eò tandem rem intelligit redire, vt per Papam Innocentium, & Occidentales Epiſcopos ei cohærentes reſtituatur ſuæ ſedi, reſciſsâ latrocinalis ad Quercum Synodi ſententiâ.

IV. Dum expectatur Synodus œcumenica, Chryſoſtomi damnationem ſoluit ſedes Apoſtolica: & Synodi locum ſupplet.

Subiungit Palladius: *Ad hæc reſcripſit beatus P. Innocentius, communioque vtriuſque partis admiſſa: Theophili iudicium caſſum atque irritum eſſe decreuit, dicens oportere conſtari aliam irreprehenſibilem Synodum Orientalium & Occidentalium ſacerdotum*, &c. Subtexitur mox epiſtola Innocentij ad Theophilum, vbi hæc habentur: *Et te, & fratrem noſtrum Ioannem communionis noſtræ eſſe decreuimus*, &c. *Poſſibile non eſt, nos à Ioannis communione diſcedere. Itaque ſi conſcientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proximè in Chriſto celebrandæ.* Et paulò pòſt rurſum Palladius narrat: *Poſt iſtos venit ſecundò Demetrius Epiſcopus Piſinuntis, qui peragrato Oriente, prædicauerat communionem Eccleſiæ Romanæ cum Epiſcopo Ioanne, teſtibus Innocentij Papæ literis, afferens epiſtolas ab Epiſcopis curiæ, in quibus Ioannis amplectuntur communionem.* Tum Innocentius ſcribit ad Honorium Imperatorem, *quibus literis motus princeps, iubet Synodum Occidentalium Epiſcoporum congregari, & cùm in vnam ſententiam concurriſſet, ad ſe referre. Congregati Italiæ Epiſcopi Imperatorem orant, vt ſcriberet Arcadio fratri ſuo, vt iuberet Theſſalonicæ Concilium fieri, quo facilius poſſent vtriuſque partes Orientis Occidentiſque concurrere.* Tum Epiſcopi mittuntur legati Conſtantinopolin, cum epiſtolis Honorij, Innocentij, & cæterorum Epiſcoporum, & hoc præ cæteris inſtructi commonitorio: *Non oportere Ioannem iudicium ingredi, niſi priùs Eccleſia illi, communioque redderetur.* Sententia ergo cæterorum cum Theophilo Epiſcoporum, in Chryſoſtomum vibrata, ab Innocentio reſciſſa eſt, retenta eius communio, eius rei fama toto orbe dicta, toto Oriente applauſum Innocentio; interim ab eodem vocatur ad ampliorem Synodum Theophilus cauſam dicturus, Synodus œcumenica ab Imperatoribus poſtulatur, ea lege præſcriptâ, vt Chryſoſtomus antè Eccleſiæ

Digitized by Google

ſuæ reſtitueretur iuxta ſententiam Innocentij, quàm eius cauſa in œcumenica Synodo retractaretur. Eſt ergo ſedes Romana vnitatis & communionis Eccleſiaſticæ ſummus vertex, maiorumque cauſarum iudex: quæ ſolo diſſenſu Synodos & conatus Theophili irritauit: ſolo communionis ſuæ beneficio Chryſoſtomum redintegrauit: Synodi œcumenicæ interim vicem ſuppleuit, dum ea impetraretur ab Imperatore: & quia ab Arcadio expugnari ea non potuit, vim eius & authoritatem ſola impleuit. In eoque Eccleſiæ ſalus alioqui nutabunda, tum conſtitit.

V. Prima ſedes inficiatione vel conceſſione communionis ſuæ, momenta cauſarum maiorum omnium moderabatur.

Et infrà rurſus eadem fuſiùs retexuntur, ex quibus hæc pauciſſima carptim ſtringam. Teſtabatur Chryſoſtomus ſe paratum venire *ad vniuerſalem Synodum*. Cumque prævalerent aduerſarij Chryſoſtomi, *Theodorus Thyaneus Epiſcopus vir ſummæ grauitatis, ne Theophili temeritatem ſequeretur, relictis omnibus ad ſuam remeauit Eccleſiam, valefaciens comitatui, ſuamque prouinciam vallans pietatis muro, & ad finem vſque in communione perſiſtens fidelium Romanorum: de quibus Paulus teſtatur, Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*. Et infrà poſt ſubrogatum Chryſoſtomo Arſacium, Arſacio Atticum: *Hic cùm animaduerteret Orientalium ſibi Epiſcoporum communicare neminem, neque ipſius ciuitatis populum, &c.* Et denique tandem, *Eſt autem hæc Romanæ Eccleſiæ ſententia, non communicare in finem vſque Orientalibus Epiſcopis, maximeque Theophilo, donec Dominus vniuerſalis Synodi tribuat locum: ac per eam curet putrida membra eorum qui hæc geſſere. Etſi enim dormit B. Ioannes, vigilat tamen veritas, de qua eſt facienda diſcuſſio*. Apertum eſt ſedem Petri communionis ſuæ vel conceſſione, vel inficiatione, momenta & inclinationem rebus indidiſſe: & quanquam tum non potuerit infringere imperatoriæ poteſtatis vim indomitam: in ipſo tamen Oriente ſanos quoſque Epiſcopos, & fideles, in officio & amore Chryſoſtomi retinuiſſe: totum Occidentem ei adiunxiſſe, & tandem peruiciſſe, vt vel poſt mortem, & ab ipſo Im-

Digitized by Google

peratore, Chryſoſtomus reuocaretur.

VI. Epiſcopi primariarum Orientis ſedium à Pontifice Romano pacis & communionis gratiam petere adiguntur: nec niſi impletis conditionibus impetrant.

Innocentius ipſe Papa epiſt. 16. negat ſe Attico communionem ſuam reſtituturum, niſi quæ Chryſoſtomum ſpectabant, impoſitas conditiones impleſſet, vt impleuerat Alexander Antiochenus Epiſcopus, cui ea de re copiam fecerat ſuæ communionis. *Communio enim ſuſpenſa reſtituitur, demonſtranti cauſas, quibus id acciderat, iam eſſe deterſas, & profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos Atticus miſſis aliquibus ſuorum, vel dicere voluit vel demonſtrare completum: quemadmodum Antiochenæ Eccleſiæ frater & Coëpiſcopus noſter Alexander, dignâ legatione & proſecutus eſt & probauit. Quibus omnibus vtique intereſſe dignatus, cognouiſti quemadmodum ſingulatim omnia ſcriptorum noſtrorum antehac de causâ beatiſſimi Ioannis quondam Epiſcopi noſtri diſcuſſerim, &c.* Et epiſt. 17. Alexandro ipſi Antiocheno gratulatur, quod *totâ virtute pacis amator exiſtens, eam inquiſitam inueneris, & repertam ſummâ charitate retinueris, &c. Multùm in geſtis ſollicitus inquiſiui, vtrùm omnibus eſſet conditionibus ſatisfactum in causâ beati & verè Deo digni ſacerdotis Ioannis, &c. Scripta autem Attici Epiſcopi, quoniam cum veſtris ſunt porrecta, ſuſcepimus, &c.* Communionis & litterarum *gratiam* Attico quoque ſe præſtiturum concludit, ſi eaſdem impleat conditiones. In decretis eadem habentur. Et rurſus idem epiſt. 14. *Antiochena Eccleſia velut germana Romanæ Eccleſiæ, diu ab eâdem alienam ſe eſſe paſſa non eſt. Nam miſſis legatis ita pacem poſtulauit & meruit, vt Ioannis ſanctæ memoriæ vel clericos, vel laïcos, in vnum colligeret, atque congregaret.* Et epiſt. 19. ad Acacium Beroeæ Epiſcopum: *Vel ſerò recepiæ pacis gratiam te fouere, poſtpoſitâ omni contentione peruidimus. Vnde has ad præſtantiſſimum fratrem & Coepiſcopum noſtrum Alexandrum reddendas tuæ tranſmiſimus vnanimitati, videlicet vt ſi omnes inimicitiæ, omnis æmulatio tam de nomine ſancti Ioannis mirandi Epiſcopi, quàm de omnibus eiuſdem communionis participibus, à tua animoſitate diſceſſit; has noſtræ ſocietatis recipias literas, frater chariſſime: modò vt omnia,*

Digitized by Google

quæ de his actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum, ore proprio, vt communicantem conuenit, fatearis. Ergo Innocentius, vt Chrysostomi restitutor, vt innocentiæ eius, & suæ in eius gratiam sententiæ vindex, eo tandem adegit Constantinopolitanum, Antiochenum, Berœensem, alios que Orientales Episcopos, Chrysostomi priùs aduersarios, vt Romanæ Ecclesiæ communionem eâ de causâ abscissam peterent, nec impetrarent, nisi conditionibus omnibus satisfeciſſent, restituto & diptychis reddito Ioannis nomine; omnibusque eius communionis tenacibus in suam communionem recollectis. Ergo sine Synodo œcumenica, parem vim & authoritatem obtinuit sola Innocentij sententia.

VII. Supradictorum omnium confirmatio.

Iam verò Socrates lib. 6. c. 14. *Vbi verò Ioannes eos qui eum accersiuerant, tanquam inimicos à suæ causæ disceptatione exceperat, & ad œcumenicum Concilium pronocarat, illi absque mora quater illum accersiuerunt.* Et Sozomenus lib. 8. c. 17. *Cùm quater vocatus, ad œcumenicam Synodum pronocasset, illi nihil aliud causati, quàm quòd vocatus non obtemperasset, eum deposuerunt.* Et cap. 26. *Certior factus Innocentius Romanorum Episcopus, eorum quæ aduersùs Ioannem acta erant, indignè tulit; atque vt ea damnauit, ita etiam œcumenicum Concilium conuocare studuit; scripsitque tum ad Ioannem, tum ad Clericos Constantinopolitanos.* Refertur mox epistola Innocentij ad Clerum Constantinopolitanum: vbi solos vigere debere decernit Nicænos Canones; alios nempe Antiochenos, quibus impugnatus fuerat Chrysostomus, respuit; in Sardicensi Synodo repudiatos testatur, & tandem, cogendæ Synodi œcumenicæ curam sibi imminere agnoscit, si per Imperatores liceat: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multò iam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere possit, &c. At nos quidem multùm deliberamus, quomodo œcumenica Synodus congregetur, per quam diuinâ voluntate turbulenti isti motus sopiantur.* Narrat infrà ab aduersariis

Chryſoſtomi prohibitam eſſe Synodum. Denique Theodoretus lib. 5. hiſt. c. 34. *Iſtud iniquum facinus contra Ioannem admiſſum, Epiſcopi Europæ præter cæteros deteſtati ſunt. Nam ſe à communione illorum qui illud conſciuerant, ſeparauere. Quibus totius Illyrici cuncti ſe adiunxere Epiſcopi. Porro autem quamplurimi Epiſcopi ciuitatum, versùs Orientem ſitarum, à facinoris communione ſe ſeiunxerunt quidem, ſed corpus Eccleſiæ minimè diſtraxerunt. Quinimo iſto excellenti totius orbis terræ doctore mortuo, Epiſcopi Occidentis non priùs cum Epiſcopis Ægypti, & Orientis, & Boſphori, & Thraciæ, communicare voluerunt, quàm nomen illius ſanctiſſimi viri in tabulas retuliſſent, quibus nomina Epiſcoporum mortuorum continebantur.* Vbi quanquam *prouocaſſe* dicatur Chryſoſtomus, liquidum tamen eſt, quod ad nauſeam vſque iam inculcauimus, huiuſmodi eam fuiſſe prouocationem, vt cùm infeſtos ſibi iudices recuſaſſet, ad maiorem, ſeu ad œcumenicam Synodum cauſam ille ſuam reſeruarit. Rurſus vtcumque ad Synodum œcumenicam prouocaſſe, perinde eſt ac ad eius prouocaſſe Præſidem, Antiſtitem Romanum. Ideo enim & legati, & epiſtolæ Ioannis, & omnes eius partium patroni Romam diriguntur. Ideo Innocentius ſuam Ioanni communionem impartire perſiſtit. Ideo acta Theophili, & canones quibus nitebatur, ſuggillat. Ideo in curam colligendæ œcumenicæ Synodi totus incumbit. Ideo deſperata Synodi congregatione, eius vicem interim ſupplet, & tandem implet, conlaborante ſecum Occidente toto: tandemque Chryſoſtomum licèt huius vitæ vinculis iam abſolutum, omneſq; eius communicatores, priſtinis honoribus & Eccleſiis reſtituit.

VIII. Solo diſſenſu prima ſedes reſcindit quarumlibet Synodorum nefaria decreta.

Quod autem capitale eſt rei totius momentum, nempe ſine Synodo œcumenicâ, quando eius copia non facilè datur, parem, id eſt, ſummam & ineluctabilem adeſſe primæ ſedi authoritatem; vt ſolo diſſenſu quaſcumque Synodos temerè graſſatas reſcindat, damnatos abſoluat, ejectos reſtituat; & communionis ſuæ cum innocentibus

Digitized by Google

nocentibus continuatione, à graſſatoribus diſſociatione, in integrum omnia reſtituat; & quamuis aliquandiu contemni videatur, peruincat tandem, & omnes obices victrix perfringat: id tum aliis, tum hoc maximè Chryſoſtomi exemplo efficit Gelaſius Papa epiſt. 13. ad Epiſc. Dardan. *Quòd Apoſtolica ſedes frequenter more maiorum etiam ſine vllâ Synodo præcedente, & abſoluendi quos Synodus iniquè damnauerat; & damnandi, nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum ſedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnarat; quem ſimili modo ſedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit.* Cui ſuccinit Vigilius Papa in Conſtituto: *Hanc autem regulam & in ſanctorum Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem Chryſoſtomum vocant, atque Flauiani eiuſdem ciuitatis Epiſcopi venerandâ memoriâ conſtat eſſe ſeruatam. Qui licèt violenter excluſi ſunt, non tamen pro damnatis ſunt habiti, eò quòd ſemper inuiolatam eorum communionem Romani Pontifices ſeruauerunt: nec abſcindi ab Eccleſiâ dici potuerunt, quos ſibi inconuulsè vnitos Apoſtolica iudicauit authoritas.* Similiter & in Concilio Conſtantinopolitano ſub Mena act. 5. *Secundùm quod ſanctæ memoriæ Paulus, & Ioannes, & Flauianus, Patres huius regiæ vrbis reuocati fuerunt: ſic & ipſi Euphemius & Macedonius eiuſdem honoris in ſacris libris participes fiant.* Et Iuſtinianus Imperator in edicto fidei pro quinta Synodo, *Quantum autem ad inſipientiam dicentium, non oportere anathematizari poſt mortem eos, qui in ſuâ impietate mortui ſunt; Oportebat nec eos qui iniuſtè condemnati ſunt Patres, poſt mortem reuocari: quale contigit in Ioanne ſanctæ recordationis Epiſcopo Conſtantinopolitano, à Catholicâ Eccleſiâ poſt mortem reuocato: & in Flauiano ſanctæ memoriæ Conſtantinopolitano Epiſcopo, iniuſtè quidem in vitâ damnato, iuſtè autem poſt mortem reuocato, tam à ſanctæ memoriæ Leone Papâ, quàm à ſanctâ Chalcedonenſi Synodo.* Siue ergo ſynodicè;

siue vt plurimum sine Synodis generalibus, rescissæ sunt Synodi, Synodicæque Episcoporum innocentium damnationes, ab vna maximè Apostolica sede; dissensu eius solo, & communionis cum damnatis perpetuatione. Et perinde est siue superstites, siue post mortem reuocati sint: par enim emicat in reuocante authoritas, nisi si tantò maiorem illam iure interpretemur, quantò maiores & diuturniores aduersariorum conatus perfregerit. Vbi non facilè omittenda, quæ habet Prosper in Chronico. *Ioannes CPolitanus, & Theophilus Alex. illustres Episcopi habentur. Sed vtrumque obscurauit discordia; quæ eò vsque processit, vt Ioannes à Theophilo oppressus Pontum in exilium pergere cogeretur. Quum tamen communionem eius maxima pars Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, seruauerit.*

IX. Tota Chrysostomi spes & restitutio in sedis Apostolicæ defensione.

His accedat Facundus Hermianensis lib. 4. c. 1. brèui summam huius negotij complexus. *Qui Ioannes Chrysostomus pro vnitate seruandâ Ecclesiæ quam dilexit, maluit suæ causæ ferre iacturam. Nam si eam vellet asseuere sicut erat vitâ probabilis, & facundiæ singularis; habens etiam magnam gratiam populi Christiani, cui pro maioribus suis meritis erat acceptus: & defensionem sedis Apostolicæ, sine cuius erat iudicio condemnatus, facilè posset obtinere victoriam: quæ illum etiam fugientem est persecuta post mortem. Sed metuens, ne absolutus aliorum iudicio, per obstinationem aduersariorum suorum non reciperetur ab aliis: atque ita quibusdam ei communicantibus, quibusdam verò auersantibus eius communionem, Ecclesia scinderetur, pro cuius vtilitate sciebat se Episcopum factum; elegit consultissimè & admodum mirabili pietate, cathedram Episcopatus sui relinquere, quàm vt per eius defensionem vnica Christi diuideretur hereditas.* Quibus nihil elegantius fieri potuit. Itaque Chrysostomo parata & ad manum erat victoria, tum ob alia præsidia, tum *ob sedis Apostolicæ defensionem, sine cuius erat iudicio condemnatus.* Nam approbanda semper fuere primæ sedi maiorum causarum iudicia, vbicumque & à quibuscumque, etiam à secundâ sede discussa: alioqui irrita futura. Illud prorsus cum Gelasio

Digitized by Google

consentit, ingeminante sæpius, talium Antistitum damnationes sedem Apostolicam *quia non consensit*, irritasse. Addit Facundus, *Victoria illum etiam post mortem persecuta est fugientem*. Peræquè enim vicit Chrysostomus, acsi superstes sedem suam rursum insedisset. Vicit enim causa, vicit æquitas. Et vt suprà aiebat Palladius, *Ipsi dormit Ioannes, vigilat veritas*. Denique idem Facundus lib. 6. c. vlt. apertissimè, *Theophili sui decessoris Cyrillus sententiam sequens, ipse etiam postea contra iudicium quoque sedis Apostolicæ, quæ per beatissimum Papam Innocentium, prædicti sancti Ioannis in exilio constituti damnationem soluerat; nomen eius post mortem inter Dei sacerdotes, in sacrificio recitari prohibuit.* Quâ in re non laudat, imò vehementer Cyrillum aberrasse affirmat Facundus: vt qui sedis Apostolicæ iudicio, potiùs quàm Theophili obtemperare debuerat.

X. Appellatum esse à Chrysostomo, & illum restituisse, propria laus est sedis primæ, non æquè communicanda cum Episcopis Occiduis.

Cæterùm abundè ex antedictis refellitur vecordia Nouatorum, qui nec à Chrysostomo appellatum Innocentium garrire solent: & nihil ab Innocentio gestum, quod non cum Occidentis Episcopis communicandum sit, & complurimis Orientalibus: denique non excommunicatos fuisse ab Innocentio Orientales Episcopos Chrysostomi insidiatores, sed ipsum se ab eorum communione disiunxisse, mutuumque fuisse illud diuortium. Perperam ab illis hæc omnia blatterantur. Nam frequentissimè iam euicimus, nequedum tritas adeò, & vsitatas in Ecclesia fuisse appellationum formulas forenses, sed eodem in loco fuisse, causæ ad maiorem Synodum reseruationes: nec aliud esse ad Synodum, quàm ad Synodi præsidem recurrì: nec enim Synodi sine præside, nec præsides tunc sine Synodo quidquam moliebantur: & cùm ad Occidentales potissimum respectaret Chrysostomus, vt causæ suæ restauratores, non poterat non ad Occidentalium singulare caput intueri. Ideo & legati & defensores eius omnes Romam confluxere: epistolæ eius ad Innocentium maximè inscribuntur: solius Innocentij epistolæ ad Chrysostomum & ad clerum eius, à Latinis Græcisque

Digitized by Google

scriptoribus memorantur. Solus Innocentius curam induit Synodi cogendæ; solus legatos cum suis, & Honorij epistolis Constantinopolin mittit; solus Theophilum increpat per epistolas: solus ad Synodum vocat, solus vrget & euincit in sacra diptycha referri nomen Chrysostomi; solus Attici Constantinopolitani, Alexandri Antiocheni, Acacij Beroœensis aliorumque Episcoporum precibus & literis ambitur, vt pacem & communionis gratiam illis reddat: solus non antè assentitur, quàm omnibus ad Chrysostomi nomen, gregemque Ioannitarum redintegrandum, conditionibus fecerint satis; solus apud Palladium Photij ipsius suffragio laudatissimum scriptorem, vtramque implet paginam. Non possunt hæc omnia peræquè aliis communicari Occidentalibus Episcopis vel omnibus, vel eminentioribus, quæ soli nominatim Innocentio vendicant omnia antiquitatis monumenta. Deinde primæ sedis singularis hæc erat gloria, non Mediolanensis, non Aquileiensis de Theophili seu de secundæ sedis iudicio cognoscere: Constantinopolitani Episcopi innocentiam tutari: eius damnationem cassare: Occidentis communione frustrare Orientales: citra œcumenicam Synodum id perficere, & expurgare, quod ab œcumenica Synodo expectandum fuisset. Ideo Gelasius, Vigilius, Facundus, non aliorum Occidentis Episcoporum, sed solius *Apostolicæ sedis dissensu*: solutas affirmant Orientalium machinationes.

XI. Non mutua fuit communionis intercisio, sed pœna excommunicationis inflicta Orientalibus.

Quod verò ad abruptam communionem attinet, nihil pensi habent Nouatores, quid veritas, quid æquitas clamet: nil satagunt prima secundis & anteriora posterioribus tempora connectere, & rationis iudicio temporum lapsibus superuolitare & dominari. Hlic enim erat pax & gratia communionis Catholicæ, vbi defensabatur veritas, non vbi conculcabatur: vbi innocentiæ præsidium, non exitium. Nil dolebant coniuratores aliquandiu de Romanæ Ecclesiæ intercisâ societate, sed ea facta erant, non iura: latrocinia, non iuris documenta.

Digitized by Googl

Itaque in pretio habendum, non quidquid gesserint, sed quidquid piè rectèque gesserint: & ad dogmatum regulas trahendum non quòd Ecclesiæ hostes, sed quòd vindices patrarint. Aut si & aliqua grassantium ratio habenda est; eorum non audacia, sed pœnitentia est contemplanda. Itaque Romanæ Ecclesiæ communionem ambierunt postea saniores, qui per insaniam respuerant. Non ergo reciproca hæc sunt iura. Nam vbi Chrysostomum diptychis, sese æquitati reddidere Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus Episcopi; tunc non suam Innocentio, & Romanæ Ecclesiæ reddiderunt: sed eius sibi communionem reddi postulauere, & impositis, impletisque conditionibus impetrauere. Et hîc rursum, quod alibi semper concurrit: vt maiestas primæ sedis, & eius potestatis amplificatio coniunctissima sit cum ea æquitatis luce, & Chrysostomi defensione, cui nec ipsi ausint aduersarij refragari.

XII. Quo se vsque porrigeret illa excommunicatio? Fraterna saltem charitate & literarum gratia Orientales priuabat.

Quò se vsque autem porrigeret illa communionis inter Orientem, Occidentemque dissociatio, seu potiùs excommunicatio, ab Innocentio & Occidentalibus Episcopis in Orientales vibrata, operosum est definire. Et quidem non iniuriâ videri potest, vel solam, vel maximè literarum seu formatarum, & legatorum missitationem desitam esse. Id colligitur ex epistolis Innocentij, & decretis antè relatis. Epist. 14. de Episcopo Antiocheno ait, *Missis legatis ita pacem postulauit, &c.* Et epist. 15. ad eundem, *Quàm necessaria legatio tua, &c. hanc amicitiarum nostrarum paginulam quasi primitias pacis nostræ conscribi, &c.* Et epist. 17. *Scripta Attici Episcopi, quoniam cum vestris sunt correcta suscepimus.* Et epist. 19. ad Acacium Berœens. Episc. *Vnde has ad præstantissimum Alexandrinum Coëpiscopum reddendas tuæ transmisimus vnanimitati, vt si omnis æmulatio à tua animositate discessit, has nostræ societatis recipias literas, frater charissime.* Et apud Palladium in Dialog. Porphyrius Antiochiæ scelestissimus Episcopus *Romanæ scripsit Ecclesiæ, neque rescripta accipere meruit.* Et Theodoretus

Digitized by Google

lib. 5. c. 34. cùm vt ſuprà excripſimus, Occidentales dixiſſet Epiſcopos ſuam ab Orientalibus communionem abrupiſſe, addit: *Atque Arſacium eius ſucceſſorem ne ſalutare quidem dignati ſunt: Atticum autem qui ſuccedebat Arſacio, quique ſæpe legatos ad eos miſerat, ſæpeque pacem poſtulauerat, tandem cùm Ioannis nomen in tabulis inſcripſiſſet, receperunt.* Et Hieronymus in Dial. aduerſ. Lucif. poſt Ariminenſe flagitium, ait, *alios intra ſuam communionem remanſiſſe, alios ad eos confeſſores, qui ſub nomine Athanaſij exulabant, cœpiſſe literas mittere:* communionem ſolâ ibi literarum miſſitatione deſcribens. Ergo hæc erat externæ ſaltem ſocietatis, & legatorum, literarum, eulogiarum, & aliorum iſtiuſmodi reciprocationis interciſio; non anathematis forſan illiſio, non extremarum imprecatio dirarum, non participandorum ſacramentorum interdictio, non faciendarum ordinationum, non celebrandorum myſteriorum, non regendarum Eccleſiarum ſuſpenſa, aut exacta poteſtas. Ideo enim ante pacem initam Epiſcopi & fratres habebantur. Ideo cum eorum communicatoribus communicabatur. Ideo Theophili, Arſacij, aliorumque ante pacem renouatam præmortuorum nomina ſacris diptychis non ſunt expungi inſſa, vt poſtea Acacij & conſortum. Ideo toti Eccleſiarum & Sacramentorum per eos factæ adminiſtrationi, nihil poſt eiectas animo ſimultates derogatum eſt. Ideo Theodoretus loco citato, ait: *Porrò autem quamplurimi Epiſcopi ciuitatum versùs Orientem ſitarum à facinoris communione ſe ſeiunxerunt quidem, ſed corpus Eccleſiæ minimè diſtraxerunt.* Et in hos nihil querelarum effudêre Romani, vel Occidui Epiſcopi. Ideo & apud Palladium Chryſoſtomus ipſe Epiſcopis ſuarum partium quiritantibus in hunc modum, *Si Eccleſias tenuerimus, communicare cogemur, atque ſubſcribere:* Reſpondit ipſe, edixitque in hæc verba: *Communicate quidem, ne ſcindatis Eccleſiam: verùm nolite ſubſcribere: nihil enim mihi conſcius ſum, propter quod deponi, aut deiici merear.* Et infrà idem Chryſoſtomus ad Olympiadem, Pentadiam, aliaſque pientiſ-

simas fœminas præcipit : *Venite huc, filiæ : quæ de me sunt, finem habent, ne qua vltrà fortè videbitis faciem meam. Hoc vnum rogo, hoc deprecor, ne qua ex vobis solitam ad Ecclesiam benevolentiam deserat ; & quicumque non sponte fuerit ordinatus, neque id vllo quæsierit ambitu, sed de consensu omnium, ei caput vestrum inclinate vt Ioanni, per omnia. Non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest.* Ergo non scindendam funditus hac de causâ communionem idoneus fideiussor erat ipse Chrysostomus. Sic ergo illa forsan Occidentalium Episcoporum secessio interpretanda est, vt ne sententiæ obstrepat Chrysostomi.

XIII. Cum venia magis quàm cum laude, aliqui in Oriente ab Episcoporum se suorum communione subducebant.

Nec sum nescius plures Chrysostomo non obtemperâsse. Nam infrà Palladius, *Substituitur Arsacio Atticus, qui cùm animadverteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius ciuitatis populum ; agit vt qui non communicarent, rescripti conuenti cogerentur. Habebat autem rescriptum aduersus Episcopos huiusce minas ; Si quis Episcopo Theophilo, & Porphyrio ; & Attico non communicat, Ecclesia pellatur, & à suis facultatibus proiiciatur. Continebat autem rescriptum contra laïcos, qui in dignitatibus erant constituti, vt magistratu & dignitate omni priuarentur : milites vt baltheum amitterent : populares & artifices reliqui, vt persoluto grani auri pondere, subiicerentur exilio.* Et infrà : *Clerus Antiochenæ Ecclesiæ insignior occultè conueniens, ne ipsis quidem Ecclesiæ parietibus propinquat : vnà & illustrium matronarum multitudo clam conuenit : Quid verò de Constantinopoli dicam ? Quanta illic multitudo desertâ Ecclesiâ sub dio congregatur ad preces.* Facta ista sunt, & piæ imperitiæ facta, non iura. Absoluta est autem Chrysostomi sententia, & iterum iterùmque inculcata, vt damnationi suæ ne subscriberent, damnatoribus communicarent Episcopi : laïci verò omnino communicarent. Paruere non pauci Episcopi Orientales, vt testatus est suprà Theodoretus. Ergo qui his, qui Chrysostomo non paruere : vereor, vt satis à contumaciæ, aut imperitiæ labe expiari eorum zelus possit. Si quâ sanè excusatione obumbrari possit eorum error, tota illa repe-

Digitized by Google

tenda eſt ab Innocentij & Occidentalium ſeceſſione: quibus illi ſe adglutinabant animo toto, dum ab Epiſcopis & Eccleſiis ſuis reſiliebant. Sed cautiùs alij intelligebant, damnatoribus Chryſoſtomi Epiſcopis, & ſuam cuique plebem communicare ſubiicique debere, ne fœdâ labe vexarentur Eccleſiæ: & Occidentalium ſocietatem debere interim denegari, vt hac ſuâ contumeliâ & iacturâ, ad reſipiſcentiam tandem aliquando inclinarentur. Et vtriuſque ſanè author fuerat Chryſoſtomus. Quinimo à prioris ſententiæ temperamento Chryſoſtomus ipſe diſceſſiſſe videtur poſtea, recrudeſcentibus in fautores ſuos graſſationibus commotus. Vnde epiſt. 115. ad Cyriacum Epiſc. *Allatum eſt ad me de Arſacio illo deliro, quem Imperatrix in throno collocauit; eum fratres eos omnes, qui cum eo communicare recuſabant, afflixiſſe: atque etiam permultos ex ipſis meâ causâ in vinculis diem extremum vitæ clauſiſſe.* Et Photius in Bibl. num. 277. *In epiſt. ad Cyriacum Epiſcopum laudat eos, qui Arſacij communionem auerſantur: vt quî propter Deum, & impietatem in Archiepiſcopum admiſſam ab illo declinent. Quamuis in aliis videatur hortari, ne ab Eccleſiâ recedant. Id autem poſtea, vt apparet, voluit; cùm illi, qui eùm iniuſtè eiecerant, facto non acquieuerunt, ſed moliti ſunt etiam incurſum & inſidias, exiliumque, iis, qui illi erant addicti.*

XIV. Hæc fraternæ charitatis abruptio, authoribus culpæ inurebat grauem maculam.

Ne quis autem flocci faciat illam interruptæ ſocietatis ſeu communionis iacturam. Nam eius cladis authores etſi ſuarum communione & regimine Eccleſiarum non orbarentur, ingentis tamen noxæ piaculo ſeſe obſtringebant, dum fraterna ſe charitate interdici patiebantur. Ideo Innocentius epiſt. 14. ait: *Cui rei nos noueris tradidiſſe manus: & eos in noſtra viſcera recepiſſe, ne diu membra quæ requiſierant ſanitatem, ab vnitate corporis haberentur aliena.* Illo ergo ſocietatis diſſidio, membra erant ſanitatis inania, & à corporis vnitate aliena. Et Palladius: *Eſt autem hæc Romanæ Eccleſiæ ſententia, non communicare in finem vſque Orientalibus Epiſcopis, maximeque Theophilo*

philo; donec dominus vniuerſalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui iſta geſſere. Putrida erant membra, etſi intra ſuas Eccleſias communicarent, quorum facinore vniuerſalis Eccleſiæ communio diſſecabatur. Eò pertinet illud Hieronymi in Dial. aduerſ. Lucifer. vbi patrocinatur eorum clementiæ: qui Ariminenſi defectioni ignouerant: *Quid à confeſſoribus agendum putauerint? Mānſiſſent, aiunt, intra ſuam communionem. Hoc eſt dicere, irrationabili crudelitate totum orbem Diabolo condonaſſent. Cur damnaſſent eos qui Ariani non erant? Cur Eccleſiam ſcinderent, in concordia fidei permanentem?* Et infrà de Lucifero, qui ſuæ ſe intra communionem Eccleſiæ recondiderat: *Bonus quidem paſtor, ſed multam prædam beſtiis relinquens.* Vbi liquet, authores abruptæ quomodocumque vnitatis, & ſocietatis Eccleſiaſticæ, velut obiectæ Diabolo prædæ reos agi. Miſſitatam quandoque, in communionis pignus, ipſam Euchariſtiam, ex Euſebio & aliis alibi trademus. Inde id elicitur: non otioſa, non ieiuna, non externæ tantùm pompæ accommodata fuiſſe illa communionis monumenta, quæ vltro citroque per epiſtolas, legatos, eulogiaſque commeabant: ſed ſub his inuolucris delituiſſe, vt in Eccleſia Chriſti aſſolet, ingentia quædam ſpiritalis vnitatis & charitatis beneficia: quibus ſuo vitio defraudari, perniciale eſſet. Optatus ſanè l. 2. *Commercio formatarum totum orbem in vna communionis ſocietate concordare* teſtatur. Et Epiphanius hær. 70. docet *Polycarpi & Victoris ætate Orientales ab Occidentalibus diuulſos fuiſſe, pacificaſque à ſe inuicem literas nullas accepiſſe.* Ad quod referri poſſet vtcumque forſitan illa excommunicationis ſpecies, in ſacris Synodorum regulis paſſim obuia; quâ Epiſcopi plectebantur quandoque, cum fraterna charitate carere, ſuæque Eccleſiæ communione contenti eſſe iubebantur aliquandiu, vel donec reſipuiſſent. Quæ omnia de communione & excommunicatione trepidanter & ambiguè à me dici profiteor, animoque ad canendam palinodiam paratiſſimo, ſicunde di-

lucidius certiusque aliquid affulgeſcat.

XV. Summa poteſtas primæ ſedis ſalutifera Eccleſiæ.

Hæc autem quæ ex Palladio poſtrema verba deſcripſimus, permultum habent momenti, & in illis hæc obiter adnotabo. 1. Occidentalis Synodi ſententiam vno Romanæ Eccleſiæ oraculo explicari. 2. Ideo non per œcumenicam Synodum debilitari poteſtatem illam eximiam ſedis Apoſtolicæ; vt ex aduerſo Innocentius *in finem vſque* perſtiterit, omnemque lapidem mouerit, quo Synodus œcumenica cogeretur. 3. Quòd citra Synodum perfecerit Romanus Pontifex, quidquid à Synodo expectandum fuerat: illud eſſe culmen authoritatis ſummæ, quod non ipſe affectauit, non inuaſit, ſed Eccleſiæ ipſa pax, & cauſa æquitatis vltro obtulit. 4. Denique quia tunc vſurpauerat Imperator cogendæ Synodi poteſtatem œcumenicæ, ideo tunc cogi non potuit, etſi tum vel maximè Chryſoſtomus, Innocentius, Eccleſia, æquitas poſtularet. Erat ergo damnoſa quandoque & inuiſa Eccleſiis ea vſurpatio, ſed neceſſariâ tunc diſpenſatione tolerabatur.

XVI. An & quî excommunicatus ſit Arcadius Imperator.

Atque vt ad communionis ſciſſionem redeam, Arcadius ipſe Imperator ea ſaltem implicatus eſt excommunicatione, quâ Conſtantinopolitana & Orientalis penè omnis Eccleſia à primæ ſedis & Occidentalium omnium pace abiecta conſtringebatur. Ita poſtea Symmachus Anaſtaſium Imperatorem excommunicauit: epiſt. 7. ad Anaſtaſium ipſum: *Dicis quod mecum conſpirante ſenatu excommunicauerim te. Ita quidem ego, ſed rationabiliter factum à deceſſoribus meis ſine dubio ſubſequor. Nos non te excommunicauimus Imperator, ſed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miſcere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Si te miſces, non à nobis, ſed à teipſo excommunicatus es.* Et longè alia quidem erat excommunicationis ſpecies, qua Romani Pontifices Theophilum & Orientales, alia qua Acacium & conſortes eius perfidiæ perculerunt. Sed ipſa ratio qua Imperator ei implicabatur, forſan vna & eadem eſt.

Digitized by Google

Poſtremò denique quia horret plerumque pietas tenerior non paucorum, cùm non Theophilum tantùm, ſed Cyrillum, Hieronymum, Epiphanium, viros omni exceptione maiores & ſanctitatis laude florentiſſimos, audiunt in Chryſoſtomum tam impotenter debacchatos: pauca hîc aſſuam ex Facundo Hermianenſi, in hanc rem præclariſſima, & ſolatio, vt reor, futura. Veniam ergo præfatus l. 6. c. vlt. cùm plauſtra conuitiorum à Theophilo in Chryſoſtomum iactata retuliſſet, ſubdit: *Si quis experiri voluerit, quod non ſententias tantùm, verùm etiam ipſa verba poſuimus, & noſſe quotiens hæc ab illo replicata ſunt: legat innormen librum non ſolùm contumeliis, ſed ipsâ quoque ſæpe repetitâ maledictorum recapitulatione nimis horribilem ab Hieronymo presbytero tranſlatum. De quo idem B. Theophilus expectauit, vt per eius eloquium, qualis Ioannes fuerit Latini cognoſcerent. Nos autem in illo libro, non qualis Ioannes, qui nihil horum merebatur: nec qualis Theophilus, cuius virtus in multis probata, non ex iſto accedenti morbo iudicanda eſt; ſed potiùs, qualis ſit miſerabilis humana vita, cognoſcimus; de qua ſcriptum eſt, Quia tentatio eſt ſuper terram. Nam ſi talia talibus acciderunt: quid nobis metuendum non ſit, noſtrique ſimilibus?* Et infrà: *Hæc autem ſcandala, vel qualibet meritò nos offendunt in Patribus, quos tanquam luminaria Deus in Eccleſiâ ſuâ conſtituit, vt eorum deſuper illuminemur excellenti ſcientiâ atque doctrinâ: ſic habenda mihi videntur, ſicut ipſorum quoque luminarium cœli defectus. Quæ licèt nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non tamen amittunt luminaria eſſe, quod ſunt. Et crebrò quidem accidit, vt iſta quoque Eccleſiæ luminaria, quoniam multa à nobis celſitudine ſeparantur, pro quodam noſtræ ignorantiæ nubilo, cum in ſe ſplendentia maneant, nobis videantur obſcura. Habeatur itaque velut eclipſis quædam luminarium Theophili & Cyrilli, quod tam horribilia de magno luminari Ioanne Conſtantinopolitano locuti ſunt.* Adde luculenta Theodoreti verba l. 5. hiſt. c. 34. in hunc eundem ſenſum.

XVII. Quid ſentire pietas iubeat de internecino iſto ſanctiſſimorum inter ſe Patrum conflictu.

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

IN CONCILIVM DIOSPOLITANVM IN CAVSA PELAGII,

Anno Christi 415.

SYNOPSIS.

Vt leuiter à quibusdam perstricta, vt ab aliis accuratè defensa sit hæc Synodus: Summa Synodorum etiam localium dignitas: summa in rebus tum fidei, & iuris, tum factorum & personarum authoritas.

I. De hac Synodo subinfestum Innocentij, Hieronymi, Augustini, Prosperique iudicium.

DE huius Synodi gestis ita Innocentius Papa I. epist. 26. *Cùm sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ obiecta, partim ille vitando suppressit: partim multa in se verba retorquendo, totâ obscuritate confudit: aliqua magis falsis argumentis, quàm verâ ratione, vt ad tempus videri poterat, purgauit: alia negando, alia falsâ interpretatione vertendo.* Et mox: *Vnde non possumus illorum nec approbare, nec culpare iudicium: cùm nesciamus, vtrùm verâ sint gesta: aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quàm se totâ veritate purgasse.* Hieronymus autem epist. 79. *Quidquid in illâ miserabili Synodo Diospolitanâ dixisse se denegat Pelagius, in hoc opere confitetur.* Augustinus denique lib. de peccato origin. tum supraposita laudat Innocentij verba, tum hæc succinit cap. 8. 9. 10. *Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam verò Ecclesiam, vbi eum esse notissimum scitis, fallere vsquequaque non*

potuit ; quamuis & hoc fuerit vtcumque conatus : ſed vt dixi, minimè valuit. Et infrà : *Videtis qualem tulerit Papa Innocentius de illius purgatione ſententiam, &c. Iam nunc diligenter attendite, vnde monſtretur, quod Paleſtinos Pelagius ſefellerit iudices.* Proſper denique carm. de Ingratis :

Lene quidem hoc, nimiumque malos toleraſſe videtur
Iudicium.

II. Eiuſdem ex iiſdem purgatio.

Subinfeſta hæc in ſpeciem videntur eſſe de hoc Palæſtino iudicio iudicia magnorum virorum. Ab his tamen ipſis fas eſt eiuſdem accerſere purgationem. Auguſtinus enim lib. 1. aduersùs Iulianum cap. 2. reliquis orthodoxis Patribus accenſet hos *Orientales Epiſcopos quatuordecim, qui Pelagio iudices præſederunt, eumque vt homines, nullo ex altera parte vrgente aduerſario, putantes Catholicum, tanquam Catholicum pronunciarunt.* Et mox : *At per hoc Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui ſentiunt iſta, damnauit ; cum eis quos damnauit, profectò damnandus, quia id quod damnauit ore, corde ſeruauit.* Et lib. 2. Retract. c. 47. *Eis abſentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Epiſcopis quatuordecim auditus eſt Pelagius ; vbi eum dogmata ipſa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei aduersùs eum de libello legebantur, catholicum pronunciauerunt. Sed cùm in manus noſtras eadem geſta veniſſent, ſcripſi de his librum : ne illo velut abſoluto, eadem quoque dogmata putarentur iudices approbaſſe ; quæ ille niſi damnaſſet, nullo modo ab eis indemnis exiſſet.* Atque adeò totus huc pertinet, vt vides, Auguſtini liber de geſtis Palæſtinis, vt Synodum Dioſpolitanam, Synodique authores Epiſcopos ab obliquis abſoluat ſeu criminationibus ſeu ſuſpicionibus. Cui ſuffragatur & Proſper carm. de Ingratis :

Non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura enituit ; captumque nefandi
Dogmatis authorem conſtrinxit lege benigna
Commentum damnare ſuum, niſi corpore Chriſti
Abiungi, & ſancto malleo grege diſſociari.

Digitized by Google

III. Multiplici ratione defenduntur gesta huius Synodi.

Nequaquam igitur à vero aberrarunt Palæstini iudices, 1. Quia hæresin ipsam Pelagianam confixere: Pelagium nonnisi eâ eiuratâ Catholicum pronunciauere. Id suprà relatis testimoniis compertissimum est. 2. Quia Pelagij anteriora dicta, scriptaque venenata, nonnisi sub alio & orthodoxo sensu, quem tum præsens allegabat ipse, approbauere. Augustinus de gestis Pelagij cap. 1. *Responsiones eius non immeritò approbauerunt, non curantes quomodo ea quæ obiiciebantur, in opusculis suis posuerit; sed quid de his in præsenti examinatione responderit. Alia est enim causa fidei non sanæ, alia locutionis incautæ.* Et infrà Synodus dixit: *Tu hoc edixisti, Pelagi? At ille respondit: Ego quidem dixi, Sed non sicut illi intelligunt, &c.* Et Photius in Bibl. num. 54. *Absolutus est, cum alia quidem obiectorum capitum, vt stulta omnino abnegasset, atque damnasset; alia verò à se quidem dicta confessus esset, non tamen eo sensu quo accusatores illa interpretarentur.* Idem significabat Innocentius suprà laudatus. 3. Quia Cælestium quidem cum dogmate suo antè perculerant Africani Patres, at Palæstini Episcopi non Cælestium sed Pelagium: & Cælestij sententias, sed alio longè & Catholico prorsus sensu à Pelagio simulatas, & velut incrustatas approbauere. Augustinus lib. de gest. Pelag. cap. 35. *Cælestius talia sentiens, ad iudicium Carthaginensis Ecclesiæ perductus, Episcoporum sententiâ condemnatus est. Deinde post aliquot annos Pelagio, qui magister eius perhiberetur, cùm ista hæresis fuisset obiecta; ad Episcopale iudicium etiam ipse peruenit, &c. Quatuordecim Episcopi secundùm responsiones eius alienum à peruersitate huius hæresis pronunciarunt; eam tamen hæresin sine vllâ dubitatione damnantes.* Et infrà: *Has ex nomine Cælestij quatuor sententias, non sic approbauerunt Episcopi iudices, sicut eas Cælestius sensisse dicebatur, sed sicut de his respondit Pelagius.* 4. Denique quia diuinitùs id agebatur, vt simulatio Pelagij non ad ipsum purgandum, sed ad eius hæresin proprio ipsius ore perimendam proficeret. Prosper molliùs hoc Episcopale iudicium, non tam excusans, quàm collaudans, ait:

Digitized by Google

Lene quidem, nimiumque malos toleraſſe videtur
Iudicium; ſed ſancta fides examine in illo
Vicit oberturam diro de ſemine prolem.
Proſpectum namque eſt, diuino & munere cautum,
Vt licèt inſtantem declinans beſtia pœnam,
Perfidiæ ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem,
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.

Poſtremo tandem accepti in hac Synodo vulneris ſenſum Pelagiani plus ſatis ſacrilego vlciſcendi auſu teſtati ſunt. Auguſtinus idem ibidem cap. vlt. *De his autem quæ poſt hoc iudicium ibi neſcio quo cuneo perditorum, qui valde in peruerſum perhibentur Pelagio ſuffragari, incredibili audaciâ perpetrata dicuntur: vt Dei ſerui & ancillæ ad curam ſancti Hieronymi presbyteri pertinentes, ſceleratiſſimâ cæde afficerentur: Diaconus occideretur, ædificia monaſteriorum incenderentur, &c.* Vide & de his epiſtolam Innocentij.

IV. Summa apud Patres authoritas Synodorum etiam particularium, in rebus tum fidei, tum facti.

Liquet hinc porro quàm non temere proſiliendum ſit ad vllius Synodi etiam particularis ſuggillationem. Quamuis enim tergiuerſatione ſua Pelagius impoſuiſſe Epiſcopis Palæſtinis videretur, nec id Innocentius, Auguſtinus, Hieronymus, Proſper diſſimularent: quamuis hæreſin ipſam ex approbato Pelagio approbatam multi garrirent: non tamen continuò ſancti Patres authoritatem detrectant particularis Synodi, non errare illam potuiſſe regerunt, non ſaltem in re facti hallucinatam confitentur, ſed eius ſtatuta & rationes vſquequaque propugnant. In fide enim ſanum ſapuiſſe & definiſſe conſtantiſſimè tuentur. In facto etiam, ſeu in perſonâ Pelagij abſoluendâ obtendunt, abfuiſſe accuſatores, per interpretem Græcos homines de Latino iudicaſſe, præſentis Pelagij reſponſiones *non immeritò* approbaſſe; nec examinaſſe quid olim ſcripſerit, ſed quid in præſenti confiteretur; diuinitus actos denique, vt clementiùs cum eo agerent, vt hæreſis ipſo ore eius, ex quo ebullierat, extingueretur. Denique Auguſtinus lib. de geſt. Pelag.

cap. 14. *Nunc certè post hoc iudicium, quando contra huiusmodi sententias disputamus, aduersùs damnatam hæresin disputamus.* Summæ ergo authoritatis in arcem recipitur particularis hæc Synodus.

V. Orientalium Patrum cum Occidentalibus consensio in negotio gratiæ, ab hæreticis illusa, à Catholicis vendicata.

Liquet rursus cum Romano, & Africano iudicio obstrepere Palæstinum iactaretur, non statim Occidentales Orientalium authoritatem repudiasse, in gratiæ præsertim negotio. Quin ex aduerso cùm Pelagiani ab Occidentalibus se exagitari quiritarentur, Orientales autem Patres suo dogmati consentaneos esse venditarent: Augustinus, Prosper, aliique tunc orthodoxi Episcopi, perpetua & inexpugnabili Græcorum cum Latinis, & Orientalium Patrum cum Occidentalibus consensione, & vnanimi Catholicæ Ecclesiæ traditione fulciri Ecclesiasticam fidem excepêre, & vel ex hac Synodo Palæstina approbauere. Augustinus lib. 1. contra Iulianum c. 2. *Ac per hoc Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui sentiunt ista damnauit, &c. Tu interim habes in conspectu non solùm Occidentis, verùm etiam Orientis Episcopos. Nam qui nobis desse videbantur, plures Orientis inuenimus. Omnes vno eodemque modo credunt, &c.* Et lib. de gestis Pelagij cap. 11. *Hæc sunt quæ nonnullis fratribus quidam talia sentientes ita persuadere conabantur, vt de Orientalibus comminarentur Ecclesiis, quod qui hæc tenerent, earum possent iudicio condemnari. Ecce quatuordecim Antistites Orientalis Ecclesiæ, in eâ terrâ cui Dominus præsentiam suæ carnis exhibuit, Pelagium non absoluerent, nisi ea tanquam fidei Catholicæ aduersa damnaret.* Et Prosper paulò suprà relatus: *Non segnior inde Orientis Rectorum cura enituit, &c.* Quò magis eliminanda nunc quorundam animis illa præpostere hausta opinatio, in gratiæ Christi doctrina Græcos à Latinis, Chrysostomum ab Augustino dissidere mussantium: qua de re prolixiùs aliàs. Sed rursum Prosper eandem ostentans Græcorum cum Latinis concordiam in Pelagianis explodendis, Attico Constantinopolitano Episcopo ita gratulatur;

Quid

Quid loquar & curam, magnâ quam geſſit in vrbe
Conſtantinopoli, docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiquâ legatos hæreticorum
Confutando fide: de qua tunc impia corda
Quamuis ſe obductâ tegerent velamine formâ,
Indicij & tacitæ tulerunt tormenta repulſæ.

At Cæleſtinus Papa in epiſt. ad Neſtorium, & Attico, & eius ſucceſſori Siſinnio eâdem de causâ meritas laudes accumulat: *Poſt impium illud, prophanumque, ac ſæpenumerò condemnatum Pelagij ac Cæleſtij dogma, Catholica fides aliquot vitæ noſtræ diebus pacem obtinuit. Etenim vt primùm Oriens & Occidens concordi ſententiâ, veluti telo quodam, illos, illorumque ſectatores ſemel percuſſit: è veſtigio ſanctæ memoriæ Atticus, egregius ſanè orthodoxæ fidei doctor, veruſque eâ in re B. Ioannis ſucceſſor: ita eos communis omnium Regis causâ eſt inſectatus, vt ne conſiſtendi quidem ſpatium eo in loco reliquum illis faceret. Poſt illius verò è vita diſceſſum, non vulgaris cura nos tenuit, anxiè ſpectantes, vnumne, eundemq; ille & muneris & fidei quoque ſucceſſorem ex æquo ſortiretur. Verùm poſt illius obitum Sanctus Siſinnius nobis obtigit, vir profectò & vitæ ſanctimoniâ & fidei ſimplicitate clarus, eiuſque, quam compererat, religionis præco inſignis.* Et mox Neſtorium longè à prædeceſſorum veſtigiis deuiantem & Pelagianis adhæreſcentem obiurgans: *Cur iterum in ea inquiris, quæ iam olim contra illos acta, decretaque ſunt? Ignoras forſan ab Attico, Catholico, per id tempus Epiſcopo, commentarios de illorum condemnatione inde ad nos fuiſſe tranſmiſſos. Cur ſanctæ memoriæ Siſinnius eadem retractari non quæſiuit? Ob id nimirum, quia inſtè illos à Præceſſore ſuo condemnatos intelligebat.* Ad quæ alluſiſſe videri poteſt Auguſtinus ipſe lib. 3. aduersùs Iulianum cap. 1. *Ego autem abſit vt ad monomachiam vos prouocem, quos, vbicunque apparueritis, vbique diffuſus debellat Chriſti exercitus: qui debellauit apud Carthaginem Cæleſtium, quando illic ipſe non eram: & rurſus Conſtantinopoli, tam longè à regionibus Africanis: qui debellauit in Paleſtina Pelagium.* Quin & in Epheſinâ Oecumenicâ Synodo in-

Digitized by Google

contanter proſcripti ſunt Pelagiani & errores & authores. Vnde in Synodica ad Cœleſtinum Papam: *Perlectis eis in ſanctâ Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum, Cœleſtij, Pelagÿ, Iuliani, &c. reliquorumque eadem cum illis ſentientium depoſitione à pietate tuâ iſtic decreta conſtitutaque ſunt: iudicauimus & nos quoque ea ſolida, firmaque permanere debere. Quare idem omnes vobiſcum ſentientes, & nos itidem eos pro depoſitis habemus.* Et Proſper in Chron. *Congregatâ apud Epheſum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Neſtorius cum hereſi nominis ſui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum ſibi inuabant dogma, damnatur.* Et carm. de Ingratis:

Præterea, quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſus, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Faceſſant ergo, qui neſcio quæ diſſidia ſibi ſomniant Græcorum & Latinorum in doctrina de auxiliis gratiæ Chriſti. Vtriuſque gentis Patres & Synodi ſummam ſemper concordiam præ ſe tulerunt.

VI. Quam non temerè erraſſe Synodi dicendæ, etiam in factorum & perſonarum iudiciis.

Liquet tertio, cum Synodi orthodoxæ in factorum & perſonarum iudiciis aberrare poſſe dicitantur; non temere effundendam eſſe extra lineas hanc opinandi licentiam. Diſertè ſuprà Auguſtinus aiebat, *Fefellit iudicium Paleſtinum Pelagium, &c.* Et tamen ex eodem ipſo Palæſtina Synodus *reſponſiones Pelagÿ non immerito approbauit:* Et lib. de geſtis Pelag. cap. 1. *Synodus dixit, Non ſunt aliena ab Eccleſia, quæ dicta ſunt à Pelagio. Planè aliena non ſunt, quæ reſpondit. Illud verò quod de libro eius prolatum eſt, aliud ſonat. Sed hoc Epiſcopi Græci homines, & ea verba per interpretem audientes, diſcutere non curarunt: hoc tantum intuentes, quid ille qui interrogabatur, ſenſiſſe ſe diceret: non quibus verbis eadem ſententia in eius libro ſcripta diceretur.* Ergo nè in facto quidem errauit hæc Synodus, quæ curauit diſcutere, non quid antè ſcriptitaſſet, ſed quid tunc confiteretur Pelagius: & laudauit ſonantem ex eius ore veritatem, non perfidiam in corde latitantem. Fefellit Pelagius, ſed Synodus falli non potuit, quæ de his vbi falli

Digitized by Google

potuit, nil iudicauit. Hac viâ elui poſſunt & ab aliis forſan Synodis iniquæ ſuſpiciones.

VII. Damnantur ſcripta hæretica, etſi ſuus illis author alium & catholicum ſenſum affingat.

Liquet quarto, etſi ſcriptis dictiſque ſuis prioribus alium longè & orthodoxum ſenſum affingeret Pelagius: nec vel ſic tamen cenſorium cauterium declinari ab eo potuiſſe. Aliqua enim *falſa interpretatione vertit*, vt aiebat ſuprà Innocentius: *Alia à ſe quidem dicta confeſſus eſt, non tamen eo ſenſu quo accuſatores illa interpretarentur:* vt narrabat Photius: *Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt:* aiebat ipſe Pelagius apud Auguſtinum. Licuit tamen Innocentio, licuit Auguſtino, licuit Eccleſiæ Catholicæ aliter, & ſincerius dicta ſcriptaque Pelagij, quàm ipſe exponeret, exponere, & ita inurere. Vnde ſuprà Auguſtinus: *Fefellit iudicium Paleſtinum Pelagius, propterea videtur ibi eſſe purgatus: Romanam vero Eccleſiam, vbi eum notiſſimum eſſe ſcitis, fallere vſquequaque non potuit.* Et lib. de geſtis Palæſt. cap. 21. *Nos de iſta eius purgatione, quæ magis creditur, quam liquidò demonſtratur, gaudere temere non debemus. Neque hoc dicens, Iudicum arguo, vel negligentiam, vel conniuentiam, vel quod ab eis abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam: ſed eorum iudicio pro merito approbato, atque laudato, Pelagius tamen apud eos quibus amplius, certiuſque notus eſt, non mihi videtur eſſe purgatus.* Et infrà cap. 29. *Proinde Pelagius de quorumlibet ſanctorum amicitiâ ſe tactauerit, quorumlibet de ſuis laudibus literas legerit, quælibet purgationis ſuæ geſta protulerit: niſi ea quæ contra Dei gratiam, quâ vocamur & iuſtificamur, poſuiſſe in libris ſuis idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizauerit; ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit & diſputauerit; nequaquam his quibus plenius notus eſt, videbitur eſſe correctus.* Tametſi ergo ſuæ ipſe mentis conſcius & interpres, verba ſua in ſanum raperet ſenſum, tametſi eius innocentiæ patrocinata videretur Synodus orthodoxa: Catholicis tamen Patribus conſultiſſimum viſum eſt, vt quæ in libris ſuis poſuerat, confeſſus anathematizare adigeretur, ac deinde contra hæc ipſa ſcriberet ac diſputaret: alioqui tota eius purgatio, nec flocci fieret.

Digitized by Google

VIII. Ambigua hæretici definitio; ideo minus quandoque curatur, vt hæreticum, an vt stultum aliquid damnetur.

Nec illud effugiet, quod in ea quæstione, an aliquis reapse ab infantia ad exitum vsque mortalis vitæ perstitisset immunis & purus ab omni sorde peccati : *Synodus dixit, Quoniam negas te talia scripsisse, anathematizas illos qui sic tenent? Pelagius dixit, Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos, siquidem non est dogma. Deinde indicauerunt Episcopi dicentes: Nunc quoniam anathematizauit Pelagius insertum stultiloquium, &c.* Ad quæ hæc animaduertit Augustinus lib. de gest. Pelag. cap. 6. *An & illud fortasse tractandum est, vtrum rectè dictum sit, Non tanquam hæreticos, sed tanquam stultos anathematizandos, qui ita sentirent, quoniam dogma non esset? Sed ab hac quæstione non leui, vbi quæritur, quatenus sit definiendus hæreticus, rectè se in præsentiâ iudices abstinuerunt.* Et infrà, cum stultiloquia bipartitus esset, in ea quæ ad fidem nihil attinent, & ea quæ fidei furtiuè & per cuniculos officiunt, subdit: *Cum igitur omnis hæreticus, consequenter & stultus sit: non autem omnis stultus continuò sit appellandus hæreticus: rectè Iudices insertum stultiloquium propriâ voce Pelagium anathematizasse dixerunt. Quia etsi hæresis esset, proculdubio stultiloquium est. Proinde quidquid illud sit, generalis vitij nomine appellauerunt.* Quoniam ergo salebrosa implicataque illa quæstio est, quatenus sit definiendus hæreticus : non conducit plerumque pertinacius disceptari, quid hæresi, quid stultitiæ adscribendum sit : sed indiscriminatim vtrique anathema illidendum, vtrumque ex animo expuendum est.

Digitized by Google

DISSERTATIO IX.

IN CONCILIA CARTHAGIN. ET MILEVITANVM,

Anni 416.

Aduersùs Pelagianos sub Innocentio & Carthaginense posterius anni 417. & 418. sub Zozymo.

SYNOPSIS.

Particulares Synodos à Romano Pontifice confirmari debere: & tunc demum in summæ authoritatis arcem eas inuadere.

DVo hîc quædam Catholicæ doctrinæ capita, & si dilucidè satis eniteſcant, paulò copioſiùs tamen illa elucidari operæ pretium erit. Nimirum prouinciales Synodos ab Apoſtolica ſede confirmandas eſſe, & vbi confirmatæ fuerint, tunc in authoritatis ſummum columen eas recipi, nec poſſe ab eis citra hæreſeos diſcrimen prouocari. Ac primum quidem Carthaginenſes huius Synodi Patres, damnatum à ſe Cæleſtianum dogma præfati, ad Innocentium Papam ita ſcribere pergunt: *Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolica ſedis adhibeatur authoritas, pro tuendâ ſalute multorum, & quorundam etiam peruerſitate corrigendâ.* Et poſt aliquantula de gratiâ Chriſti diſputata: *Et veremur ne apud te iſta ipſa commemorando, qui maiore gratia de ſede Apoſtolica prædicas, inconuenienter facere videamur. Sed*

I. Particulares Synodos à Romano Pontifice confirmari debere: & tunc in ſummæ authoritatis arcem eas recipi, probatur primo ex epiſtola Carthagin. huius Concilij ad Innocentium.

Digitized by Google

ideo facimus, quia in eo quod infirmiores sumus, crebrius eos patimur, & audacius insurgentes. Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi iustè visus fuerit absolutus; error tamen ipse & impietas, quæ iam multos habet assertores per diuersa dispersos, etiam Apostolicæ sedis authoritate anathematizanda est. Et post exuflatos errores aliquot Cælestij, sic tandem concludunt: *Quæcumque autem alia eis obiiciuntur, non dubium venerationem tuam, cum gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eâdem causâ confecta dicuntur, id iudicaturam; vnde omnes in Dei misericordiâ gaudeamus.* Perpendè ergo 1. ex Africanis his Patribus, id iuris esse sedi Apostolicæ vt de Synodo Diospolitana *id iudicet, vnde omnes gaudeant:* iudicet, *iustè absolutus* sit Pelagius, nec ne: iudicet ergo post Synodum, & de ipsâ Synodo, eiusque iudicium velut nutabundum, aut figat, aut diffingat. 2. Id eos orare similiter, vt *statutis suæ mediocritatis, etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas:* etenim se *infirmiores* esse, ideoque in se audaciùs insolescere hæreticos: at Innocentium *maiore gratiâ de sede Apostolicâ prædicare:* & quia error *multos* habet iam assertores, qui non facilè morem gerant Synodis Episcopalibus, vtpote *per diuersa dispersi;* hæresin *etiam sedis Apostolicæ* configendam authoritate, quæ vbique pollet. 3. Et Diospolitanæ ergo, & suæ Synodi statuta minus ponderis habitura confitentur, nisi accedat confirmatio Innocentij, tum quod *Apostolicæ sedis authoritas & gratia* emineat, tum quod latissimè & vbique se exporrigat.

II. Idem rursus probatur ex epistola Innocentij ad eandem Synodum.

Nec minus id liquido patet ex epistola Innocentij ad eandem Synodum Carthaginensem: *Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio; antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, verâ ratione firmatis: qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium: scientes, quid*

Digitized by Google

Apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus & tota authoritas nominis huius emersit. Subdit, *Patres non humana, sed diuina decreuisse sententia, vt quidquid quamuis de disiunctis remotisque ageretur prouinciis, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam peruenirent: vt totâ huius authoritate, iusta quæ fuerit, pronunciatio firmaretur: indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ; velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent, &c.* Et mox: *Per cunctas totius orbis terrarum Ecclesias, omnibus vnâ quod prosit, decernendum esse deposcitis.* Perpende hîc primo decreta Synodorum prouincialium ad sedem Apostolicam *referenda* esse, & de his eam *consulendam*: & quæ ad Episcopos alios decreta sunt, ad Episcoporum apicem *relationes & consultationes Synodicas* esse, vt ab hac Synodo, & ab Hieronymo aliisque Scriptoribus antiquis vocitantur: & hanc esse *antiquam traditionem & Ecclesiasticam disciplinam*; non aliquid nunc nouatum. 2. Idque quia *sedes Apostolica* est, seu sedes Petri, *à quo ipse Episcopatus & tota authoritas huius nominis emersit*: quia *caput* istud est, & veluti *fons natalis*, à quo velut aquæ illimes, Ecclesiæ omnes promanant. 3. Cum Episcopi, synodique particulares vim suam in aliquo tantum terrarum tractu exerant, nec œcumenicas toties Synodos cogi fas sit, quoties insanire nouatoribus allubuerit: id consultissimum, id compendiosissimum, id denique necessarium esse, vt accedente localibus Synodis vniuersali sedis summæ & capitis authoritate, *id decerneretur quod per cunctas totius orbis Ecclesias omnibus prodesset*: atque ita *in disiunctis prouinciis* agitari possent multa, non tamen *finiri antequam ad huius sedis notitiam peruenirent, & ab eâ firmarentur.*

Idipsum rursus ex Concilij Mileuitani epistolâ ad eundem Innocentium patebit: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolicâ collocauit; talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ va-*

III. Item ex epistola Concilii huius Mileuitani ad Innocentium.

Digitized by Google

leat; ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſiâ ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quam ea tu poſsis vel faſtidiosè, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Et paucis commemorato errore peſtifero: *Hæc inſinuantes Apoſtolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare; cum proculdubio te ita permoueant, vt ab eis corrigendis, ne latius ſerpant, multoſque contaminent, omnino diſsimulare non poſsis.* In Aſiâ mox & Hieroſolymis graſſari horum errorum ſatores dolent, ſubduntque: *Sed arbitramur authoritati ſanctitatis tuæ de ſanctarum Scripturarum authoritate deprompt æ, facilius eos qui tam peruerſa & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros: vt de correctione potiùs eorum congratulemur, quam contriſtemur interitu. Quodlibet autem ipſi eligant; certè vel aliis, quos plurimos poſſunt, ſi ab eis diſsimuletur, ſuis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua inſtanter & celeriter prouidendum.* Perpendis & hic ſimiliter 1. ad authoritatem quæ toto orbe dominetur, neceſſariò referri recurrique à Synodis particularibus, ne malum *latius ſerpat multoſque contaminet*, ne *plures his laqueis implicentur*, vt in Aſia, vt Hieroſolymis ſiſtatur virus, vbi parum aut nihil momenti habent Africana Concilia. 2. Id totum tribui *Apoſtolicæ ſedi, Apoſtolico pectori, authoritati de ſanctarum Scripturarum authoritate deprompt æ.* 3. Quod enim nuperus Nouator authoritatem, id eſt, lucubrationem interpretatur ſcripturarum teſtimoniis conſtipatam, nihil inficetius, nihil alienius in mentem venire potuit. Nam 1. Ecquid toties vtriuſque Synodi Patres Apoſtolicam ſedem, Apoſtolicum pectus ingeminant & extollunt, niſi vt inſinuent Apoſtoli Petri in ea ſede perennantem principatum, Euangelicis literis conſignatum? 2. Illa verba, *Vt ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur authoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam etiam peruerſitate corrigenda*: his prorſus concinunt, *arbitramur authoritati ſanctitatis tuæ de Scripturarum authoritate deprompt æ, facilius eos, qui tam peruerſa & pernicioſa ſentiunt, eſſe*

esse cessuros. Vtrobique potestas magis, quàm doctrina intentatur. 3. Vtraque Synodus profitetur suam *mediocritatem;* se *infirmiores* esse aiunt Episcopi, non indoctiores, *crebriùs se pati* hæreticos, *& audaciùs insurgentes* queruntur: in tam multos vbique *dispersos*, etiam in Asia & Hierosolymis, nihil sibi esse virium, nihil potestatis, non autem nihil doctrinæ. At Innocentium *maiore gratia de sede Apostolica praedicare*, & ab eo omnes vbique terrarum facilius comprimi posse sectarios. 4. Oraculis scripturarum per Innocentium, quàm per Augustinum prolatis eccur faciliùs cessuri coniiciuntur Pelagiani? Sed vbi Augustinus, vbi Alypius, vbi tot alia Episcoporum lumina confluxerant? quid opus erat ad Innocentij doctrinam confugere Scripturarum scatentem fluentis, & in ea salutis & fidei Catholicæ summam collocare? 5. Et in his, & in aliis Augustini scriptis, *authoritas* non scriptum aliquod, sed pondus potestatis sonat. Denique frequentissima sunt Augustini loca, vbi sedes Apostolica aliis longè anteponit, Ecclesias nempe illas, quarum in Scripturis sanctis memoria & maiestas commendatur. Horum ergo Ecclesiarum prærogatiua supra alias de Scripturis depromitur.

IV. Et ex responsione Innocentii.

Sed huius insania veteratoris manifestissimè reuincetur ex responsione Innocentij ad Concilium Mileuitanum: *Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ sedis occupationes, quibus diuersorum consulta, fideli ac modicâ disceptatione tractamus, &c. Diligenter & congruè Apostolico consulitis honori, honori inquam illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam, &c. Scientes quod per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coëpiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod*

per totum mundum posit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. Et infrà: *Quare Pelagium, Caelestiumque inventores vocum novarum, Ecclesiasticâ communione privari, Apostolici vigoris authoritate censemus.* Perpendis hîc 1. *Apostolici vigoris authoritate*, non scripto, non doctrinâ scilicet solâ, sed potestate, *inventores vocum novarum Ecclesiasticâ communione privari:* & vbique prætendi Apostolicam sedem, Apostolicum fontem, Petrum Episcopalis nominis & honoris authorem. Illa ergo est *authoritas de scripturis deprompta.* 2. Quæ definitiones fuere Synodorum, eas ad Romanam sedem missitari, vt relationes, & consultationes. 3. Quod ab ea sede manarit, id valere iam *per omnes provincias*, id *per totum mundum in commune prodesse.* 4. Antiquam illam esse formam, toto orbe seruatam. 5. Non aliter constare potuisse Ecclesiæ Catholicæ salutem, cum Africanis Synodis damnati errores authoresque errorum, aliis in Ecclesiis impunè vel delitescerent, vel baccharentur, & Diospolitanæ Synodi authoritate simplicioribus illuderent. Necessum vtique tum erat ad maiorem authoritatis apicem recurri, & eas vbique conualescere Synodorum definitiones, quæ illi approbarentur.

V. Idem rursum conficitur ex verbis Augustini.

Nec prætermittenda Augustini epistola 95. ad eundem Innocentium, suo & aliorum quatuor Episcoporum nomine scripta: vbi post Synodum Diospolitanam acciri Romam Pelagium, & diligentius interrogari suadetur: & si faciat satis, tunc *revera de eius purgatione gaudendum.* Et infrà: *Si cognoverint eundem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum Catholicorum authoritate, & maximè sanctitatis tuæ, quam apud eum esse maioris ponderis minimè dubitamus: ab eodem ipso anathematum atque damnatum, non eos vlteriùs existimamus ausuros loquendo contra gratiam Dei, &c. Ad ipsum scriptam ab vno nostrûm epistolam, tuæ beatitudini potiùs credimus dirigendam; meliùs indicantes & petentes, vt eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potiùs non dedignabitur, magis in illâ eum qui misit, quàm qui scripsit, attendens.* Vbi claret, quæ illa sit de

Digitized by Google

ſcripturis deprompta authoritas Romani Antiſtitis, quæ *maioris ponderis* eſt, quàm aliorum Epiſcoporum, etiam ſynodicè congregatorum.

His planè aſtipulatur Proſper carmine de Ingratis, VI. Item apertiſſimè ex Proſpero.

Peſtem ſubeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poßidet armis,
Religione tenet. Non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura enituit, &c.
Tu cauſam fidei flagrantiùs Africa noſtra
Exequeris, tecumque ſuum iungente vigorem
Iuris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Conuenere tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu,
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur.

Appoſitè prorſus vtroque Africæ Concilio ait decreta fuiſſe, quæ *Roma probaret:* & approbatum Romæ dogma Synodicum, vniuerſi orbis regna ſequerentur. Nempe quia Roma *ſedes Petri* eſt, & *Paſtoralis honoris caput mundo*, & *Iuris Apoſtolici ſolium.* Nam quod ad ſcientiam ſcripturarum attinet, longè vberrimam illam ſcaturiſſe ab Africanis Synodis, & ab Auguſtino maximè, perelegantèr ibidem Proſper perſequitur: *Concilium cui Dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia cornu vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo, accenſum vero de lumine, &c. Et in ſancto regnat ſapientia templo, &c. Iſtius ore flumina librorum mundum effluxere per omnem.* Et infrà rurſus Proſper,

Ergo Petri ſolium Romam & Carthaginis alta
Concilium repetant humiles.

Et iterum Proſper contra Collat. cap. 41. *Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit: quando Pelagium ad proferendam in ſe ſuoſque ſententiam, Paleſtinorum Epiſcoporum Synodus coarctauit: quando Africanorum Concilio-*

Digitized by Google

rum decretis beatæ recordationis Papa Zozymus ſententiæ ſuæ robur adnexuit: & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antiſtitum. Conſtantiſſimè Proſper Romanam ceu Petri ſedem ad profligandas hæreſes & ductricem præire, & confirmatricem accedere Epiſcopalibus Synodis demonſtrat; nec vlli deinceps Catholico fas eſſe, iſtiuſmodi decretis obluctari.

VII. Ex ipſorum hæreticorum reuerentia in ſedē Apoſtolicā propenſiore idem declaratur.

Quàm non temerè autem coniecisſent Africani Epiſcopi, Pelagianos lubentiùs Apoſtolicæ ſedis, quàm Epiſcopalium Conciliorum decretis ceſſuros: liquet ex ipſius Pelagij confeſſionis libello poſt ſuperiores Synodos conſcripto, & ad Innocentium Papam miſſo, cuius hæc ſunt extrema penè verba. *Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus. In quâ ſi minùs peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & ſedem tenes.* Adde ſi voles & hæc ex Gennadio lib. de viris illuſtribus, cap. 43. *Innocentius vrbis Romanæ Epiſcopus ſcripſit decretum Occidentalium Eccleſiarum & Orientalium, aduersùs Pelagianos datum: quod poſtea ſucceſſor eius Papa Zozymus latiùs promulgauit.* Quaſi dicat Innocentium velut os, & oraculum Eccleſiæ, confirmaſſe atque edixiſſe per orbem vniuerſum, quæ particulares Synodi in Palæſtina & in Africa decreuerant. Quod pauciſſimis verbis tangitur in lib. de Romanis Pontificibus. *Hîc conſtitutum fecit de omni Eccleſia.*

VIII. Item ex decretorio Auguſtini teſtimonio.

Verùm nihil expreſſius illo Auguſtini teſtimonio, alibi iam deſcripto ex lib. 4. ad Bonifac. cap. 8. *Iam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, vtinam aliquando finiatur error.* Quid manifeſtius, vt patefiat, & ad Apoſtolicam ſedem mittendas Synodorum localium definitiones, & ab ea confirmandas; tumque eas ineluctabili demum authoritate pollere? Et rurſum l. 2. operis extremi adu. Iulian. num. 103. *Quid adhuc queris examen, quod apud Apoſtolicam ſedem iam factum eſt? Quod denique iam factum*

Digitized by Googl

eſt in Epiſcopali iudicio Palæſtino. Ergo hæreſis ab Epiſcopis non adhuc examinanda ; ſed coërcenda eſt poteſtatibus Chriſtianis. Et denique lib. 4. contra Bonifacium cap. vlt. Pelagianos deridet, qui œcumenicam Synodum flagitabant, *cum multo & incomparabiliter plures hæreſes ſine Synodi congregatione damnatæ ſint* : ſubditque, *poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicumque lupi iſti apparuerint, conterendi ſunt.*

IX. Tota & ſumma particularium Synodorum authoritas ex confirmatione ſedis Apoſtolicæ.

Totam autem, eamque ſummam Synodorum particularium authoritatem ab Apoſtolicæ ſedis confirmatione deriuatam fuiſſe, inde efficitur, quod vtrumque illud quod tractamus, Carthaginenſe & Mileuitanum Concilium, ſolo Innocentij decreto, quo rata illa facta ſunt, complexus eſt Proſper, & ante eum Auguſtinus. Proſper enim iis verbis : *Peſtem ſubeuntem prima recidit ſedes Romæ Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundo, &c.* vtramq; hanc Synodum inſinuauit, & ita ad Dioſpolitanam, vt alibi ſolet, & ad Africanas duas ſub Zozymo perrexit : quod apertiſſimum fit ex verbis ſuprà relatis libri contra Collatorem, & ex eiuſdem lib. c. 1. Id ipſum emicat in illis Auguſtini verbis ſuprà allatis, *Quid adhuc quæris examen quod apud Apoſtolicam ſedem iam factum eſt? Quod denique factum iam eſt in Epiſcopali iudicio Palæſtino?* Similiter & Gennadius dixit ſcriptum fuiſſe ab Innocentio *decretum Occidentalium & Orientalium Eccleſiarum.* Adde Poſidium in vita Auguſt. cap. 18. *At illi tantæ ſedis Antiſtites ſuis diuerſis temporibus eoſdem Pelagianos notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas Orientis & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt.*

X. Ab his duobus Conciliis ad alia tranſitur, eaſdem de gratia quæſtiones ventilantia, & primùm ad Africana duo per Zozymum confirmata.

Iam verò duobus quidem Africanis Conciliis ſub Zozymo Papa habitis, vt aiebat ſuprà Proſper, *Papa Zozymus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antiſtitum.* Tumque, vt idem canit, *Africa gemino ſenum celeberrima cœtu, decreuit, quæ Roma probet, quæ regna ſequantur.* Etc-

Digitized by Google

nim vt ait Auguſtinus lib. de peccato originali cap. 7. *Papa Zozymus egit cum Cæleſtio, quem falſæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta, damnaret; atque vt ſedis Apoſtolicæ literis, quæ à ſanctæ memoriæ præceſſore ſuo manauerant, præberet aſſenſum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare, ſed beati Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere: immo ſe omnia quæ ſedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit.* Vbi rurſus perſpicis, quàm inclinato animo ad ſedis Apoſtolicæ decreta potiùs, quàm ad Synodos aſſurgerent vel Nouatores: quanquam confirmatis à ſede Apoſtolica Synodis ſigillatim ſubſcribere iuſſerit Zozymus, vt idem ibidem teſtatur. Denique Zozymi promulgatione pondus accreuiſſe his poſterioribus Africæ Synodis, & orbis terrarum vniuerſi reuerentiam, perhibet Auguſtinus epiſt. 47. *Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ vrbis Epiſcopum, de Concilio prouinciæ Carthaginenſis, & de Concilio Numidiæ: & aliquanto diligentiùs à quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit: Item quod Papæ Zozymo de Africano Concilio ſcriptum eſt, eiuſque reſcriptum ad vniuerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, &c.* Vt Innocentius ergo, ita & Zozymus particularium Synodorum decreta toto orbe Chriſtiano valere & dominari ſanxit. Quibus addatur Proſper in Chronico: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum, ad Pontificem Zozymum Synodalia decreta perlata ſunt: quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

XI. Cæleſtinus earundem particularium Synodorum vindex.

Atque vt ne diſſuamus, quæ eiuſdem materiæ contextu coalita ſunt. Ita Cæleſtinus in decretis cap. 3. *Sequi & probare confitentur quæ ſacratiſſimæ B. Apoſtoli ſedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit & docuit. Neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi quæ eorum temporibus exorta eſt, indicarint: ita vt etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vtique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cùm probarent.* Ita rurſum Proſper de

Digitized by Google

Cæleſtino Papa ſcribit contra Collat. cap. 41. 42. *Cæleſtinus ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi: adeò & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter ſeruanda cenſebat, vt quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.* Subiicit *per hunc virum* etiam Orientales Eccleſias gemina peſte purgatas: & *apoſtolico eius gladio* confœderatos Pelagij & Neſtorij errores proſtratos fuiſſe. Iterum *per hunc virum* maleloquentiæ Gallorum quorundam in Auguſtini ſcripta ſæuienti libertatem ademptam: vtpote quod Auguſtinus *inter optimos magiſtros etiam ab eius prædeceſſoribus haberetur.* Vt hinc intelligas Synodorum fideique defenſionem ab Apoſtolicæ ſedis arce ſemper profectam fuiſſe: vt rurſum teſtatur Proſper his verbis contra Collat. ſub finem: *Confidimus Domini protectione præſtandum, vt quod operatus eſt in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Cæleſtino; operetur & in Sixto: & in cuſtodia Dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſeruata Paſtori, vt ſicut illi lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos.* Gloriam fidei vendicatæ, vt vides, Romanis præſulibus totam adſerit.

His denique attexatur Arauſicana Synodus ſecunda, cuius luculentiſſimis de gratia & libero arbitrio placitis, Romana ſedes & dux præiuit, & confirmatrix, vindexque pòſt affuit. Præfatio ipſa Synodi ſic habet: *Peruenit ad nos eſſe aliquos qui de gratia & libero arbitrio per ſimplicitatem minùs cautè & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentire velint. Vnde id nobis ſecundùm admonitionem, & authoritatem ſedis Apoſtolicæ, iuſtum ac rationabile viſum eſt, vt pauca capitula ab Apoſtolicâ nobis ſede tranſmiſſa: quæ ab antiquis Patribus de ſanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causâ collecta ſunt; ad docendos eos qui aliter quàm oportet, ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris*

XII. Arauſicanam de gratiâ Synodum confirmat Romanus Pontifex.

Digitized by Google

ſubſcribere deberemus. Synodi huius decretorum confirmationem à Felice Papa poſtularat Cæſarius Arelatenſis eius author & ſignifer primarius, quam eo præmortuo impetrauit à Bonifacio II. Ex huius epiſtolâ ad Cæſarium pauca hæc delibo: *Poſtulans vt pro ambiguitate tollenda confeſſionem veſtram, &c. Authoritate ſedis Apoſtolicæ firmaremus, &c. Quapropter affectu congrua ſalutantes, ſupraſcriptam confeſſionem veſtram, conſentaneam catholicis Patrum regulis approbamus*. Ergo ſedes Apoſtolica Gallicanis Epiſcopis *per tranſmiſſa capitula*, quaſi in verba præiuit: & eorum confeſſioni adprobatione ſua ſummum pondus adiecit, & omnem ſuſtulit *ambiguitatem*.

DISSERTATIO

Digitized by Google

DISSERTATIO X.

IN

CONCILIVM EPHESINVM I.

SEV OECVMENICVM III.

Anno Christi 431.

SYNOPSIS.

Romani Præsulis ius est, præsidere Synodis œcumenicis. Perlustratis omnibus Synodis id ostenditur vsque ad num. XIII.

Præsidebat etiam suo quodam modo & iure Imperator: sed ea præsidendi prærogatiua longè dispar, & decolor à Pontificiâ: vsque ad num. XVIII.

Excutitur alia potestas principis in numero, loco, tempore, ordine Synodis præscribendo. Et ea probatur fuisse legitima potestas Ecclesiæ Defensoris & Custodis canonum: præter quos si quid princeps moliretur, eam iniuriam vel non silebant Episcopi, vel dispensatiuè silebant. Vsque ad num. XXV.

Ius aliud expenditur principum, confirmandi Synodos. Nihil id officit Synodicis definitionibus, per sese valituris: imò prodest mirum quantum. Hæc principalis potestas ostenditur non imminere, & dominari Ecclesiæ Sponsæ Christi, sed inuigilare, & obsequi. Ad num. vsque XXXIX.

Summa damnati Nestorij potestas, & laus penes primam Sedem.

Quàm multi tum Cyrillo, Synodoque detraxerint. Vt in quæstione facti diutiùs quidam altercati sint: ideoque & in fide claudicare suspecti fuerint, ac tandem coacti sint, vtrique Sy-

nodica definitioni consentire. Quantâ in his humanitate & dispensatione vsus sit Cyrillus, imò & vniuersa Ecclesia, vt illi recolligerentur, qui suum Synodo assensum non tam negasse, quàm suspendisse postea deprehensi sunt. Vsque ad calcem.

I. Romani Præsulis ius est, præesse Synodis œcumenicis. Id ex hac Synodo probatur primùm.

PRÆFVISSE huic Synodo Cyrillum Alexandrinum Episcopum, non suo, sed Cælestini nomine Romani Præsulis: adeoque Cælestinum ipsum per Cyrillum, eeu legatum, & vicarium suum præfuisse: & inter primæ sedis eximia priuilegia istud quoque numerari, vt Synodis generalibus seu per se, seu per legatos suos præsit: id sanè hoc loco aduersùs insanas Nouatorum tergiuersationes astruere adgredimur. Et quidem passim in hac Synodo dicitur Cyrillus qui primas tenet, Cælestini τὸν τόπον ἔχειν, locum tenere, vices implere: dicitur Cælestinus Cyrillo commisisse, vt locum suum impleret, ἐπιτρέψας τὸν αὐτοῦ τόπον ἐπέχειν. Vbi vt Cyrillo longè anteponi, & antistare Cælestinum ne ambigas, audi quid lectis Cælestini epistolis Synodus tota succinat act. 2. *Hoc iustum iudicium. Nouo Paulo Cælestino. Nouo Paulo Cyrillo. Cælestino custodi fidei, Cælestino cum Synodo concordi. Cælestino vniuersa Synodus gratias agit. Vnus Cælestinus, vnus Cyrillus. Vna fides Synodi, vna fides orbis terrarum.* Cumque eidem Synodo affuerint legati alij sedis Apostolicæ, Romanâ ex vrbe Ephesum ablegati, nihil aliud illi, quàm similiter dicuntur implere locum Cælestini Papæ.

II. Aliis testimoniis probatur Cyrillum Cælestini Papæ nomine & vice præfuisse.

Idem profitentur Apocrisarij Alexandrinæ Ecclesiæ in libello, quem dederunt legatis ex vrbe Roma missis ab Anastasio Papa II. vbi vtriusque Ecclesiæ, Romanæ & Alexandrinæ, concordiam laudant, deriuantque ex eo quod, *ab vno fuerit in vtrisque iactum fidei fundamentum. Petrum memoramus beatum Apostolum, cuius per omnia sanctus Euangelista Marcus extitit imitator. Ita vt si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum Concilia celebrari, sanctissimus is qui Romanæ præsideret Ecclesiæ reuerendissi-*

Digitized by Google

mum Alexandrinæ ciuitatis Archiepiſcopum deligeret, vt ſui curam loci ſuſciperet. Cyrillus ergo ad Cæleſtinum, Eccleſia Alexandrina ad Romanam eum induit animum, quem Marcus ad Petrum, hoc eſt ad fidei ſuæ authorem & magiſtrum. Similiter & ſexta Synodus in Proſphonetico ad Conſtantinum Imperatorem, act. 18. *Iterum Neſtorius, & iterum Cæleſtinus & Cyrillus: ille quidem Chriſtum diuidebat, hi verò diuiſorem deiciebant, vt Epheſius & ibidem geſtorum tabulæ loquuntur.* Et Nicolaus Papa I. epiſt. 9. *Cyrillus idcirco in præfata Synodo ante omnes ſedit, quia & ipſe locum iam memorati Papæ ibidem, ſicut geſta eiuſdem Synodi teſtantur, obtinuit.* Et Synodi Florentinæ act. 5. dicitur Cyrillus, *princeps fuiſſe huius Synodi, locumque obtinuiſſe & ſenſum, τὸν τόπον καὶ τὴν γνώμην Cæleſtini.* Miſſos facio Euagrium, Photium, alioſque: vnum profero è Græcis Balſamonem, qui in Photij Nomocan. tit. 8. *Habuit hanc facultatem ſanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cæleſtino, quando facta eſt Epheſina Synodus contra Neſtorium. Cùm non poſſet Cæleſtinus adeſſe Epheſi, & iudicare Neſtorium: viſum eſt, vt ſancto Cyrillo à Cæleſtino permitteretur, præſidere huic Synodo. Vt itaque conſtaret eum habere ius & authoritatem Papæ, ſedit cum Phrygio & condemnauit Neſtorium.*

III. Nec Synodo tantùm, ſed & antè iudicio in Neſtorium toti præfuit Cyrillus, vices agens Cæleſtini.

Coniuncta ſunt enim hæc duo, quæ copulauit Balſamon, vt non in præſidendo tantùm, ſed & in iudicando Cyrillus, non tam ſuam, quàm vicariam Cæleſtini perſonam & poteſtatem exereret. Vnde Arnobius in conflictu cum Serapione: *Apoſtolicæ recordationis vir ſanctus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, cùm cognouiſſet Neſtorianum dogma contrarium fidei pullulare; ſcripſit per totam Ægyptum, & ad ſanctum Cæleſtinum Apoſtolicæ recordationis Antiſtitem miſit, dicens, ad laudem ſuam pertinere, ſi ab eo qui Pontificatus arcem tenebat, fuiſſet aliquid emendatum. Sanctus verò Cæleſtinus ita ἐγκαμιαζὴς eius extitit, vt in Neſtorij damnationem dictaſſet ſententiam, &c.* Vides vt ſumma iudicij huius poteſtas, vel ab ipſo Cyrillo ad Cælcſtinum delata ſit, tanquam ad *Pontificatus arcem.* Cui

Digitized by Google

consentit Marcellinus Comes in Chronico : *Cælestinus Romanæ arcis Pontifex Nestorio prauitatis Episcopo, per epistolam suam datis eidem decem dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denunciat. Idem Nestorius apud Ephesum ducentorum sanctorum Patrum Synodo condemnatus est, Cælestino Cyrillum Alexandrinæ ciuitatis Episcopum pro tempore vicarium denunciante.* Vides quò spectaret Cælestini vices demandari Cyrillo.

IV. Idipsum efficacissimè colligitur ex epistolis Cyrilli & Cælestini ipsis.

Sed nusquam maior lux affulgebit quàm ex ipsis Cælestini & Cyrilli epistolis. Cyrillus ergo epist. 9. ad Cælestinum, ita habet: *Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, vt eiusmodi res sanctitati tuæ communicentur: necessariò rursum scribo, illud significans, quod Satanas etiamnunc omnia miscet, &c.* Cumque mox Nestorij intemperias & effutitos errores memorasset, subdit: *At quamuis res ita se habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter abiecimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ communicemus. Digneris proinde sententiam declarare; & vtrum communicare cum illo oporteat, an liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, & piissimis Macedoniæ Episcopis, & omnibus Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, vt omnes vno animo in vnâ sententiâ persistant, rectæque fidei, quæ iam impugnatur, opem ferant.* Principatus sanè fidei & Episcopatus Cælestino hîc tribuitur, cui *longa Ecclesiarum consuetudo* communicari iubet maiora vbique terrarum momenta causarum: cuius primùm sententia de Nestorio, & in Nestorium vel à Cyrillo expectatur; cuius est vt communionem Ecclesiæ toto orbe diffusæ Nestorio donet, vel interdicat: cuius est ad Episcopos etiam Orientis omnes perscribere, & regulam dictare fidei & communionis. Cælestinus verò hæc ad Cyrillum: *Quamobrem nostræ sedis authoritate adscitâ, nostrâque vice, & loco cum potestate vsus,*

Digitized by Google

σωαφθείσης σοι τοίνυν τῆς ἀυθεντίας τὸ ἡμετέρου θεόνυ, & τῇ ἡμετέρᾳ τὸ τόπου δόξῃ, ἐπ' ἐξουσίᾳ χρησάμενος, *eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris : nempe vt nisi decem dierum internallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet : eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.* Audin vt prima sedes ad secundam fidenter scribat, & sententiam decretoriam ferat, eiusque executionem illi mandet, suamque ad id muneris authoritatem & vicem concredat?

V. Vt principatum fidei, & Episcopatus, & communionis tenens Papa, necessariò præest.

Et rursus idem Cyrillus ad Ioannem Antiochenum prosecutus, vt se Nestorius, suumque dogma Cælestino insinuare molitus sit per epistolas, eoque adactus & ipse sit rem totam vt habebat, eidem Cælestino pandere : subdit : *Porro expositionibus illius, epistolisque lectis, sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit : quæ de re, & ad tuam quoque pietatem scripsit. Horum itaque decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint. Scripserunt & ad Macedoniæ Episcopos, &c. & ad Æliæ Episcopum Iuuenalem. Iam tuæ pietatis fuerit, quid in rem futurum sit, diligenter expendere, Nos enim quæ illi iudicauerunt, sequi omnino constituimus ; veremur namque ne à tantorum virorum communione excidamus.* Et hîc patet, vt fidei communionisque Catholicæ dux moderatorque summus sit Romanus Pontifex ; & ab Alexandrino ac Constantinopolitano ambiatur ; hunc cum suo errore damnet, illum sententiæ executorem constituat : summam iudicij sui ad Antiochenum & Hierosolymitanum perscribat : omnibus teste Cyrillo parendi necessitatem imponat. Cyrillus ergo etiam ante Synodum iam vices & personam sustinens Cælestini, hæc ad Nestorium scribit : *Ecce igitur vnà cùm sanctâ Synodo quæ in magnâ Romanorum ciuitate, sanctissimo Cælestino præ-*

Digitized by Google

ſidente conuenit, iam tertiò his te literis conteſtamur: &c. Quod ſanè niſi iuxta tempus in literis ſacratiſſimi comministri Cæleſtini præſcriptum præſtiteris, certò ſcias nullam tibi deinceps cum Epiſcopis & ſacerdotibus Dei ſortem, nullum ſermonem, nullum denique inter eos locum futurum eſſe. Non ſuam ergo, ſed Cæleſtini ſententiam exequitur Cyrillus, & ante Synodum, iam Chriſtiano orbi præerat, nomine & vice Cæleſtini. Aſſurgebat & Ioannes Antiochenus authoritati & ſententiæ Cæleſtini, & ad obſequium inuitabat Neſtorium, ei in hunc modum ſcribens: *Licèt Dominus meus Cæleſtinus decem tantùm dierum internallum, terminum vſque reſponſioni præfinitum valde anguſtum literis ſuis interpoſuerit: tamen res ea eiuſmodi eſt, vt non dico decem diebus, ſed vno, imò verò paucis horis tota confici poſſe videatur. Nam quid facilius quàm nomine commodo, multiſque ſanctis Patribus vſitato vti, &c.*

VI. Ideo Cyrillus præfuit Synodo, quia toti priùs negotio præfuerat, vice & nomine Cæleſtini.

Quas enim ante Synodum Cæleſtini vices obierat, eaſdem in ipſa Synodo conſequenter ſuſtinuiſſe Cyrillum, ita tradit Liberatus in breuiario cap. 5. *Cæleſtinus Papa Romanus ſcripſit Neſtorio increpationis epiſtolam, tribuens ei decem dierum ſpatium; vt ſi minimè Neſtorius emendaret expoſitiones ſuas, cognoſceret ſe ab eius collegio, & omnium ſanctorum Epiſcoporum conſortio eſſe ſeparatum; inſinuans, dediſſe vicem ſuam in Concilio Cyrillo per epiſtolam ſuam, &c.* Et mox *Porro Cyrillus cum ſuis habens vices ſedis Apoſtolicæ, &c.* Quibus non diſcordat Proſper cap. 41. cont. Collat. *Per hunc virum*, Cæleſtinum Papam, *etiam Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt; quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad execrandam Neſtorianam impietatem, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio.*

VII. Primam laudem & palmam damnati Neſtorii Synodus ipſa Cæleſtino adſcribit.

Primas denique authoritatis partes & principatum in hac Synodo obtinuiſſe Cæleſtinum, palam fit ex ipſa Synodi relatione ad Imperatores: *Huius rei causâ, Neſtorium quidem à ſacerdotio & peſtilente doctrinâ ceſſare iuſſimus, canonicam in eum depoſitionis ſententiam proferentes, & collau-*

ed by Google

dantes ſanctiſſimum Epiſcopum magnæ Romæ Cæleſtinum, qui ante noſtram ſententiam hæretica Neſtorij dogmata damnauit, & ante nos ſententiam in ipſum tulit, proſpiciens ſecuritati Eccleſiarum & piæ ſanctæque fidei, &c. Ita continetur act. 1. Concil. Epheſ. At act. 3. eadem œcumenica Synodus in aliâ ad Imperatores relat. *Licèt maximum itineris ſpatium vniuerſam illam Epiſcoporum Occidentalium multitudinem ad nos peruenire prohibuerit: attamen illis in locis ſimul congregati, Cæleſtino ſanctiſſimo Romæ Epiſcopo præſente, & nunc noſtram de fide ſententiam magno conſenſu prædicarunt: eoſque qui diuerſa ſentiunt, ab omni prorſus ſacerdotij ſorte, graduque alienos eſſe definierunt. Et hæc quidam antequam etiam ſanctiſſima hæc Synodus conueniret, Cæleſtinus per literas ſuas indicauerat: Cyrilloque, vt ſuas vices ſubiret, commiſerat. Sed & nunc denuo aliis etiam epiſtolis ſanctæ Synodo hæc ſignificauit, &c.* In hæreſeos profligationem præiſſe ſibi Cælestinum gratulantur, nec potuiſſe ſe ab eius ſententia deuiare, niſi ſi communionem Occidentalium abiicerent, & Eccleſiæ vnitatem dilacerarent. Denique illa maximi ſunt ponderis verba, quæ adnotauit Nicolaus I. epiſt. 9. nempe in ſententia depoſitionis aduersùs Neſtorium, act. 1. *Neceſſitate adacti, ἀναγκαίως κατανυχθέντες, per ſacros canones, & epiſtolam ſanctiſſimi comministri Cæleſtini, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lacrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam venimus.*

VIII. Exagitatur inſulſa Nouatoris exceptio, Afrorum quoque vices impleſſe Cyrillum. *Blond. de prim. p. 305. 311.*

Perinſulſum eſt autem quod excipit Nouatorum quidam, æquè Africanorum vices impleſſe Cyrillum, nec illis tamen ſubeſſe ideo augurandum. Etenim in relat. ad Imp. per Candidianum Kalend. Iuliis miſſa, *Synodus omnes totius orbis Epiſcopos vnum idemque ſentientes habet. Nam & magnæ Romæ Epiſcopus Synodo ſimul intereſt: adſunt & Africani per piiſſimum Archiepiſcopum Cyrillum, cui & ſuam ſententiam coniunxerunt, ſolâ locorum intercapedine coniuncti, &c.* Et infrà in aliâ relatione per Ioannem Comitem miſsâ, *Oecumenica Synodus, quæ vniuerſum Occidentem, cum magnâ veſtrâ Româ, & Apoſtolico throno, totam item Africam, &*

Digitized by Google

totum Illyricum in conſſu ſuo habet. Quibus ſimillima alia habentur in alia relatione per Iuuenalem & legatos Romanos miſſa. Nihil vecordius obiectari poterat. Nam 1. nuſquam legitur Africanos Epiſcopos vices ſuas Cyrillo mandaſſe, centies legitur Cæleſtinum. 2. Expreſsè dicitur ideo per Cyrillum adeſſe Afros, quia ſuam illi ſententiam coniunxerunt, non quia ſuas illi vices delegarunt. 3. Quis ferret Africanos Epiſcopos imponere Cyrillo τὸν ἀυθεντίαν ſui throni, hortarique exinde vt fidenter agat, & cum ſeueritate damnet Neſtorium? 4. Aderant Afriçani per Diaconum ad id miſſum, cui vices ſuas iniunxerant. 5. Capreolus ipſe ad Synodum per Beſulam Diaconum ſcribens, nec verbum facit de legatione ſuæ Carthaginenſis, vel Africanæ totius Eccleſiæ Cyrillo mandatâ. 6. Nuſquam Cyrillus ſubſcribitur vt vices Afrorum gerens, vbique vt Cæleſtini. 7. Quantum interſtitij ſit Africanam inter & Romanam Eccleſiam Capreolus ipſe Carthag. Epiſcopus in epiſtola ad Epheſinam hanc Synodum teſtatum facit: adhortans *ne ſecundæ diſputationis prætextu renouari videantur errores, quos pridem impugnauit Eccleſia; hiſque temporibus repullulantes, Apoſtolicæ ſedis authoritas, ſacerdotumque in vnum conſonans ſententia oppreſſit.* Vbi vides quàm extollat τὸν ἀυθεντίαν τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας. 8. Cæteræ quidem omnes Eccleſiæ laudantur, vt ſuo ſingulæ concentu momenti aliquid addentes ad Catholicæ Eccleſiæ conſonantiam teſtificandam, ſed ante omnes vbique *magna Roma, & Apoſtolicus thronus* prædicatur. Denique non ab Afris, ſed à Cæleſtino damnari ſe exhorruit Neſtorius, apud illum purgare ſe enixus eſt, apud illum à Cyrillo accuſatus eſt, ille damnationis ſententiam primus tulit, ille diem & limitem recantandi erroris peſtiferi præſtituit, ille ſententiæ ſuæ executionem Cyrillo mandauit, ille ipſius hortatu Cyrilli excommunicationem Neſtorij Antiocheno, Hieroſolymitano, aliiſque Orientis Epiſcopis ſignificauit; illius nomine Cyrillus legem & neceſſitatem canendæ

Digitized by Google

dæ palinodiæ, vel incurrendi anathematis denunciauit, illius denique non Aforum ſententiam pridem in Neſtorium intortam ſe conteſtata iterum iterumque eſt vniuerſa Synodus ſequi, & ex neceſſitate ſequi. Denique quam in rem Cyrilli fuerit, vices & perſonam vnius maximè geſtare Cæleſtini, clarebit ex Leontio de ſect. act. 4. *Imperator Epheſi Synodum haberi iubet; iudicemque conſtitui tam Cyrillo, quàm Neſtorio Ioannem Antiochenum Epiſcopum.* Quin Cyrillus ipſe epiſtolâ 8. reformidauerat, ne Iudex ſibi Neſtorius deſignaretur: *Ne miſer ille ſperet, ſe rerum noſtrarum iudicem fore. Nos eius iudicium recuſabimus.* Has ille minas & iniurias obtento Cæleſtini nomine facilè propulſauit.

IX. Ad alias itur Synodos, & primò ad Epheſinam Pſeudoſynodum, vt idem euincatur.

Atque vt ad reliquas iam Synodos proficiſcamur, in iiſque præſidendi ius euincamus Apoſtolicæ ſedis proprium & peculiare fuiſſe: à Pſeudoſynodo Epheſina ordiamur, quæ paucis poſt annis in Eccleſiæ excidium confluxit. Præfuit ergo huic quidem Dioſcorus, ſed quo iure & quo exitu, id verò indagandum impræſentiarum eſt. Faſcinatus à Dioſcoro Theodoſius Imperator, dedit illi per epiſtolam quæ lecta eſt in hac Synodo, & relecta Chalcedone, τὴν ἀυθεντίαν καὶ τὰ σφέτερα. Et infrà rogant iudices in hunc modum: *Reuerendiſſimi Epiſcopi, quibus ἡ ἀυθεντία τότε τῆς σφετέρας, ab Imperiali vertice data eſt, dicant, &c.* Non ſuo ergo vel ſedis ſuæ iure, ſed ſubreptitio Imperatoris reſcripto præfuit Dioſcorus. Audi Liberatum cap. 12. *Eutyches petit Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, vt quæreret quæ de illo acta ſunt, & cauſam examinaret. Agebat apud principem, vniuerſalem fieri Synodum, vt probaretur iudicium Flauiani. Scripſit ergo Dioſcorus Theodoſio Imperatori, quia aliam fieri Synodum generalem oportet; & vt fieret, perſuaſit Eutyches. Annuit Imperator, & dirigens ſacram Dioſcoro, &c.* Ex his auſpiciis de re tota ominandum. Et infrà: *Sedentibus in baſilica Dei Genitricis Mariæ illis Epiſcopis, Eccleſiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis aſſidere non paſſi ſunt, eò quòd non fuerit data*

Digitized by Google

præsessio sanctæ sedi eorum. Actione autem 1. Concil. Chalcedon. Apostolicæ sedis legati protinus conqueruntur de Dioscoro, *Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præripuit: & Synodum ausus est facere sine permissione sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Vide & Euagrium lib. 2. cap. 4. & 18. Et idem l. 1. c. 10. *Huius Concilij præses fuit Dioscorus, quo odium in Flauianum incenderetur: Chrysaphius enim qui tunc præfectus palatij fuit, hanc rem callidè molitus est.* Quantam porrò illa Dioscori audacia Ecclesiæ vniuersæ cladem importarit, nemini incompertum est: vt quia tunc non præfuit sedes Apostolica, hinc inuictissimè constet præesse debere Synodis: & quod præsit, Ecclesiis Synodisque præstari, non ipsi. Vnde Prosper in Chron. *In quo Concilio Dioscorus Alex. Episc. primatum sibi vendicans, absoluto Eutyche, in Flauianum Episc. C P. damnationis sententiam tulit.* Et Victor Tunun. in Chron. *Synodus generalis* 11. *congregatur in Epheso: in qua Dioscorus Alexandrinus principatum vsurpans imperiali fauore, Eutychen post legitimam damnationem absoluit.*

X. Chalcedonensi Leo Papa præfuit per legatos, suo iure, non imperatorio rescripto.

Conc. Chalced. part. 1.

Chalcedonensi Synodo præfuit vtique Leo Papa per legatos. Id quoque Imperatores ei concessere, vel cælitus potiùs concessum agnouere. Valentinianus & Marcianus ad Leonem, *Tuam sanctitatem principatum in Episcopatu fidei possidentem sacris literis in principio credimus alloquendam, inuitantes atque rogantes, &c. quatenus sublato omni errore per Synodum celebrandam te authore,* σοῦ ἀυθεντοῦντος, *&c.* Et Pulcheria ad eundem Leonem, priùs professa, se & coniugem, & Anatolium *Apostolicæ ipsius literarum confessioni* adhæresscere, eius ad Flauianum epistolæ subscripsisse etiam Anatolium, domum orat *facto Concilio & de Catholica confessione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te authore,* σοῦ ἐυθυντοῦντος *decernant.* Longo hæc interuallo distant ab illa Theodosij sacra in gratiam Dioscori: illic enim sola spirat Imperatoris gratia, & voluntas: hic autem non prin-

Digitized by Google

cipis beneficium, sed sedis ius & prærogatiua effulget. Præesse enim Synodo iubetur is *qui principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidet, cuius Apostolica confessio, cuius epistola ad Flauianum*, ceu fidei fax & communionis Catholicæ tessera, vniuersum iam orbem occuparat, & Pseudosynodi Ephesinæ vulneribus medebatur. Et in ipso Synodi exordio Paschasinus ita orditur: *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus*, &c. Et Leo Papa in epist. ad Synodum Chalcedon. *In his fratribus Paschasino, &c. qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo fraternitas vestra existimet præsidere.* Et Synodus ipsa Chalcedonensis in epist. ad Leonem Papam, ipsum sibi præfuisse ita testatur, *Quibus tu quidem sicut membris caput præeras, ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες: in his qui tuas vices obibant.* Et Ferrandus Diaconus in epist. ad Pelag. & Anat. n. 5. *Ibi fuit in legatis suis sedes Apostolica, primatum tenens vniuersalis Ecclesiæ.*

Quintæ Synodo non affuit, ideo nec præfuit; sed vt adesse, ita & præesse inuitarus est Vigilius ab Eutychio, *Ideo petimus præsidente nobis vestrâ beatitudine, sub tranquillitate, & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Euangeliis, communi tractatu, eadem capitula in medio proponenda*, &c. Rescripsit Vigilius, *Poposcit vestra fraternitas, vt nobis præsidentibus, de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, conferatur*, &c. Si affuisset autem, fore vt præsideret, vel ex eo rursus liquebit quod ad eum inuitandum delegati sint tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus cum septendecim metropolitis. Liquebit & ex eo quod Collat. 5. agens hæc ipsa vniuersalis Synodus de Synodo Mopsuestena, ait: *Facta est verò suggestio ad sanctissimum Papam antiquioris Romæ Vigilium ab iisdem Episcopis, ita habens: Decebat verè, cùm primam inter sacerdotes dignitatem sortiti estis, sanctissimi; ea quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestra diuinitus honoratæ beatitudini fieri.* Liquebit & ex eo, quod

XI. Quintæ Synodo præfuisset Vigilius si affuisset. Syn. 5. Coll. 2.

Iustinianus Nou. 131. ita statuit: *Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus. Ideoque sancimus secundùm earum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum: beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolis nouæ Romæ, secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem, aliis autem sedibus omnibus præponatur.* Primatum ergo Romanæ sedis ex quatuor Conciliis generalibus iam conspicuum profitetur, non imperiali sanctioni obnoxium. Liquebit denique ex eo, quod iam antè cùm ad aliquid nefarium Anastasius *Imperator Macedonium Episcopum CP. urgeret vehementer, ille nihil se facturum dixit, sine œcumenica Synodo, præsidem habente magnæ Romæ Episcopum.*

Theodorus Lector Coll. l. 2.

XII. Sextæ Synodo præfuit Agatho.

Otiosum ferè iam est de sexta Synodo verba facere. Pauca libabo ex prosphonetico sermone ad Imp. act. 18. *Vestris diualibus præceptis acquiescentes, tam ὁ τῆς πρεσβυτάτης ῥώμης & οἰκουμενικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος θρόνος, antiquæ Romæ & Apostolicæ summitatis summus Pontificum Antistes, quam nos humiles, Christi tamen sacerdotes atque ministri, &c.* Et infrà: *Proinde inspiratione sancti Spiritûs conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est Synodi 125. Patrum concordantes, prædicamus Christum, &c.* Et infrà rursus: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps. Illius enim imitatorem & sedis successorem habuimus fautorem, & diuini sacramenti mysterium illustrantem per literas, &c. Per Agathonem Petrus loquebatur, & cum omnipotenti conregnatore pius Imperator tu simul decernebas, &c.* Principatum Synodi, fidei, & totius rei Christianæ Romano Pontifici, vt Petri successori adscribunt. Quin & paulò antè iidem Patres superiora Concilia œcumenica pernumerantes, primas vbique partes Synodi, fideique adsignauerant Romano Antistiti & Imperatori: quod vterque vniuersalis

Digitized by Google

sit Episcopus, ille in ipsis Ecclesiæ visceribus, hic exteriùs excubias agens. *Arius diuisor atque partitor Trinitatis insurgebat, & continùo Constantinus semper Augustus, & laudabilis Syluester magnam in Nicæa Synodum congregabant, &c. Macedonius Spiritûs denegabat Deitatem, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt, &c. Iterum Nestorius, & iterum Cælestinus & Cyrillus, vt Ephesus loquitur, &c. Deinde Eutychetis insania delirante, Leonis tuba tanquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma archimandritam bestiam perterruit, &c. Sicut & Vigilius post hæc Iustiniano pissimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est, &c.* Vbique ergo & congregandæ, & moderandæ, & inclinandæ in sana fidei dogmata Synodi œcumenicæ potestatem primariam Romanis Præsulibus vendicauit, quippe *qui sint Petri Apostolorum principis sedis successores & imitatores.*

XIII. Nicænæ primæ Synodo per legatos præfuerat Syluester: Et suo quodam etiam modo secundæ œcumenicæ Damasus.

Atque vt retro flectamus vestigia, nec intactam elabi sinamus Nicænam Synodum: huic quoquè Osium Cordubensem Episcopum cum Vito & Vincentio præfuisse nomine & vice Syluestri, iam vt reor, sextæ Synodi authoritas persuasit. Item ex aliarum generalium pòst Synodorum præiudicio idipsum astruitur, quæ Nicænam Synodum ad vnguem exprimere enixæ sunt. Deinde quo alio iure præfuisset Osius, supra secundam & tertiam sedem, nisi velut primæ sedis legatus? Adde Gelasium Cyzicenum qui lib. 2. cap. 5. *Ipse etiam Osius ex Hispaniis nominis & famæ celebritate insignis, qui Syluestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, vnà cum Romanis presbyteris Bitone & Vincentio aderat.* Quæ ille ex Eusebio refert, etsi nunc aliter apud Eusebium legatur. Eadem repetit c. 12. Eadem refert ex Gelasio Cyzicено Photius in Biblioth. cod. 88. Quin & lib. de Synodis idem Photius Vito & Vincentio Osium consociat, in vice Syluestri obeundâ. Hincmarus quoque lib. 55. cap. 20. *Syluestri tempore celebrata est sacra Nicana Synodus, cui ad vicem Syluestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius presby-*

teri vrbis Romæ. Adde quod ea inoleuerit deinceps consuetudo, vt ad Synodos generales non presbyteros tantùm, sed & Episcopos sua vice legaret Romanus Antistes, vt ex Sardicensi, Ephesina, aliisque œcumenicis Conciliis patebit. Denique nulla se tantùm iactauere Synodo Romani Pontifices, quantùm Nicæna, & quidem ij ipsi, qui eadem penè ætate rexerunt Ecclesiam, Iulius, Innocentius, Leo, &c. Maiestatem ergo suæ sedis in ea Synodo amplissimis honoribus cumulatam non ambigebant. De secunda Synodo œcumenica nihil attinet disputare, cùm ei nullus affueret Occidentalium. Sed cùm œcumenicæ authoritatis culmen non sit adepta, nisi consensione Damasi Papæ, & Occidentalis cum eo Synodi; ne hîc quidem primatus sui insignia Romanæ sedi decerpi potuere. Vnde & sexta Synodus non rerum corticem lambens, sed medullam inuadens, primariam laudem oppressi Macedonij peræquè Theodosio & Damaso tribuebat. Et Marcellinus Comes in Chronico: *Sanctis CL. Patribus vrbe Augustâ congregatis, &c. Sancta Synodus confirmata est; Damaso videlicet sedem B. Petri tenente: Constantinopoli verò per Timotheum Alexandrinum, Melctium Antiochenum, & Cyrillum Hierosolymitanum Episcopos. Nectario, &c.* Scitè prorsus. Etsi enim non affuit, præfuit tamen œcumenicæ Synodo, quisquis Petri sedem tenuit. Præfuit nimirum authoritate, consensu, principatu.

XIV. Præfuit Synodis etiam suo quodam modo Imperator, vt pacis & ordinis conciliator.

Non abs re erit autem, imperatorium quoque Synodis præsidendi ius cuiusmodi sit, vna & eadem opera vestigare. In Ecclesiasticis ergo, & historiæ, & Synodorum monumentis legitur subinde Imperator & affuisse, & præfuisse Conciliis, nimirum velut exterior Episcopus; vt Ecclesiæ, ita & Synodi defensor; tumultuationum propulsator, pacis & ordinis vindex. Præfuit autem summus Pontifex, vt Episcopus interior, vt Episcopatus & fidei princeps, vt Apostolicæ cathedræ hæres, vt Petri successor. Id nos docent Chalcedonenses Patres in

Digitized by Google

relat. ad Leonem Papam, *Tu vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, &c. Tu sicut membris caput præerat, in his qui tuum locum tenebant, benevolentiam tuam præstitus: Imperatores verò fideles ad ornatum præerant: sicut Zorobabel & Iesus, Ecclesiæ tanquam Hierosolymæ ædificationem renouare circa dogmata enitentes.* Ergo Synodo præerat Leo, præerat Marcianus; ille vt Iesus, hic vt Zorobabel: alter summi Pontificatus, Imperij alter apice præfulgens: vterque ad Ecclesiæ instaurationem conspirans. Quòd autem præesset Imperator ad *εὐκοσμίαν*, vt ait Synodus, vel potiùs adesset: vt seditiones præuerteret, & ordinem, pacemque Synodo adsereret, ipsemet Marcianus testatur. In sacrâ enim ad Episcopos missâ, vt Nicæam conuenirent, *Nostra pietas aderit in ipso Concilio, &c.* Et ad eosdem Nicææ congregatos, *Vt nostrâ pietate præsente decernantur, quæ omnem discordiam, quæstionemque summoueant.* Nempe post Ephesinum latrocinium, vbi cædibus & vinculis grassatus erat Dioscorus, vix ac nec vix poterat pax Synodo, nisi præsentiâ Imperatoris conciliari: cùm vel maximè Nicææ Monachi rursus cœpissent furiari. Inde ergo Episcopos Chalcedonem euocans Marcianus, scribit: *Nam & Episcopi qui vice Leonis Archiepiscopi vrbis Romæ venerunt, à nostrâ tranquillitate petierunt, quatenus omnino nos adesse debeamus sancto Concilio; affirmantes quoniam non paterentur illic absente nostrâ pietate venire.* Denique act. 4. eiusdem Chalced. Synodi Marcianus Synodum alloquitur: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi principis Constantini, interesse Synodo voluimus.*

Explorandum ergo est, quo consilio & quo schemate affuerit Constantinus Synodo Nicænæ. Id narrat Eusebius lib. 3. de vita eius cap. 10. *Postquam Imperator ad caput suæ sellionum venit, primus medius stetit. Positâque ante eum humili sellâ, ex auro fabrefactâ, non prius assedit, quàm Episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere.* Nihil hîc iactantiæ spirat, nusquam præsidere, sed sedere in

XV. Rursum expenditur Imperatoria ratio præsidendi, longè dissimillima & degener à Pontificia.

Digitized by Google

humili sella describitur Imperator, idque annuentibus demum Episcopis. Et *præsidere* quidem sextæ Synodo scribitur Constantinus Pogonatus in ipso actorum vestibulo: & in epist. Leonis Papæ ad eundem: *Sancta vniuersalis sexta Synodus, quam nutu Dei studiosè vestra clementia conuocauit, & cui pro Dei ministerio præfuit.* Quin actione 12. & sequentibus, cùm abesset Imperator, habitæ tamen illæ sunt, προκαθημένου τοῦ σέβους eius. Sed ne quis hinc offendatur, audi quid de ea re scribat Gregorius Papa Romanus in epist. 1. quæ prælegitur in anteactis septimæ Synodi: *Interposito iureiurando scripsit ad nos, & nobiscum egit, vt ad vniuersalem Synodum congregandam viros vtiles mitteremus. Neque cum illis, inquit, tanquam Imperator sedebo, aut imperiosè loquar: sed tanquam vnus ex illis: & prout fatuerint Pontifices, ego exequar: & eos qui rectè loquuntur, admittimus: eos qui malè loquuntur, expellemus, & exilijs relegabimus. Si pater meus quidquam ex intemerata fide peruerterit, ego primus illum anathematizabo. Tum nos Deo benenolente misimus, & cum pace sexta Synodus celebrata est.* En quo animo præfuerit Synodo sextæ cognominis imitator Constantini: En quo Constantinus ipse primæ. Nam vt ibidem illico Gregorius: *Scis, Imperator, sacra Ecclesiæ dogmata, non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesijs præpositi sunt Pontifices, à reipub. negotijs abstinentes: vt Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant.* Multò magis ad eum sensum trahetur illud quod act. 8. Synodi 7. Græcæ legitur Irene Imperatrix cum filio præfuisse. Nec enim libet hic ea persequi, quæ Galli in hanc Irenes Synodo præsidentis licentiam bacchati sunt, libri Carolini part. 3. cap. 13. *Sicut caput viri Christus est, ita nimirum caput mulieris vir: ac per hoc si mulier viris præesse debet, iam eorum caput est: & si illa eorum caput est, illi necessariò caput Christi erunt.* Parco pluribus. Inuidiam eleuauit Hadrianus in suâ ad illud caput responsione, exemplo Helenæ & Pulcheriæ in medium prolato. Octauæ quoque Synodo *præsidere* dicitur Basilius

προκαθημένου Constantini.

προκαθημένου

Imperator

Imperator act. 7. Sed refricanda eorum quoque memoria eſt, quæ ibidem referuntur act. 10. *Sanctiſſimi vicarij ſenioris Romæ dixerunt, volumus vt ſubſcribant primitùs Chriſti amatores Imperatores, & deinde ſecundùm ordinem ſancta hæc Synodus. Baſilius piißimus, & Chriſti amicus Imperator dixit: Tranquilliſſimum Imperium noſtrum ſequutum præcedentes & iuſtiſſimos Imperatores, Conſtantinum videlicet magnum, & Theodoſium, & Marcianum, ac cæteros, vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium ſanctiſſimorum vicariorum. Edocti enim ſumus à Chriſto vero Deo noſtro habere exaltantem humilitatem.* Et reapſe poſt vicarios Patriarchalium omnium ſedium ſubſcripſere Imperatores. Quocirca ibidem infrà Hadrianus Papa ad Imperatores hæc gratulabundus ſcribit, *In quo illud mirabilius & laudabilius ſublimitatis veſtræ prædicatur inſigne, quod non iudicum vel aſſertorum, ſed conſciorum tantùm & obſecundatorum perſonâ vſi fuiſſe dignoſcimini: ita vt per humilitatis arcem ad culmen virtutum peruenire dilexeritis potiùs, quàm per imperialis altitudinis faſtum ad inanis gloriæ ima delabi conſenſeritis.* Semel poſthac præfuit Concilio Conſtantienſi Sigiſmundus Imperator ſeſſ. 14. ſed extraordinariâ prorſus, & inuſitatiſſimâ de causâ, & ad momentum penè temporis. Poſterioribus Græcorum Synodis præfuere Imperatores cum Patriarchis. Vide Cantacuſenum lib. 2. cap. 40. Nicetam Choniatem in Manuele Comneno. Sed & de fide ſancire iidem præſumpſere, & Eccleſiam illam fœdiſſimâ ſeruitute afflixere.

XVI. Qua humilitate Hiſpanienſibus Synodis affuerint Reges Gothi.

Quoniam autem qui ſingulas Imperij Romani plagas diſcerpſere atque occupauere Reges, imperatorias quoq; iure ſuo inuaſere prærogatiuas: Synodis hi quoque, ſed ad eundem etiam modum præfuere. Toletano 3. Recaredus Rex *affuiſſe* ſcribitur. Toletano 4. Siſenandus *cum magnificentiſſimis viris ingreſſus, primùm coram ſacerdotibus Dei humo proſtratus, cum lacrymis & gemitibus pro ſe interueniendum Domino poſtulauit.* Toletano 12. Eruigius *affuit humilitatis gratiâ plenus, & claro pietatis cultu conſpicuus, qui*

Digitized by Google

noſtro ſe cœtui reclinem exhibens ac deuotum, in primis omnium ſacerdotum ſe commiſit precibus adiuuandum. Toletano 13. *Cùm vnuſquiſque noſtrûm debitis locaretur in ſedibus, adfuit idem princeps, pleno fidei ardore ſubnixus, & humilitatis gratiâ decoratus, &c.* Et infrà Rex ipſe Eruigius ita Synodum affatur: *Ego ſanctiſsimi Pontifices, coram cœtus veſtri reuerentiâ humilis deuotuſque proſternor, recliuis adſiſto, &c.* Toletano 15. *Egica princeps placidâ deuotionis arce ſublimis, & ſtrenuâ culminis reclinatione laudabilis, quippe in medio Pontificum poſitus, humoque proſtratus, ſacerdotum Dei ſe commendat orationibus.* Toletano 16. *Idem princeps noſtro ſe cœtui intulit, ac glorioſi capitis verticem cernuo voto reclinans.* Toletano 17. *Idem princeps in medio noſtri conſiſtens, inclytum caput reclinans, ſeſe à nobis benedici popoſcit.* Ita ergo regium culmen ſacerdotali apici & Synodorum maieſtati ſeſe inclinabat; nec præeſſe, ſed ſubeſſe ambibat.

XVII. Quâ item Franci reges Gallicanis.

Nec Francorum regum pietas, aut reuerentia in ſacerdotes minùs enituit. Francofordienſis Synodus *ſub præſentia* Caroli Magni habita eſt, vt fertur in ſacroſyllabo; *præcipiente ac præſidente Carolo*, vt habet epiſtola Synodica ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Sed *οἰκονομικῶς* indultum id fuiſſe Elipandi importunis ſuſpicionibus, qui Epiſcopos præſides vt ſuſpectos detrectabat, ex ipsâ Caroli ad Elipandum epiſtolâ docemur: *Scriptam itaque in epiſtolâ veſtrâ huiuſmodi precationem inuenimus: Poſcentes vt per te arbiter ſedeas. Ecce ego veſtris petitionibus ſatisfaciens, congregationi ſacerdotum auditor & arbiter adſedi.* Inſolentius id ergo fuerat, quod Elipando vt os quomodocumque obſtrueretur, ita diſpenſatum eſt. Similiter interpretandus eſt Alcuinus lib. 1. contra Elipandum, vbi Synodo Ratiſponenſi *eodem glorioſo principe præſidente* Felicem præſentem damnatum fuiſſe ait, *Synodali authoritate ſacerdotum Chriſti.* Certè Carolus Caluus auitæ æmulator pietatis an. 853. Synodo Sueſſionenſi: *Poſthabitis ſæcularibus curis ipſe quoque adeſſe dignatus eſt, vt non ſolùm deuotione Eccleſiæ ſe filium eſſe oſtenderet, verùm etiam, ſicubi opus eſſet,*

Digitized by Google

protectorem regiâ poteſtate monſtraret. Et ibidem act. 1. *Pio rege multa humiliter & prudenter proponente, &c.* Et infrà: *Iam Rex abſque vlla ambitione Synodum ingreſſus, ſimpliciter cum Epiſcopis reſidebat.* Conſule ſi vacat & Synodi Triburienſis ſub Formoſo Papa *epiſtolam prælocutionam*, Arnulphum regem ſpectabis pompaticè præſidentem, ſed in palatio: at interim Synodum in Eccleſia collectam: optimates denique inter Regem & Synodum commeantes vltro citroque.

XVIII. Suis item Reges Britanni.

Vtque ne Britannia penitus obmuteſcat, audiamus Bedam in vita ſancti Cutberti cap. 24. *Congregata Synodo non paruâ ſub preſentiâ piiſſimi ac Deo dilecti regis Egfridi, cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiſcopus præſidebat, &c.* Adeſt Rex, præeſt præſidetque tamen Epiſcopus.

XIX. Duplex ius aliud principum, Synodis ordinem iudiciorum præſcribere, & earum ſtatuta confirmare.

Atque vt paulò altiùs demergamur in has imperatorij regiique iuris diſceptationes, duo hîc alia quaſi ſuperioribus conſerta, ſe poteſtatis in Synodos exertæ capita obtrudunt. Alterum in materiâ ſerieque rerum in Synodo pertractandarum præſcribendâ; alterum verò in confirmandis regio diplomate Synodalibus ſtatutis verſatur. Quæ autem nos ratio adduxerit, vt has quæſtiones ex Epheſina maximè Synodo illuſtrandas adgrederemur, obſcurum eſſe non poteſt ei, qui huius Synodi geſta volutauerit. Inde enim potiſſima earum effulgebunt elucidamenta.

XX. Poteſtas Principis in loco, tempore, & reliquo ordine Synodis præſcribendo, declaratur ex Epheſina hac primùm Synodo.

Theodoſius ergo in ſacrâ ad Cyrillum & ad metropolitanos miſſâ, hæc habet: *Tua pietas operam dabit, vt ſacroſancto Paſchate proximo elapſo, ſub ſacræ Pentecoſtes diem ad Epheſiorum Aſia ciuitatem accurrat; nonnulloſque quos nimirum idoneos indicabit, ſuæ prouinciæ Epiſcopos eòdem ſecum adducat, &c. Cæterùm ante ſanctiſſimam coactam Synodum, communemque eiuſdem, quæ de omnibus dabitur, ſententiam, nihil quicquam in vllâ prorſus re à quoquam innouetur, &c. Nos nullum impunè abeſſe ſinemus; nec vllam vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus eſt excuſationem, qui ſtatim impigrè ſecundùm præfinitum tempus, ad deſtinatum locum præſto*

Digitized by Google

non fuerit. Et in sacrâ ad Synodum per Candidianum Comitem missâ: *Candidianum, &c. ad vestram Synodum abire iussimus, &c. vt monachos & seculares, qui huius spectaculi causâ, eò nunc confluxerunt, vel confluent, ab illâ ciuitate summoneat, &c. Prospiciat, ne qua grauior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, Synodi consultationem, & veritatis indagationem obturbet, &c. Ante omnia seuerè eidem mandatum est, ne quem ex sanctissimâ vestrâ Synodo, aut reditum molientem, aut iter ad exercitum nostrum affectantem, priùs inde abire permittat, quàm ea omnia diligenter definita fuerint, quæ in disquisitionem venerant. Hinc ne vllam omnino, aut Ecclesiasticam, aut aliam quamcumque controuersiam, quæ ad sancti dogmatis propositam considerationem non pertinet, antè moueri sinat, quàm eorum omnium quæ nunc in quæstionem venere, ambiguitas soluta sit, &c.* Itaque non turbas abigit tantùm, sed diem & locum Synodo indicit, edicit qui adesse debeant, comminatur ni adsint; vetat abire quenquam è Synodo priùs, vel quancumque aliam ventilari controuersiam, quàm proposita fidei quæstio fidem lucemque Synodali consensione nacta sit. Iam verò act. 1. Synodi statim Iuuenalis Hierosol. Episc. ait: *Legatur pium piissimorum Imperatorum edictum ad omnes metropolitanos destinatum, rebusque quas nunc tractare incipimus, veluti fax praluceat.* Cyrillus epist. ad Clerum Constant. post depositum à Synodo Nestorium, se præfinitum ab Imperatore Concilij diem anteuertisse, & Ephesi præsto fuisse ait, *neque enim contemnere fas erat dominica mandata.* Et Synodus ipsa in relatione ad Imperatores de Orientalibus act. 5. de aduersario Ioannis Antiocheni & Nestorij Conciliabulo ita conqueritur: *Quasi verò vestra pietas duas, & non vnam Synodum, quæ & Euangelicam fidem confirmaret, & eos qui peruersa sentirent, ab Ecclesiasticis ministeriis amoueret, fieri iussisset.* Et mox in relat. ad Cælestinum: *Cùm pia Imperatorum edicta per quæ fuimus euocati, tempus sanctæ Synodi consessui præscriberent, diem sanctæ Pentecostes, omnesq; concurrissent, ideò maximè, quod Imperatorum literis expres-*

Digitized by Google

ſum erat, ſi quis ad præſtitutum terminum non veniret, eum malâ conſcientiâ deeſſe, & apud Deum hominesque eſſe inexcuſabilem. Theodoſius Orientalium epiſtolis deluſus, per Palladium Magiſtrianum reſcripſit, vtrimque geſta reſcindens, *Neque enim quæ de fide ſunt, modo quo oportebat, vel prout continebatur ſacris literis noſtris, quas ſubinde miſimus, examinarunt: proinde placuit ſacræ Maieſtati noſtræ, talem procedendi modum nullum habere locum, aut momentum: his verò quæ ineptè & citra ordinem geſta ſunt, ceſſantibus, doctrinam de pietate priùs, ſicuti decretum fuit, diſcuti, eamq; iuxta communem totius Synodi ſententiam obtinere.* Ergo quod præter diualia præcepta ſua, nec omnes Epiſcopi cum Cyrillo affuiſſent, nec Candidianus Comes interfuiſſet Synodo; eius quoque aduersùs Neſtorium depoſitionis, aduersùs Ioannem & aſſeclas ſuſpenſionis ſententiam reſcidit Imperator: rurſumque eâ de re à plenariâ Synodo decerni ſtatuit. Synodus in relatione per Palladium miſsâ Kalendis Iuliis, non expoſtulat cum Imperatore de vſurpatâ iuriſdictione, ſed ei obreptum fuiſſe à Candidiano, Neſtorianis partibus addicto conqueritur; ſecum & Romanum & Afros & totius orbis Epiſcopos conſentire docet: orat cum Candidiano euocari quinque Epiſcopos, qui omnia canonicè geſta ei approbent: *Etiam atque etiam maieſtatem veſtram rogamus, vt ſanctæ Synodi ſtudium erga Deum agnoſcat, magnificentiſſimumque Candidianum accerſat: & quinque è dictâ Synodo, qui ea quæ geſta ſunt, coram veſtrâ pietate exponant, ac defendant.* Theodoſius Ioannem ſacrarum largitionum Comitem Epheſum mittit, qui rebus omnibus accuratè examinatis, Orientalium calumnias retexit; & Synodo, Orientalibuſque conceſſit, vt ſeptem hinc & inde Epiſcopos ad Comitatum delegarent. Denique vt refertur Epheſ. ſyn. part. 3. c. 14. *Cùm ſeptem & ſeptem Epiſcopi ex vtrâque parte Conſtantinopolin veniſſent, Imperator certò comperit ſanctam & œcumenicam Synodum omnia κανονικῶς καὶ ἀκολούθως, canonico legitimoque ordine feciſſe, ac Neſtorium depoſuiſſe. Itaque lega-*

torum Synodi ſententiâ approbatâ, Orientales condemnauit. Vbi autem illa eſſet diſcutienda de ordine canonico ſeruato vel interuerſo controuerſia, indicauerant Orientales in mandato, quo legatos ſuos inſtruxerant: *Siue coram ſanctiſſimo Imperatore, ſiue in conſiſtorio, ſiue coram ſacro ſenatu, ſiue in Patrum Synodo.* Ordinem ergo iudiciorum præfinit Synodo Imperator, cui religiosè obſequendum Epiſcopi ſibi profitentur: tota de eo ſeruato aut conculcato ordine inter ipſos concertatio eſt: iudicem & arbitrum huius controuerſiæ Imperatorem non detrectant, ſed ambiunt: eius ſententiæ omnes acquieſcunt vltro, aut certè ſubiugantur.

XXI. Nec alia tamen hæc poteſtas quàm Executoris & Defenſoris Canonum.

Nec vlla hîc Imperatoris poteſtas in Epiſcopos aut Synodos alia ſublucet, quàm Executoris & Defenſoris canonum, non authoris. Itaque cùm authores canonum ſint Epiſcopi, ac velut legum latores Eccleſiæ, Imperator verò horum vindex & executor: regiæ ſemper poteſtati in Synodis antiſtat Pontificia. Idque hac ipsâ in Synodo Theodoſius teſtificatur in ſacrâ ad Cyrillum & Metrop. part. 1. c. 32. *Reipub. noſtræ conſtitutio, eâ quæ in Deum eſt, pietate præcipuè nititur: multaque inter hanc & illam cognatio intercedere ſolet. Nam & ex ſe inuicem pendent, & vtraque proſperis alterius ſucceſſibus incrementa ſumit: quandoquidem vt vera religio iuſtâ actione perficitur, ita reſpub. vtriuſque ope nixa effloreſcit. Cùm itaque Deus imperij habenas nobis tradiderit, iiſque qui imperio noſtro parent, pietatis & ſecuritatis quoddam quaſi vinculum nos eſſe voluerit; harum inter ſe ſocietatem indiuulſam ſernare perpetuò enixi ſumus.* Et infrà: *Ante omnia autem in id operam damus, vt Eccleſiaſticus ſtatus, & eiuſmodi ſit, qui & Deum deceat, & temporibus noſtris quammaximè congruat: iſdemque ex omnium concordiâ & conſenſione ſuam tranquillitatem obtineat: tum per Eccleſiaſticarum controuerſiarum pacem, à turbis & ſeditionibus liber exiſtat: tum demum vt pia religio ab omni reprehenſione immunis exiſtat: eorumque vita qui vel inter clericos cenſentur, vel magno quoque inter illos ſacerdotio funguntur, omni prorſus næuo*

Digitized by Google

& culpa vacet. Imperio adnata & ampliſſima ſanè eſt hæc poteſtas in Eccleſiam, ſed ſub Eccleſia: ſubdit enim ipſemet ibidem, id eniti ſe, *Vt turbæ rite ſecundùm Eccleſiaſticos canones conſopiantur.* Et idem ipſe in ſacra priore ad Cyrillum: *Etenim religionem iam inde à primis vſque temporibus, non imperantis cuiuſquam, aut certè imperium vſurpantis interminationes, vel proteruia, ſed ſanctorum Patrum, ſacrarumque Synodorum decreta nobis conſtituerunt.* Et idem ipſe extremo quo ſuprà confirmauit Synodum iudicio, omnia peracta eſſe κανονικῶς iudicauit. Itaque non præeſt, ſed ſubeſt Eccleſiæ: non imperat, ſed obtemperat Epiſcopis Princeps, cùm leges Eccleſiæ à Patribus dictatas defenſat, cum Canones ab Epiſcopis conditos executioni mandari cogit. Et vbi ordinem iudiciorum dictat Synodis, vbi de eo ſeruato vel euerſo iudicat, nihil aliud quàm Canones ſeruari præcipit, ſeruatos agnoſcit, calcatos vlciſcitur, legibus per Epiſcopos Synodoſque conſtitutis & morem gerit ipſe, & ab omnibus morem geri compellit.

Nam in ea poteſtate defungenda ſi quid Princeps Canonibus inimicum vel ſurripi ſibi, vel excidere, vel extorqueri ſinat: tum verò infractos in ipſum animos exertant Epiſcopi, clerici & religioſi omnes. Cùm obreptum Theodoſio, Catholicos Epheſi detineri, vexarique, per epiſtolas à mendico in arundine perlatas Epiſcopis Conſtantinopoli verſantibus innotuiſſet, ſtatim, vt ipſi reſcribunt, *omnes Archimandritæ monachorum caterua ſtipati exurgunt, hymnoſque & pſalmos alternantes ad regiam contendunt.* Plebs vniuerſa cum cœtu ſolitariorum cereos præferentium & pſallentium, duce Delmatio, qui annos iam 48. recluſus, ſeptis è ſuis excitus eſt, Imperatorem adit, Neſtorij fautorum artes denudat, addit, *Sex millia ne Epiſcoporum audire mauis, an vnum hominem, eumque impium?* Quo animo autem Cyrillus, quo Synodus fuerit, diſcimus ex Cyrilli epiſt. ad Theopemptum: *Poſtquam religioſiſſimorum Imperatorum literæ, quibus trium depoſitiones confirmabantur, lectæ fuerunt, cuſtodia traditi ſumus, & adhuc*

XXII. Ideo ſi quid præter Canones moliretur Princeps, in os illi obiiciebatur.

Inter epiſt. Catholic.

custodimur, ignari prorsus, quò res hac sit euasura. Verumtamen gratias agimus Deo, quòd digni habeamur, non solùm vinculis constringi, sed cætera quoque omnia perpeti: neque enim ista præmiis suis carebunt. Non potuit autem sancta Synodus induci, vt cum Ioanne communicaret, sed restitit dicens, Ecce corpora, ecce Ecclesias, ecce ciuitates, potestatem habetis. Nos autem vt priùs cum Orientalibus communicemus, quàm ea dissoluantur, quæ per illorum calumniam contra comministros nostros comparata sunt, ac rectam fidem confiteantur, id fieri nullo modo potest. Dignoscuntur enim Nestorij dogmata loqui, sentire & confiteri. Et infrà Clerus Constantinopolitanus in supplice libello ad Imperatorem sic contestatur: *Nostræ professionis scopus potestatibus obediendum esse suadet, dummodo tamen eiusmodi obedientia animæ conferat. Quòd si illa vtilitatis limites transiliat, tunc etiam aduersùs vestrum apicem cum libertate audendum esse diuinarum legum interpretes monent: loquebar in conspectu regum, & non confundebar, &c.* Si pergat Imperator assentiri perperam tentatæ ab Orientalibus Cyrilli & Memnonis depositioni, *Nos omnes prompti paratique sumus ea animi alacritate, quæ Christianos homines decet, quoduis periculum cum memoratis sanctissimis viris subire, &c. Quamobrem Christi amantes Imperatores sedulò curate, ne Ecclesia quæ more nutricis vos educauit, ac trophæa aduersùs hostes citra difficultatem maiestati vestræ erigit, in posterum dissipetur: neve regni vestri tempore martyrum sæculum spectandum exhibeatis. Quin potiùs maiorum vestrorum erga Ecclesiam amorem ac studium memoriâ repetentes; & quemadmodum vnusquisque eorum imperij sui tempore sanctorum Patrum Synodis celebratis paruerit, Patrumque sanctiones legibus suis muniendo, quam illis deferrent obseruantiam, satis ostenderunt: ita & vos quoque parem affectum erga sanctam Synodum quam modo conuenire iussistis, alacriter suscipite.* Animosè aduersùs ipsum Imperatorem insurgunt, obuia martyrio pectora obiectant, pristinos Imperatores Synodis suorum temporum *obtemperasse*, & ita eas confirmasse: vt planè tota hæc Imperatoris potestas, eius in canones Synodosque obseruantiæ

ἐπιτάρχους

obſeruantiæ & obedientiæ ſpecimen ſit. Subinde & Synodus ipſa in mandato legatis Conſtantinopolin miſſis dato, *Siqua fortè neceſsitas ab Imperatore afferatur, (nam pia religioſaque Auguſti ſanctioni quantùm fieri poteſt, obediendum eſt) ſiquidem prædicti Neſtorij, &c.* leges præſcribit ab Orientalibus ſubeundas antè, quàm pareatur Imperatori cum eis communicare iubenti: *Non priùs autem illis communionem ſpondeatis, quàm præſides ſuos recipiat ſancta Synodus.* His ex omnibus efficitur non dominari, ſed ſubeſſe Eccleſiæ Principem: dum Canonibus non ſuperuolitat iudicando de ipſis, ſed ſubiicitur, ſecundùm ipſos vel iudicando, vel iudicare compellendo.

XXIII. Eadem Principis poteſtas enituit in Epheſina ſecunda Synodo.

Conſimili poteſtate vſus eſt idem Theodoſius ad Epheſinam ſecundam Synodum cogendam. Nam & Dioſcorum præeſſe iuſſit, vt ſuprà oſtenſum eſt: & in ſacrâ ad Dioſcorum ſcriptâ, iuſſit vt decem non ampliùs metropolitanos, alioſque item decem Epiſcopos ad Synodum ſecum adduceret Epheſum, Theodoretum vetuit Synodo adeſſe, niſi ab vniuerſo Concilio accerſeretur. Sacrâ item aliâ Barſumam Archimandritam, ſuo & aliorum Orientalium Archimandritarum nomine intereſſe ſanxit Synodo: Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vt à quo appellatum eſſet, vetuit in Concilio Epheſino ſuffragium ferre, imò non iudicem ſed iudicandum adeſſe præcepit, quaſi, ſi præter Canones Eutychen deiecisſet, ſimili pœna retaliandum: quod Elpidius grauiter vrgebat, his verbis, *Imperator adimplens ipſe primus ordinem legum, cuius eſt conditor & cuſtos, iuſſit eos qui ſemel iudicarunt, iudicandorum locum obtinere.*

Conc. Chalced. act. 1.

XXIV. Cuius exitu conſtitit temperandâ potiùs, quàm amplificandam eſſe hanc poteſtatẽ, ne officiat.

Sed quanta hîc præter Canones auſus ſit Theodoſius, fari pudet. Nec præeſſe enim Dioſcorus Concilio œcumenico poterat, nec Flauianus inter reos deiici, nec Archimandritarum cateruæ irrumpere in Synodum, nec damnatus Eutyches ouare. Ergo fœdiſſimus & exitialis fuit eius Synodi exitus, vt vel hinc iſta Principum poteſtas in Synodos temperanda potiùs, quàm exaggeranda con-

Digitized by Google

iiciatur. Parciùs in Chalcedonenſi Synodo celebrandâ Marcianus hanc ſuam poteſtatem exeruit : ideo & prior ibi labes refarta eſt, & ingens fidei propugnaculum excitatum. Quintâ in Synodo plura ſibi licere voluit Iuſtinianus, inde calamitatum examina ebulliere. Sextam & ſeptimam legati pontificij præpotentiùs moderati ſunt, & deinceps in Occidente potiſſimum imperatoria in Synodos poteſtas elanguit, efloruit in dies magis magiſque pontificia. Ex quo id quoque perfectum eſt, vt conticeſcerent turbæ illæ, & tumultuationes, quæ Tyriam, Antiochenam, Ariminenſem, Epheſinam ſecundam, & ſi quæ ſint aliæ, vbi poteſtas imperatoria latiùs ſeſe effudit, ſunt conſecutæ.

XXV. Huius poteſtatis auſpex & dux Conſtantinus.

Vt enim paulò altiùs rem ab origine ſua repetam, hanc poſteris Imperatoribus poteſtatem auſpicatus erat Conſtantinus ipſe. Nam à Donatiſtis interpellatus, tres Gallos Epiſcopos iudices ipſe delegauerat ; vt cum Romano Antiſtite & certo Italorum Epiſcoporum numero, iudicarent, mandauerat; numerum item Donatiſtis Epiſcopis præſcripſerat : iiſdem pòſt conquerentibus aliud Arelatenſe iudicium dederat. Nicææ item Synodum indixit ipſe, in Palatio Epiſcopos coëgit: Tyriam Synodum vt de Athanaſio cognoſceret, congregauit, tumultuatos ibi Epiſcopos ad ſe accerſiuit, vt rationem redderent iudicij. Effuſiùs huic ſuæ poteſtati velificatus eſt Conſtantius, eo exitu, qui cordatis omnibus inhibendam, non effundendam hanc Principum authoritatem abunde comprobauit.

XXVI. Alterum confirmandi Synodos priuilegiũ regium declaratur ex Nicæna & Conſtantinopolitana prima Synodo.

Vt ad alteram denique & poſtremam regij priuilegij partem accedam, confirmantur etiam & à Principibus Synodi; nec enim aliter, vel defenſari ab ipſis, vel executioni mandari poſſent. Itaque Conſtantinus ipſe Nicænam confirmauit Synodum epiſt. ad omnes vbique Eccleſias ſcriptâ apud Euſeb. l. de vitâ eius 3. c. 17. & ſeq. quam tandem ita claudit, *Planè diuinum mandatum libenter ſuſcipite: quidquid enim in ſanctis Epiſcoporum Conciliis ge-*

by Google

ritur, id omne ad diuinam referendum est voluntatem. Ad Episcopos autem Tyriæ Synodi hæc idem scribit apud Socratem lib. 1. c. 22. *Opus est vt omnes vos ad me properè accedatis, quo ratio rerum à vobis gestarum per vos ipsos accuratè reddatur.* Et infrà: *Athanasius vehementer à nobis postulabat, vt vos eò accederetis, vt nobis præsentibus de iniuriâ quam passus fuerat, necessitate coactus posset expostulare, &c. Non inuitus ista ad vos perscribenda curaui, vt omnes qui ad Concilium Tyrium conueniistis, è vestigio ad castra nostra maturaretis, reque ipsâ vestrum iudicium æquum esse commonstraretis, me audiente, quem ingenuum Dei famulum esse, vos ipsi non inficias ieritis. Nam meâ religiosâ erga Deum obseruantiâ pax vbique viget.* Suum esse itaque ducit, Synodi decreta vel firmare, vel infirmare, prout in ea Canones viguerint aut iacuerint. Nam in Tyria Synodo gesta erant omnia μετὰ θαρύβα καὶ χλιμῶνος. A quibus non abludunt hæc secundæ Synodi œcum. verba ad Theodosium, vbi à se gesta & ad eum referri, & ab eo confirmari debere profitentur. *Necessariò ad tuam pietatem referimus, quæ in Synodo sunt gesta, &c. Rogamus tuam clementiam, vt per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilij decretum.*

XXVII. Item ex Ephesina prima.

Ita & Ephesinæ Synodi, vt suprà ostendimus, vtrimque gesta irritare vel firmare Theodosius integrum sibi esse duxit, pro spreto vel seruato Canonum ordine. Et quidem ab vtriusque partis Episcopis certatim ambiebatur, vt germana Synodus ea esset, cui Princeps suffragaretur. Sacra Synodus act. 1. in relat. de depositione Nestorij: *Vestram maiestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, vt vniuersam illius doctrinam à sanctissimis Ecclesiis submoueri, eiusque libros flammis tradi iubeat, &c. Quòd si quis vestras sanctiones sprenerit, ille vestræ dominationis indignationem formidet.* Et act. 3. in relat. de Legatis Romanis, cùm Romanam, cùm vniuersas Ecclesias suis decretis consonare præfati essent, *Supplicamus vt caueatur, & vt comminatoriæ literæ ad singulorum locorum præsides celeriter mittantur, ne aliqua rursum difficultas Ecclesiis ingeratur.* Et act. 5.

Digitized by Google

in relat. de Oriental. *Hæc noſtra decreta ad veſtram pietatem neceſſariò perſcripſimus, quam obnixè rogamus, ne hominum criminoſorum conuenticulum, Synodus eſſe iudicetur. Nam & in ſancto olim* 318. *apud Niceam Concilio, nonnulli ſe à ſanctâ & magnâ illâ Synodo ſeparauerunt, nec tamen illi à magno & ſancto Imperatore Conſtantino Synodi loco habiti ſunt; quin meritas pœnas ſubire iuſſi ſunt, &c.* Et Imperator ipſe in ſacrâ per Ioannem Comitem miſsâ: *Hoc fecimus, vt pius ſerenitatis noſtræ, & ſanctæ veſtræ Synodi ſcopus expeditè concurrat, & ad effectum perducatur. Quapropter Neſtorij, & Cyrilli, & Memnonis exanthorationem à ſanctitate veſtra nobis indicatam, approbauimus,* ἐδεξάμεθα. At Synodus in aliâ relatione per 7. Epiſcopos miſsâ: *Porrectis manibus pietatis veſtræ genua attingentes, ſupplicamus vt quæ per ſubreptionem contra Cyrillum & Memnonem acta ſunt, cùm nullam ex ſacris Canonibus vim obtineant, omnino irrita declarentur, ne ſacra noſtra Synodus ſuo deſtituatur capite.* Denique cùm ſeptem ex vtrâque parte legati Conſtantinopolin veniſſent, & cognouiſſet Imperator Synodum *omnia canonicè peregiſſe, ipſam approbauit, Orientales condemnauit, Neſtorium exilio multat:* Catholicis iniungit, vt Neſtorio ſucceſſorem ſufficerent.

XXVIII. Item ex Epheſina ſecunda. *Chalced. Synod. part.* 1.

Nec minùs perſpicua res in Epheſina ſecunda Synodo, quàm à Theodoſio ipſo irritari poſtulat Leo Papa: *Ecce ego, Chriſtianiſſime Imperator, cum conſacerdotibus meis, obſecramus coram vnius Trinitatis inſeparabili Deitate, quæ tali facto læditur; vt omnia in eo ſtatu eſſe iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium; donec maior ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur.* Romanâ in Synodo caſſauit illud latrocinale Conciliabulum ipſe Leo, vt ipſemet declarat epiſt. 33. ad Theodoſ. *Sin aliqui à puritate noſtræ fidei, atque Patrum authoritate diſſentiunt, Concilium vniuerſale intra Italiam, ſicut Synodus quæ ob hanc cauſam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia veſtra concedat: vt in vnum conuenientibus omnibus, his qui aut ignorantiâ aut timore prolapſi ſunt, correctionis remediis conſulatur.* Et manifeſtiùs Hilarius Dia-

Digitized by Google

conus in epist. ad Pulcheriam: *Vestra itaque veneranda clementia cognoscat, à præfato Papâ Leone, cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones per tumultus & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt: & nullâ ratione hæc in his partibus suscipi posse, quia per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præiudicio sanctissimi viri innoxiique Flauiani commissa sunt.* Sed cùm Theodosius confirmasset edicto suam hanc Pseudosynodum, & serò resipuisset, eius edicti retractationem à Marciano postulauit Leo epist. 43. *Sequens verò in prædicta ciuitate non potest vocari Concilium, quod in euersionem fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis affutura, aliud statuendo cassabit.* Similiter & act. 10. Concil. Chalced. Paschasinus aliique Romanæ sedis legati fidenter pronunciant *Synodum dici non posse, in qua illa nefaria delicta, relecta sunt, &c. A beatissimo & Apostolico Romanæ sedis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana esse habita, &c. Rursus adeundum Christianissimum Principem, quatenus illud Concilium sacrâ & propriâ lege neque nominari præcipiat.* Et mox Anatolius excipit, tunc abunde destructa fuisse Ephesi sub Dioscoro gesta, cùm emendata sunt: nihil illorum valere, nisi maximi Antiocheni ordinationem à Leone Papa approbatam: deprecandum Imperatorem, *vt piâ lege sanciat, neque Synodum illam nominari, neque quidquam ibi gestorum valere.* Denique rescidit edicto Marcianus edictum Theodosij: *Aboleatur illa constitutio, quæ sceleratorum subreptione post obitum sanctæ memoriæ Flauiani aduersùs eum lata cognoscitur, cessentque in totum ea, quorum initium fuit iniquum, &c. Quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum ornat decretum.* Ita ille Chalcedonensibus Patribus obsecundans. Vbi liquidò claret 1. à Leone Papa & Occidentali Synodo cassatam esse confestim Ephesinam secundam Synodum, idque fidenter ad Theodosium perscriptum esse, vt & ipse edicto suo eandem reuocaret. 2. Cùm Theodosius è viuis antè abisset, quàm confirmatam à se Synodum dissolue-

Part. 3. n. 11. C. n. Chalced.

Digitized by Google

ret ; nihilosecius Chalcedonenses Patres & illam detestatos esse, & Flauianum ibi damnatum absoluisse, & euexisse laudibus, & denique postulandum ab Imperatore decreuisse, vt eius Synodi memoriam edicto aboleret. 3. Marcianum Synodi precibus annuentem reuocasse non Synodum Ephesinam secundam, sed constitutionem Theodosij, quo ea firmabatur. 4. Ipsum profiteri Marcianum, in reuocandâ Synodo Ephesina, necessariò sibi præire debuisse Synodum orthodoxam: *Non posse enim sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum ornat decretum.* 5. Rescinduntur ergo pseudosynodi priùs ab Episcopis, tum à Principe Episcoporum decreta exequente: & tunc Princeps nouam authoritatem episcopalibus statutis accumulauit, quando iniurioſos obices à superiori Principe circumiectos propulsauit. Denique Prosper in Chronico: *Marciani edictis Apostolicæ sedis authoritatem secutis, Synodus Ephesina damnatur.*

XXIX Item ex Chalcedonensi.

Idque ipsum dilucidius fiet, ex Chalcedonensis Concilij act. 16. vbi Lucentius vicariùs Apostolicæ sedis aduersùs Canonem 28. Anatolij Constantinopolitani fraude adiectum, ita iudices compellat: *Sedes Apostolica præcepit nobis præsentibus omnia fieri. Et ideo quæcumque in præiudicium Canonum hesternâ die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, vt iubeatis circumduci. Sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, vt nouerimus quid Apostolico & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus: vt ipse aut de suæ sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam.* Suffragati erant iudices Canoni illi inuidioso, orant legati vt circumducant, & contumeliam sedi Apostolicæ, regulisque Nicænis illinere desinant. Sed etsi Iudicum Principisque potestate Canon ille defensetur, non defuturum sibi Apostolicum & totius Ecclesiæ præcipuum Episcopum, quin suam Canonumque iniuriam vlciscatur. Quo etsi sacerdotalis potestas imperatoriæ anteponitur, non huic tamen abrogatur ius Synodos confirmandi. Nam edicto suo Marcianus hanc ip-

Digitized by Google

ſam confirmauit : *Sacro ſerenitatis noſtræ edicto venerandam Synodum confirmantes*, βεβαιώσαντες : *admonuimus vniuerſos, vt de religione diſputare deſinerent.* Sanè de Canone illo 28. & legatorum contradictione Liberatus hæc habet cap. 13. breuiar. *Licèt ſedes Apoſtolica nunc vſque contradicat, quod à Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.* Conc. Chalc. Par. 3. n. 4.

In quinta Synodo Iuſtinianus imperatoriæ poteſtatis limites plus æquo amplificauit. Nec neſcius tamen ipſe fuit regiam authoritatem in rebus iſtiuſmodi pediſequam tantùm pontificiæ eſſe, & exteriùs executricem. Nouella enim 42. plurium Pontificum ſynodicas deiectiones ita confirmare orditur : *Rem non inſolitam imperio & nos facientes, ad præſentem venimus legem. Quotiens enim ſacerdotum ſententia quoſdam indignos ſacerdotio de ſacris ſedibus depoſuit, quemadmodum Neſtorium, Eutychen, Arium, Macedonium & Eunomium, & quoſdam non minores aliis ; toties imperium eiuſdem ſententiæ & ordinationis cum ſacerdotum authoritate fuit. Sicque diuina pariter & humana concurrentia, vnam conſonantiam rectis ſententiis fecere.* Præire ergo pontificia, ſubſequi regia debent edicta : illa enim *diuina*, hæc *humana* ſunt : & Pontificia regiis, vt diuina humanis ita confirmantur. XXX. Item ex quinta Synodo.

Sexta Synodus ſuis decretis ſubſcriptione Principis robur præberi, τὸ κῦρος προσγράφειν, orat ſeſſ. 18. Et Leo II. Papa epiſt. 2. ad Pogonatum, confirmatam à ſe eam Synodum vt priori Occidentali Synodo conſentaneam præfatus, quod regio quoque confirmata ſit diplomate, gratulatur : *Synodali igitur ſententiâ & imperialis edicti cenſurâ, tanquam ancipiti Spiritus gladio error expunctus eſt.* Et infrà fontem huius officij regij aperiens, ait : *O ſancta mater Eccleſia, exurge, depone pallium mœroris, Ecce filius tuus, defenſor tuus, adiutor tuus, accinctus eſt gladium, verbum Dei, &c.* Trullanos Canones & confirmarunt Imperatores, & à Romanis Pontificibus confirmari etiam atque etiam flagitauere. Sed his conſtanter abnuentibus, œcumenicæ au- XXXI. Item ex ſexta, ſeptima, & octaua.

Digitized by Google

thoritatis gradu exturbati illi penitus sunt. Septimæ Synodi decreta, ipsâmet postulante, Irene & Constantinus subscriptione sua muniuere. Octauam Basilius Imperator & subscriptione sua & edicto firmauit, sed his idem verbis act. 10. Christiani Principis officium delineauit: *De vobis autem laïcis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid amplius dicam, non habeo; quàm quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hoc enim inuestigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt: qui sanctificandi, qui ligandi & soluendi potestatem habent: qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claues: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus.* Ita ergo Synodorum decreta confirmat Princeps, dum & illis sese obtemperare, & reliquos ad idem obsequium, vel volentes inlicere, vel renitentes impellere debere intelligit.

XXXII. Qualis hæc Principum potestas interpretandâ sit: quàmque per sese valituræ sint Pontificum definitiones.

Sic enim interpretandus est textus ille Iustiniani Nouellæ 131. *Sancimus vicem legum obtinere sanctos Ecclesiasticos Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis expositi sunt, & confirmati:* Vt regiæ amplitudinis nihil deterat pia seruitus, quam matri & dominæ suæ debent & dependunt Ecclesiæ. Quippe tametsi placita Ecclesiæ vtpote *diuina*, & à Spiritu sancto dictata plus satis per sese virium habeant: conducit tamen humano generi & domandæ contumacium superbiæ, Principum terrenorum confirmatione illa fulciri; vt diuinis humana seruiant, vt cælestibus obsecundent terrena, vt reges regi Christo & reginæ Ecclesiæ se obnoxios agnoscant, vt corpus famuletur animæ, brachium capiti obaudiat: vt denique quos diuinæ legis charitas non illectat, eos humanæ potestatis terror frangat. Assentiantur principes Valentiniano III. & quod ille de Romani Præsulis, ipsi de Synodorum statutis à se confirmandis sentiant: *Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis*

Conc. Gall. to. 1.

Pontificis authoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne rursus, &c. Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis liceat obuiare. Ariminensem, & tot alia Synodorum ludibria protriuit sola Pontificum authoritas, etsi illa Principes tuerentur. Antiochenum aduersùs Samosatenum & tot alia Concilia citra Principum confirmationem conualuere. Antiochenæ aduersùs Samosatenum sententiæ pene executor fuit ethnicus Imperator. Sicubi ergo prioribus Ecclesiæ sæculis posteriora in eâ re consentiant, vt ecclesiasticæ Synodorum authoritati totum tribuant, nec Principum potestate, ad obsequium se expectent inflecti: gratulandum vtique est, quod non Principum authoritati decreuerit quid, sed accreuerit fidelium pietati: *& sine imperiali sanctione* ita valeant, vt *valituræ* ipsis Imperatoribus visæ fuerant, Pontificum Synodorumque sententiæ. Addes, si voles, in eandem sententiam illud Ludouici Pij Imperatoris ratum habentis priuilegium ab Aldrico Senonensi Archiepiscopo concessum anno 835. *Verùm licèt ecclesiastica, atque pontificalis constitutio, suâ, imoque diuinâ authoritate esse præuideat: tamen non indecens atque incongruum iudicauit, si imperiali nostrâ authoritate sua constitutio firma esse perpetuò sanciretur.* Quod innuebat, ni fallor, Iustinianus cùm Nouel. 131. cap. 1. aiebat ecclesiasticos Canones à sanctis Synodis non tantùm expositos, sed etiam *confirmatos:* & Synodorum dogmata *velut sacras Scripturas à se suscipi: & Canones, tanquam leges obseruari.* Nec enim confirmari egent, quæ in loco & fastigio Scripturarum sunt. *Spicil. tom. 2. p. 583.* *βεβαιωθέντα*

Imperatoriæ huius potestatis collegium in sua quisque regione Reges deinceps catholici vendicauere. Itaque Recaredus in Concilio Tolet. 3. ita præfatur: *Non incognitum reor esse vobis, reuerendissimi Sacerdotes, quod propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam, ad nostræ vos serenitatis præsentiam denocauerim, &c. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide atque spe* **XXXIII. Christiani Hispaniarum Reges eadem potestate vsi in Synodis.**

Digitized by Google

noſtra, quam gerimus, in hunc tomum conſcripta atque alligata noteſcimus. Relegatur enim in medio veſtri, & iudicio ſynodali examinatus, per omne ſucceſsiuum tempus gloria noſtra eiuſdem fidei teſtimonio decorata clareſcat. Sufceptus eſt ab omnibus Dei ſacerdotibus *offerente rege ſacroſanctæ fidei tomus:* eoque perlecto acclamatum eſt ab vniuerſo clero, in laudes Dei, & in fauorem Principis, & inter cætera: *Ipſe mereatur veraciter Apoſtolicum meritum, qui Apoſtolicum impleuit officium.* Tum Rex proponit Synodo, vt deinceps Symbolum *clara voce cantandum à populo* omni ſacrificij tempore ſtatuatur: *Omnibus capitulis quæ per veſtram ſanctitatem adiicienda ſunt, hoc pro fidei ſanctæ reuerentiâ & firmitate proponite, quod de proferendo Symbolo noſtra, Deo docente, decreuit ſerenitas.* Toletano 5. ſiſtit ſe eum optimatibus ſuis Cinthilla Rex, *atque hanc inſtitutionem, quam ex præcepto eius & decreto noſtro ſancimus, diuina inſpiratione præmiſit:* aiunt Patres. Tum Canones ſubtexuntur. Toletana 6. Synodus can. 2. *Sua aſſenſione firmat Principis deuotionem* & Epiſcoporum *conſtitutionem* de litaniis. Toletanæ 8. Synodo Receſuinthes hæc effatus, *Quia regendorum membrorum cauſa ſalus eſt capitis: & felicitas populorum, nonniſi manſuetudo eſt Principum, votiuè decreui, vobis coram poſitis, & votorum meorum deliberationem ſanctione patula reſerare, & ſtudiorum acta ſincerâ exhibitione deferre:* tunc tomum obtulit, orans, *vt quæcumque illic detinentur aſcripta, valido attendatis intuitu, ſagaci perſcrutemini ſtudio; ac de his quæcumque extiterint placita Deo, veſtri oris ad nos ſacro referantur oraculo.* Eo perlecto Patres *glorificant Deum de fidei principalis auditu, & de bonæ voluntatis eius affectu.* Toletanam 12. ita alloquitur Rex Eruigius: *Ecce in breui complexa vel exarata deuotionis meæ negotia, in huius tomi complicatione agnoſcenda perlegite, perlecta diſcutite, diſcuſſa elimatis ac decretis titulorum ſententiis definite: vt pura & placens Deo veſtrarum definitionum valitura diſcretio, regni noſtri primordia decoret exundatione iuſtitiæ.* Similiter idem Rex Eruigius Toletanæ 13. *Religioſa vota ſuæ clementiæ, quibus*

Digitized by Google

ſubueniendum miſeris definiuit, ſynodali conuentui confirmanda commiſit: offerens videlicet ſacris Pontificibus tomum, obſecrans pariter & obteſtans, vt quidquid illic vetuſtioris calami reſperſione congeſtum eſſet, ſynodalis potentiæ conderetur ordine titulorum. Toletanæ 15. Egica Rex *innexa tomo ſui culminis vota Dei ſacerdotibus tradidit relegenda:* aiens, & orans: *Hæc pertractate, his deliberationis ferie inconuulſibilem ſanctionem.* Toletanæ 16. idem Egica Rex vota ſua tomo illigata offerens ait, *Ea pertractate, & tam ea, quæ hîc ſunt inſita, quàm etiam quæque ſe reuerendiſſimo veſtro cœtui ingeſſerint audienda, æquiſſimis iudiciorum veſtrorum definitionibus terminate; & firmiſſimo ſententiarum veſtrarum ſtylo eſſe permanſura decernite.* Quibus gemina leguntur in fronte Synodi Toletanæ 17.

XXXIV. Par & in his modeſtia; vt & ſynodica decreta ſummũ pondus per ſe habere: & à Synodis viciſſim regia edicta confirmari intelligant.

Quæ copioſiùs huc congeſſi, vt ex his emineat, 1. non imperiosè Reges quidquam hîc aggreſſos, ſed vt ſuprà oſtendi, *acclines, cernuos, humiles*, & ſolo humilitatis faſtigio glorioſos. 2. Animi ſui vota ſeu regiæ poteſtatis placita Reges obtuliſſe Synodis non ſubſcribenda protinus, ſed deliberanda, excutienda, & ita definienda. 3. Palam ipſos eſſe profeſſos, ita hæc pertractanda offerri Epiſcopis, *vt & alia quæque ſe eorum cœtui ingererent*, pariter agitarent. 4. Non tam ipſos Synodis legem ordinemque præfinire auſos eſſe Reges, quàm ſuis ipſorum votis & decretis optaſſe à Synodis addi *firmitatem & inconuulſibilem ſanctionem:* denique *quæ placita Deo eſſent, epiſcopalis oris ſacro oraculo ad ſe referri* poſtulaſſe. 5. Sed nihil religioſius hac Eruigij Regis in Toleț. 12. conteſtatione: *Nam & hoc generaliter obſecro, vt quidquid in noſtræ gloriæ legibus abſurdum, quidquid iuſtitiæ videtur eſſe contrarium, vnanimitatis veſtræ iudicio corrigatur. De cæteris autem cauſis atque negotiis, quæ nouellâ competunt inſtitutione formari, euidentium ſententiarum titulis exaranda conſcribite: vt quia præſto ſunt religioſi prouinciarum rectores, & clariſſimorum ordinum totius Hiſpaniæ duces, promulgationis veſtræ ſententias coram poſiti prænoſcentes, eo illas in commiſſas ſibi terrarum lati-*

Digitized by Google

tudines inoffensibili exerant iudiciorum instantia; quo praesentialiter ac sistentes perspicua oris vestri conceperunt instituta.

XXXV. De eodem. Ergo & vbi confirmantur postea à Regibus statuta synodalia, ne id quidem tum effugiet animum, suis ipsos priùs votis & decretis inconuulsibilem firmitatem à Synodis exorasse. Toletanum 3. confirmat Recaredus Rex in hunc modum: *Nostra proinde authoritas iubet, vt si qua definita sunt in hoc sancto Concilio, nulli contemnere liceat, nullus praeterire praesumat:* tum transgressoribus poenas designat, excommunicationes à Concilio, mulctas pecuniarias, exilia. Nec aliter Toletanæ 12. decreta Rex Eruigius, *inconuulsibilis legis validò oraculo confirmat, legis suæ edicto ab emulis defendit:* violatoribus indicit excommunicationes, multas, verbera. Similiter & Toletanæ 13. statuta *sacræ legis oraculo* idem Eruigius per omnes sui regni prouincias decernit obseruanda. Sed quàm inconuulsam per sese Synodorum authoritatem admiretur & profiteatur idem Rex, ex ipsius edicti vestibulo perdisces: *Eximia synodalis authoritas & veneranda est pariter & tremenda: quæ in tantum per donum sancti Spiritûs agit, vt ex diuersitate multorum animorum & cordium, vnum cor, vnamque animam feciſſe monstretur: dum numerositas aggregata Pontificum non per sententiam discrepat, non per stimulum diuersa obiectat, nec per iudicium aliud vnus, quàm vniuersitas format. Et ideo reuerendum mihi conuentum synodalis Concilij, in cuius medio praesentia sancti Spiritûs se habitare promisit, deuotè venerans, instanterque honorans, illa quæ eorum ore, nostræque gloriæ hortatu digesta sunt, in notitiam deducimus singulorum.* Diuinam Synodi authoritatem, inde defluentem, *Ibi sum in medio eorum, visum est Spiritui sancto & nobis:* regia tametsi, humana tamen authoritas *deuotè veneratur, instanter honorat:* & ita confirmat, id est, eius contemptores aut deterret, aut punit.

XXXVI. Idem de Christianissi- Idem animi fuit & Christianissimis Galliæ Regibus. In

Digitized by Google

confirmatione Concilij Matiſconenſis 2. Gunthramnus Rex ita concludit: *Cuncta ergo quæ huius edicti tenore decreuimus, perpetualiter volumus cuſtodiri, quia in ſancta Synodo Matiſconenſi hæc omnia, ſicut noſtis, ſtuduimus definire, quæ preſenti authoritate vulgamus.* Et paulò antè indigitans rationem regiæ confirmationis Synodorum, *Conuenit, vt diſtringat legalis vltio iudicum, quos non corrigit canonica predicatio ſacerdotum.* Summa eſt enim in Chriſtianos omnes Synodorum authoritas, ſed inermis: illi ergo neceſſum eſt opituletur aduersùs contumaces vltrix Regum legumque potentia. Magnificentiora ſunt hæc verba Concilij Moguntini an. 813. ad Carolum M. in præfat. *De his omnibus valde indigemus veſtro adiutorio atque ſanâ doctrinâ, quæ & nos iugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea quæ paucis ſubter perſtrinximus capitulis, à veſtrâ authoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe iudicauerit: & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra magnifica imperialis dignitas iubeat emendare: vt ita emendata, nobis omnibus & cunctæ Chriſtianæ plebi, ac poſterùs noſtris proficiant ad vitam, & ſalutem, & gloriam ſempiternam.* Quibus finitima ſunt iſta Cabilonenſis 2. an. eiuſdem in præfat. ad eundem: *Quædam capiula quæ ſubter inſerta ſunt, eidem domino Imperatori præſentanda, & ad ſacratiſſimum eius iudicium referenda adnotauimus: quatenus eius prudente examine, ea quæ rationabiliter decreuimus, confirmentur: ſicubi minus aliquid egimus, illius ſapientiâ ſuppleatur.* Vltra metas, modumque regiæ poteſtatis hæc luxuriare viderentur, niſi recurreret animo, quid de Carolo Magno pronunciet Alcuinus l. 1. aduersùs Elipandum: *Impoſſibile eſt vt corrumpatur à quoquam, quia Catholicus eſt in fide, Rex in poteſtate, Pontifex in predicatione, Iudex in æquitate, Philoſophus in liberalibus ſtudiis, &c.* Et epiſt. 97. *Beatus populus tali rectore exaltatus, & tali predicatione munitus. Et vtrumque, & gladius triumphalis potentiæ vibrat in dextera: & Catholicæ predicationis tuba reſonat in lingua, &c. Iſtis temporibus Deus, eiuſdem nominis, virtutis, & fidei Dauid Regem populo ſuo*

mis Gallorum Regibus demõſtratur.

Digitized by Google

conceſſit Rectorem & Doctorem. Et epiſt. 106. ad Carolum ipſum: *Patenter agnoſci poterit, non tantùm imperatoriam veſtræ prudentiæ poteſtatem à Deo ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium & ſapientiæ decorem conlatam, &c. Siquidem præter imperiales & publicas curas, euangelicas quæſtiones academicis veſtris à nobis enucleandas inquiritis. Quanquam veſtræ prudentiæ eaſdem quæſtiones notiſſimas eſſe ſciamus, &c. Nam ſapienter interrogare, docere eſt.* Et epiſt. 15. libellum à ſe lucubratum, à Carolo M. caſtigatum ita adgaudet: *Gratias agimus venerandæ pietati veſtræ, quòd libellum auribus ſapientiæ veſtræ recitari feciſtis, & quòd notari feciſtis errata illius, & remiſiſtis ad corrigendum. Quanquam à vobis meliùs emendari potuiſſet, &c. Nullum magis idoneum meæ paruitatis dicta habere poſſunt defenſorem vel emendatorem, quàm voſmetipſos.* Non ergo Regi, ſed Doctori Carolo emendanda deſtinabantur Synodorum ſtatuta: eoque priuilegio Reges tam abſtinere debent, quàm à Caroli doctrina procul ſunt, & vel Doctorum libros emendare minùs idonei. Vnde nulli præterea Principi olim ea poteſtas à Synodis permiſſa eſt: nec niſi veterano iam & emerito in eccleſiaſticis peræquè ac imperialibus muniis Carolo permiſſa: & à Synodis ei permiſſa, non ab ipſo admiſſa, nedum vſurpata.

XXXVII. Idem de Regibus Anglorum.

Nec abhorrere ab his potuit Anglicanæ Eccleſiæ diſciplina. Vnum profero exemplum Concilij Londonienſis 2. an. 1127. de quo prolixè Matthæus Paris: & tandem: *Rex auditis Concilij geſtis conſenſum præbuit, authoritate regiâ & poteſtate conceſſit, & confirmauit ſtatuta Concilij, à Guillelmo Cantuarienſi Archipiſcopo, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ legato, apud Vveſtmonaſterium celebrati.*

XXXVIII. Duo ſumma capita concordiæ huius inter regnum & ſacerdotium. 1. Reges Chriſto & indiſcretæ ab eo ſponſæ eius ſer-

Poſtremò vt funditus excidatur illa conflictatio regiæ & eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ res humanas, quæ peritorum ingenia ſæpe vexauit: vt ne Regibus indecorum exiſtimetur ſi legum ſynodicarum non authores, ſed Cuſtodes, Executores, Defenſores; ſi pediſſequi Canonum, non duces: ſi Eccleſiæ adminiſtri, non domini vociten-

Digitized by Google

tur: ne Pontificibus ipſis ſua videatur fuſcari dignitas, ſi ſynodica ipſorum ſtatuta à Regibus confirmentur: hæc duo paucis admoneo. Primùm quidem ſeruire Reges Chriſto & indiſcretæ quodammodo ab eo eius ſponſæ Eccleſiæ, & indiſcriminatim ab ipſis tam diuinas, quàm eccleſiaſticas leges, vtraſque ſuo modo diuinas, quia Chriſti & Spiritûs ſancti vtraſque, confirmari regiis edictis, ſpretaſque vindicari: & hanc ſeruitutem nequaquam ingloriam, ſed ſummæ gloriæ faſtigium obtinere. Auguſt. epiſt. 48. *Imò vero ſeruiant Reges terræ Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto.* Et epiſt. 50. *Et nunc Reges intelligite, &c. Seruite Domino in timore. Quomodo ergo Reges ſeruiunt Domino in timore, niſi ea quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſâ ſeueritate prohibendo, atque plectendo. Aliter enim ſeruit, quia homo eſt, aliter quia etiam & Rex eſt, &c. Sicut ſeruiuit Ezechias, &c. Sicut ſeruiuit Ioſias, &c.* Et paucis interpoſitis: *Quis mente ſobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno veſtro, à quo teneatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri: non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus: quibus dici non poteſt, Non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus?* Ergo quàm indiſcretæ ſunt leges diuinæ atque eccleſiaſticæ, quàm vtrarumque perinde Reges defenſores ſunt: quàm indiſcreta vnaque eſt Chriſti & Eccleſiæ perſona, tam indiſcreta eſt ſeruitus omni regali apice ſublimior, tam vna eademque ſeruitus eſt, qua Reges Chriſto & Eccleſiæ famulantur, dum vt leges à Deo inuariabiliter ſancitas, ita regulas à Spiritu ſancto ad variam temporum medicinam temperatas defendunt. Ex quo fit vt onus iſtud ſit & officium magis regium, quàm priuilegium; illoque adeò non laſciuire, ſed contremiſcere debeant.

uiunt: nec aliter eccleſiaſticas quàm diuinas ipſas leges defendunt.

Alterum eſt, quàm animam & corpus, tam non debere Eccleſiam & Imperium, Antiſtites & Reges digladiari. Omnia enim in commune proſunt vtrimque priuilegia. Vt homo enim, ita Epiſcopatus interior & exte-

XXXIX. 2. Vna eſt Eccleſia, tota in animo iubens, tota corpore exequens, id

est, Sacerdotio & Imperio.

rior, vnus idemque est, alia & alia sui parte, sibi dux & pedissequus, sibi imperans & seruiens, sibi iubens & exequens: animo rector, corpore executor: interiùs sanciens, exteriùs promulgans. Itaque & tota imperandi gloria penes exequentem est, & tota exequendi sedulitas imperanti incumbit; quia vnus idemque, & imperat executor, & exequitur imperator. Prosper con. Collat. c. 41. *Quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm apostolicis, sed etiam regiis vtebatur edictis.* Et infrà: *Cælestinus Cælestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi.* Et Bernardus epist. 256. ad Eugenium Papam: *Excrendus est nunc vterque gladius in passione Domini, &c. Per quem autem nisi per vos? Petri vterque est, alter suo nutu, alter suâ manu, quoties necesse est, euaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: Conuerte gladium tuum in vaginam. Ergo suus erat, & ille; sed non suâ manu vtique educendus.* Ne ergo discerpatur, ne secum ipsa committatur Ecclesia; ipsa vna est quæ apostolicis regiisque vtitur edictis: ipsa est cuius est vterque gladius; ipsa est quæ temporalem etiam gladium, vtpote suum quoquo rotat, nutu pontificio, manu regia.

XL. Summa authoritas iudicati damnatique Nestorij, ad primã sedem relata.

Vt vnde huc exieramus, illuc gradum referamus tandem, id postremo loco adnotabo ad primæ sedis decus eximium pertinere, quod cùm in Oriente sedes Constantinopolitana, post œcumenicum secundum Concilium furtiuis, sed amplis suffarcinata priuilegiis, esset iudicanda, eius iudicij summa ad Præsulem Romanum refertur. Id suprà iam commonstratum est, vt iterum iterumque Synodus, necessariò Cælestini sententiæ sibi subscribendum fuisse profiteatur. Adde quod act. 2. Philippus Apostolicæ sedis legatus dicit, *Dudum sanctissimus Cælestinus Apostolicæ sedis Episcopus per suas epistolas ad Cyrillum, &c. de præsenti hac causa ac negotio definiuit.* Tum illas epistolas legi orat: itemque Arcadius, *ex quibus vestra beatitudo agnoscere*

Digitized by Google

ſcere poterit, qualem omnium Eccleſiarum curam gerat. Tum legitur Cæleſtini epiſtola ad Synodum, quæ ita deſinit: *Direximus pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres, & conſacerdotes noſtros, &c. qui iis quæ aguntur, interſint: & quæ à nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur. Quibus præſtandum à ſanctitate veſtrâ non dubitamus aſſenſum; quando id quod agitur, videatur pro vniuerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum.* Tum in laudes Cæleſtini erumpit & exclamat Synodus. Excipit Proiectus legatus: ſcripſiſſe Cæleſtinum, *vt ea quæ antè definiit, & nunc in memoriam reuocare dignatus eſt, iuxta communis fidei canonem & Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem, ad finem perfectum deduci iubeatis.* Deinde Philippus gratias agit Synodo, quòd recitatis Papæ literis, quaſi *ſancta membra*, τὰ ἅγια μέλη, vel ſanctos cantus, *ſancto capiti ſanctis etiam exclamationibus exhibuerit. Non enim ignorat veſtra beatitudo totius fidei, vel etiam Apoſtolorum caput eſſe beatum Petrum.* Et infrà idem Philippus: *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, quòd ſanctus Petrus Apoſtolorum Princeps & Caput, fideique Columna, & Eccleſiæ Catholicæ Fundamentum, &c. Huius ſucceſſor & locum tenens Cæleſtinus, &c.* At act. 5. Synodus relatione ſuâ ad Cæleſtinum, Ioannis Antiocheni cauſam ad eum remittit: *Indignitate rei meritò commoti, eiuſmodi in illum & in alios ſententiam legitimè proferre deliberauimus, cuiuſmodi ipſe tulerat illegitimè contra eos, qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verùm quo illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamſi illam legitimè iuſtiſſimèque ſubiuiſſet, pietatis tuæ iudicio hoc reſeruauimus: interim illos excommunicationi ſubiicientes, omnique ſacerdotali poteſtate exuentes, ita vt nullum ſuis ſententiis ladere queant.* Suſpendit itaque Synodus Ioannem, deponendum reſeruat Cæleſtino. Et quidem his accommodatè, Iuuenalis Hieroſol. Epiſcopus act. 4. ait, ad Apoſtolicam magnæ Romæ ſedem, *morem eſſe ex Apoſtolico ordine & traditione, vt ipſa ſedes Antiochena dirigatur, & ab ea iudicetur.* Iam enim Pauli Samoſateni cauſa in Concilio Romano olim reciſa extremo iudicio fuerat: iam Innocentiis decretis ſuis Antioche-

Digitized by Google

num Episcopum Orientali diœceſi adſeruerat. Et act. eadem Cyrillus ſe à Ioanne, hoc eſt, Alexandrinum ab Antiocheno, maiorem videlicet à minore depoſitum ita expoſtulat: *Et quidem nec per leges eccleſiaſticas, nec per imperiale decretum poteſtatem habuit, qua ſulius vel quempiam ex nobis iudicare, vel omnino ſimile quidpiam attentare poſſet, præſertim verò contra maiorem ſedem.* Et rurſus idem Cyrillus in Apolog. ad Theod. *Ad hæc quomodo ſit ordine & ritè factum, maioribus pœnas irrogare, & in homines ſublimiorem ordinem ſortitos imprudenter inſilire, & eccleſiaſticarum legum diſciplinam pacis conciliatricem deſerere; & ne eorum quidem qui in ſeculo verſantur, prudentiam imitari?* Et Synodus vniuerſa act. 5. in relat. ad Cæleſt. omnia ſuſdeque verti ait, *Si quibuſlibet poteſtas fiat, maioribus ſedibus contumeliam inferendi.* Ergo inter primarias Eccleſiarum ſedes ordo aliquis iam ratus fixuſque erat, vt maiores à minoribus citra ingens piaculum iudicari non poſſent: non tum, non nuper cœptus, ſed ante Conſtantinopolitanam primam Synodum, quæ Conſtantinopolitanum Epiſcopum non Alexandrino, ſed Romano æquare molita eſt: ante etiam Nicænam, quæ olitanæ conſuetudini illum ordinem adſignauit. Ergo omnium princeps Romana ſedes eſt, quæ Neſtorium Conſtantinopolitanum depoſuit, cuius eſt Antiochenam iudicare, quæ vices ſuas & ſententiæ ſuæ executionem Cyrillo Alexandrino demandauit: cui Hieroſolymitana quæ tum Antiochenæ ſedi ſuberat, Antiochenæ ipſius iudicandæ & dirigendæ poteſtatem vendicauit. Priuilegij autem huius author & origo eſt Petrus, Princeps Apoſtolorum, caput fidei & Epiſcopatus, cuius Cæleſtinus erat διάδοχος & ἐπόπτης.

μάλιστα κατὰ μείζονος θρόνου.

τῆς πρέσβεως, καὶ τῆς τῶν ἀμείνονα λαχόντων τάξεως.

τὸν μείζονα ἀδεῖζαι θρόνον.

XLI. Quàm multi detraxerint illuſerintque Cyrillo & Synodo Epheſinæ.

Iam verò nec vtilitatis, nec voluptatis inanem ponemus operam, ſi calumnias quoque vel ſuſpiciones hominum aliquas circa hanc Neſtorij damnationem proferamus in medium. Ordinem ducet Liberatus breuiarij c. 5. *Ioanne Antiocheno remorante, queſtionem mouebant præſentes Epiſcopi de B. Mariâ Dei Genitrice. Cyrillus autem deflorationes*

Digitized by Google

quaſdam librorum Neſtorij faciebat, eum perturbare volens. Erat enim, vt dicitur, eius inimicus. Et c. 6. memoratâ Ioannis Antiocheni inſaniâ & depoſitionis ſententiâ in Cyrillum & Memnonem vibratâ: *Igitur Cyrillus cum Memnone volentes ſe vlciſci, Ioannem damnauerunt, & omnes qui cum eo conuenerant, & multa alia pari faſtu vtrique Epheſi pertulerunt.* Cumque ſeptenis vtrimque Epiſcopis accitis, Imperator Catholicis palmam addixiſſet, *Ioannes cum ſuis Antiochiam profectus eſt, vbi colligens plurimos Epiſcopos, damnauit iterum Cyrillum, cùm iam eſſet Alexandriæ. Et ſicut Socrates dicit, cognoſcens Neſtorius per contentionem ad quandam perniciem peruenisſe partes, Dei Genitricem Mariam vocabat, dicens: Dicatur etiam Dei Genitrix: & ea quæ fecerunt triſtitiam, conquieſcant. Sed nullus eum ex pœnitentia talia dicentem ſuſcepit. Quapropter hactenus damnatus, & in exilium Oaſin miſſus eſt. Poſt damnationem autem eius dura Conſtantinopoli turba contra Eccleſiam mota eſt, diuiſuſque eſt populus, propter tepidum eius, ſicut dictum eſt, tractatum. Clerici verò communi decreto eum anathematizarunt.* Audiendus nunc Socrates l. 7. hiſt. c. 32. *Neſtorius apud complures venit in opinionem, quòd Dominum hominem ſolum eſſe aſſereret; quòdque Pauli Samoſateni & Photini opinionem in Eccleſiam introducere niteretur. Atque de hac re tanta certatio, & tumultus ciebatur, vt generali Concilio ad eum ſedandum opus eſſe videretur. Ego verò dum libros à Neſtorio editos lego, hominem reperio imperitum, & doctrinæ penitus expertem, hocque verè & ex animo dico. Nam neque odio in illum incenſus, eius vitia recordatione renouare: neque vt quibuſdam gratificer, pauciora quàm reperi commemorare decreui: Neſtorius meo quidem iudicio, neque Paulum Samoſatenum, neque Photinum imitatur, neque denique Dominum hominem ſolum eſſe dicit; ſed vocem duntaxat, Deiparam, tanquam laruam reformidans, declinat. Hocque illi præ inſigni ignoratione contigit.* Quod nempe veteres interpretes & Patres contemneret, apud quos crebrum Deiparæ vocabulum occurrere cùm docuiſſet, tum ita pergit Socrates: *Itaque Neſtorius videtur veterum lucubrationes penitus ignorare, & ob*

eam causam, hanc vocem Deiparam, vt dixi, insectatur. Nam quod non dicit Christum hominem solum esse, sicut Photinus & Paulus Samosatenus: quodque non subsistentem Dei Verbi personam tollit, sed eum in Trinitate subsistere, & in eius essentia
ἐπιξύ *inesse confitetur: quod denique ei extantiam non adimit, sicut Photinus & Samosatenus, (idem etiam Manichai & Montanista asserere non dubitant) ex concionibus ab ipso editis satis constare poterit. Verùm quanquam Nestorium, partim ex libris eius quos legerim, partim ex amicorum eius sermone ita sensisse comperio: non parum tamen vniuersum orbem perturbauit eius* ψυχρολογία: *i. tepidus sermo:* vt vertit Liberatus. Capite sequenti idem Socrates: *Cyrillus quo Nestorij animum perturbaret, infenso enim in eum erat animo, &c.* Quibus reliqua subiungit, quæ suprà ex eo Liberatus excerpsit. His adde Isidorum Peluſiotam, qui l. 1. epist. 310. Cyrillum quasi priuatas cum Nestorio inimicitias exercentem, & ad hoc Synodi maiestate abutentem increpat, *Multi eorum qui Ephesi coacti sunt, te traducunt, vt tuas inimicitias persequentem, & non ea quæ Iesu Christi sunt, orthodoxè quærentem. Theophili, inquiunt, ex sorore nepos est, illiusque mentem & sententiam imitatur. Vt enim ille aduersùs diuinum virum Ioannem furorem effudit, sic etiam iste, &c.* Vide & epist. 370. l. eiusdem.

XLII. Complures fidem à factis secernebant, & propter facti quæstiones Synodo conuitiabantur, Nestorium purgabant. *Isid. Peins. l. 1. ep. 314.*

Et has quidem obliquas postea Isidorus excussit animo suspiciones de Cyrillo & Ephesina Synodo; sed ex his tamen eius, & Socratis, Liberatique verbis, abunde demonstratur, quàm multi ex Catholicis, & dum Synodus ipsa ferueret Ephesi, & perdiu postea, in eam, in Cyrillum licentiosè & futiliter multa blatterarent, pro Nestorio plura effutirent, quæ temporum diuturnitate & Ecclesiæ Catholicæ authoritate oppressa atque oblitterata sunt. Catholicos hos dixi homines, qui errorem ipsum Ephesi damnatum detestabantur, Synodumque eatenus suscipiebant, at Nestorium ita sensisse inficiabantur, tum sermonibus eius, tum scriptis sedulò peruolutatis persuasi. Itaque in iuris & fidei quæstione conueniebat eis, &

Digitized by Google

Ecclesiæ: in facti & personæ negotio dissidebant. Elucet hinc primò, nec Cyrillum Ecclesiæ lumen eximium, nec Ephesinam œcumenicam Synodum, euangelicæ veritati finitimam, declinare potuisse hominum non dico heterodoxorum, sed catholicorum innatæ temeritati & loquacitati plùs æquo indulgentium maledicentiam. Sed hæc nubila perrupit, & tandem aboleuit ecclesiasticæ authoritatis & veritatis splendor. Itaque quandocumque ventilantur in Ecclesia nouæ quæstiones, non suspicionibus, non rumoribus ipsorum orthodoxorum auscultandum est; sed ecclesiasticæ authoritatis pondus quò inclinet, obseruandum est, & eò indeclinabiliter incumbendum. Elucet secundò quamlibet Cyrillus priuatis affectibus obsecundasse in exagitando Nestorio: quamlibet Nestorius vocem magis ipsam, quàm doctrinam de Mariâ Deiparâ exhorruisse videretur, ne Deitati ipsi initium à partu virgineo ineptus quis affingeret: quamlibet denique vocem ipsam Deiparæ Nestorius approbasse tandem iactaretur: vt nihil amplius posset ad Nestorij personæ & doctrinæ purgationem desiderari: nihilo tamen secius inualuisse sententiam, & authoritatem Synodi; & temerarios illos, aut si clementiùs interpretati voles, humaniores conatus pargandi Nestorij euanuisse. Nusquam non enim dejnceps pari cum cæteris hæreseon architectis, iacet ruinâ & infamiâ obrutus Nestorius. Nam huius Ephesinæ Synodi act. 1. *Omnes Episcopi simul exclamauerunt, Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit. Omnes Nestorij epistolam & dogmata anathematizamus, impiam fidem Nestorij anathematizamus. Quicumque hunc non anathematizat, anathema sit.* Ibi indiscriminatim, & error, & author erroris Nestorius & anathematizatur, & ab orthodoxis omnibus anathematizari iubetur. Et Cælestinus in epist. ad Synodum Ephes. *Eiiciantur è ciuitatibus suis, & se in nostro collegio nouerint non futuros, nisi secundùm ecclesiasticum & Christianorum Principum constitutum, damnata cum authoribus sociisque damnantes, se profiteantur* Conc. Ephes. part. 3. n. 20.

Digitized by Google

Catholicos ſacerdotes. Et in Synodo Chalcedonenſi Theodoretus diu quidem tergiuerſatus, ſed non antè tamen pleniſſimè admiſſus eſt, quàm non errorem tantùm, ſed Neſtorium quoque ipſum deteſtatus eſt, vrgentibus quidem maximè Ægyptiis, ſed ſilentibus, eòque conſentientibus omnibus Epiſcopis cæteris. Intercedere enim debuerant cæteri, ſi iniqua Theodoreto conditio à paucis quibuſdam infligebatur.

XLIII. Rurſum de orthodoxis Synodo & Cyrillo obloquentibus, Neſtorium abſoluentibus.

Meliuſculè de Cyrillo poſtea ſenſiſſe Iſidorum Peluſiotam dubium facit, aut certè diſſimulat Facundus Hermianenſis, lib. 2. cap. 4. At ibidem Gennadium Conſtantinopolitanum Epiſcopum *beatæ memoriæ*, idem inducit multis debacchantem in Cyrilli non tantùm æſtuantia aduersùs Neſtorium odia, ſed etiam dogmata anathematiſmis duodecim comprehenſa. Vnde Facundus, *Talia Gennadius de Cyrillo non ſcriberet, niſi dicentis intentionem minùs intellexiſſet, &c. Potuit enim & ipſe, de Chriſtianâ religione quæ rectæ ſunt, credens, non intellectum B. Cyrillum bonâ intentione culpare*. Sed vt vt habeat de Cyrillo: quid de Synodo Epheſinâ Gennadius, quæ anathematiſmos & doctrinam Cyrilli conſecrauit? Sed vt ne vni adhæream vel pauculis, quid Orientales? Ioannes enim Antiochenus, & Theodoretus, & Orientales Epiſcopi alij Epheſina Synodo abſolutâ & dimiſsâ, deinceps aliquandiu Cyrillum concerpere, & anathematiſmis eius Apollinaris aliorumque hæreticorum errores affingere perſeuerarunt. Cyrillo ipſi impacta neceſſitas eſt ſuos retractandi anathematiſmos, eoſque ad rectam fidem, quam & ipſi Orientales prædicabant, contorquendi: quaſi minor œcumenicæ Synodi authoritas fuerit, quàm vt abſtergere maledicorum calumnias poſſit. Vnde Facundus Hermian. lib. 7. cap. 6. *Si quis autem dicit, quòd Orientales & aliarum prouinciarum Epiſcopi, vna quippe horum omnium cauſa eſt, etiam in his quæ non intelligebant, authoritatem Epheſini Concilij ſequi debuerint: ipſe quoque primùm conſiderare debet, quod etiam Synodus Chalcedonenſis*

Digitized by Google

conſideraſſe credenda eſt, quoniam tantis diſſentientibus, qui moniti fuerant, ſimul in ipſum Concilium conuenire: non tanta illo tempore, quanta nunc eſt, eius eſſe poßit authoritas: cùm necdum etiam iudicio magnæ Chalcedonenſis Synodi firmaretur. Nam & ipſa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas. Innuere videtur Facundus Pontificis Antiocheni, & tot aliorum Metropolitarum, magna ex parte Orientalium, interceſſione & diſſenſu, potuiſſe Epheſinæ Synodi œcumenicum nomen & robur ſuſpendi: quòd œcumenicum non eſſet Concilium, à quo permagna & vna ex præcipuis tribus Eccleſiæ portio & abfuiſſet, & diſſentiret: donec & ab iiſdem ipſis deſitum eſt intercedi, & Chalcedonenſis Synodus atque ipſa maximè antiquitas ſummum robur & pondus accumulauit. Et ipſa quidem Synodus Epheſina quà Epiſcoporum ſuorum numero, quà orbis Chriſtiani conſenſu ſupremam ſuam oſtentabat authoritatem, eamque cui Ioannis & aſſeclarum eius paucitas fruſtra obſtreperet. Act. 3. in relat. ad Imperatores: *Quia ergo viri iſti qui venerunt, totius Occidentalis ſanctæ Synodi ſententiam noſtræ huic Synodo per literas expoſuerunt, &c. vt pietati veſtræ conſtet indicium, quod paulò antè à nobis exiit, eſſe vnam communemque totius orbis terrarum ſententiam, &c. Toto orbe terrarum conſonam ſententiam proferente, paucis exceptis, qui Neſtorij amicitiam pietate potiorem ducunt.* Et act. 5. in alia relat. ad Imper. *Rogamus ne hominum criminibus obnoxiorum conuenticulam, Synodus iudicetur. Nam & olim in ſancto Nicæno Concilio nonnulli reperti ſunt, qui ſe ab eo ſeparauerunt, nec tamen illi à magno Imperatore Conſtantino pro Synodo habiti ſunt, &c. Perabſurdum eſt enim ducentorum & decem Epiſcoporum Synodo, quibus & vniuerſa Occidentalium Epiſcoporum multitudo, & per ipſos reliquus totus terrarum orbis conſentit, triginta tantùm numero ſe opponere.* Et Clerus Conſtantinopolitanus in libello ſupplice ad Imperatores: *Expoſcimus vt apud vos illorum ſententia confirmetur, qui & numero plures ſunt, & ſedium authoritate, &c. Neque pacis obtentu, aut ne parua quædam Orientalium portio ſeparari vi-*

deatur, quæ tamen si Canonibus obsequi vellet, coniuncta maneret, vniuersum terrarum orbem simul misceri patiatur. Et suprà relatus Delmatius incluſus: *Sex milliane Episcoporum audire manis, an vnum hominem, eumque impium?* Et in relat. per ſeptem Epiſcopos miſsâ, *Sancta proinde & œcumenica Synodus, cuius consessui adest & Cælestinus, & vniuersa Occidentalis Synodus, totaque Africa & Illyricum, &c.*

XLIV. Dispensatiuè tolerata hæc Ioannis & aliorum contumacia.

Oecumenicam ergo Synodum Epheſinam Chalcedonenſis Synodus, & ipſa pòſt antiquitas, non fecit, ſed agnouit. Cum Ioanne autem & Orientalibus fruſtra obnitentibus, diſpenſatum eſt, vt ne vi adhibitâ, in præceps forſan agerentur, ſed pellicerentur indulgentia. Elucet hinc primò ne tantam quidem, quanta Antiochena ſeu Orientalis erat Diœceſis, Eccleſiæ Catholicæ portionem, & Epiſcoporum triginta, imò quadraginta & ampliùs multitudinem, diſſenſione ſuâ œcumenicum pondus & nomen Epheſinæ Synodo detrahere potuiſſe. Vt vbi in Eccleſiâ agitatur & definitur aliquid nouæ quæſtionis, contemnatur ſemper paucitas diſſonantium, ſola ſuperet numeroſitas Epiſcoporum & authoritas ſedium, & conſenſus orbis terrarum. Elucet ſecundò tunc ſaltem locum eſſe vtili & neceſſariæ diſpenſationi, cùm portio Eccleſiæ & turba Epiſcoporum, quæ violento impetu ad obſequium Synodi non flecteretur, ſed reſiliret, exiliretque forſan è clauſtris Eccleſiæ; morâ temporis manſueſcere ſinitur, & remiſſione veniâque iuris plurimâ mitigatur. Quòd ergo Orientales in Cyrilli anathematiſmos & in Synodum Epheſinam moliti ſunt, non iura, ſed facta ſunt; nec in exemplum trahenda, ſed damnanda prorſus: etſi tunc ex indulgentia ea diſſimulari ab Eccleſiâ Catholicâ neceſſum fuerit. Nemo ergo Ioannis, nemo Orientalium abutatur exemplo. Nam quod remiſſo tunc iure toleratum eſt, id aliàs forſan ex iuris rigore percelleretur. Diſpenſationis quippe non neceſſitas, ſed poteſtas & arbitrium penes Eccleſiam eſt: aut non alia ſaltem, quàm ex ſuâ ipſius charitate profecta neceſſitas.

Atque

Digitized by Google

Atque vt ista erga Ioannem Cyrilli & Ecclesiæ dispensatio penitius patescat, audiatur primò de his Liberatus breuiarij cap. 8. *Videns Imperator Cyrilli & Ioannis permansisse discordiam, Maximianum & alios Constantinopoli repertos Episcopos vocans, quomodo tolleretur Ecclesiarum dissensio, cogitabat. At illi dixerunt quia non aliter hoc fieri posset, nisi priùs iretur, & præferretur vnius fidei vinculum, & Ioannes Antiochenus Episcopus anathematizaret Nestorium & improbata dogmata eius. Et gauiso valde super hoc Imperatore, missus est hoc ipsum agere Aristolaus Tribunus, sacram Principis deferens Ioanni & Cyrillo, in qua comminatus est vtrisque Nicomediam exilium, nisi pacem haberent ad inuicem. Scripserunt autem & Episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Ecclesiarum sanctarum, non aliter fieri conueniret, nisi omnia quæ ab eo in causa scripta sunt, epistolis & tomis & libris euacuarentur. Cyrillo verò hoc facere, importabile visum est. Verùm Ioannes Antiochenus Cyrillo mandauit, Propter illa ipsius capitula fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suscipiens subscripserit, communicabo ei: alioqui pacificus cum eo esse non potero. Et congregans iterum Ioannes Antiochiam Concilium, dictauit fidem, ita se habentem, &c. Quam tradidit Paulo Episcopo Emeseno, & direxit Alexandriam Cyrillo. Cyrillus sine difficultate, vel contentione, vt à multis putabatur, memoratam fidem Orientalium suscepit Episcoporum, &c. Post hæc Cyrillus satisfaciens aliquorum rumoribus, qui de illo habiti sunt, quoniam non assereret, de cælo corpus Christum sumpsisse, neque fermentationem, aut commixtionem senserit naturarum eius, scripsit & subscripsit præfatam fidem, & Orientalibus direxit Episcopis.* Tunc Orientales pacem fecerunt cum Cyrillo & Concilio eius, *damnantes Nestorium, & suscipientes Maximianum, qui pro illo factus fuerat Episcopus. Dubitantibus adhuc ex eis aliquibus Cyrillo communicare, putantibus eum errasse, & postea veritatem agnouisse, & culpantes Ioannem, Cur ab eo non expetierit capitulorum eius damnationem. Ex alterâ autem parte quidam de palatio culpauerunt Cyrillum, cur suscepit ab Orientalibus Episcopis duarum confessionem natu-*

XLV. Hæc tum Ecclesiæ dispensatio ex Liberato declaratur.

Digitized by Google

rarum, quod Neſtorius dixit & docuit. Scripſit ergo Cyrillus in defenſionem Orientalium pro duabus Chriſti naturis. Et cap. 9. cum Theodoretus aduersùs 12. capitula Cyrilli ſcripſiſſet, *Cyrillus fecit interpretationem capitulorum ſuorum, duodecim addens expoſitiones, quo videretur plenam pro eis reddere rationem. Itaque Cyrillo ſuſcipiente & defendente fidem Orientalium Epiſcoporum, & ſua capitula exponente, pax & vnitas Eccleſiis reddita eſt.* Vides quàm multa contumeliosè aduersùs Cyrillum, imò aduersùs Synodum œcumenicam Epheſinam machinatus ſit cum Orientalibus Epiſcopis Ioannes. Nempe quòd Neſtorium anathematizare contaretur, quòd anathematiſmos Cyrilli ab Epheſina Synodo cum epiſtola eius probatos reprobaret, & recantari iuberet; quòd non Cyrilli qui Synodo præfuerat, fidem ipſe ſubſcriberet, ſed ſuam qui aduerſatus fuerat Synodo, à Cyrillo ſubſcribi extorqueret; quòd Cyrillum ſua capitula retractare compulerit, & retractationes non aliter quàm eiurationes interpretatus ſit. Et aſſenſus his tamen omnibus eſt Cyrillus, his acquieuit Eccleſia, pacis compenſatione inenarrabilis cuiuſdam diſpenſationis documentum edens.

XLVI. Eadem diſpenſatio ex epiſtolis Ioannis & Cyrilli aperitur.

Nec pigebit pauca ex epiſtolis tunc vltro citroque ſcriptitatis delibare, in huius ipſius rei vberiórem elucidationem. Ioannes Antiochenus ad Sixtum Papam Cæleſtini ſucceſſorem inter alia id quoque ſcribit: memorato vt ſe abſente Epheſi damnatus ſit Neſtorius, *Cùm ergo eâ de causâ, non parua inter nos & Synodum controuerſia interceſſiſſet, multaque vtrimque & facta & dicta eſſent, ad noſtras tandem Eccleſias & ciuitates reuerſi ſumus, neque quod ad Neſtorij depoſitionem attinebat, Synodi ſententiæ per id tempus ſubſcripſimus.* Ait mox missum ab Imperatore Ariſtolaum Tribunum, *vt omnis contentio faceſſeret, ſanctaque ſanctarum Dei Eccleſiarum pax vbique vigeret. Placuit & nobis quoque in ſacrâ Synodi ſententiâ, quæ Neſtorium depoſuit, acquieſcere, ipſumque pro depoſito habere, ac blaſphemam illius doctrinam anathematizare: eò quòd & noſtræ quoque Eccleſiæ,*

Digitized by Google

perinde ac veſtra ſanctitas, rectam ſemper inculpatamque fidem tenuerint, eandemque populo aſſiduè commendarint. Aſſentimur & Maximiani ordinationi, &c. Denique cum omnibus terrarum orbis Epiſcopis, ſi modò rectam ſinceramque fidem habuerint, eandemque ſeruauerint, communicamus. Vides vt factum à fide, & perſonam à iure ſecernat; & fidem ſe mordicus ſemper illibatam tenuiſſe, Neſtorij depoſitioni ſe non conſenſiſſe etiam poſt Synodum fateatur: ſed adigatur tandem imperatoria ſaltem poteſtate, & communionis cum totius orbis Epiſcopis ineundæ neceſſitate, in facti quoque quæſtione Synodo aſſentiri. Sed interim tamen dum in facto diſſideret, vacillare quoque in fide, vtpote tam contumax Synodi œcumenicæ aduerſarius exiſtimabatur. Ideo Cyrillus epiſt. 38. *Antiochiam Ariſtolaus venit, afferens ſecum regias literas, quæ religioſiſſimo Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopo mandarunt, vt ſceleſta Neſtorij dogmata anathematizaret, & depoſitionem eius pro conformitate ſanctæ Synodi decerneret: & ita communionem à nobis quæreret. Caterùm quidam ex Orientalibus Epiſcopis qui fortè Neſtorium nondum condemnarunt, & illis patrocinantur qui rectam noſtram fidem ſollicitant, &c.* Et infrà: *Cùm ergo Ioannes ſubſcripſiſſet, & qui cum eo erant, Neſtorij dogmata manifeſtiùs anathematizaſſent, confeſſique eſſent, illum ſe pro depoſito habere, communionem illis reddidimus. Hæc namque illis & Epheſi à ſancta Synodo proponebantur.* Et Imperator ergo & Cyrillus, adeoque & alij aſſertores Synodi, Ioannem & Orientales non in facto tantùm, ſed & in fide claudicare ſuſpicabantur, & vtrique Synodi definitioni ſubſcribere compellebant.

Sed luculentiſſimè Sixtus Papa ad Cyrillum ſcribens, & Ioannis Orientaliumque vacillationem, & Eccleſiæ diſpenſationem in iis recolligendis proſequitur. *Non ſe exuli veſtro Neſtorio ſanctus frater noſter Ioannes addiderat. Non eius eſt blaſphemâ prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negauit, &c. Nunquam ſe à noſtro numero ſeparaſſet, in quem potuit & reuerti. Exulta, frater chariſſime, & ad nos recollectis fratribus*

XLVII. Eadem ex epiſtola Sixti Papæ. *Conc. Epheſ. part. 1.*

Digitized by Google

victor exulta. Querebat Ecclesia, quos recepit. Nam si neminem perire volumus de pusillis, quanto magis gaudendum nobis est de sanitate Rectorum. Legimus, vna ouis quantum gaudij reportata præstiterit. Et idcirco intelligendum est quid laudis habeat, tantos reuocasse pastores. Greges aspiciuntur in singulis: nec vnius hîc causa tractatur, quoties agitur de sanitate multorum. Sustinuimus fratres, certi eos non spinas, sed vuas esse facturos, &c. De reuersis ad nos fratribus conuenit dicere, quia non potuit à Diabolo eradicari plantatio quam plantauerat Pater, &c. Meritò Ioannes Dominus à te vocatur, qui communem Dominum recognouit, qui incarnationis eius mysterium voce catholicâ nobiscum confitetur. Ergo Ioannes consensionem Synodo accommodandam, *suspenderat etsi non negarat:* sed suspendisse, non negasse, *exitus docuit:* ante enim & negare putabatur. A numero Episcoporum ille non se separauit, sed tamen *reuersus est*, non aberrauit, sed *recollectus est.* Non vsquequaque perierat, sed illum tamen *Ecclesia recepit.* Ita ab Ecclesia Catholica non defecerat, vt tamen *reuocatus sit.* A fratribus ita discesserat, vt ad eos *reuersus sit.* Ita non negauerat Christum, vt tamen illum *recognouerit*, & incarnationis mysterium *voce catholica* confessus sit. Ioannis autem ita *sustinendi*, & postquam resipuit, eius insaniæ tam clementer & tam οἰκονομικῶς interpretandæ causa fuit, quia *tanti reuocandi erant pastores.* Et: *Greges aspiciuntur in singulis: nec vnius hîc causa tractatur, quoties agitur de sanitate Rectorum.* Et rursus idem Sixtus ad Ioannem ipsum scribens, tanquam reduci gratulatur: *Non est certandi iam tempus, hoste prostrato transcundum nobis est ab his, quæ bella mouerunt. Importunum est victoriæ tempore de præliis disputare, &c. Hæc sanctitatem tuam volumus prædicare, quæ scribis. Expertus es negotij præsentis euentu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit, &c. Ergo quia vna fides est, quæ euidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil vltrà liceat nouitati, quia nihil adiici conuenit vetustati.* Præsenti Ioannis confessioni pri-

Digitized by Google

ſtinas eius intemperias donat, dum ne ſimulata ſit hæc eius conciliatio.

XLVIII. Eadem diſpenſatio ex Facundo Hermianenſi panditur.

Sed huius concordiæ & temperatæ à Cyrillo diſpenſationis admirator præcipuus, Facundus Hermianenſis lib. 6. cap. 5. ita diſſerit: *Vnde nec aliud credidit Chalcedonenſis Synodus, nec credere debuit, niſi quia Patres Orientales, inter quos fuit etiam ipſe Ibas, aliarumque prouinciarum Epiſcopi, intentionem capitulorum B. Cyrilli, minùs animaduerterant: vt ea etiam à Concilio Epheſino ſuſceptæ culparent. Sicut aliquando in diuina Trinitate Catholici quidam tres hypoſtaſes accipere noluerunt, quamuis tres perſonas acceperint: nec ideo ſunt à viris ſapientibus hæretici iudicati, quoniam comperti ſunt, non in re, quæ illo nomine ſignificabatur; ſed potiùs in ipſo nomine, quo ſignificabatur, offenſi.* Et paulò pòſt: *Hinc autem creditus eſt idem B. Cyrillus non rectam priùs in ſuis capitulis tenuiſſe ſententiam, ſed admonitione Orientalium poſtea eſſe correptus: quoniam cum ipſa vnitas Eccleſiarum fieret: non Orientales Patres eius capitulis ſubſcribere compulſi ſunt; ſed ipſe potiùs expetitus eſt, directa ſibi ab eis confeſſioni ſubſcribere, &c. Hinc ergo contigit vt conuerſione B. Cyrilli facta vnitas crederetur. Et reuera, cui non ſurriperet iſta ſuſpicio, (de humanis cordibus loquimur, & humana corda geſtamus:) cùm nihil Orientales Patres, qui hæc capitula corrigenda iudicauerunt, corrigere cogerentur: Beatus autem Cyrillus non ſolùm fidei confeſſioni, quam ſicut neceſſarium crediderunt, illi dictauerant, expetitus antè ſubſcriberet: ſed etiam ipſa ſua capitula retractaret?* Et lib. eodem cap. 4. Hoc quoque Cyrillo laudi vertit, quod qua pacis cupiditate æſtuabat, ſua exponere & approbare Orientalibus capitula initio minùs cutarit; *Sanè quoniam Cyrillus Orientalium legatione ſuſceptâ, magis quod à conſacerdotibus ſuis expectabatur, feſtinauit implere, quàm dictorum ſuorum in quibus offenſi fuerant, ſufficientem purgationem facere: ideo putatus eſt, veluti priſtino errore damnato, Orientalium admonitione conuerſus. Cùm ille recuperandæ vnitatis cupidus, in defenſione dictorum ſuorum noluerit immorari; ne cùm probare diu contendit, quod non vt putabatur, ab eo*

fuerint dicta, de quibus minùs intelligentes, aliter sentiebant, controuersiæ hac dissensione terminus non daretur. Ita ille Cyrilli dispensationem extollit, simul quantum potest, Orientalium culpam eleuans, vt non postremis ex eorum grege, Theodoreto & Ibæ aduersùs Iustiniani & Quintæ Synodi minas patrocinetur. Et idem tamen inferiùs cap. 5. lib. 6. Orientalium Episcoporum, velut luminarium hos esse confitetur defectus, eius simillimos, quo Ægyptij ante Episcopi in proscribendo Chrysostomo caligauerunt. *Habeatur itaque velut eclipsis quædam luminarium, Theophili, & Cyrilli, quod tam horribilia de magno luminari Ioanne Constantinopolitano locuti sunt. Habeatur etiam altera eclipsis, velut luminarium Orientalium, sine aliorum Patrum, qui cum eis ex diuersis prouinciis conuenerant, quod intelligentiæ defectu paululùm obscurati, aliter quàm res habuit de luminari Cyrillo æstimauerunt.*

XLIX. Concordia hæc quàm prudenter à Cyrillo dispensata, ex Cyrillo ipso.

Sed ista tamen ad propositum sibi scopum pauliſper inclinauit Facundus, vtque Cyrilli clementiam & dispensationem sui æui hominibus persuaderet, prudentiam eius pene obliterauit. Rem gestam ergo ipsius ex Cyrilli calamo ediscamus. Ita ille epist. 38. ait missas per Aristolaum Ioanni regias literas, *vt scelestæ Nestorij dogmata anathematizaret, depositionem Nestorij pro conformitate sanctæ Synodi decerneret, & ita communionem à nobis quæreret.* Tum Orientales per Acacium Boërææ Episcopum ad Cyrillum scripsisse & petisse, *vt quæ contra Nestorium à nobis sunt scripta, deleantur: & tanquam irrita abiiciantur omnia, & paciscamur in solo fidei Symbolo à sanctis Patribus Nicææ determinatæ. Nouit autem sanctitas tua, quod tales olim in Ephesinâ Synodo positiones ipsorum fuerint. Ego verò ad ista rescripsi petere eos impossibilia, eò quòd quæ scripsimus, rectè scripserimus, &c. Oportere eos secundùm id, quod Imperatori & Synodo rectum videtur, Nestorij blasphemias anathematizare, & ordinationi Maximiani consentire. Cùm istas literas misissem: & considerarent fieri non posse, vt communionem reciperent, nisi ad finem perductis, quæ ipsis facienda erant: miserunt Alexan-*

Digitized by Google

driam Paulum Emeſenum Epiſcopum, afferentem quidem ad me communionem concernentia, verùm talia, quæ non admodum decentia quædam narrarent. Nam & querimonias habere ſe ſimulabant, tanquam in ſanctâ Synodo quædam non ſint rectè dicta & facta. Et huiuſmodi quidem epiſtolas non acceptani, & reſpondi, Quomodo qui præteritorum geſtorum gratiâ veniam petere debeant, iam denuo iniuriam nobis inferunt? Cùm hæc excuſaret Paulus, non ad communionem tamen admiſſus eſt, *niſi vbi ſcripto Neſtorij dogmata anathematizauit, illum pro depoſito habuit, & Maximiani ordinationi conſenſit.* Cùmque peteret Paulus, vt Orientalium Epiſcoporum nomine hæc ſcripſiſſe putaretur, nec ab illis quidquam amplius exigeretur: *nequaquam acquieni, ſed Tribuno chartam exhibui, ſignificans ei, ſi Ioannes illi ſubſcripſerit, tum demum communionem illis eſſe reddendam. Cunctationem autem eorum Ariſtolaus Tribunus moleſtè tulit. Cùm itaque pientiſſimus Epiſcopus Ioannes ſubſcripſiſſet; & qui cum eo erant, Neſtorij dogmata manifeſtiùs anathematizaſſent, confeſſique eſſent, illum ſe pro depoſito habere, & ordinationi Maximiani conſenſiſſent, communionem illis reddidimus. Hæc namque illis & Epheſi à ſancta Synodo proponebantur.* Cauſæ ſuæ ingenio obſecundans Facundus, hanc ingentem Cyrilli ſapientiam conſtantiamque penè diſſimulauerat, vt vni clementiæ velificaretur. Hallucinantur ergo vehementer, qui Ioannis exemplo ſibi blandiuntur, vt Catholicorum inter ſe hominum ciuiles diſceptationes eſſe perſuadeant, quas alij ad fidem atringere arbitrantur. Apertè enim Ioannes & Orientales Epiſcopi Synodo Epheſinæ aduerſabantur, conſecratos eius authoritate Cyrilli anathematiſmos impetebant, Neſtorio fauebant, dogmati ipſi eius conſentire non immeritò ſuſpecti erant, tergiuerſationibus tam tædioſis has alebant aduersùm ſe ſuſpiciones, ad communionem denique admiſſi non ſunt, niſi anathema indixiſſent dogmati Neſtotiano, & Synodo tam quoad facti, quàm quoad fidei definitionem ſubſcripſiſſent. Rurſus Cyrillus epiſt. ad Acacium eadem ferè omnia proſe-

quitur, & inter cætera: *Quia ſanctiſſimi Orientales Epiſcopi à nobis diſſidebant ob Epheſinam Synodum, eâque de causâ quaſi blaſphemiarum Neſtorij laqueis irretiti eſſent, ſuſpecti erant; vt eo ſe crimine liberarent, inculpataque fidei amatoribus per omnia ſatisfacerent, ac Neſtorianæ impietatis expertes ſe eſſe oſtenderent, apologiam compoſuerunt.* Diſpenſationi denique totum hoc aſſignat Cyrillus epiſt. ad Maximum & Gennadium: *Quòd ſi tam videas eos in rectâ fide, malorum te oportet præteritorum obliuionem inducere. Malumus enim eos videre negantes, quàm inuerecundo animo laudantes Neſtorij improbitatem. Igitur ne contentiones dicamur amare, religioſiſſimi Epiſcopi Ioannis familiaritatem amplectamur, hoc illi indulgentes & eccleſiaſticæ œconomiæ causâ. Ne ſimus tam exacti exploratores in eos qui ad mentem rediere.*

L. Pacis conciliatricula fuit confeſſionis formula, quam Ioanni Cyrillus & Cyrillo Ioannes viſus eſt ſibi præſcripſiſſe.

Conciliatricula autem pacis fuit illa confeſſionis formula, quam poſtremò Ioannes ſeptis tergiuerſationibus à Cyrillo concluſus ſcripſit, pòſt Cyrillus ſubſcripſit. Suppalpabatur enim ſibi ſuiſque Ioannes, quòd formulam fidei prior ſcriberet, & quaſi præſcriberet Cyrillo, cui pòſt Cyrillus ſubſcriberet, quaſi palinodiam canens. Æquiùs autem Cyrillus videbatur ſibi legem dixiſſe Ioanni, & imperaſſe, atque expugnaſſe, vt libellum fidei & quaſi emendationis ſibi porrigeret; & quod hactenus recuſauerat, Epheſinæ Synodi vtrique definitioni, ad dogma & ad perſonam Neſtorij pertinenti aſſentiretur. Itaque diuerſis vtrimque rumoribus in vulgus ſparſis, victoriam vnaquæque pars ſuam venditabat: & poſt fidei pacata prælia, adhuc de gloria certabatur. Sed palmam Cyrillo iam tum & cauſa fidei, & Synodi defenſio, & Imperatoris ſuffragium, & Sixti Papæ conſpiratio, & orbis Catholici conſenſus largiebatur, poſteritas confirmauit. Orientalibus multa ob vnitatis compenſationem condonari oportuit, & illud quoque poſtremò non ſilendum, quod in fidei dogmate profitendo non elimatam vſquequaque verborum formam ſectari iuſſi ſunt, vnde & iniquiores poſtea in Cyrillum ſuſpiciones excitatæ ab iis ſunt,

Digitized by Google

sunt, qui non satis pensitabant, quid stricto iure agendum, quid studio colligendæ fraternitatis dispensandum sit. Inde Cyrillus epist. ad Acacium, *Etiamsi dictionum structura sententiarumque enunciatio eiusmodi sit, vt à subtiliore illa diligentia nonnihil recedere quibusdam videri queat, non est valde mirum. Etenim non parum difficile est, hæc apiè explicare.* Conc. Ephes. part. 3. cap. 33.

Quoniam autem Ioánni Antiocheno patrocinari plus æquo quidam affectarunt: aures rursum conuerte ad ea quæ Cælestinus intonat in epist. ad Synod. Ephes. *Antiochenum verò si habet spem correctionis, epistolis à vestrâ fraternitate volumus conueniri; vt nisi quæ sentimus, senserit, nouellam blasphemiam eodem exemplo scriptâ suâ professione condemnans; intelligat de se quoque Ecclesiam, quod fidei nostræ respectus imperat, ordinare.* Et Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij Abbatis cap. 39. *Cùm didicisset Euthymius quæ facta fuerant ab Episcopis Orientis; & quod Ioannes qui præerat Antiochiæ, cùm esset orthodoxus; inductus esset, vt eadem sentiret quæ Nestorius: fuit grani tristitiâ cor eius sauciatum. Eodem modo affectus fuit etiam Domnus illius consobrinus. Rogauit itaque Euthymium, vt ei permitteret abire Antiochiam, vt auunculum suum, qui supplantatus fuerat, restitueret: & iam veluti iacentem erigeret. Ille autem, Nequaquam, inquit, ô fili. Sed etsi paululùm à rectâ fide declinauit; Deus tamen, qui nouit cor illius rectè se habere, ipse ipsum conuertet: & reducet ad id, quod bene erit.* Quæ Euthymij quasi cælitùs afflata sententia ipsissimæ rerum veritati adprimè præ cæteris concinit. Titubauit enim reuera Ioannes cum suis Orientalibus quasi fallente vestigio, etsi non penitùs corruit: *declinauit paululùm à rectâ fide*, etsi non prorsus defecit. Itaque non immeritò alij diu lapsantem dolore & lacrymis: alij non lapsum, gaudio & plausu prosecuti sunt. Leontius lib. de sect. act. 4. Ioanni & Theodoreto apertè gratulatur, quòd Nestorium *non admiserint*: quòd tandem auersati sint. At idem act. 6. aduersariorum Chalcedonensis Synodi hanc soluit obiectionem, *Quòd homines se-*

LI. Iterum de Ioanne Antioch. & Orientalibus: quâ excusari eos fas, nefasve sit.

Digitized by Google

Barios receperit, Theodoretum & Ibam, &c. Neſtorij dogmata probantes, &c. Nos verò Theodoreti dogma quod attinet, dicimus non priùs à Synodo receptum fuiſſe, quàm Neſtorium & eius ſententiam anathemati ſubieciſſet. Idem de Ibâ mox reſpondet. Vtriuſque verò conſcripta ideo non compulſos à Synodo eſſe damnare: quod ad id eos non compuliſſet antè Cyrillus, à Theodori ipſius damnatione ſuperſedendum ex veniâ ratus. Itaque etſi Neſtoriani medullitus non eſſent Orientales, commiſerant tamen vel graſſando, vel ſcriptitando, vt eſſe viderentur: & iure meritòque viderentur, nempe Cyrillo, Cæleſtino, Sixto, Epheſinæ, Chalcedonenſi, Quintæ Synodo. Nam vt authores idonei ſunt Patres Quintæ Synodi, collat. 6. in Concil. Chalcedonenſi *omnes coëgerunt Ibam anathematizare Neſtorium, quem vindicabat impia epiſtola, & inſuper impia eius dogmata, &c. Ibam ſuſceperunt, cùm pœnitentiam egiſſet, & Neſtorium anathematizaſſet, &c.* Et collat. 8. *Inuenimus quòd Patres Chalcedonenſes non aliter paſſi ſunt prædictum Ibam ſuſcipere, priuſquam exegiſſent eum, Neſtorium & impia eius dogmata, quæ in epiſtolâ vendicantur, anathematizare.* Et ſimiliter de Theodoreto, collat. 5. *Ex his quæ Theodoretus impiè conſcripſit, miranda eſt ſubtilitas ſancti Chalcedonenſis Concilij. Sciens enim eius blaſphemias, priùs quidem multis ſæpius vſa eſt contra eum exclamationibus. Poſtea verò non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi priùs anathematizaſſet Neſtorium & eius blaſphemias, pro quibus antea ſcripſit defendens.* Et Vigilius in Conſtituto, ait ſcripta Theodoreti in Cyrillum ab ipſomet *fuiſſe ſine dubitatione damnata*, cùm in Synodo Chalcedonenſi, Neſtorio & eius dogmati dixit anathema: & infrà: *Quæcumque ſcripta vel dogmata eius, cuiuſlibet nomine prolata, ſceleratorum Neſtorij & Eutychetis manifeſtantur erroribus conſonare, anathematizamus atque damnamus.* His tot Pontificibus, Synodiſque cauſam Eccleſiæ & totam circumgeſtantibus maieſtatem, pluſculum, vt arbitror, fidei adiiciendum eſt; quàm vel Liberato, vel Facundo, ob pertinacem, cui ſe deuouerant, trium capitulorum defenſionem, ab Iba & Theo-

doreto, adeoque & ab Orientalibus omnibus, eorumque anteſignano Ioanne, hæreſeos propugnatæ dedecus amoliri certantibus. Denique totam & Cyrilli, & Romanorum Præſulum, & Chalcedonenſis Synodi humanitatem erga Ioannem, Theodoretum, Ibam, alioſque Orientales, veniæ & diſpenſationi acceptoferendam ſuprà oſtenſum: vt hinc quidem conſimilis clementiæ erga eorum ſimiles quoſlibet exemplum pro arbitrio ſuo trahat Eccleſia: non vllam autem impingi ſibi patiatur neceſſitatem. Ea eſt enim diſpenſationis conditio. Ei qui diſpenſat, laudem, non neceſſitatem inuehit. Eius quîcum diſpenſatur, felicitatem magis prodit, quàm innocentiam. Et ex Ioannis ſeu moroſitate, ſeu contumaciâ non ſum neſcius, emolumenti aliquid & elucidamenti acceſſiſſe dogmati catholico: ſed ita forſan vt ex Thomæ hæſitatione. De eo enim ſapienter Gregorius homil. 26. in Euang. *Plùs nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum profuit. Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in fide ſolidatur.* Quibus mirificè conſonant hæc Facundi lib. 1. cap. 5. *Cùm ſanctus Ioannes Antiochenus & cæteri Orientales, licèt probabili zelo fidei, tamen improbè iudicarent hæreticum: omnipotens Deus, cuius ſapiens & mirabilis bonitas, humanæ ignorantiæ malum poteſt in vſum doctrinæ conuertere: talem dedit exitum cauſæ, vt illa Orientalium, aliarumque prouinciarum Antiſtitum falſa de B. Cyrillo ſuſpicio nihil nobis relinqueret ſuſpicandum.* Itaque *improbè* faciebant Orientales; ſed illud, vt & mala quælibet alia bene vertit Deus. Alioqui inſanum eſt, œcumenicæ Synodo à Cæleſtino & rurſum à Sixto Pontifice Romano confirmatæ reluctari Ioannem: ſed inſanius penè eſt, eius rei ergo commendari: aut exempla hinc aliqua poſteritati ſanciri. Quod poſtremò Orientales in gratiam cum Cyrillo & Eccleſiâ redeuntes, nec anathematiſmis Cyrilli ſubſcribere, nec ſua in eum ſcripta recantare adacti ſunt: id quidem tum œconomiæ gratiâ indultum eſt tertiæ ſedis Antiſtiti, Orientalibus

seu diœceseos Orientalis Episcopis, & vt suprà atque alibi sæpe ait Facundus, *aliarum prouinciarum* Antistitibus. Quid enim non horum dignitas & numerus dispensari extunderet? Testes dispensationis huius locupletissimos suprà protulimus. Sed etsi cessare videatur aliquando, vigilat tamen æquitas; etenim dilapso œconomiæ tempore, vt aiunt Patres Quintæ Synodi, fulminantur Orientalium scriptiunculæ in Cyrillum, anathematismi Cyrilli in adyta ipsa fidei recipiuntur: & priuatâ licentiâ in angulis ad libitum suum garriente, æternum in monumentis ecclesiasticis aduersùs Theodoreti & Ibæ scriptiones anathema personat: æternum, non quidem Ioanni, sed prioribus illis Ioannis & Theodoreti, & aliorum Orientalium machinationibus dedecus imprimitur.

§ II. Nestorij fautores, dum antiquos scriptores ei consentaneos promunt, non illum absolui, sed hos vnà damnari faciunt. *Cyrill. epist. ad Acacium.*

Atque vt testis est Cyrillus, vanis tunc rumoribus confictum iactatumque est, ab occultis Nestorij fautoribus, eius depositionem à Sixto Papâ improbatam: conscriptamque à Cyrillo ipso epistolam, quâ Ephesinæ Synodi pudebat ipsum pœnitebatque. Denique vt ait Liberatus breu. cap. 10. *Nestorij sectatores, videntes libros eius blasphemos non posse proferri in publicum, eò quòd Synodo Ephesinâ anathematizante fuerant condemnati, & imperiali lege: tunc cœperunt Diodori Tarsensis & Theodori Mopsuesteni Episcopi, qui contra Eunomium & Apollinarem vnius naturæ assertores, libros composuerant, duas in Christo ostendentes naturas in vna persona; circumferre volumina: & simplicissimos quosque decipere cupientes, aiebant, non sapuisse noua Nestorium, sed antiquorum Patrum prosecutum fuisse doctrinam.* Verùm præter animi sui sententiam res cecidit. Non enim horum obtentu sese laqueis exuerunt anathematis, sed hos hactenus latitantes induerunt. Quo constet damnatos semel non errores tantùm, sed authores librosque, anteriorum aliquot sibi consentaneorum & tamen indemnatorum patrocinio non expediri ab anathematis vinculo; sed magis magisque cum suis ipsis patronis implicari. Theodoro enim Mopsuesteno veniam hactenus Ecclesia fecerat, ne

Digitized by Google

cum Neſtorio damnaretur; vbi ea diſpenſatio officere pòſt viſa eſt, illi ipſi anathema illiſum. Ceſſante enim vtilitate vel neceſſitate, reuocatur diſpenſatio. Monuerat iam Cyrillus epiſt. ad Ioannem: *Infames opiniones Diodori ac Theodori & aliorum quorundam, quos non laudare ſatius erat, ne quid grauius dicam, propterea quod plenis quodammodo velis aduersùs Chriſti gloriam feruntur, nemo ſanctis Patribus noſtris Athanaſio, Baſilio, Gregorio, Theophilo & reliquis tribuat, ne res iſta ſcandali fiat occaſio, &c.* Si quæris autem, quinam illi eſſent Theodori nomine Neſtorium prætexentes, declarat Cyrillus epiſt. ad Acacium: *Scripſerunt ad me Orientales, quòd non oportet, quæ Theodori ſunt, accuſari: ne ſicut dicunt & B. Athanaſij, & Theophili, & Gregorij, & Baſilij dicta accuſentur. Quæ enim locutus eſt Theodorus, eadem & illi.* Et idem epiſt. ad Proclum, Eccleſiæ tum neceſſariam declarat diſpenſationem in Theodori damnando errore, non nomine. *Sciat ſanctitas tua, quòd prolata apud Synodum expoſitione ab eo compoſita, ſicut dicebant qui protulerunt, nihil ſanum habente: reprobauit quidem eam ſancta Synodus, vtpote peruerſis intellectibus plenam, & Neſtorianam impietatem quaſi effluentem. His verò condemnatis qui ſic ſapiunt, nullam viri memoriam fecit diſpenſatiuè: nec ipſum nominatim anathemati ſubiecit, propter diſpenſationem: ne quidam ad exiſtimationem viri reſpicientes, ſeipſos ab Eccleſiis ſepararent. Diſpenſatio verò in his optima res eſt, & ſapiens.* At vbi hanc non diſpenſationem, ſed rei æquitatem interpretari perſtiterunt vitilitigatores, id conſecuti ſunt videlicet, vt noxia iam diſpenſatio reuocaretur, & damnaretur in Quinta Synodo Theodorus, quode alibi. Ita enim vſu venit, vt amicos vel errores, vel homines pertinaciùs defenſitando, pluribus illos anathematum iaculis configendos obiectemus.

Conc. Epheſ. part. 3. c. 44.

Digitized by Google

DISSERTATIO XI.

IN CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM SVB FLAVIANO, ET CONCILIVM EPHESINVM II.

SYNOPSIS.

Ab Eutychete primùm, post à Flauiano prouocatum esse ad Concilium œcumenicum, i. ad Leonem Papam: vnam esse Pontificis, & Concilij authoritatem: ad vtrumque indifferenter prouocari: penes Pontificem esse arbitrium, inque, vt ex re visum fuerit, Concilium tunc colligere, vel sine Concilio rem profligare. Si Imperator tunc præter Pontificis consilium Synodos colligeret, vel colligi vetaret: exitialia ea erant plerumque facta, nedum iura: nedum idonea sanciendæ disciplinæ exempla. Theodoretus similiter à Leone Papa restitutus fuisse ostenditur.

I. Pontificis & Concilij maiestas vna eademque, vnde promiscuè ad vtrũque vel ad alterutrum appellatur.

HÆc duo copulari à nobis Concilia mirati desines, vbi rescieris, vnam hic illam pertractatum iri quæstionem, de appellatione primùm Eutychetis, deinde Flauiani ad Concilium, & ad Pontificem Romanum. Vna enim, vt vides, vtrobique causa vertitur, vnus nobis scopus ob oculos positus est, vt has promiscuè & ad Concilium œcumenicum, & ad Pontificem Romanum appellationes interpositas esse demonstremus; nec Concilij rationes à Pontifice, nec Pontificis maiestatem à Concilio dispescere aut seque-

ſtrare tunc cuiquam in mentem veniſſe: ſed Concilium Pontifici, Pontificem Concilio ineſſe, vt gregem paſtori, paſtorem gregi: capiti membra, membris caput, perſuaſiſſimum & ex fidei præiudiciis, quaſi anticipatum omnibus fuiſſe.

II. Iactauit Eutyches ſe appellaſſe ad Leonem, vel ad Concilium, quod perinde eſt, primò ex epiſtolis Leonis id efficitur.

Commodemus ergo primùm aures animoſque noſtros Leoni, qui epiſt. 7. ad Theodoſium Auguſtum de Eutychetis appellatione ſic differit: *Quid Flauianum potueris commouere, vt Eutychen presbyterum communione priuaret, nondum potuimus euidenter cognoſcere. Quamuis enim prædictus presbyter ad Sedem Apoſtolicam per libellum doloris ſui querimoniam miſerit; breuiter tamen aliqua prælibauit, aſſerens ſe Nicænæ Synodi conſtituta ſeruantem, fruſtra in fidei diuerſitate culpatum. Euſebij autem Epiſcopi accuſatoris eius libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus presbyter miſit, de obiectionis euidentiâ nihil habebat, &c. Prius de quibus eum æſtimat arguendum, inſtrui nos oportet, vt poſſit de bene cognitis, congruè iudicari. Ad prædictum autem Epiſcopum dedi literas, quibus mihi diſplicere cognoſceret, quòd ea quæ in tantâ causâ geſta fuerant, etiamnunc ſilentio reticeret: cùm ſtudere debuerit primitus nobis cuncta reſerare. Quem credimus vel poſt admonitionem, omnia ad noſtram notitiam relaturum; vt in lucem ductis, his quæ adhuc videntur occulta, id quod Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ conuenit, iudicetur.* Quid his euidentius? Appellationis libellos dedit & miſit Eutyches ad Leonem, pariterque libellum accuſationis, quo illum Euſebius pulſauerat. Leo fidenter ad Imperatorem & ad Flauianum ſcribit, ſe de omnibus inſtrui, ad ſuam notitiam omnia perferri, ſibi primitus cuncta reſerari oportere, vt poſſit de bene cognitis, congruè iudicari: quia nempe tanta cauſa & *fidei ratio* controuertebatur. Et idem Leo epiſt. 8. ad Flauianum ipſum: *Adeò vt in ipſo iudicio Eutyches libellum appellationis ſuæ ſe aſſerat obtuliſſe, nec tamen fuiſſe ſuſceptum, &c. Facti tui neſſe volumus rationem, & uſque ad noſtram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe iudicia, nihil poſſumus,*

Digitized by Google

incognitis rebus, in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Et appellatum esse, & à se decretoriâ sententiâ rem definiendam esse profitetur.

III. Idem rursus euincitur ex epistolis Flauiani.

Nec minùs liquidò idem ex epistolis Flauiani ad Leonem clarescet. Ita enim ille priùs ad Leonem scripsit: *Olim quidquid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus literis docuimus & presbyterio illum esse nudatum, &c. vt sanctitas vestra cognoscens hoc, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestrâ degentibus manifestare dignetur illius impietatem; ne nescientes aliqui quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per literas, vel per aliquam coniunctionem loquantur.* Gesta ergo sua & iudicia ad Leonem miserat Flauianus, etsi nondum Leoni reddita fuerant. Et planissimum hîc est, vt reiceretur aliquorum communio in Occidente, necessium fuisse, vt eorum facta in Oriente excommunicatio ad Pontificem Romanum referretur, ab eoque comprobata vel refutata valeret, aut euanescceret. At rursus Flauianus acceptis Leonis epistolis ita rescribit: *Litere nobis date sunt vestre sanctitatis, per quas edocti sumus, quia idem Eutyches libellos direxit vobis, plenos omni fallaciâ atque calliditate, dicens iudicij tempore libellos se dedisse appellationis, & nobis & hîc conuenienti sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem. Quod nequaquam ab eo factum est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tanquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans.* Negat Flauianus appellasse Eutychetem, non negat appellare potuisse. Quin ex aduerso satis innuit, in culpa se futurum, si post appellationem damnatus fuisset Eutyches. Denique appellationis clypeo non malè defendi Eutychetem, si non mendaciter ficta, sed verè interposita fuisset. Denique quantum momenti esset in summi Pontificis iudicio ad confirmandam, vel infirmandam Flauiani sententiam, ipsemet mox testatum facit: *Propriam faciens communem causam & Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter*

Digitized by Google

lariter fictam, & per propria scripta dignare: confortare autem & piissimi Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ. Suæ Synodi sententiæque confirmationem Flauianus, & Imperatoris fidem, hæreseos profligationem, pacem turbatæ Ecclesiæ, Concilij prorogationem à solius Leonis consensu, literisque suspendit.

IV. Ita ad Pontificem & ad Concilium prouocatur, vt in Pontificis potestate sit cogere Synodum, vel supersedere.

Abstineri ab indicendâ œcumenica Synodo debere censuit non tantùm Flauianus, sed Leo ipse. Vnde epist. 17. ad Theodosium Aug. *Præsertim cùm tam euidens fidei causa sit, vt rationabilibus de causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum: tamen vt clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur, &c.* Et epist. 12. ad eundem: *Licèt Eutyches, quantum gestorum episcopalium ordo patefecit, imperitè atque imprudenter errare detectus sit, debueritque à suâ meritò reprobabili persuasione discedere: quoniam tamen pietas vestra apud Ephesum constituit synodale Concilium, &c.* Itaque vt Flauianus flagitauerat, Leo gesta Constantinopolitanæ Synodi aduersùs Eutychetem vbi perlegit, ita ea confirmauit, vt Synodo supersedendum duceret. Quin & Eutyches ipse in id consensisse videbatur, vt idoneus fideiussor est idem Leo epist. 12. *Cùm in libello suo quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reseruauerit, vt correcturum se esse promitteret, quidquid nostra sententia de his, quæ malè senserat, improbasset.* Ad Leonem ergo ita prouocarat Eutyches, vt correcturum se promitteret, quidquid eius sententiâ foret improbatum, nullâ Concilij factâ mentione: quod canonicè in arbitrio esset prouocati Pontificis, vel conuocare Synodum, vel eo supersedere, prout rei ambiguitas aut perspicuitas suaderet. Sed cùm conquestus esset de Flauiani sententiâ etiam ad Imperato-

Digitized by Google

rem Eutyches: vltro profiliit ad conuocationem Concilij Imperator.

V. Gestiebat tamen Eutyches conuocari Synodum.

Nec abnuerim tamen optatissimam, imò & imploratam, appellatamque Eutycheti Synodum. Ita enim ipse in libello Confessionis suæ, qui Ephesi lectus, Chalcedone act. 1. relectus est: *Rogabam innotescere sancto vestro Concilio, vt his quæ à vobis approbarentur, acquiescerem, præparatus in his manere. Et hæc dicenti subitò contra me damnatio legebatur, &c. Nullum verbum faciente de appellatione mea ad vestram sanctitatem reu. Episcopo Flauiano, &c. Sicut potestatem habens, omnia de fide solus agere, & nihil vestræ sanctitati de talis æquitate iudicij reseruare, &c. In diuersis Oratoriis fecit post appellationem in me prolatam legi sententiam, &c.* Et in Actione Constantinopolitanâ, post Concilium Constantinopolitanum factâ, relectâ autem Chalced. act. 1. *Constantius Diaconus dixit: Eutyches dum legeretur damnatio, appellauit sanctum Concilium sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis: & hæc in gestis non sunt inserta. Magnificus Patritius dixit: Turbâ factâ & dissoluto conuentu dixit ad me silenter appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium, &c. Basilius Episcopus dixit: Iam in veritate dico, adhuc ipso conuentu sedente, & proponente hoc sanctâ Synodo, vt diceret duas naturas inseparabiles & inconfusas in vno Domino, idque post adunationem: scio quia dixit religiosissimus archimandrita Eutyches, si præceperint mihi Patres Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans dixit: sed dicens, Non sum ausus dicere, propter Patres.* Denique in libello rursus suo Eutyches in Ephesina pseudosynodo præproperè se à Flauiano conqueritur damnatum, *cùm magis oportuerit ante omnia Pontificibus scribere, quos & appellaueram.*

VI. Etsi ad alios maiores Episcopos pariter appellasset, ad solum tamen quodammodo Ro-

Ex his omnibus patet altercatum fuisse, an appellasset Eutyches: appellare autem illum potuisse, & causam si appellasset, reseruandam fuisse iudicio ad quod prouocasset, id verò à nemine tunc, & ne à Flauiano quidem

Digitized by Google

ipſo in controuerſiam vocatum fuiſſe. Patet 2. promiſcuum quid, & indiſcretum fuiſſe, ad Romanum Pontificem, vel ad Concilium vniuerſale prouocare. Appellaſſe enim ſe iactabat Eutyches ad Concilium Romani, & Alexandrini, & Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis Epiſcopi. Quod quid aliud eſt quàm ad Concilium prouocare cui præſit Romanus, adſint & cæteri ſaltem inſigniores orbis Epiſcopi? Itaque Pontificis & Concilij vna & indiſcreta authoritas eſt, ad hoc & illum pariter prouocatur. Patet 3. etſi Romano Præſuli alios quoque Eutyches Epiſcopos conſocict, & ad omnes pariter prouocet: longo tamen cæteros interuallo à Romano ſuperari. Nam Romanus cæteros ſemper antecedit. 2. Cùm quatuor primò appellaſſet nominatim, poſtea Theſſalonicenſem omiſit, rurſus Hieroſolymitanum: denique ſuprà audiuimus libellos appellationis dantem ad Leonem, & Leonem rei incumbentem, & acta ſynodalia ad ſe diſcutienda mitti poſtulantem & impetrantem. 3. Flauianus ipſe ſuprà ſolo Leonis nutu & aſſenſu turbas illas omnes citra Concilium componi poſſe ſentiebat. 4. Imperator quoque Theodoſius ſummam rei totius à Leonis maximè authoritate pendere confitebatur. Vnde Leo ad ipſum epiſt. *Quia cauſæ meritum, & fidei ratio, & laudabilis ſollicitudo veſtræ pietatis exegit, neceſſe eſt iam locum ſubreptionibus non patere, ſed priùs de quibus eum æſtimat arguendum, inſtrui nos oportet, &c.* Et epiſt. 15. ad Synodum Epheſ. 2. *Religioſiſſima clementiſſimi Principis fides hanc reuerentiam diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis effectum, authoritatem Apoſtolicæ Sedis adhiberet: tanquam ab ipſo B. Petro cuperet declarari, &c.* 5. Non iniuriâ ergo Leo totam ad ſe pertraxit cauſam ante Synodum vllam, Flauiani ſententiam firmauit, Eutychetem damnauit; ſi errorem recantaret, reſtituendum cenſuit; Synodo nihil opus eſſe declarauit: diſpenſatiuè tamen Principi Synodum conuocanti aſſenſus eſt, non vt quaſi res dubia ventilaretur, ſed *vt pleniore iudicio omnis poſſet error aboleri, &c.*

manum Pontificem prouocatio ſpectabat, vt qui Synodo præeſſet, vel ceſſando à Synodo, eius vicem ſufficeret.

Digitized by Google

vt primitiùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius qui imprudenter erranit, restitutione tractetur. Horum nihil à Thessalonicensi, nihil ab Hierosolymitano, nihil ante Synodum ab Alexandrino tentatum fuerat. Ergo non ex æquo ad hos prouocarat Eutyches. 6. Eutyches ipse, vt suprà ex Leonis epistola retuli, imò vt ex ipsis eius verbis probaui, sententiæ Leonis se professus fuerat manus daturum. Et rursus Leo epist. 15. *Si sensus hæreticos damnauerit, quod etiam in libello quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram secuturum se ejus sententiam.* Denique Chalcedonensis ipsa Synodus in relat. ad Leonem, vni illi damnati & exauthorati Eutychetis palmam principemque authoritatem adscribit, dum ita Dioscorum incusat: *Eutychetem pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innexium statuit: & dignitatem, quæ à vestrâ illi ablatâ sanctitate fuerat, restituit.* At extra Synodum Leo abstulerat Eutycheti dignitatem, & post Flauiani sententiam. Vnde non Flauiani sententia in Eutychetem lata profertur, sed Leonis. Nimirum vt tanto inuidia maior Dioscoro confletur, qui non post Flauianum, sed post Leonem & contrà iudicare sit ausus.

VII. Exemplo Pelagianorum idipsum confirmatur.

Ita & Cælestius ab Africanis Conciliis ad Sedem Apostolicam appellarat antè, & coram Zosimo Papa causam rursus dixerat, si qua fides Facundo Hermian. cap. 3. l. 7. *Zosimus fidem ipsius Pelagy, eiusque complicis Cælestij, quem in Ecclesia Carthaginensi connictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discussserat.* In Oriente & Occidente damnatis deliriis suis Pelagiani, *Apostolicam Sedem* appellarant. Et ibi rursum damnati, Synodum generalem ex Oriente & Occidente sui causâ conuocari gestiebant, vt suprà ex Augustino didicimus: *quasi non discusso negotio audientiam postulabant*, vt ait Prosper adu. Collat. c. 41. sed non impetrarunt. Coactæ aliis de causis Ephesinæ Synodo se intruserunt, sed à Nestorianis absoluti, ab orthodoxis Episcopis non rursum cognitâ causâ, sed ex solo pontificiæ sententiæ præiudicio condemnati sunt.

Digitized by Google

Coniuncta est Eutychetis causæ appellatio Flauiani ipsius in Ephesinâ Pseudosynodo ad Leonem Papam. Ex hac enim apertius etiam fiet, cùm ad Synodum œcumenicam prouocatur, nihil aliud quàm ad Papam prouocari, in cuius potestate est, vel rem totam sine Synodo redintegare, si qua possit fieri: vel ad eam redintegrandam, Synodum conuocare. Prodeat primùm Leo ep. 24. & 25. ad Theodosium scriptâ de appellatione Flauiani. *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes supplicant sacerdotes, vt quia & nostri fideliter reclamarunt, & ei sidem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum intra Italiam celebrari, &c. Quàm autem post appellationem interpositam, hoc necessario postuletur, Canonum Nicæa habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt sacerdotibus constituta.* A Flauiano legatis suis datos appellationis libellos testatur, ideo Synodum congregari postulat. Ergo ad eum vt Synodi conuocandæ antesignanum, & congregatæ præsidem prouocabatur.

VIII. Flauianus ad Leonem appellauit à Synodo Ephesina secunda. Ex epist. Leonis.

Idem patet ex literis Valentiniani, Placidiæ, & Eudoxiæ ad Theodosium Aug. *Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare. Quatenus beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & sacerdotibus iudicare. Huius enim rei gratiâ secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem quæ orta est de fide.* Orant mox *vt præditus sacerdos congregatis mox ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præiudicio sublato, omnem causam, quæ vertitur, cognoscat, sententiam ferat, &c.* Ergo Flauianus Leonem per libellos appellauit, idque secundùm morem Conciliorum, nempe vt coactâ Synodo, Pontifex Romanus de totâ causâ rursum cognosceret, & sententiam ferret. Et in epist. Gallæ Placidiæ ad eundem Theodos. filium: *Odium & contentiones narratur exercuisse Dioscorus, impetens CP. Ciuitatis Flauianum Episcopum, cè*

IX. Item ex literis Valentiniani Augusti & Augustarum, non aliud erat ad Synodum, quàm ad Pontificem prouocare. *Part. 1 Conc. Chalced. p 15.*

Digitized by Google

quòd libellum ad Apoſtolicam Sedem miſerit, & ad omnes Epiſcopos harum partium, &c. Præcipiat tua manſuetudo, vt in ſtatu ſacerdotij illeſo manente per omnia Flauiano, ad Concilium Apoſtolicæ Sedis iudicium tranſmittatur, in qua primus ille, qui cæleſtes claues dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatus ordinauit. Vides vt promiſcuè hæc habeantur, dare libellos ad Sedem Apoſtolicam, dare libellos ad Sedem Apoſtolicam & ad omnes Occidentis Epiſcopos: itemque iſtam rem totam à Pontifice maximo iudicari de integro, & rei iudicium ad Concilium Sedis Apoſtolicæ tranſmitti: denique quanquam in Concilio Sedis Apoſtolicæ, ſeu in Synodo Epiſcoporum agitetur iudicium: tamen Romanus Sacerdos, omnem cauſam cognoſcet, ſententiam feret, intemerata veneratio conſeruabitur Apoſtolo Petro. Etenim in redintegrando iudicio Flauiani, non Concilij authoritas Romanum Antiſtitem ſuſtollet & illuſtrabit; ſed Concilio ipſi ea authoritas defertur, quia *Petro Apoſtolo intemerata veneratio conſeruanda eſt:* quia Romano Præſuli *principatum antiquitas contulit* ſacerdotij ſuper omnes: quia *eius eſt de fide & ſacerdotibus iudicare:* quia *in Romana Sede primus ille qui cæleſtes claues dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatus ordinauit.* Cùm ergo cauſam Pontificîs & Concilij indiuulsè conglutinamus, Concilio magis à Pontifice, quàm viciſſim authoritatem aggeramus. Has epiſtolas olim in hanc rem laudauit Ratramnus cont. oppoſita Græc. lib. 4. cap. 8. vbi præfatus Leonem Chalcedonenſi Synodo præiſſe, & præfuiſſe, dictaſſeque omnia, ſtatuenda quæ eſſent de Eutychete & Flauiano, addit: *Quibus omnibus euidenter inſtruimur, non ſolùm Conſtantinopolitano, verùm cunctis Orientalibus Epiſcopis Romanum Pontificem honore prælatum, veluti qui cunctorum ſollicitudinem plenam habere debeat Epiſcoporum, & cui ſpecialiter incumbat pro cunctis Eccleſiis excubare.*

X. Item ex literis Marciani.

Et his conſentaneus Marcianus poſtea, *authoritate* Leonis, *authore* Leone Synodum Chalcedonenſem haberi conſenſit, quòd ille *principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſ-*

Digitized by Google

fideret: vt alibi demonſtratum. Vbi illud operæ pretium eſt animaduerti; Leonem in cauſa Eutychetis ſuperſedendum Concilio exiſtimaſſe, in cauſa Flauiani Synodum poſtulaſſe ipſum etiam atque etiam, tandem expugnaſſe. Prouidentiæ ergo & iudicio Romani Pontificis appellati id permittebatur, tanti res eſſet, vel non eſſet, quæ Synodum poſtularet. Quàm prouida autem vtrobique, quàmque ſalutaria Eccleſiæ eſſent Sedis Apoſtolicæ iudicia, ipſo rerum exitu comprobatum eſt. Conſultiſſimum enim fuiſſet abſtinere ab illa Synodo prædatoria Epheſina; conſultiſſimum fuit inflicta Eccleſiis illo latrocinio vulnera per Chalcedonenſem Synodum obduci. Itaque cùm ſuperſedendum Synodis iudicat Sedes Apoſtolica, non ſibi honoris cumulum, ſed pacem Eccleſiæ parat: cum indici Synodos hortatur, non honori ſuo quidquam detrahit, ſed adiicit plurimùm. Eccunde enim plus accreuit honoris Sedi Apoſtolicæ, quàm ex Synodo Chalcedonenſi?

XI. Item ex Liberato. Occurritur obiectioni Nouatorum.

Liberatus quoque in Breuiario cap. 12. paululùm proſequutus Dioſcori graſſationes in Epheſino latrocinio, addit: *Porro locum obtinentes Papæ Leonis, omnibus quæ ſunt geſta, contradixerant. Flauianus autem contra ſe prolatâ ſententiâ, per eius legatos Sedem Apoſtolicam appellauit libello. Et hunc terminum illa Synodus habuit.* Quæ cùm ita conſtent ex Leonis, ex Valentiniani Imperatoris, ex Reginarum, ex Liberati teſtimonio: næ pudorem omnem decoxerint neceſſe eſt, qui appellatum à Flauiano eſſe ad Leonem, ambigere ſe fingunt. Nam quod in Epheſinæ Synodi actis non referatur aliud, quàm quòd cùm in Flauianum & Euſebium depoſitionis ſententiam protuliſſet Dioſcorus, *Flauianus Epiſcopus dixit, Apello à te.* Ita enim antiquiſſimus interpres reddidit, cùm Græcè ſcriptum ſit, παρεξιτῆμαί σε: id eſt, Recuſo te. *Hilarus Diaconus Eccleſiæ Romanæ dixit, contradicitur:* κωλύεται. Non hinc appellatam Sedem Romanam eſſe prohibetur: cùm tam diſertè id teſtificentur ſupradicti omni exceptione maiores; &

Digitized by Google

qui primùm recusauit Dioscorum, consequenter prouo-
Act. 1. care potuerit ad Leonem. Ideo & Chalcedonensis Synodus cùm hæc legerentur, exclamauit illico, *Leoni multos annos, Patriarchæ multos annos.* Et restituti Flauiani post mortem suam, Iustinianus Imperator in edicto fidei, primariam laudem Leōni tribuit: *Et in Flauiano Episcopo Constantinopolitanæ Ciuitatis, iniustè quidem in vita damnato, iustè autem post mortem reuocato, tam à sanctæ memoriæ Papa Leone, quàm à sanctâ Chalcedonensi Synodo.*

XII. Eadem esse Concilij & Pontificis authoritas ex Macedonio Episc. CP. rursum probatur.

Eadem Pontificis Romani & œcumenici Concilij authoritatis communio, & indiuidua societas liquebit rursus ex Theodori Lectoris synopsi lib. 2. *Cùm hæc gererentur, Imperator Anastasius Macedonium Episcopum CP. vehementer vrsit, vt Chalcedonensem Synodum anathemate damnaret. Ille verò sine vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præsideret, nihil se facturum dixit.* Vides non aliter ad Synodum œcumenicam, quàm vt præside suo infestam prouocari. Et huius porrò potestatis esse, non tantùm præsidere Synodo, sed & in totum abstinere à congregandâ œcumenicâ Synodo: manifestum ex eo est, quod cui potestas adnata est congregandæ, & regendæ Synodi, insit eidem prouidentia, quando eâ vtendum sit, vel temperandum. Cùm vel maximè generales Synodos conuocari toties, in Ecclesiarum dispendium vergat. Denique id nos luculento & causæ Flauiani accommodatissimo docebit exemplo Theodorus Studita lib. 2. epist. 129. ad Leonem Sacellarium, vbi agit de restituendo Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano. *Fieri nullâ ratione potest, vt sæculari iudicio diuinum iudicium comparetur, aut vt coalescat hæc Ecclesia, non consentientibus quinquè Patriarchis. Quòd si roget quispiam quo pacto id fieri possit; Si excedant, inquam, Ecclesiis Dei heterodoxi, & propriam sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conuentu, cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, vt ab aliis Patriarchis adsint vicarij: (quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas summa defertur Synodi œcumenicæ)*

œcumenica) attamen pacem conficit & coniunctionem, ſynodicas ſuas ad primæ Sedis Præſulem mittendo. Quòd ſi hoc minimè probet Imperator, deflexitque, vt ipſe ait, à veritate Nicephorus Antiſtes: mittenda eſt ad Romanum ex vtrâque parte legatio, & inde fidei accipienda certitudo. Etenim ſic res ſe habet, vt ſi aberret vnus ex Patriarchis, à cæteris eiuſdem ordinis, quemadmodum diuinus Dionyſius tradit, correctionem admittat, non ab Imperatoribus iudicetur, licèt omnes quotquot vnquam fuerunt Imperatores orthodoxi. Cauſam Epiſcopi Conſtantinopolitani & omnium adeò Patriarcharum agitandam eſſe docet in Synodo œcumenicâ, *cuius ſumma poteſtas* defertur Romano Præſuli. Si non poſſit conuocari Synodus œcumenica, eius vices implebit *prima Sedes*, fidei certitudinem mittet, Patriarcharum correptionem faciet.

XIII. Theodoretus quoque ad Leonem appellauit.

Venio nunc ad Theodoreti quoque Cyrenſis Epiſcopi appellationem. Reſtitutam illi ſedem propriam à Leone Papâ in Chalcedonenſi Synodo probatum eſt. Vnum addo ex Liberati breuiario teſtimonium, vt colligendæ Synodi authoritatem, quæ ſauciatis mederetur Eccleſiis, penes Leonem vnum fuiſſe clareat, etſi tunc niſi conſenſio accederet Imperatoris, irriti vaneſcerent conatus. Sic ergo ille cap. 12. narratâ prolixiùs ſtrage Epheſinâ: *Quos ſequutus Theodoritus Epiſcopus Papæ ſuggeſſit, quanta mala pertulerit ex inſidiis Dioſcori: rogans vt celeriùs tali cauſæ ſubueniretur per alium conuentum Epiſcoporum, ne hæretica Eutychetis dogmata permanerent, à Dioſcoro confirmata.* Vtrumque Eccleſiæ exitiale fuit, quod extundi omnino à Theodoſio Imp. precibus Leonis non potuerit, vt ne conuocaretur Epheſina Synodus; & ſemel congregata, immaniterque graſſata, per aliam Synodum emendaretur. Saluberrimum Eccleſiæ vtrumque fuit Leonis conſilium, vt priùs ſuperſederetur, vt poſtea inſtaretur Synodo cogendæ.

XIV. Idem ex Facundo Herm.

Summam autem rei circa Theodoretum, narrat Facundus Hermian. lib. 5. cap. 3. vbi acerbè inuehitur in eos,

Digitized by Google

qui nonnisi act. 8. Concilij Chalcedon. eum admissum cauillabantur. *Quid ergo non sedit cum sanctâ Synodo Theodoretus Episcopus, nisi in actione 8. postquam factum est de Eutyche & Dioscoro iudicium, & disposita sunt à sanctâ Synodo recta Patrum constituta? Et quomodo refertur in eiusdem Synodi gestis, quod in ipsâ primâ actione Theodoretus inter alios Episcopos sedit, consulatu Marciani Augusti, 8. Idus Octobris? Nonne ibi continentur hæc verba: Glorioſissimi Iudices & amplissimus Senatus dixerunt: Ingrediatur reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi: quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo: & sacratissimus ac piissimus Imperator sanxit, eum adesse sanctæ Synodo. Theodoretus reu. Episcopus transiens in medium, dixit: Preces obtuli sacratissimis & Christianissimis Orbis dominis, & narraui quæ in me acta sunt vulnera, & precor has perlegi. Et post hanc eiusdem reuerendissimi Theodoreti prosecutionem, interloquentibus iterum glorioſissimis iudicibus & senatu, quod & à sanctissimo Episcopo inclytæ vrbis Romæ proprium locum recepisset idem Theodoretus, & testimonium haberet Maximi Antiocheni Episcopi, quòd Catholicæ fidei esset, sicut ibi scriptum est: sedit in medio, ipsoque præsente, & inter alios Episcopos considente, recitata sunt, quæ sub Dioscoro Ephesi fuerant gesta.* Itaque & Imperatoris, & iudicum, & Synodi, si paucos demas, assensu Theodoretus Synodo interesse iussus est, quod illum sedi suæ Leo restituisset: quanquam *pleniore iudicio* vt sæpe aliàs, actione 8. idem admissus absolutissimè sit.

XV. Refellitur Nouatorum exceptio, non iudicialiter, sed solo dissensu hæc à Leone gesta.

Quod autem non synodicè restitutum à Leone Theodoretum garriunt, sed sola communionis non interruptæ consociatione, & irritatis solo dissensu actis Ephesinis, hæreticæ vertiginis & imperitiæ id quidem argumentum est. Synodicè enim, & iudicialiter proinde Leo rescinderat acta Ephesini latrocinij, vt alibi ostendimus, & vt liquet ex sæpius allegatis Valentiniani Augusti & Augustarum epistolis ad Theodosium. Accurrisse enim sibi Leonem sacerdotum agmine, pro loci sui dignitate, cinctum

Digitized by Google

testantur. Synodicè ergo adeoque ex authoritate cassatis Ephesinis decretis, irritabatur & Theodoreti depositio. Sed esto, solo dissensu Sedis Romanæ soluta sint acta illa, ac præ cæteris exauthoratio Theodoreti; idipsum est, quo principatus illius Sedis illustratur. Hoc ipsum est enim quod Gelasius Papa contendit, à primâ Sede in irritum missas Pseudosynodorum complurium sententias, quia *non consensit*. Eòdem redit quod de communione iactatur. Nam & Cæcilianum, & Athanasium, & Chrysostomum, & Flauianum, adde & Theodoretum, & complures alios nefariis machinationibus damnatos, prima Sedes ideo restituit, quia communionis suæ sinu continuit: Synodos illis aduersatas cassauit, quia *non consensit*. Gelasius epist. 13. ad Ephes. Dardan. *Apostolica Sedes frequenter more maiorum etiam sine vllâ Synodo præcedente, & absoluendi quos Synodus iniquè damnauerat: & damnandi nullâ existente Synodo quos oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen excepium Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam catholicorum Præsulum cerrè damnarat: quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque sanctæ memoriæ Flauianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit: potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem sua authoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo, submouit.* Ergo summum est authoritatis ecclesiasticæ pondus in primæ Sedis consensu vel dissensu, quo synodica gesta omnia vel irritantur, vel confirmantur. Et quis non videat, vel tantisper in annalibus Ecclesiæ exercitatus, inde suspensam à Deo omnibus sæculis fuisse & religatam fidei Ecclesiæque incolumitatem? Liquet exemplis à Gelasio congestis, & sexcentis aliis Episcoporum & Synodorum, quibus authoritatem, quia prima Sedes vel ademit, vel restituit, ita labefactatæ reipublicæ Christianæ consultum

fuit. Et omnium quidem Episcoporum erat non consentire scelestis molitionibus, sed suo dissensu eas irritare, & omnibus sæculis irritasse, & solam irritasse plerumque sine œcumenica Synodo, & in omnibus Ecclesiarum monumentis hanc vni sibi laudem vendicasse, id proprium & singulare decus est primæ Sedis.

DISSERTATIO XII.

IN CONCILIVM CHALCEDONENSE SIVE OECVMENICVM IV.

Anno Christi 451.

SYNOPSIS.

Ante œcumenicas Synodos fidem prædefiniit Sedes maximè Romana, & quasi Synodis præiuit, dictauitque, quod sequerentur. Ex Synodorum generalium enumeratione id perficitur vsque ad num. XI.

Nec Synodorum œcumenicarum authoritas hinc extenuatur, nec vlla Pontificis & Synodi conflictatio olim vel in suspicionem venit: quin alteri ex altero lucis & maiestatis fiebat accessio, sine decreta Pontificia rursus in Synodo examinarentur, sine citra nouum examen subscriberentur: quod in Pontificis erat potestate, priori examini acquiesceret, an plenius ipsemet in Synodo, & cum Synodo rem examinaret. Vsque ad num. XXV.

Pontifici aliquando supplicatum, nunquam ab ipso ad Synodum prouocatum: vt cuius cum Synodo vna & indiscreta potestas sit, itemque cum Ecclesiâ vniuersâ per Orbem effusâ, cuius

Digitized by Google

ipſe Caput, Cor, Os vnus eſt. Id antiquiſſimis, id nouiſſimis Pontificibus exploratiſſimum fuit; ita denique nuperæ hæreſes à Pontifice ſimul, ſimul ab vniuersâ Eccleſiâ protritæ ſunt, etiam ſine Synodis, vel ante Synodos. Vſque ad num. XXXIV.

De Dieſcori in Leonem Papam auſu nefario. De Theodoreto per Leonem reſtituto. De eodem & aliis quibuſdam fidei aſſentientibus, in facto & perſona nutabundis, pleniſſimè Synodo aſſentiri compulſis. Vſque ad num. XXXIX.

Imperator idem Sacerdos dicitur: quo ſenſu? Synodis adeſt, dum de fide quæritur, non vt fidei Dictator, ſed vt Auditor & Cuſtos. Vſque ad num. XLV.

Iudiciis canonicis abſtinuere Imperatores, multò magis à ferendis legibus eccleſiaſticis. Quin leges Canonibus inimicæ, & irritæ, & irritatæ ſunt, tum à Principe, tum ab Eccleſiâ. Vſque ad n. LI.

In cauſis canonicis ſæpe iudices eccleſiaſtici ab Imperatore petebantur, dabantur, eorum ab illo poteſtas ſæpe extra territorium prorogabatur: non ſemel Princeps ipſe de iis cognoſcebat. Hæc omnia non iuris, ſed diſpenſationis fuiſſe oſtenduntur: vt inde eluceſcat, longè conſultius, & iuri, libertatique eccleſiaſticæ accommodatius fuiſſe, vt hæc omnis eccleſiaſticorum iudicium poteſtas ad legitimum iudicem ad Epiſcopum Epiſcoporum reuocaretur. Vſque ad n. LXII.

EPISTOLÆ Leonis ad Flauianum, Catholicæ fidei ſummam quoad duas Chriſti naturas complectenti, iam epiſcopale collegium, iam Chriſtianus orbis conſenſerat, cùm ad idem Catholicum dogma corroborandum coacta eſt Synodus Chalcedonenſis. Itaque duo hîc illuſtris controuerſiæ capita elucidare aggredimur, fidei decretum præiſſe, ac dictaſſe quodammodo Synodis etiam generalibus Romanam Sedem: & illibato tamen illo primatus prærogatiuæ iure, cogi vniuerſalem Synodum: & in ea, excitam controuerſiam ſplendidè & pompaticè definiri potuiſſe.

I. Ante œcumenicas Synodos, fidem prædefinit Sedes Romana, & quaſi Synodis præiuit, & dictauit, quod ſequerentur.

Atque vt ex ipſis generalibus Synodis initium faciam, II. Probatur id

Digitized by Google

ex Ephesina I. Synodo.

ita perspicuè Ephesinæ primæ Synodi Patres act. 1. testificantur se damnare, & exauthorare Nestorium, *coactas per sacros Canones, & epistolam sanctissimi Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi.* Et ibidem in relat. ad Imp. *Nestorium à sacerdotio, peruersâque doctrinâ cessare fecimus, Cælestinum magnæ Romæ Episcopum collaudantes, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorij dogmata condemnarat, nosque in ferendâ contra ipsum sententiâ anteuerterat, prospiciens securitati Ecclesiarum.* Et act. 2. legitur epistola Cælestini, quâ non velut rem controuersam, paribus hinc & inde momentis in Synodo trutinandam, sed vt indubiam & constantem de vnâ in Christo personâ doctrinam præscribit, & legatos à se missos ait, *qui iis quæ aguntur, interfint: & ea quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur: quibus præstandum à sanctitate vestrâ non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur pro vniuersalis Ecclesiæ securitate decretum.* Et mox Proiectus legatus ait, per literas suas Cælestinus *sanctitatem vestram hortatus est, non quasi ignaram docens, sed velut ignaram commonefaciens, vt ea quæ dudum antè definiit, & nunc in memoriam reuocare dignatus est, ad finem plenissimum iubeatis perduci, iuxta Canonem communis fidei, & Catholicæ Ecclesiæ vtilitatem.* Philippus item legatus paulò pòst, gratias agit Synodo, quòd epistolis Cælestini succinuerit: *non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse B. Apostolum Petrum.* Et act. 3. in relat. ad Imp. testantur Ephesini Patres Occidentalem Ecclesiam Romæ confluxisse in Synodum, *sententiam de fide prædicasse, eos qui diuersa sentiunt, ab omni prorsus sacerdotij sorte graduque deiectisse. Et hæc quidem etiam antequam sanctissima hæc Synodus conueniret, Cælestinus per literas indicauerat, Cyrilloque suas vices commiserat, &c. Quia ergo viri isti qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, &c.* Itaque vt alibi aiunt, nisi vellent ab Occidentalium communione sese dissociare, necessum erat, vt in Cælestini prælucentem sententiam Ephesini Episcopi conuenirent. Audi & Cyrillum

Digitized by Google

in epiſt. ad Ioan. Antioch. *Miſit Neſtorius quoſdam ſuarum Exegeſeon quaterniones Romam: quos cùm piiſſimi Epiſcopi, qui in magna Romanorum vrbe inuenti ſunt, legiſſent, multiſque conſeſſibus & conſultationibus habitis examinaſſent, illorum authorem non abſque indignatione exibilarunt: palàm aſſerentes nouam illum, eamque perniciоſiſſimam, & à nullo veterum hæreticorum antea vnquam excogitatam hæreſin moliri.* Addit à ſe quoque Romam miſſos alios Neſtorij commentarios, cum eius ſubſcriptione: *Tunc ſancta Romana Synodus diſertam ſtatim in illum ſententiam tulit: quâ de re & ad tuam quoque pietatem perſcripſit. Quibus parere neceſſitas, ἀναγκὴ, illis incumbit, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint.* Et idem Cyrillus, Synoduſque Alexand. in epiſtolâ ad Neſtorium de excommunicatione: *Niſi iuxta tempus in literis Cæleſtini Romani Epiſcopi expreſſum à ſtolidis dogmatibus deſiſtas; certò ſcias nullam tibi cum Epiſcopo & ſacerdotibus Dei ſortem, nullum ſermonem, nullum denique locum futurum.* Itaque Sixtus Cæleſtini ſucceſſor ad Ioannem Antiochenum eccleſiaſticæ paci redditum, ita ſcribit: *Expertus es negotij præſentis euentu, quid ſit ſentire nobiſcum. Beatus Petrus Apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis quod accepit, hoc tradit. Quis ab eius ſe velit ſeparare doctrina, quem ipſe inter Apoſtolos primum Magiſter edocuit.* Denique audiendus Capreolus Carthagin. Epiſc. in epiſt. ad Synodum Epheſinam: *Tantâ conſtantiâ & virtute, quibuſcumque nouis erroribus reſiſtatis, ne hos quos pridem impugnauit Eccleſia, hiſque temporibus repullulantes, Apoſtolicæ Sedis authoritas ſacerdotumque in vnum conſonans ſententia oppreſſit, ſecundæ diſputationis prætexta vox iam dudum ablata renouare videatur, &c. Si quis ea, quæ iam olim diiudicata ſunt, denuo in diſputationem vocari ſinat, is ſane nihil aliud facere cenſebitur, quàm de fide, quæ hactenus valuit, ipſemet dubitare.* Quæ ille, vel de Pelagianis, vel de Neſtorianis delitiis antè profligatis intelligere potuit. Nam & Pelagiani ſpe œcumenicæ Synodi criſtas erigebant, quaſi diſputationem reſtauraturi: & Neſtoriani olim in Paulo Samoſateno præfocati fue-

rant, & in Photino, Ebione, aliisque istiusmodi portentis pridem iugulatis. Quoquo modo Capreolum interpretemur, perinde est: nam nullâ adhuc cognati hi errores œcumenicâ Synodo damnati fuerant: sed cum particularibus Synodis, vel Apostolicæ Sedis maximè authoritate elisi fuissent, negat Capreolus in œcumenica Synodo locum illis instaurandæ disputationis concedi debere. Cuius rei ineluctabilem suggerit illico rationem. Nam vetustus error veterum Patrum authoritate etiam in Synodo œcumenica damnandus est. Quorum autem nisi eorum qui olim superstites illum ebullientem compresserunt? *Deinde ad posteritatis exemplum, vt ea quæ nunc pro catholicâ fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaque conseruare, quæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quæ de catholicæ fidei ratione statuerit; is non propriâ authoritate, sed antiquorum Patrum iudicio sententiam suam corroborare debet: ita vt eâ ratione, partim veterum, partim recentiorum decretis & sententiis placita sua comprobans, vnicam Ecclesiæ veritatem iam inde ab initio ad præsens vsque tempus simplici puritate, inuictâque constantiâ, & authoritate decurrentem se asserere, docere, & tenere ostendat.* Hæc ille. Et quia dominari videtur quibusdam in damnatione Nestorij authoritas & doctrina Cyrilli: vnde huic pondus accederet, docebit nos Rusticus Ecclesiæ Romanæ Diaconus in disp. contra Aceph. *Epistolæ Cyrilli ad Nestorium, quas & sanctissimus Cælestinus Papa magnæ Romæ vt proprias suscepit.* Et infrà: *Istas epistolas, id est, suas & Orientalium de pace, transmittens Cyrillus Romanæ Ecclesiæ sedi, à Sanctissimo Xisto confirmari sategit.* Et infrà: *Cyrillus in epistolâ, quam & Sedes Apostolica, & sancta Ephesina Synodus confirmauit.*

III. Summa capita doctrinæ huius de Pontifice, & Concilio: eiusque confirmatio ex Nilo Archiep. Thessal.

Ergo id Capreolus, id Cælestinus, id Cælestini ad Synodum legati profitentur, integrum iam non esse rem veluti dubiam hinc & hinc versare, aut recidiuæ disputationis campum aperire fidei aduersariis, cùm eorum deliramenta

Digitized by Google

deliramenta iam protriuerit *Apoſtolica Sedis authoritas, ſacerdotumque in vnum conſonans ſententia*. Vnde ſententiæ à Cæleſtino latæ *executionem* Synodo iam incumbere promouendam, Cæleſtini ipſius & literæ & legati inculcant. 2. Synodus ipſa œcumenicâ confitetur ſe ad damnationem Neſtorij *cogi* literis Cæleſtini, & præiudicio Romanæ ſub Cæleſtino Synodi ſe coartari; nec ab Occidentalium ſententiâ & communione poſſe Orientalem Eccleſiam citra ſui excidium diſſilire. 3. Ideo & prima ſtatim actione Epheſinæ Synodi Neſtorius cum ſuo errore percelhitur. Damnatur & in hac Synodo Cæleſtianus ſeu Pelagianus error citra nouam eius ventilationem, ex ſolo Apoſtolicæ Sedis, ſententiæque indè vibratæ præiudicio. 4. Vnitas ipſa Eccleſiæ, fideique indiſſociabile vinculum ita iubet. Nam cùm Cæleſtinus Occidentalis Eccleſiæ ſuffragatione ſuccinctus Neſtorianam, Pelagianamque inſaniam proſcripſiſſet, iam Orientalibus & exitiale & ſceleſtum fuiſſet ab illorum fide & communione diuelli. Cùm item dudum in Occidente Apoſtolica maximè Sedes Pelagianos & errores & authores oppreſſiſſet, fas non erat poſtea Orientali etiam œcumenicæ Synodo, rem illam velut ancipitem iterato examine librare, niſi corpus Eccleſiæ catholicæ diſcerpere auderet. 5. Denique cum nec in Synodis œcumenicis fides aſtruatur, niſi ex authoritate & conſenſione, tum eorum qui ſuperiores ætates illuſtrauere, tum eorum etiam Patrum & Paſtorum, qui diffuſæ toto orbe Eccleſiæ tractus diuerſos regunt: hinc patet vbi præfinitum quid eſt in Apoſtolicâ Sede, & Romanâ atque Occidentali Synodo, iam non vllum ambigendi locum aut diſputandi ſupereſſe, niſi fortè ex redundantia iuris. 6. Et poſtremò, etſi œcumenicæ Synodi olim omnes in Oriente congregatæ ſint, pondus tamen & momentum rebus addebat Romana Eccleſia, & præluceus Occidentalium Synodus. Cui dogmati illuſtrando accommodatiſſima ſunt, quæ diſputat Nilus de primatu Papæ lib. 1. Cauſam enim Græcos in-

ter & Romanos exciti diſſidij, hanc vnam eſſe ait: *quod quæſtio controuerſa communi œcumenicæ Synodi decreto non ſit confirmata: quòd eius ſolutio, explicatioque non fiat ex veteri Patrum in eiuſcemodi negotiis conſuetudine. Sed quòd Romani quidem magiſtrorum in hac quæſtione partes ſibi ſumunt; alios verò inſtar diſcipulorum dicto audientes habere velint.* Mox declarat, quo ſe ſcuto tueantur Latini: *At Papa, inquiunt, ſummus eſt ſacerdotum Princeps, & Paſtor, ac Pater, cui & vniuerſalem Synodum conuocare: & priuatim abſque aliis de eccleſiaſticis negotiis ſtatuere licet.* Contrà ipſe excipit: *Cæterùm & Iulius Papa erat, & Damaſus, & Cæleſtinus, & Leo, & Agathon, neque tamen vnquam hæc dixerunt: ſed vnà cum aliis fratribus conuenientes, & dogmata ſtabiliebant, & pacem Eccleſiis conciliabant, &c. Et Agathonem, & Cæleſtinum, & Leonem priuatim quidem de rebus controuerſis Synodum conuocaſſe videmus: ita tamen, vt quæ illic particulariter diſceptata fuiſſent, ad vniuerſalem Synodum referrentur, & communi ſententiâ veritatem ſtabiliri poſtularent. Alioquin ſi Papâ priuatim Synodum cogente, reliquos eius decretis aſſentiri neceſſe eſſet, nemine contradicente, ſupernacaneum planè foret œcumenicum tribunal. Si verò multi, imò verò innumeri ſunt, qui contradicant: quo pacto æquum fuerit medicinam, quâ ſolâ ſalus obtineri poteſt, repudiare? Ad hæc ſi è vulgo tantum hominum aliqui diſſiderent: prætextum aliquem haberet eorum oratio, atque adeò iniquum cenſeri poſſet, tanti quoſdam facere, vt ipſorum causâ totum orbem concutere velimus. Nunc verò cum capita orbis terrarum propemodum inter ſe diſſentiant; annon valde abſurdum fuerit, de vniuerſali fide aliter, quàm cum vniuerſo orbe ſimul ſtatuere atque decernere.* Et infrà rurſus exceptionem Latinorum conſtantiſſimam iterum inculcat, & diluere conatur: *At, inquiunt, vniuerſalibus Conciliis nequaquam propoſita fuit inquiſitio veritatis: ſed conuenerunt, vt eam confirmarent: ideoque etiamnunc non in dubium vocari hoc dogma iuſtum eſſe, ſed ſtabiliri. Quo verò pacto hoc ais? Siquidem nulla vniuerſalium Eccleſiarum contradicat, aut alioqui vna ſola, aut pauci aliquot, aſſentior & ego. Si verò cum quin-*

Digitized by Google

que ſint Eccleſiæ vniuerſales, vna reliquis contradicit: annon iuſtum ſit omnes conuenire, & infinitis votis, ſummaque diſquiſitione habitâ, dogma ſtabiliri. Vbi aduerte 1. quid Græculi alendo ſchiſmati, quid Latini opprimendo contendant: & quàm diſertè iſti noſtram hanc ſententiam profiteantur, ad Concilia œcumenica conuolare Patres, non quaſi ad veritatem quæ latuerat, venandam: ſed ad eandem Romanâ ex arce ſplendidiùs radiantem, maiore pompa ornandam. 2. Nilum ipſum plura ferè largiri, quàm è noſtratibus aliquos, quorum adeò error perſpicuus eſt. Nam ſi modò nulla patriarchalium Eccleſiarum contradicat, aut vna tantùm, vel pauci aliquot: annuit & ipſe, ſtandum definitione Cathedræ Petri: nec œcumenicâ Synodo opus eſſe. 3. Qui contrà nobis hac in parte dicent, non aliis poterunt nos, quàm à Nilo, ſeu à ſchiſmatis officinâ depromptis laceſſere telis: non poterunt non totam Latinæ Eccleſiæ cauſam aduersùs Græcos in dogmate de proceſſione Spiritûs ſancti labefactare. Ibi enim Latini decretis Apoſtolicæ Sedis ita inhæſere, vt ea veluti dubia deinceps in controuerſiam vocari ne in œcumenicis quidem Conciliis paſſi ſint. 4. Paſſim autem cœſpitat Nilus in veteri Pontificum & Synodorum hiſtoria: nam vt Iulius, Cæleſtinus, Leo, Agatho, à Synodis œcumenicis haudquaquam abhorruere: ſed quæ ipſi iam præfinierant, ea velut nutantia in diſceptationem trahi, omnino vetuere: vt hîc propalabitur: ita & poſteriores Romani Pontifices ad Synodos œcumenicas etiam prouocauere Græcos: auitum de proceſſione Spiritûs ſancti decretum velut anceps & dubium vexari interceſſere.

Ad Epheſinam nunc venio ſecundam Synodum, cui œcumenicum quoque nomen & pondus acceſſiſſet, niſi conſilia Eccleſiæ Dioſcorus ſæculari auſu interuertiſſet. Aſſirmat ergo Leo Papa epiſt. 12. ad Theod. Eutychetem quidem *imperitè & imprudenter errare detectum, debuiſſe à ſuâ meritò reprobabili perſuaſione diſcedere:* ſed quoniam

IV. Idem euincitur, ex Epheſina ſecunda Synodo.

Digitized by Google

Imperator Synodum Epheſi indixiſſet, legatos eò à ſe mitti, *vt quia dubitari non poteſt, quæ ſit Chriſtianæ confeſſionis integritas, & totius erroris prauitas damnaretur, & reſipiſcens qui deuiauerat, ſi pro veniâ ſupplicaret, ſacerdotalis ei beneuolentiâ ſubueniret, cum in libello ſuo, quem ad nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam veniam reſeruauerit, vt correcturum ſe eſſe promitteret, quidquid noſtra ſententia de his quæ malè ſenſerat, improbaſſet. Quid autem catholica Eccleſia vniuerſaliter de ſacramento dominicæ incarnationis credat & doceat, ad fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Flauianum pleniùs continent ſcripta, quæ miſi.* Præcipit ergo Pontifex definire, & de dogmate, & de perſona Eutychetis, nec rem veluti dubiam ad Synodum tranſmittit. Eiuſdem tenoris eſt epiſt. 13. ad Pulcheriam: at epiſt. 15. ad ipſam Epheſinam Synodum, peræquè rem extra dubium collocat, legatoſque à ſe mitti ait, *Qui communi vobiſcum ſententiâ, quæ Domino ſint placitura, conſtituant: hoc eſt vt primitùs peſtifero errore damnato, etiam de ipſius qui imprudenter erranit, reſtitutione tractetur, ſi tamen veritatis doctrinam complectens, ſenſus hæreticos quibus imperitia eius fuerat irretita, damnauerit.* Et epiſt. 16. ad Flauianum, ait Imperatoris prolixiori ſollicitudine congregari iuſſam Synodum, *quamuis euidenter appareat, rem de quâ agitur, nequaquam ſynodali indigere tractatu:* miſſos tamen à ſe legatos cum ſcriptis, quibus de his quæ cauſæ conueniunt, *pleniùs inſtruatur.* Et epiſt. 17. ad Theodoſium Imp. *Cùm tam euidens fidei cauſa ſit, vt rationabilibus cauſis ab indicendâ Synodo fuiſſet abſtinendum, &c. quia non talis quæſtio orta eſt, vnde aut poſſit, aut debeat dubitari.* Vides quàm non ancipitem patiatur haberi quæſtionem, nec vllum ambigendi vel diſputandi locum permittat Synodo, quin antè ipſemet omnia definita & inconuulſa fidei dogmata oſtendat, & epiſtolæ ſuæ commendata oſtentet. Denique quod à priori definitione Leonis diſſenſiſſet Epheſina pſeudoſynodus, à Leone ipſo, & Romana Synodo protinus reſciſſa eſt ante aliam œcumenicam Synodum. Idem Leo

Digitized by Google

epist. ad Theodosium de Anatolio scribens, non antè assensurum se ait eius Episcopatui, quàm consentanea scripserit suæ epistolæ. At Pulcheria Augusta ad Leonem de Anatolio scribit: *Anatolius in eâdem fide permansit atque religione: & tuarum literarum Apostolicarum confessionem complectitur, &c. epistola similiter catholicæ fidei, quam ad sanctæ memoriæ Flavianum Episcopum tua beatitudo direxit, sine aliquâ dilatione subscripsit.*

Iam verò ad Chalcedonensem Synodum hæc scribit Leo, legatos à se mitti: vnde *Nunc in vicariis meis adsum, qui dudum in fidei Catholicæ prædicatione non defui; vt qui non potestis ignorare, quid ex antiquâ traditione credamus, non positis dubitare quid cupiamus. Vnde fratres charissimi, rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem diuinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi, quod non licet credi. Cùm secundùm euangelicas authoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissimè & lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia & sincera confessio.* En quàm expressè declaratâ per suam ad Flavianum epistolam fide, vetet deinceps etiam in Synodo œcumenicâ dubitari, aut disputari quidquam vel defendi. Et quidem in ipsâ statim act. 1. Concilij Chalcedon. erumpunt apertissima Episcoporum studia in Flavianum, odia in Eutychetem & Dioscorum. Act. 2. statim Cecropius Episcopus ait: *Emersérunt quæ ad Eutychetem pertinebant, & super iis forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romanæ vrbis, & sequimur eum, & epistolæ omnes subscripsimus.* Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, *Ista omnes dicimus.* Et statim recitato Nicæno Symbolo inter alia quæpiam exclamant Episcopi omnes, *Omnes ita credimus, Papa Leo sic credit, Cyrillus ita credidit, Papa Leo ita interpretatus est.* Perlectâ deinde Leonis bracteatâ illâ ad Flavianum epistolâ, *Episcopi clamauerunt, Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Petrus per Leonem ita lo-*

V Idem luculentissimè ex Chalcedonensi.

Digitized by Google

cutus est. Apostoli ita docuerunt, &c. Catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occultauit. Et hæc quidem ante vllam disputationem, ante nouum Eutychianæ insaniæ examen, ante accumulatas antiquorum Patrum pro catholico dogmate sententias. Denique latrocinij Ephesini labes inde indicatur profecta, quod artibus Dioscori euictum sit, ne Leonis epistola legeretur. Sed nihil in hanc rem vehementius epistolâ Synodi ipsius Chalced. ad Marcianum Imp. sub calcem act. 3. *Nos igitur considerantes, & vniuerso orbi factæ tempestatis causam inquirentes, huius rei authorem comperimus Dioscorum quondam Alexandr. Episcopum. Primùm quidem quia epistolam à sanctissimo Archiepiscopo senioris Romæ Leone directam ad Flavianum, recitari prohibuit reverendissimis Episcopis Ephesi congregatis, & hoc post promissiones suas, & iuramenta plurima, &c. Secundò quia Eutychi ægrotanti impietate Manichæi & legitimè abdicato, tam sacerdotium, quàm monachorum principatum ante decretum synodale irregulariter reddidit: & hæc cùm sanctissimus & beatissimus magnæ Romæ Archiepiscopus Leo per easdem literas connenientia decreuisset, & sceleratam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam.* Et mox rursus in epist. ad Pulcheriam August. *Qui dispergebat, extinctus est. Sopitus est persecutor. Princeps tempestatis Dioscorus explosus est. Ipsique naues suas in cursu repetiere rectores, Christo ad intelligentiam prosperè dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia sicut sapiente Petro, ita & isto vitium assertore, &c. Dioscorum sacerdotij dignitate desiniuimus alienum. Fratribus enim scandala ponebat vt nequam, & in ore suo abundauit nequitia, fallaciâ suâ literarum Romani Pontificis abnuens lectionem.* Act. autem 4. è vestigio Legati Leonis pronunciant, amplectendam omnibus fidem esse Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ Synodorum, & epistolæ Leonis aduersùs Nestorium & Eutychetem. Tum illicò exclamant Episcopi, *Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus.* Tum sigillatim omnes huic Leonis epistolæ subscribunt, vt consentaneæ anteriori-

Digitized by Google

bus Synodis œcumenicis. Tum excandeſcit Synodus aduersùs Ægyptios, contantes & comperendinantes, etſi non reſpuentes omnino ſubſcribere epiſtolæ Leonis: paſſimque inclamatur: *Qui non ſubſcribit epiſtolæ, cui omnis ſancta Synodus conſenſit, hæreticus eſt.* Actione 5. *Iudices dixerunt: Dioſcorus dicebat, Ex duabus naturis ſuſcipio: duas non ſuſcipio. Sanctiſſimus autem Archiepiſcopus Leo duas naturas eſſe dicit in Chriſto, &c. Quem igitur ſequimini, ſanctiſſimum Leonem, an Dioſcorum? Reuerendiſſimi clamauerunt, Vt Leo, ſic & credimus. Qui contradicunt, Eutychianiſtæ ſunt, Leo rectè expoſuit.* Denique eadem ſacra Synodus in proſphonetico ad Marcianum ita de Leonis epiſt. *Vnde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & ad victoriam præparauit Romanæ Eccleſiæ Papam, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, vt quemadmodum feruens affectu Petrus, omnem ad Deum ſenſum intelligentiamque perducat.* Tum prolixè tuetur epiſtolam hanc Leonis à circumlatrantibus hæreticis: & in relatione demum ad Leonem Papam, ita habet: *Tu vocis beati Petri omnibus conſtitutus interpres. Vnde & nos tanquam tanti boni duce & authore ad communem vtilitatem vtentes, Eccleſiæ filiis hæreditatem, ſortemque veritatis oſtendimus, &c. Et eramus in communi choreâ gaudij, quaſi in imperialibus cœnis, deliciis ſpiritualibus epulantes, quas per tuas literas Chriſtus præparauerat inuitatis, & ſupercæleſtem ſponſum inter nos conuerſantem cernere putabamus.* Toto denique Synodi huius tractatu exploratiſſimum fit, non veluti lubricâ in quæſtione aliquâ, diſputandi, altercandique licentiam ſe effudiſſe: ſed velut in re præiudicatâ, Leonis epiſtolæ ſubſcribere compulſos omnes, vel diris eccleſiaſticis, ſi qui obluctati ſint, implicatos.

VI. Idem ex Quinta Synodo.

Pergo ad Quintam Synodum, illud vnum proloquutus, cùm antè aliquandiu de trium capitulorum damnatione controuerteretur, in eam conſenſiſſe Menam Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſed ita demum ſi Romanus Antiſtes conſentiret. Facundus lib. 4. cap. 4.

Digitized by Google

Conuentus Menas cur priori ſententiæ ſuæ contrarius, acquieuiſſet his quæ antè culpauerat, & de quibus ſe nihil actarum ſine Apoſtolicâ Sede promiſerat; ſub eâ ſe conditione ceſſiſſe, & iuratum ſibi fuiſſe reſpondit, quod chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret. In veſtibulo autem Synodi ipſo, act. 1. Iuſtinianus in epiſtolâ ad Synodum, exemplum Vigilij Papæ ceu facem ſplendidiſſimam omnibus præfert: *Ipſe Vigilius non ſemel, nec bis, ſed etiam ſæpius in ſcriptis, & ſine ſcriptis, anathematizauit impia tria capitula. Quod verò eiuſdem voluntatis ſemper fuit, de condemnatione trium capitulorum, & per plurima alia demonſtrauit, & per condemnationem Ruſtici, & Sebaſtiani, &c.* Et rurſus Collat. 7. *Sæpius in ſcriptis Vigilius ſuam manifeſtauit voluntatem, condemnans tria capitula, &c. Vt igitur etiam ea, quæ ſæpius ab ipſo facta ſunt ad condemnationem trium capitulorum vos audientes, alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, &c.* Tum epiſtolæ Vigilij variæ ſubnectuntur, quibus tria inurit capitula. Idem inculcatur Collat. 8. & ita demum anathematum iacula in triâ illa capitula euibrantur. Occidentalis ſanè Eccleſia in Synodum ipſam, & damnationem trium capitulorum non conſenſit, vt exploratum eſt, niſi duce, & auſpice Pontifice Romano, ſeu Vigilio, ſeu Pelagio.

VII. Ex ſexta idem exprimitur.

Iam verò in ſextâ Synodo meridianos etiam Solis radios vincit tanta rei euidentia. Actione 4. legitur Agathonis Papæ ad Imperatores epiſtola, *Quæ regulariter à ſanctis, atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate à Patribus traditæ fidei conſeruamus, vnum ac præcipuum bonum habere ſemper erantes, atque ſtudentes, vt nihil de iis quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadem & verbis & ſenſibus illibata cuſtodiantur.* Tum legatos à ſe ad Synodum mitti ait, quibus *Licentiam ſiue authoritatem dedimus apud tranquilliſſimum eius imperium, dum iuſſerit eius clementia, ſimiliter ſatisfaciendi, inquantum duntaxat eis iniunctum eſt, vt nihil profectò præſumant*

Digitized by Google

mant augere, minuere, vel mutare: ſed traditionem huius Apoſtolicæ Sedis, vt à prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſimpliciter enarrare. Et infrà ne inuſitatum quid arrogare ſibi videatur, qui fidem Synodo dicet: *Petrus ſpiritales oues Eccleſiæ ab ipſo redemptore omnium ternâ commendatione paſcendas ſuſcepit. Cuius adnitente præſidio hæc Apoſtolica eius Eccleſia, nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: cuius authoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecuta ſunt.* Vetat ergo rem diſputationum lubrico committi, auitam Apoſtolicæ Sedis traditionem & fidem Synodo indicit, illam Synodos vniuerſales amplexas ſemper eſſe conteſtatur. Singulæ enim Eccleſiæ Catholicæ particulares traditam ab Apoſtolis fidem illibatam per ſæculorum lapſus cuſtodiunt, hanc Eccleſiarum Præſules Synodis inferunt; ſed ante omnes minores Eccleſias & Præſules, Sedes Apoſtolica, vt earum matrix & origo, vt principalitatem nacta & arcem fidei tenens, traditionis Apoſtolicæ facem multo ſplendidiorem, & inextinctam præfert. Eiuſdem ſunt ſaliuæ Agathonis, & Occidentalis Synodi aliæ literæ ad Synodum ſextam. *Lumen Apoſtolicæ fidei ſplendidiſſimum, quod ex veri luminis fonte, tanquam de radio viuifici fulgoris, per miniſtros beatum Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos, & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim vſque ad noſtram paruitatem, Dei opitulatione ſeruatum eſt, nullâ hæretici erroris tetrâ caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum.* Tum negant eloquentiæ & dialecticæ copiam ſibi vllam ſuppetere, *Sola noſtra ſubſtantia fides noſtra: cum quâ nobis viuere, ſumma eſt gloria: pro quâ mori, lucrum æternum eſt. Hæc eſt perfecta noſtra ſcientia, vt terminos Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei, quos vſque adhuc Apoſtolica Sedes nobiſcum & tenet & tradit, totâ mentis cuſtodiâ conſeruemus.* Tum aiunt legatos à ſe ad Synodum miſſos, qui ei offerant Apoſtolicæ fidei ſuæ confeſſionem, *non tamen tanquam de incertis contendere, ſed vt certa atque immutabilia*

Conuentus Menas cur priori ſententiæ ſuæ contrarius, acquieuiſſet his quæ antè culpauerat, & de quibus ſe nihil actorum ſine Apoſtolicâ Sede promiſerat; ſub eâ ſe conditione ceſſiſſe, & iuratum ſibi fuiſſe reſpondit, quod chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret. In veſtibulo autem Synodi ipſo, act. 1. Iuſtinianus in epiſtolâ ad Synodum, exemplum Vigilij Papæ ceu facem ſplendidiſſimam omnibus præfert: *Ipſe Vigilius non ſemel, nec bis, ſed etiam ſæpius in ſcriptis, & ſine ſcriptis, anathematizauit impia tria capitula. Quod verò eiuſdem voluntatis ſemper fuit, de condemnatione trium capitulorum, & per plurima alia demonſtrauit, & per condemnationem Ruſtici, & Sebaſtiani, &c.* Et rurſus Collat. 7. *Sæpius in ſcriptis Vigilius ſuam manifeſtauit voluntatem, condemnans tria capitula, &c. Vt igitur etiam ea, quæ ſæpius ab ipſo facta ſunt ad condemnationem trium capitulorum vos audientes, alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, &c.* Tum epiſtolæ Vigilij variæ ſubnectuntur, quibus tria inurit capitula. Idem inculcatur Collat. 8. & ita demum anathematum iacula in triâ illa capitula euibrantur. Occidentalis ſanè Eccleſia in Synodum ipſam, & damnationem trium capitulorum non conſenſit, vt exploratum eſt, niſi duce, & auſpice Pontifice Romano, ſeu Vigilio, ſeu Pelagio.

VII. Ex ſexta idem exprimitur.

Iam verò in ſextâ Synodo meridianos etiam Solis radios vincit tanta rei euidentia. Actione 4. legitur Agathonis Papæ ad Imperatores epiſtola, *Quæ regulariter à ſanctis, atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambignitate à Patribus tradita fidei conſeruamus, vnum ac præcipuum bonum habere ſemper orantes, atque ſtudentes, vt nihil de iis quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadem & verbis & ſenſibus illibata cuſtodiantur.* Tum legatos à ſe ad Synodum mitti ait, quibus *Licentiam ſiue autheritatem dedimus apud tranquilliſſimum eius imperium, dum iuſſerit eius clementia, ſimiliter ſatisfaciendi, inquantum duntaxat eis iniunctum eſt, vt nihil profectò præſumant*

Digitized by Google

mant augere, minuere, vel mutare: ſed traditionem huius Apoſtolicæ Sedis, vt à prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſimpliciter enarrare. Et infrà ne inuſitatum quid arrogare ſibi videatur, qui fidem Synodo dictet: *Petrus ſpiritales oues Eccleſiæ ab ipſo redemptore omnium ternâ commendatione paſcendas ſuſcepit. Cuius adnitente præſidio hæc Apoſtolica eius Eccleſia, nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: cuius authoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt.* Vetat ergo rem diſputationum lubrico committi, auitam Apoſtolicæ Sedis traditionem & fidem Synodo indicit, illam Synodos vniuerſales amplexas ſemper eſſe conteſtatur. Singulæ enim Eccleſiæ Catholicæ particulares traditam ab Apoſtolis fidem illibatam per ſæculorum lapſus cuſtodiunt, hanc Eccleſiarum Præſules Synodis inferunt; ſed ante omnes minores Eccleſias & Præſules, Sedes Apoſtolica, vt earum matrix & origo, vt principalitatem nacta & arcem fidei tenens, traditionis Apoſtolicæ facem multo ſplendidiorem, & inextinctam præfert. Eiuſdem ſunt ſaliuæ Agathonis, & Occidentalis Synodi aliæ literæ ad Synodum ſextam. *Lumen Apoſtolicæ fidei ſplendidiſſimum, quod ex veri luminis fonte, tanquam de radio viuifici fulgoris, per miniſtros beatum Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos, & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim vſque ad noſtram paruitatem, Dei opitulatione ſeruatum eſt, nullâ hæretici erroris tetrâ caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum.* Tum negant eloquentiæ & dialecticæ copiam ſibi vllam ſuppetere, *Sola noſtra ſubſtantia fides noſtra: cum quâ nobis viuere, ſumma eſt gloria: pro quâ mori, lucrum æternum eſt. Hæc eſt perfecta noſtra ſcientia, vt terminos Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei, quos vſque adhuc Apoſtolica Sedes nobiſcum & tenet & tradit, totâ mentis cuſtodiâ conſeruemus.* Tum aiunt legatos à ſe ad Synodum miſſos, qui ei offerant Apoſtolicæ fidei ſuæ confeſſionem, *non tamen tanquam de incertis contendere, ſed vt certa atque immutabilia*

compendiosâ definitione proferre. Et ad calcem epistolæ abruptè ita edicunt: *Quicumque proinde sacerdotum hæc, quæ in hac nostræ humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter prædicare desiderant, vt nostræ Apostolicæ fidei concordes, vt consacerdotes & comministros eiusdem fidei, vt spiritales fratres & Coëpiscopos nostros suscipimus. Qui verò hæc confiteri noluerint, vt infestos Catholicæ atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus. Nec aliquando tales in nostræ humilitatis collegio, nisi correctos suscipere patimur.* Non incerto disceptationum se, vel Ecclesiam credunt, sed præfinitam fidei formulam Synodo œcumenicæ offerunt indeclinabiliter subscribendam ab omnibus, nisi si qui malint à sacerdotali collegio resecari. Et Synodus ipsa œcumenica in prosphon. ad Imper. act. 18. *Proinde inspiratione sancti Spiritûs conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patriarchæ, & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis consentientes, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est, Synodi centum viginti quinque Patrum concordantes, vnum de sanctâ Trinitate Dominum nostrum Iesum Christum etiam incarnatum prædicamus in duabus perfectis naturis, indiuisè, inconfusè laudandum.*

VIII. Ex quâ idem de primâ, & secundâ, ac de cæteris comprobatur Synodis.

Sed in eodem prosphonetico ad Imperatorem sermone, Synodorum vniuersalium omnium summa authoritas vni ferè Pontifici Romano & Imperatori vendicatur; quod hic velut externus, ille interior: alter executioni, alter definitioni præsit, vniuersalis vterque Episcopus. Itaque *Arius insurgebat, &c. Constantinus, & Syluester in Nicæa congregabant Synodum, per quam, &c. Macedonius Spiritûs denegabat Deitatem, &c. Theodosius & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt, &c. Iterum Nestorius: & iterum Cælestinus & Cyrillus, &c. Deinde Eutychetis insania, &c. Leonis igitur tabula, tanquam Leonis rugitus viriliter vociferans ex Româ, interim Archimandritam bestiam perterruit, & à monachico grege proiecit, eiusque phantasiam reprobauit, & euanescere fecit. Hanc igitur diuinitùs scriptam tabulam Marcianus,*

Digitized by Google

& Anatolius cum omni Chalcedonenſi Synodo amplexi ſunt, atque manu & lingua conſentiebant, & pariter ſubſcribebant, & per eam, conſonam Eutychetis & Dioſcori intelligentiam euacuarunt. Sicut & Vigilius poſt hæc Iuſtiniano piiſſimo conſonuit, & quintum Concilium conſtitutum eſt. His exemplis maiorum, & documentis adprimè obſecuta ſexta hæc Synodus, hæc paulò pòſt de ſeipſa confitetur : *Summus nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps. Illius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem & diuini Sacramenti myſterium illuſtrantem per literas. Confeſſionem tibi à Deo ſcriptam, illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem ex veſpertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Et infrà eadem Synodus ad Agathonem ſcribens, *Literas à veſtra beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſas, vt à ſummo Apoſtolorum vertice diuinè perſcriptas agnoſcimus; per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus.* Et in epiſtolâ ad Leonem Agathonis ſucceſſorem ab Imperatore ſcriptâ: *Velut ipſum Principem Apoſtolici chori, primæque cathedræ Antiſtitem Petrum contuiti ſumus, mentium noſtrarum oculis totius diſpenſationis myſterium diuinitus eloquentem, &c. Nam ipſum totum Chriſtum nobis ſacræ eius literæ diſſerendo exprimebant, quas omnes libentibus animis, ſinceréque accepimus; & velut ipſum Petrum vlnis animi ſuſcepimus.* Subditque mox, *Solus Macarius à ſacerdotali conuentu exiliit, renuit enim omnino ſacratiſſimis Agathonis literis aſſentiri, velut in ipſum coryphæum Petrum inſaniens.*

In ſeptima Synodo nihilo obſcuriora edidit Pontifex Romanus ſui in doctrinâ fidei principatus documenta. Sed prolixiùs id infrà demonſtrabitur diſſertatione 21. Quoniam autem ſemel iterumque iam innuimus, vno Pontificis Romani nutu Occidentales omnes Eccleſias circumagi ſolitas fuiſſe: eóque Orientalibus quantiſcumque Synodis particularem tantùm, non œcumenicam affuiſſe authoritatem, donec iſtam Romana Sedes imparetur aſſenſu ſuo, quò Occidentalium quoque omnium

IX. Idem eluceſcit ex ſeptima Synodo: & quam incurioſi hæreticarum calliditatum Occidentales omnes inhærerent ſimpliciter Sedi Apoſtolicæ.

Digitized by Google

conſenſio inclinabatur. Ne hinc tricandi anſam arripiat quis, quaſi in Occidentalium conſpiratione illa moles authoritatis, non in primæ Sedis principatu fuerit: paucis neceſſum eſt exemplis demonſtrari, quàm ſecuræ & ſalebroſiorum controuerſiarum penè incurioſæ in vnius Petri Sedis authoritate & fide acquieuerint omnes Eccleſiæ Occidentis. Et de Paſchæ die quidem, ac baptiſmo hæreticorum, exploratum eſt, quàm Romanæ conſuetudini incontanter adhæſerint, eique ipſi tandem ceſſerint Afri rebaptizatores, cùm vix ſatis Græcâ vllâ Synodo ad id adductos euinci queat. Nicænæ Synodi acta nunquam per Occidentem vulgata fuiſſe magis coniicitur, quàm periſſe fraude Arianorum, qui hoc in orbis tractu minùs graſſati ſunt. Nicænos Canones nec Auguſtinus, dum Epiſcopus crearetur, nouerat. Conſtantinopolitanæ Synodi Canones repudiabat, teſte Gregorio, Romana Eccleſia: decretum de fide confirmauit Damaſus, vt Græcorum defectioni mederetur, non vt Occiduis conſuleret, à Macedonianâ lue prorſus intactis, illiuſque Synodi promulgatione vel nullâ, vel obſcuriſſimâ perfuſis. Epheſinæ & Chalcedonenſis Synodi quàm tenuis Occidentales aura afflauerit, claret ex Aurel. Concil. 5. an. 549. can. 1. *Eutychetis & Neſtorij ſectas, quas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat, ſimiliter & nos eaſdem cum ſuis autoribus, & ſectatoribus execrantes, &c.* Et ex epiſt. Auiti Vienn. Epiſc. ad Hormiſdam Papam: *Eutychetis igitur, Neſtoriique damnatio, quos iamdudum per beatiſſimos prædeceſſores ſanctæ Sedis veſtræ cataxis authoritas, ad notitiam iam pridem noſtram, Apoſtolicæ ad nos diligentiæ prouiſione perlata eſt.* Liquet & ex epiſtola Leonis 52. ad Epiſcopos Galliæ poſt Concilium Chalcedonenſe: *Optaſſemus fraternitatis veſtræ literas eo tempore, quo promiſeratis accipere: vt profecturis ad Orientem fratribus noſtris, quos ad ſanctam Synodum vice noſtrâ direximus, etiam veſtræ ſententiæ profeſſio iungeretur.* Incumbebant, vt vides, omnino fidei & ſententiæ Romani Præſulis, nec de Orientalibus Synodis, niſi leuiter,

Digitized by Google

& eius magiſterio imbuebantur. De Hiſpanienſibus Eccleſiis compertiſſimum idem eſt ex Idatij Epiſcopi Chronico: vbi ait, *Germani presbyteri Arabicæ regionis ad Galleciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, contracto Epiſcoporum Concilio ſub præſentiâ Theodoſij Auguſti deſtructam Hebionitarum hæreſin, quam Neſtorius reſuſcitabat.* Et infrà: *Vno eodemque tempore Conſtantinopoli Neſtorium Hebionæum, Cyrilli ad eum epiſtola & hæreſin deſtruentis, & regulam fidei exponentis oſtendit. Hæc cum aliis habentur allata.* Et infrà rurſus: *De Gallis epiſtolæ deferuntur Flauiani Epiſcopi ad Leonem Epiſcopum miſſæ, cum ſcriptis Cyrilli Epiſcopi Alexandrini ad Neſtorium C P. de Eutychete Hebionitâ hæretico, & Leonis Epiſcopi ad eundem reſponſa. Quæ cum aliorum Epiſcoporum & geſtis, & ſcriptis, per Eccleſias diriguntur.* Quantam iſta, oro, non Idatij, ſed Hiſpanorum omnium ignorationem confitentur de tertiæ, quartæque Synodi geſtis? De Acaciani ſchiſmatis exitu vide ſuprà laudatam Auiti epiſtolam, & perſpicies, quàm incerti, quàm ſuſpenſi, quàm *ſuper ſtatu fidei omnes* Galliæ Epiſcopi *ſententiam caperent* Pontificis Romani. Quintam Synodum à Chalcedonenſis notitiâ aptam pendulamque, cum Romana Sede Occidentales omnes, repudiaucre primùm, vt *Græcitatis ignari*, pòſt recepere. De ea Regino in chron. nihil aliud, quàm Mariam Deiparam aſſertam ait. Sextam Synodum neſciſſe prorſus Hiſpanos facilè coniicitur ex Leonis ad eos, & eorum ad ipſum viciſſim Synodicis. Galli autem iam Martini Papæ Concilio adhæſerant: nec niſi vt ad rei iam definitæ promulgationem Occidentales omnes paſſi ſunt ſextam Synodum congregari. Monotheleticas autem calliditates quàm feliciter Galli noſtri neſcirent, docet nos S. Audoënus in vita S. Eligij l. 1. c. 33. non aliter eorum dogma deſcribens, quàm quòd aſſerant *Chriſtum minimè habere formam ſerui: & neque eum ex Mariâ veram aſſumpſiſſe carnem.* Septimam Synodum quàm auerſati fuerint diu longè plures Occidentis Epiſcopi, & ſoli ſe Apoſtolicæ Sedi deuouerint, pro-

lixius infrà pandetur. Cùm ergo ſolius Romani Præſulis voto nutuque actos; impulſoſque fuiſſe diximus Occidentis Epiſcopos; cùm horum & illius vnam ſemper indiuiduamque fuiſſe ſententiam, fidem, communionem: cum hoc authoritatis pondere, œcumenicas in Oriente habitas Synodos neceſſariò ad fidem diſciplinamque condendam adductas fuiſſe: amplitudini primæ Sedis nihil detraximus ex Occidentalium conſociatione, ſed addidimus plurimum.

X. Luculentiſſimè idem confirmat Nicolaus Papa I.

Suo hîc quaſi loco & iure collocanda Nicolai I. epiſtola 9. ad Michaëlem Imp. ad hoc ipſum argumentum pene deditâ operâ connitens: *In Synodis priſco tempore collectis, Apoſtolicæ Sedis ſcripta, non ſub occultationis medio tegebantur: ſed vt omnibus qui in domo Dei erant, lucerent, in propatulo ponebantur: & vt ſi qua turpitudo, vel macula in fidei pulcritudine à quolibet tentaretur induci, facilè pateſceret, acſi ſpecula in omnibus habebantur: & quaſi quædam rectitudinis formula, quâ imprimi cæteri poſſent, poſita colebantur, &c. Sancta Synodus apud Epheſum congregata ſanctæ memoriæ Cæleſtini Papæ priùs epiſtolam legit, &c. vt ex eius potiſſimum ſpecialis iudicij tenore ſit perfidus Neſtorius expulſus, dum eadem Synodus in ſententiâ contra eum prolatâ tali modo proſequitur: Neceſſariò coacti tam ex Canonibus, quàm ex epiſtolâ Cæleſtini, &c. Epiſtola quoque ſancti Leonis Papæ adeo apud omnes Orientales Epiſcopos extitit venerabilis, vt hanc columnam orthodoxiæ vocarent, & omnes in eâ Præſule Conſtantinopoleos Anatolio præcedente ſubſcriberent: ita vt Chalcedonenſis magna Synodus nil diffiniſſe, nil reſpuiſſe, nil ſuſcepiſſe, niſi quod illa, vel vices Apoſtolicæ Sedis ibi ſervantes diffinierunt, proiecerunt, vel admiſerunt, agnoſcatur.* Tum ex eiuſdem Synodi actis probat, Dioſcori labem non alio ex capite manaſſe, quam ex contemptu epiſtolæ Leonis, vt & nos ſuprà oſtendimus, inde Pſeudoſynodi Epheſinæ perfidiam effluxiſſe. Et epiſtola 10. rurſus idem: *Hæc ſunt quæ de his Sedes Apoſtolica ſtatuit. Hæc ſunt, quæ ſynodicè regulariterque decreuit. Hæc ſunt, quæ nos tanto ſtudioſiùs oportet amplecti,*

Digitized by Google

tantò sollicitiùs obseruare, quantò certiùs nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc vniuersalem semper Ecclesiam tenuisse. Ita vt contra singulos errores in Ecclesiâ exortos, prior hæc secundùm primatus sui authoritatem sententiæ terminum dederit. Et ita demum vniuersalis Ecclesia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probauit, quandoque probauerit: & quæ illa refutauit, ipsa refutauerit. Quibus nihil verius, nihil sapientius dici potuit. Etenim Nicænæ Synodo in condemnationem Quartadecimanorum centum amplius annis præiuit Ecclesia Romana. Vniuersali quoque illi de qua Augustinus, Synodo quæ iterum baptizari ab hæreticis semel tinctos vetuit, longo temporis interuallo Sedes Apostolica facem prætulit. Reluctati sunt aliquammulti aliquandiu, sed tandem capiti suo vniuersa acquieuit Ecclesia. Apollinarem certè Damasus, Macedonium ante secundam œcumenicam Synodum, ita Romana Ecclesia Occidensque prædamnauerant, vt nulla sibi opus Synodo duxerint, & Constantinopolitano Concilio præluxerint potiùs quàm obsecuti sint. Quod autem legitur apud Gelasium Cyz. lib. 2. cap. 11. Nicænos Patres *multo tempore permulta inter se de fide communicasse, ratos nihil citò, aut temerè de re tanta statui debere, &c.* Caue, ne fidei dubios, vel ignaros pridem fuisse tantos Patres & Confessores suspiceris, ante generalis Synodi constitutionem. Certius enim est, quod alij testantur, cùm primùm Arij fides cœpit legi, aures obturasse: auitæ scilicet fidei satis memores. Vnde & Theodoretus lib. 1. c. 7. de Eusebianis, *Fidei*, inquit, *formulam quam composuerant, Concilio proposuerunt: quæ vt primùm perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & commentitiam esse vociferabantur, illicò discerpta est.* Illa ergo disceptandi sedulitas, non velut incerti dogmatis ambiguum diluere, sed certissimæ fidei caliginem & spinas detergere laborabat. Vide Athanasium orat. 1. contra Arianos.

Otiosum penè est Octauæ Synodi meminisse, tum quòd in eâ conticuerint fidei disceptationes, tum quòd

XI. Denique ex Octaua Synodo idem efficitur.

vel tyrunculis prima hiſtoriæ limina ſaltem ingreſſis, compertum ſit, omnia ibi nutu & imperio Romanæ Sedis actitata fuiſſe. Actione 2. recitatur Epiſtola Baſilij Imperatoris ad Nicolaum Papam, vbi omnia in Synodo pertractanda, ab eo antè definiri poſtulat, de medicinâ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, diutinâ iam morbi tempeſtate iactatæ. Epiſtola item Ignatij Patriarchæ ad eundem, *Eorum vulnerum, atque liuorum, qui in membris hominis conſiſtunt, multos medicos protulit ars. Eorum verò qui in membris ſunt Chriſti, omnium noſtrûm capitis & ſponſæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, vnum & ſingularem præcellentem, atque catholiciſſimum medicum, ipſe princeps ſummus, & fortiſſimus ſermo, & ordinator, & creator, & ſolus ex toto magiſter, Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam ſanctitatem, & paternam almitatem. Propter quæ dixit Petro magno, & ſummo Apoſtolorum, Tu es Petrus, &c. Tales enim beatas voces, non ſecundùm quandam vtique ſortem Apoſtolorum Principi ſolum circumſcripſit, & definiuit, ſed per eum ad omnes qui poſt illum ſecundùm ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores & diuiniſſimi ſacrique Pontifices ſenioris Romæ, tranſmiſit.* Tum eius literis iam Eccleſiæ ſuæ pacem, & ſanitatem cœptam reſtitui gratulatur: *Sategiſti atque ſcripſiſti, vtpotè Apoſtolicæ, & ſummæ poteſtatis ſuſceptor, dignè ac rationabiliter reſtituiſti, & fluctum, qui hîc inerat, diſſipaſti: & tranquillitatem Eccleſiis contuliſti.* Tum varia denudat vti medico vulnera Eccleſiæ ſuæ adhuc incurata, *de huiuſmodi imploramus dari diſpoſitionem.* Subnectuntur literæ Hadriani, qui in defuncti Nicolai vicem adſcitus in Apoſtolicum thronum fuerat, quibus legem & medicinam temperat multiplici morbo, in Synodo œcumenica octaua exequendam. Et act. 4. cùm ageretur de Photianis Epiſcopis, in quos iam cenſura Nicolai Papæ ſæuierat, conteſtantur Legati Apoſtolici: *Nobis non licet reſcindere iudicium ſanctorum Romanorum Pontificum. Hoc enim contrarium eſt canonicis inſtitutis.* Nec patiuntur Photianos ingredi, niſi vt quâ damnati fuerant, *Beatiſſimi Papæ Nicolai*

Digitized by Google

colai epistolam audiant. Nec Photiani tunc Episcopi illi aliud contendebant, quàm se *vt sacerdotes Nicolao Papæ Romæ comministrasse*: quod legati vehementer inficiati sunt. Act. 7. erumpit Ignatius in laudes Imperatoris, qui Ecclesiam Constantinopolitanam restaurauit, *definitiones & regulas sequens beatissimi Papæ Nicolai Senioris Romæ, quas ille synodicè promulgauit, & per proprias epistolas Constantinopolin destinauit.* Tum exclamatur inter complura alia, *Nicolai Papæ Romani æterna memoria, &c. Hadriani multos annos. Interemptoris noui Simonis multos annos. Percutientis nouum mendacem Ananiam, multos annos.* Postremò referam, vnde fortassis exordiundum fuerat, pauciſſima hæc ex epist. Hadriani ad Imp. quæ act. 1. recitata est: *Intellexisti quibus vulneribus sauciata, quæ apud vos est, manebat Ecclesia: & quòd hæc Sedes eiusmodi mederi possit vulneribus, magistris fidei nostræ scrutatis, liquidò didicisti. Atque ideo hæc curare cupiens, Apostolicæ Sedis decreti remedium sanissimè requisisti, &c. Porrò de sacerdotibus vel ceteris qui contra pacem Ecclesiæ facientes, vnitatem eius scindere præsumpserunt; super quibus etiam decretum ab Apostolicâ Sede, clementia tua more priscorum Principum postulat; sciat dilectio tua, quia sicut diuerso modo deliquisse referuntur, ita diuersis eos definitionibus subiici non inconuenienter oportere perpendimus, &c. Insuper exhortamur, vt sententiarum capitula, quæ synodicè in Ecclesiâ Dei, vbi sanctum corpus Apostolorum Principis Petri requiescit, communi sententiâ promulganimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur, &c.* Ex quibus promptum exploratumque est, octauam hanc habitam Synodum œcumenicam, non vt anceps aliquis & implicatus extricaretur nodus, sed vt regula disciplinæ ab Apostolicâ Petri Sede per ipsos Imperatorem Basilium & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum flagitata, & per legatos directa, in Synodo executioni mandaretur. Idque Nicetas in vita Ignatij non obscurè tradit his verbis: *Non erat Ignatio authoritas agendi quæ vellet. Romanis enim pro ecclesiasticâ antiquâ consuetudine, iudicandi potestatem permittebat.*

XII. Nec Synodorum œcumenicarum authoritas hinc extenuatur: nec vlla Pontificis & Synodi conflictatio olim vel in suspicionem venit, quin alteri ex altero lucis & maiestatis fiebat accessio. Id elucet primò ex Ephesina I. Synodo.

Posteriores his Synodos vniuersales non abs re intactas prætereo, vt in quibus persuasissimum sit Romanæ Sedis Apostolicum apicem splendidiùs radiasse. Gradum facio ad posteriorem & non minùs luculentam huius controuersiæ partem, priori specie tenùs infestam, reapse amicam & coniunctissimam. Nimirùm etsi occupasset Apostolica Sedes definire seu fidei decreta, seu capita disciplinæ, consentaneum tamen fuisse confluere œcumenicas Synodos, ibique Christianæ Ecclesiæ vniuersitatem, Capitis sui oraculo concinere. Ita Cælestinus Papa epist. 14. *Nullâ suo vitio languenti medicâ arte defuimus. Scimus qualiter & quoties hos Scriptura iubeat conueniri, &c. Frater fratrem admonuit. Dehinc pertinax vno & altero, imò & multis testibus conuentus est. Consequenter ab vniuersali Ecclesiâ; nostro quoque sermone correptus. Nihil præcox cum eo, nihil in hoc egimus immaturum: quem diuturna constitutionis seruatus ordo damnauit.* Sic ibi de damnato Nestorio. Ita Philippus Apostolicæ Sedis legatus in Ephesina prima Synodo, act. 3. Petrum Caput & Columnam fidei esse prælocutus, & in successoribus suis viuere adhuc, & iudicium exercere: etsi iam in Nestorium sententiam tulisset Cælestinus, se tamen ad hanc Synodum ab eodem missum testatur legatum; & in ea canonicè citatum Nestorium, venire contempsisse, ideoque, *Firmum esse, quod in ipsum pronunciatum est, iuxta omnium Ecclesiarum decretum; omnes namque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ sacerdotes, vel per se, vel certè per suos legatos sacerdotali huic consessui interfuit.* Et paulò infrà Synodus ipsa in relat. ad Imp. de Romanâ aduersùs Nestorium Synodo, eiusque & Cælestini legatis, prælocuta, addit: *Quia ergo viri isti qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensumque de fide & pietate nobis consonum declararunt; necessariò de consensu illorum nobiscum ad maiestatem vestram retulimus. Vt pietati vestræ constet, iudicium quod paulò antè à nobis exiit, esse vnam communem totius orbis terrarum sententiam.* Et in

Digitized by Google

relatione aliâ Kal. Iul. missâ: *Synodus omnes totius orbis Episcopos vnum idemque sentientes habet. Nam & magna Roma Episcopus Synodo simul interest, neque desunt Africani per Cyrillum representati, &c.* Et in relat. alia per Ioannem missa: *Synodus vniuersum Occidentem cum magna vestra Roma & Apostolica Sede, totam item Africam & totum Illyricum in consessu suo habet.* Et in relat. alia per septem Episcopos missa: *Sancta & œcumenica Synodus, cuius consessui adest & Cœlestinus, & vniuersa Occidentalis Synodus, totaque Africa, & Illyricum.* Et Cyrillus in Apológ. ad Theodos. *Fidei meæ rectitudini testimonium perhibuit & Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus ex vniuerso orbe congregata.* Part. 3. Conc. Ephes. c. 13.

Obserua hic ergo, nequaquam prouocasse Nestorium à Papa ad Concilium, à Cœlestino ad œcumenicam Ephesi Synodum: sed causam eius à Cœlestino primùm cognitam, in Ephesinâ Synodo retractatam fuisse, citra vllam appellationis vel leuissimam suspiciunculam. 2. Aduersa hic esse omnia prouocationum iudiciis. Nam Cœlestinus qui Romæ iam iudicauerat, Ephesino quoque iudicio per legatos interfuit, præfuitque: & ad eum Synodus œcumenica totam iudicij authoritatem refundit. Nihil alienius autem, vel intempestiuius foret, quàm Cœlestini in Synodo præsentiam, principalemque dominationem iactare passim, si ab eo prouocari ad Synodum, & lata ab eo sententia in Synodo examinari potuisset. 3. Nec dissociatur in his & huiusmodi aliis compluribus testimoniis Cœlestini, & Occidentalis cum eo Synodi authoritas, atque sententia. Atqui ab Occidentalis Synodi decreto non poterat ad Ephesinam Synodum appellari. Nec enim œcumenica fuerit Ephesina Synodus, si Occidentalem Synodum ab eâ reuulseris, vt reuelli necessum est, si ab hâc ad illam prouocari potuisse existimes. Particularis vtraque Synodus est, si seponatur vtraque: ideoque ab alterâ ad alteram ceu œcumenicam prouocari posse nec inter somniandum imaginaberis: nisi si æquius ducas esse, prout est, ab Ephesi-

XIII. Summa fastigia huius doctrinæ.

Digitized by Google

na & Orientali ad Occidentalem, vbi Capitis fidei & verticis Apoſtolici præſens dominatur authoritas, appellari, non viciſſim. 4. Ergo vt vtraque Synodus vna eſt, ſicut Eccleſia vna eſt, Occidentem Orientemque, præterita & futura ſæcula inexplicabilibus diuini Spiritûs vinculis conſtringens: ita vna authoritas, vna cognitio, vna ſententia eſt, quam Caput præcinit, ſuccinit corpus; quam in Occidente Caput ipſum pertonat, quam per legatos ſuos in Orientali Synodo ingeminat, cui totum Eccleſiæ corpus in œcumenica Synodo aſſonat. Ergo ſicut ab vno & eodem ad ipſummet, ita à capite ad corpus, ab Occidentali Synodo ad œcumenicam prouocari non poteſt, niſi vt cauſa à ſummo iudiciorum Principe cum paucioribus adſeſſoribus cognita & definita, ab eodem rurſus in frequentiori iudicum ſenatu cognoſcatur & terminetur. Quæ non prouocatio eſt, ſed ſupplicatio: nec in rei poteſtate, ſed in libertate ſummi iudicis poſita. 5. Ideo nulli ſuſpicionum, aut inuidiæ ſtimuli, vel Cæleſtinum vel Synodum exagitabant. Neutri alterius detrimento authoritatis pluſculum exiſtimabatur accumulandum. Quin ex aduerſo per vicarios ſuos regnabat & radiabat in Synodo Cæleſtinus; Cæleſtini maieſtate & iudicio antegreſſo gloriabatur, ſeſeque aduersùs hoſtium latratus Synodus tuebatur.

XIV. Idem ex Epheſina II.

Non ita Eutyches. A Flauiani enim ſententia non ſupplicauit, ſed prouocauit, vt alibi dictum. Cumque Romæ Leo confirmaſſet ſententiam Flauiani, & Eutychetis doctrinam proſcripſiſſet: non recuſauit tamen eandem cauſam in Epheſina ſecunda Synodo, quam Imperator conuocauerat, inſtaurari. Etenim epiſt. 15. ad hanc ipſam Synodum ſcripta, in Eutychetis deliria detonat; tum addit, *Verùm quia etiam talium non eſt negligenda curatio, & piè ac religiosè Chriſtianus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis poſsit error abeleri; fratres noſtros Iulianum, &c. miſi, qui vice meâ ſancto conuentui veſtræ fraternitatis interſint, & communi vobiſcum*

Digitized by Google

sententiâ, quæ Dominо sint placitura, constituant. Minimè necessariam fuisse Synodum in re tam dilucida, idem alibi scribit. Sed confitetur hic tamen *pleniore iudicio* Ecclesiam rursus vti posse; non quasi ancipitem consilij, & fidei incertam suæ, non quasi Flauiani, nedum Leonis sententiam forsassis recantatura sit; sed pleniore iudicum numero & pompa maiore, eandem suam fidem sententiamque inuariabilem & irretractabilem promulgatura.

XV. Idem ex Chalcedonensi.

At cùm fœdissima tempestate Dioscorus Synodum illam laniasset, dissipassetque, eius quidem nefaria decreta cassauit in Synodo Romana Leo Papa, sed œcumenicam tamen ad hoc ipsum colligendam esse Synodum idem sensit, flagitauit, peruicit. Scripsit ergo ad Theodosium in hæc verba: *Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei, atque Patrum authoritate dissentiunt, Concilium vniuersale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia vestra concedat: vt in vnum conuenientibus omnibus, his qui aut ignorantiâ aut timore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.* Non prouocat Leo; & Romana Synodus à pseudosynodo Ephesina ad aliam germanam, & liberam & verè œcumenicam Synodum: sed illam suo iure cassat & euacuat. Nec rursum à Synodi Romanæ, & Leonis sententia hac ad vniuersalem Synodum quisquam appellat; sed Leo ipsemet cum sua Synodo pleniorem & œcumenicam efflagitat Synodum, non quasi rem ambiguam aliquam, & vtrimque versatilem scrutinari oporteat, sed vt Leo ipsissimus & ipsissimi Romanæ illius Synodi Antistites cum numerosiore collegarum agmine pleniùs & magnificentiùs rem eandem conficiant. Nec dissimulat Leo cessuros forsan vniuersali Synodo, qui sibi & Romanæ Synodo adhuc reluctantur: sed illos demum qui *à puritate fidei & Patrum authoritate dissentiunt.* Nec hinc seiungenda, sibique collidenda Leonis, & Synodi vniuersalis authoritas. Nec enim insanientium palato seruiendum. Qui tamen ipsi nihilo magis v-

Conc. Chalced. part. 2. c. 32.

Digitized by Google

niuerſali pòſt Synodo, quàm priùs Leoni obaudiere. Nec vniuerſalis fuerit Synodus, quæ à Leone & Romano Concilio diſſenſerit. Denique non aliter aliqui Leoni immorigeri, Synodo œcumenicæ obſequentur, ſi qui obſequantur; quàm quia illorum contumacem ſurditatem, quam peruadere non potuit ſolitaria Capitis vox, perrumpet ingeminata, & vehementior totius Corporis connitentis, non alia tamen quàm Capitis vox. Et præſtantiſſimè rurſus idem Leo epiſt. 52. quid emolumenti ex Chalcedonenſi Synodo accreuerit, poſt damnatas & Conſtantinopoli & Romæ, & vbique ferè terrarum per particularia Concilia, Eutychetis inſanias, ita declarat: *Non enim vltrà iam cuiquam excuſationis refugium de ignorantiâ, & inſcientiâ, vel de intelligentiæ difficultate conceditur: cum hoc ipſo ſexcentorum ferè fratrum, Coepiſcoporumque noſtrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundamentum fidei inſpirare permiſerit. Quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus vicariis noſtris, quorum pleniſſima extitit in omni actione deuotio, non ſolùm ſacerdotibus Chriſti, ſed etiam Principibus & poteſtatibus Chriſtianis, cunctiſque clericis, plebibus, ordinibus, plenè atque euidenter apparuit hanc eſſe verè Apoſtolicam fidem, ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam ſinceram, & ab omni fœce totius erroris alienam, ſicut accepimus, prædicamus: & vniuerſo iam mundo conſentiente defendimus.* Non à ſuâ ergo ſententiâ prouocatum eſſe ait ad Synodum Chalcedon. aut vel vllam eius rei vmbram ſomniari poſſe: quin imò Eutychianos ne hiſcere quidem, nedum diſputare per miſſos in Synodo Chalced. ſed adnitentibus legatis Romanis dictata à Leone epiſtola, & fides vniuerſæ Synodo, Principi, populoque adprobata protinus eſt, & citra noui examinis recidiuas pugnas, ab omnibus ſubſcripta. Ex quibus vaneſcunt appellationis ludibria, & iurgiorum inter Concilium & Pontificem inaudita tunc ſomnia. Nec nulla intereà eſt Synodi œcumenicæ gratia, & vtilitâs. Nam fide per illam ſemel promulgatâ, non ſup-

Digitized by Google

petit *vltra cuiquam excuſationis refugium de ignorantiâ & inſcientiâ, & intelligentiæ difficultate.* Non ergo omnibus in particulari Synodo, vel etiam ab Apoſtolicâ Sede damnatis, integrum rurſus eſt vniuerſales Synodos poſtulare. Nam vt omnibus compertum qui faſtos Eccleſiæ vel à limine ſalutarunt, longè plurimæ hæreſum peſtes ſine vniuerſalis Synodi ſtrepitu compreſſæ ſunt: paucæ ſunt, quibus Synodus œcumenica conficiendis affluxerit: hoc ipſo ævo Pelagiani longè famoſiſſimi, vt ex Auguſtino & Proſpéro ſuprà docui, quaſi non ſatis diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantes, & Orientis Occidentiſque Synodum flagitantes, exibilati ſunt: Epheſinæ Synodo inſeruere ſe quidem illi, ſed inauditi ex prioris damnationis præiudicio condemnati rurſus ſunt. Quibuſdam tamen opprimendis Eccleſia in Synodos œcumenicas coaluit, non ipſorum hæreticorum arbitrio, ſed ſuo: nec quia neceſſe erat, ſed quia ſibi expedire videbatur: nec iuris rigore conſtricta, ſed diſpenſatione tunc vti volens: nec quaſi in dubio doctrinæ anfractu alternatura, aut iteratæ diſpenſationis ſalum periclitatura; ſed præiudicatam firmatura fidem, & eam totius corporis ſui, & ſingulorum membrorum, quaſi linguarum totidem vocibus perſonatura, vt iam longè inexcuſabiliores ſint, qui antea miſerabile quidem, ſed qualecumque tamen ſibi de ignorantiâ patrocinium accerſebant. Poſt Epheſinum certè latrocinium, œcumenica Synodus tempeſtiuior & propè neceſſaria erat, ne illius Synodi larua aliquibus imponeret.

Sed aduertamus rurſus aures animoſque ad eundem Leonem, qui epiſt. 63. & Sedis ſuæ & œcumenicæ Synodi maieſtatem conſocians, alteri ab alterâ præſidium & gloriam conciliat. *Quæ noſtro Dominus priùs miniſterio definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu: vt verè à ſe prodiſſe oſtenderit, quod priùs à prima omnium Sede firmatum, totius Chriſtiani orbis iudicium recepiſſet; vt in hoc quoque Capiti membra concordent. In quo ampliùs nobis accre-*

XVI. Rurſum ex Chalced. & Leone Papa I. idem illuſtratur.

niuersali pòst Synodo, quàm priùs Leoni obaudiere. Nec vniuersalis fuerit Synodus, quæ à Leone & Romano Concilio dissenserit. Denique non aliter aliqui Leoni immorigeri, Synodo œcumenicæ obsequentur, si qui obsequantur; quàm quia illorum contumacem surditatem, quam peruadere non potuit solitaria Capitis vox, perrumpet ingeminata, & vehementior totius Corporis connitentis, non alia tamen quàm Capitis vox. Et præstantissimè rursus idem Leo epist. 52. quid emolumenti ex Chalcedonensi Synodo accreuerit, post damnatas & Constantinopoli & Romæ, & vbique ferè terrarum per particularia Concilia, Eutychetis insanias, ita declarat: *Non enim vltrà iam cuiquam excusationis refugium de ignorantiâ, & inscientiâ, vel de intelligentiæ difficultate conceditur: cum hoc ipso sexcentorum ferè fratrum, Coepiscoporumque nostrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundamentum fidei inspirare permiserit. Quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus vicariis nostris, quorum plenissima extitit in omni actione deuotio, non solùm sacerdotibus Christi, sed etiam Principibus & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus, plenè atque euidenter apparuit hanc esse verè Apostolicam fidem, ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram, & ab omni fœce totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus: & vniuerso iam mundo consentiente defendimus.* Non à suâ ergo sententiâ prouocatum esse ait ad Synodum Chalcedon. aut vel vllam eius rei vmbram somniari posse: quin imò Eutychianos ne hiscere quidem, nedum disputare per missos in Synodo Chalced. sed adnitentibus legatis Romanis dictata à Leone epistola, & fides vniuersæ Synodo, Principi, populoque adprobata protinus est, & citra noui examinis recidiuas pugnas, ab omnibus subscripta. Ex quibus vanescunt appellationis ludibria, & iurgiorum inter Concilium & Pontificem inaudita tunc somnia. Nec nulla interea est Synodi œcumenicæ gratia, & vtilitâs. Nam fide per illam semel promulgatâ, non sup-

Digitized by Google

petit *vltra cuiquam excuſationis refugium de ignorantiâ & inſcientiâ, & intelligentiæ difficultate.* Non ergo omnibus in particulari Synodo, vel etiam ab Apoſtolicâ Sede damnatis, integrum rurſus eſt vniuerſales Synodos poſtulare. Nam vt omnibus compertum qui faſtos Eccleſiæ vel à limine ſalutarunt, longè plurimæ hæreſum peſtes ſine vniuerſalis Synodi ſtrepitu compreſſæ ſunt: paucæ ſunt, quibus Synodus œcumenica conficiendis affluxerit: hoc ipſo ævo Pelagiani longè famoſiſſimi, vt ex Auguſtino & Proſpéro ſuprà docui, quaſi non ſatis diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantes, & Orientis Occidentiſque Synodum flagitantes, exibilati ſunt: Epheſinæ Synodo inſeruere ſe quidem illi, ſed inauditi ex prioris damnationis præiudicio condemnati rurſus ſunt. Quibuſdam tamen opprimendis Eccleſia in Synodos œcumenicas coaluit, non ipſorum hæreticorum arbitrio, ſed ſuo: nec quia neceſſe erat, ſed quia ſibi expedire videbatur: nec iuris rigore conſtricta, ſed diſpenſatione tunc vti volens: nec quaſi in dubio doctrinæ anfractu alternatura, aut iteratæ diſpenſationis ſalum periclitatura; ſed præiudicatam firmatura fidem, & eam totius corporis ſui, & ſingulorum membrorum, quaſi linguarum totidem vocibus perſonatura, vt iam longè inexcuſabiliores ſint, qui antea miſerabile quidem, ſed qualecumque tamen ſibi de ignorantiâ patrocinium accerſebant. Poſt Epheſinum certè latrocinium, œcumenica Synodus tempeſtiuior & propè neceſſaria erat, ne illius Synodi larua aliquibus imponeret.

Sed aduertamus rurſus aures animoſque ad eundem Leonem, qui epiſt. 63. & Sedis ſuæ & œcumenicæ Synodi maieſtatem conſocians, alteri ab alterâ præſidium & gloriam conciliat. *Quæ noſtro Dominus priùs miniſterio definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu: vt verè à ſe prodiſſe oſtenderit, quod priùs à prima omnium Sede firmatum, totius Chriſtiani orbis iudicium recepiſſet; vt in hoc quoque Capiti membra concordent. In quo amplius nobis accre-*

XVI. Rurſum ex Chalced. & Leone Papa I. idem illuſtratur.

ſcit gaudendi materia, dum & tantò magis ſe perculit inimicus, quantò contra Chriſti miniſtros ſeuiùs inſurrexit. Nam ne aliarum ſedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus inſtituit præſidem, conſenſus aſſentatio videretur: aut ne alia qualibet ſubrepere poſſet aduerſa ſuſpicio: inuenti priùs ſunt, qui de iudiciis noſtris ambigerent. Et dum nonnulli ad diſſenſiones incitati ab authore contradictionis, ad inſana bella proſiliunt: ad maius bonum, malum eius authore totius bonitatis diſpenſante, peruenitum eſt. Dulcius ſiquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quoties non ſine magnis ſuderibus acquiruntur. Et minus bonum videri ſolet pax continuata per otium, quàm reddita poſt laborem. Ipſa quoque veritas & clariùs reniteſcit, & fortiùs retinetur: dum quæ fides priùs docuerit, hac poſtea examinatio confirmarit. Multum denique ſacerdotalis officij meritum ſplendeſcit, vbi ſic ſummorum ſeruatur authoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc ſe accipit exercendi fiducia, vt vincatur aduerſitas: ne quod per ſe probatur reprobum, ſilentij præiudicio videatur oppreſſum. Quæ ſunt oppidò quàm pulcherrima. Adgaudet enim poſt promulgatam toto orbe epiſtolâ ſuâ fidei definitionem, nihilò ſeciùs collectam fuiſſe Synodum œcumenicam; & hoc amplitudinis ſuæ non diſpendium, ſed augmentum interpretatur. Nec enim eò Synodus coiit, vt quaſi ignara hactenus, vel dubia rectæ fidei, Leonis ad Flauianum epiſtolam excuteret, & libratis vltra citraque rationum momentis vel abſolueret, vel damnaret. Non id Leo, non id apex eius vllus innuit, ſed ex aduerſo indubitatiſſimum fidei decretum à ſe euulgatum, & à ſingulis ſparſim orthodoxis antè Epiſcopis ſubſcriptum fuiſſe, & tum poſtea ab vniuerſis collectim in Synodo collaudatum. Profuit ergo Synodus 1. *vt capiti membra concordarent* & ſuccinerent: vtque fidei dogma, non à capite tantùm promulgatum, ſed ab vniuerſo Eccleſiæ corpore palam approbatum, aduerſatiorum ora prorſus obturaret, impetus retunderet. 2. Vt ne aſſentationi magis, quàm veritatis conſcientiæ adſcriberetur

Digitized by Google

beretur illa conſenſio, quâ ſinguli priùs ſeorſim Epiſcopi epiſtolam Leonis amplexati erant. Sparſos enim & ſingulares inceſſere metus, aut adulatio vtcumque poterat, non in vnum & tam numeroſum agmen conglobatos. 3. Vt non ſummorum tantùm authoritati, ſed & inferiorum libertati conſultum ſit. Romanus enim Pontifex controuerſiarum fidei iudex & arbiter eſt ſummus, non ſolus: & Catholici dogmatis magiſter primus ideo, quia non vnicus. Doctorum doctor, magiſtrorum Magiſter eſt & Parens. Nec Summus quippe ipſe, nec Primus, nec Magiſter eſſet doctorum, & Parens, niſi & ſinguli Doctorum nomine & munere clarerent Epiſcopi. Itaque poſtquam fidei dogma debuccinauit Primus & Summus Magiſter, id ad illius quoque gloriæ incrementum pertinet, vt idem ipſum in Synodo ab epiſcopalis collegij vniuerſitate promulgetur.

XVII. Exulabant tunc rixæ de principatu inter Caput & Corpus. Et qui examinauerit Synodus epiſtolam Leonis.

Cæterùm faceſſant hinc illæ contentionum næniæ, eminеat & antiſtet Capiti Corpus, an Caput Corpori? Eminet enim Caput cum Corpore, Corpus cum Capite indiſſociabiliter copulatum. Laudi ſibi vertebat & Synodus, quòd Leo fidem occupaſſet definire: & Leo quòd Synodus definitionem ſuam examinaret & approbaret. Exulabant hinc & inde tunc indecoræ illæ de gloriæ principatu concertationes. Vni certabatur charitati, claritatique Capitis & Corporis indiuiduæ. Examen autem illud quo & Cyrilli in Epheſinâ primâ, & Leonis literæ in Chalcedonenſi Synodo diſcuſſæ ſunt: ne tibi fingas inuſitatum quid & alienum à moribus Eccleſiæ: non aliud fuit, quàm quòd iis perlectis, omnes profeſſi ſunt, eam fidem ſe, & dum tingerentur, imbibiſſe; & dum tingerent, infudiſſe. Conſule ſis acta ipſa. Nec ſanè poterant Epiſcopi qui ante Synodum applauſerant epiſtolæ, illam in Synodo explodere, vel in dubium ſaltem vocare. Vide apud Leonem ipſum inſertas Galliæ, itemque Mediolanenſis prouinciæ Epiſcoporum geminas literas, quibus epiſtolæ eius ad Flauianum ſubſcripſiſſe ſe teſtantur, *quia*

Digitized by Google

omnia maiorum fidei nobis antiquitus tradita, tota puritate conueniunt, &c. Exultantes recognouerunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex traditione paterna tenuiſſe, vt veſter Apoſtolatus expoſuit, iure lætantur. Nec tamen hæ particulares Synodi, vel Leone, vel Romanâ Synodo maiorem obtinere ſe gradum poteſtatis nugabantur. Ita ſextæ Synodi acta in Toletano Concilio probata ſunt. Ita alibi ex Chryſoſtomo authoritatem Nicænæ Synodo ipſi ex conſenſu totius orbis acceſſiſſe monebamus. Ita ex Facundo & Epheſinæ & omnibus Synodis pondus & pretium amplificauit ipſa maximè antiquitas. Nec in his vlli ſomniandi gradus amplioris authoritatis. Sed vna occurſare animo debet Eccleſia, quæ vnicam ſuam & incorruptam fidem incorruptibiliter nunc ſolo capitis oraculo effatur, nunc toto corporis conſenſu, concentuque promulgat: nunc per diſperſos ſuis in ſedibus Epiſcopos, nunc per eoſdem ſynodicè collectos, nunc per præſentis, nunc per poſteri ævi homines eandem ingeminat. Vbique par fidei conſtantia & incorruptibilitas, par & vna Eccleſiæ maieſtas: ſed hominum imbecillitati ſeruiendum quandoque, qui antiquitati lubentiùs aſſurgunt, etſi veritas, & maieſtas fidei Eccleſiæque, ſemper cana ſit: qui plùs mouentur Epiſcoporum adunatorum agmine, quàm ſuis è ſedibus conſentientium pari concentu: qui denique capitis effata, ſi accedat etiam corporis totius applauſus & eloquentia, pronioribus auribus animiſque bibunt, cùm non aliud corpus quàm capiti ſuccinere, caput corpori præcinere poſſit.

XVIII. De illis, qui de epiſtolâ Leonis dubitarũt, de ſenſu nempe eius, non de fide.

Subdubitaſſe nonnullos tamen circa Leonis epiſtolam primò, nec niſi elucidatis ambiguis conſenſiſſe, docet nos apud ipſummet Leonem epiſtola Gallicanorum Præſulum. *Multi in eâ gaudentes pariter, & exultantes, recognouerunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex traditione paternâ tenuiſſe, vt veſter Apoſtolatus expoſuit, iure lætantur. Nonnulli ſollicitiores facti, beatitudinis veſtræ admonitione perceptâ, mediis omnibus ſe gratulantur inſtructos, datamque ſibi occaſionem*

Digitized by Google

gaudent, quæ liberè & fiducialiter, ſuffragante etiam Apoſtolicæ Sedis authoritate, eloquantur, & aſſerat vnuſquiſque quod credit. Ita & act. 4. Chalced. nonnulli Epiſcopi ingenuè fatentur ſe orthodoxum ſemper indubitatiſſimè habuiſſe Leonem, ſed de eius epiſtola *dubitaſſe*, ne diuiſionem quandam myſterio Chriſti inueheret: per vicarios eius Synodo præſidentes, *ad expellendam omnem dubitationem paratiſſimos*, ſibi ſatisfactum eſſe, ideoque ſe ſubſcripſiſſe. Verùm hi de orthodoxâ Pontificis fide, nec vel tantillum dubitant, de intelligentiâ & ſenſu eius epiſtolæ tantiſper ambigunt, dum verborum vim minùs aſſecuntur. Non efficitur hinc ergo fas eſſe, circa Pontificia decreta ambigere, niſi quia fas eſt, ſeu veniale potiùs homuncionibus eſt, verba & ſenſa oraculi non ſtatim capere. 2. Et hi ſiue in Oriente, ſiue in Occidente fluctuantes circa Leonis epiſtolam, non ab alio quàm ab ipſo Leone vel eius vicariis *inſtruuntur*, *admonentur*, & ita acquieſcunt. Non de eius inerrantiâ altercantur, non ab eo ad Synodum prouocant, non plus Synodo quàm ipſi aſſenſuros ſe iactitant, ſed ab ipſiſſimo ſe inſtrui petunt, inſtructi ſubſcribunt. Cæteri autem hæſitatores, quorum cauſationibus elidendis Synodus indicta eſt, à Leone ſuprà hoc elogio notabantur, vt *inimici*, *ad diſſenſiones incitati ab authore contradictionis*, *ad inſana bella proſilientes*: Et *mali* authores, quod tamen Deus bene vertiſſet.

In Synodo rurſus quinta, Collat. 7. eminent eiuſdem rei veſtigia. Iuſſit enim Imperator conuenire Synodum, *non tanquam ignorans in dogmatibus rectitudinem veſtræ ſanctitatis, & voluntatem quam de his quæ mouentur, habetis: ſed vt etiam ſynodicè de his tribus capitulis definitio conſtituatur.* Et elegantiſſimè Collat. 8. ita pronunciat Synodus. *Vt definitio communiter ab omnibus præbeatur, fidei recta conueniens, piiſſimus Imperator, ſecundum quod inter nos placuit, tam ipſum Vigilium, quàm nos hortatus eſt communiter conuenire, eò quòd ſacerdotes decet communibus quæſtionibus finem communem imponere.* Quodque recuſaſſet Vigilius Synodo

XIX. Ex quinta rurſum Synodo probatur examinatio Synodalis non obſcuraſſe, ſed illuſtraſſe Pontificiam.

Digitized by Google

intereſſe, ſed ſuam priuatim ſententiam mandare literis decreuiſſet, ait Synodus: *Pro his ad memoriam eius perduximus magna illa Apoſtolorum exempla & Patrum traditiones. Licèt enim ſancti Spiritûs gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, vt non indigerent alieno conſilio circa ea quæ agenda erant; non tamen aliter volnerunt de eo quod mouebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati, diuinarum Scripturarum teſtimoniis vnuſquiſque dicta ſua confirmauerunt. Vnde communiter de eo ſententiam protulerunt, ad Gentes ſcribentes, Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, &c. Inerrantiæ prærogatiuam apertè tribuunt Apoſtolis, *circa quos abundabat gratia Spiritûs ſancti: & qui alieno non indigebant conſilio, circa ea quæ agenda erant.* Et ipſos tamen iure conuolaſſe ad Synodum, vt *communiter* ſententiam ferrent, nempe *de communibus quæſtionibus*. Porro nec Vigilius, nec Synodus mutuò ſibi inſidiabantur, vt primas authoritatis inuaderent: non inerrantiam ſibi ſeorſim tantùm rapiebant; non prouocationum iura increpabant hinc illinc, ſed cæleſtia fidei & diſciplinæ dogmata, ille ſolitariè ſcribere, iſta in communi conuentu tractare geſtiebat. Nec Apoſtolis ſingulis omnes, vel omnibus vnus aliquis anteponitur, ita vt vnum quemlibet labi ſeorſim potuiſſe, in fratrum Concilio non potuiſſe venditetur: ſed ſimpliciter obtenditur, communes cauſas in communi tractandas. Quod verò ſubditur, *Nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cùm vnuſquiſque proximi adiutorio indiget*, &c. Clementer interpretandum vtique eſt, ne & ſuperiori de Apoſtolis effato officiat, & Auguſtino, imò Eccleſiæ obſit, tam exitiales & tam multiplices errorum inſulſitates, citra Synodorum generalium congregationem, condemnanti frequentiſſimè.

XX Idem demonſtratur ab exemplo Petri, & Synodi Apoſtolorum.

Quoniam autem illud argumentum præhibatum hîc iam eſt, à Petro profectum, qui Apoſtolicâ Synodo nihil principatui ſuo decerpi ſenticbat: audiendus in eandem rem Chryſoſtomus homil. 3. in act. Apoſt. *Surgens*

Digitized by Google

Petrus in medio discipulorum, &c. Quàm est feruidus? Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro Princeps est? & vbique primus omnium incipit loqui, &c. Iam & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententiâ, nihil authoritate suâ, nihil cum imperio. οὐδὲν ἀυθεντικῶς, οὐδὲν ἀρχικῶς. Cumque duo constituti essent; *Non ipse eos statuit, sed omnes. Caterùm sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans suam non esse, sed è supernis profectam, iuxta Prophetiam, &c. Meritò primus omnem authoritatem vsurpat in negotio,* ὡς τοῦτος τὸ πνεύματος ἀυθεντεῖ. *Vt qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Christus, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Et hom. 33. latè prosequitur Apostolicum de amoliendo à gentilibus legis onere Concilium: non quòd post Petri de admittendis in Ecclesiam gentibus visionem & decretum hæsitarent Apostoli: non quòd singulis Apostolis ea esset Spiritûs penuria, quæ non sufficeret istiusmodi ambagibus extricandis: non denique quòd à sententia Apostoli cuiuspiam prouocari tunc posset ad Concilium: sed quòd cum hominum naturâ ita comparatum sit, vt causæ communes communibus suffragiis sint transigendæ, & istiusmodi definitionibus inexcusabiliùs obsistatur. Quibus adde hæc perpauca ex lib. 2. Etherij & Beati adu. Elipan. *Vt fides firma daretur Ecclesiis, duodecim Apostoli sunt à Christo electi. Quorum Petrus cùm esset eorum primus, solus non est ausus componere Symbolum, sed duodenario numero Apostolorum cum magnâ est cautelâ collectum, & credentibus assignatum, &c. Qui cùm omnes vnum essent, vnum etiam composuerunt communiter Symbolum.* Itaque quod in commune consulere, & definire omnia Apostolos ipsos oportuerit, non inde vel singulorum, vel Petri inopiam gratiæ, aut lucis penuriam, aut labendi periculum augurabantur antiqui Scriptores, aut ambitiosè quis eorum videretur esse maior, disceptabant: sed solam inde communionis necessitatem & charitatis confibulationem philosophabantur.

XXI. Item ex damnatione Elipandi per Synodos varias, & Sedem Apostolicam.

Ad eundem Elipandum Carolus Magnus scribit *ter quaterque se misisse ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.* Subdit se Britannos quoque, Italos, & Galliæ, Aquitaniæ, Germaniæ Episcopos percontatum esse, eorum elicuisse definitionem, his suam se quoque suffragationem adiunxisse, *post hanc verò correptionem sine admonitionem Apostolicæ authoritatis & synodalis vnanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omninò vos pro hæreticis haberi.* Post Romanæ Sedis definitionem, recurritur adhuc ad aliorum Episcoporum particulares Synodos, non prouocando, non harum supra Pontificem eminere fastigium iactitando: quis enim ita desipiat? sed iura iuribus, sententias sententiis accumulando, vtque qui pondere iudicum non patiuntur suam pertinaciam frangi, numero obruantur. Hanc porro particularium toto Christiano orbe Synodorum conspirationem quis non videat œcumenicæ Synodo æquiparari? Nec sanè vllâ generali Synodo Elipandus obrutus est. Ergo hîc sententia Romanæ Sedis non prouocando, non in integrum restituendo in aliis ventilatur rursus Synodis, sed aliarum quoque Synodorum consensione corroboratur. Eòdem collimat quod contra eundem scribens Paulinus Aquilei. lib. 7. nihil admodum laborat Romanam & vniuersalem Ecclesiam discriminare: cùm nusquam tunc vniuersalis Ecclesia in œcumenicam Synodum affluxisset. *Nos Romanâ plùs authoritate, quàm Hispanâ veritate adsertionis & fidei nostræ fulciri desideramus. Licèt nec illa reprobemus, in his tamen quæ catholicè dicuntur. Vnusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab vniuersali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia quæ à Catholicis & rectè credentibus sequenda esse probatur, &c.* Ita & Albinus Flaccus aduersùs Felicem Vrgel. disputans l. 1. Ecclesiæ Romanæ & vniuersalis vnam, indiscretamque authoritatem, citra œcumenicæ Synodi conuocationem, demonstrat: *Elegantissimè Felix præcipuam sanctæ Dei Eccle-*

Digitized by Google

ſua vnitatem toto orbe diffuſam adſerit, ſed minùs ſeipſum, ſuoſque ſequaces conſiderat, qui in vno terrarum angulo, &c. Porrò nos intra terminos Apoſtolicæ doctrinæ & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter ſtamus; illiorum probatiſſimam ſequentes authoritatem, &c. Cuiuſmodi ariete Felicem ſubindè pulſat Albinus. Quin & apud eundem Felix ipſe aliquando reſipiſcens tandem, in Synodo coram Leone Papa confeſſionem edit rectæ fidei, profiteturque ſe *authoritate veritatis, & totius Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu conuictum, ad vniuerſalem Eccleſiam reuerti, &c. Se cum vniuerſali Eccleſiâ quæ toto mundo dilatata noſcitur, ſimiliter ſentire, &c.* Nec ſuam Leo Romanus Pontifex iniuriam interpretabatur, quod non Romanæ ſed vniuerſali Felix ſubſcriberet Eccleſiæ, gnarus capitis & corporis, Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ fidem, maieſtatemque vnam & indiuiduam eſſe.

XXII. Item ex Sextâ, Septimâ, & Octauâ Synodo.

Sextam & Septimam Synodum conſultò prætermiſi, vt in quibus nemini non exploratiſſimum eſt, anteriora Romanæ Sedis iudicia, & de fidei quæſtionibus decreta retractari haud ſanè, quaſi re integrâ, potuiſſe. Venio ad Octauam, vbi iudicium Nicolai Papæ I. contra Photium & eius aſſeclas inſtaurari pertinaciter flagitauere Proceres à Baſilio delegati, alioqui ſubſcribere ſe; vt moris erat, non poſſe interminantes. Quos ſuffragio etiam ſuo iuuit Metrophanes Smyrnæ metropolita, aiens: *Diuinus Apoſtolus ita inquit, Prophetias nolite ſpernere, omnia autem probantes, quod bonum eſt, retinete. Sanctiſſimos itaque vicarios ſenioris Romæ tanquam Prophetas nequaquam ſpernimus. Probantes autem verba magnificentiſſimorum Principum, innouimus ea iuſta, & congruentia: & propterea etiam Epiſcopi omnes, & ſancta hæc Synodus fauemus poſtulationi magnificorum Principum, &c.* Et necquicquam obluctantibus legatis, renouata in Photium eiuſque gregales damnationis & anathematis ſententia. Verùm multa hîc penſiculanda ſe offerunt. Nam 1. iudices ipſi diſpenſationi magis, quàm iuri largiendam eſſe hanc Apoſtolici iudicij innouationem conteſtantur, *vt in conſpectu noſtro obſtruantur ora ip-*

ſorum, ex canonicis, & ſynodicis præceptionibus, &c. Rogemus, vt hi qui languent, ſanentur; & corrigamus, qui non habent certitudinem veritatis: vt erigamus, qui deorſum iacent. Se enim ſententiæ Romanorum Pontificum prorſus acquieuiſſe, ſed eorum qui ſe inauditos damnari, vel indemnatos eiici quiritabantur, languori & ruinæ medendum eſſe. Et infrà iidem Iudices: *Duodecim diſcipulos habuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Thomas verò qui dubitauit, & incredulus & infidelis, damnatur? Non. Ad multorum enim certitudinem facta eſt incredulitas eius. Veniant & iſti, ſi fortè magis per infidelitatem impiorum, & verorum impugnationem, lucrum multum per duos multis efficiatur.* Perſpicuè remittendam iuris aſperitatem, & ex indulgentiâ rurſum audiendos poſtulant, quos incredulos, infideles, languentes, iacentes, impios, veri impugnatores confitentur.

XXIII. An in Octaua Synodo ad examen reuocata ſint iudicia Sedis Apoſtolicæ.

2. A iudicio Nicolai, nec prouocauerant, nec ſupplicauerant Photiani iſti, nec quomodocumque cauſam ſuam reſtitui in hâc Synodo expetierant. Id ipſi hîc clamant: *Nec volebamus huc venire, iuſſit Imperator, vt inueniremur in Palatio, & coram præſentiâ eius reperti ſumus illîc hoc modo.* Ergo ex iuris veniâ, non rei, ſed proceres poſtulabant renouari iudicium. Nam & ex mera venia renouatum olim eſt petentibus Donatiſtis iudicium, ſeu poſt Romanam Synodum in Arelatenſi, ſeu poſt Arelatenſe Concilium in conſiſtorio Principis, vt alibi dictum. Sed ſi Donatiſtæ non ceſſerunt inſtaurato iudicio, quod flagitauerant: multò minùs acquieuere Photiani Synodo octauæ, à quâ perinde, vt à Nicolai ſententia abhorruerant. 3. Fingebant illi de quibus agitur, ſe ignorare Nicolai Papæ ſententiam, nedum ab ea prouocabant, aut ſupplicabant. Id ergo proceres vnum orant, vt hæc eorum cauſatio elidatur. *Vicarij ſenioris Romæ dixerunt: Et quos dicitis introduci, ignorant quid indicauit ſancta Romana Eccleſia? Bahanes dixit: Ignorant. Cùm enim non eſſent ibidem, nec audiſſent opus veſtrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex auditu vultûs ad ſuam ipſorum condemnationem? Et Vicarij dixerunt:*

Digitized by Google

dixerunt: Excusationem quærunt. Totus mundus, Oriens, Occidens, & Constantinopolitana Ecclesia novit: quia iudicium datum est adversùs eos. Magn. & glor. Principes dixerunt, Quod per multum temporis per voces & sermones absolutos creatura omnis audivit, volunt per opus & ipsa gesta certificari. Fingebant duo aliqui se Romæ commmistrasse Papæ Nicolao, tantùm abest vt censurâ eius vllâ afflatos confiterentur se fuisse, vt ibidem habetur. 4. Assentiuntur Vicarij Apostolici, sed quid? id ipsi edicunt. *Ingrediantur, & stent illic deorsum in vltimo loco, & audiant epistolam, quam misit ad Imperatorem Nicolaus Papa, &c.* Et rursum paulò pòst: *Ingrediantur, sed nos non propter contentionem advocamus eos, sed vt tantùm B. Papæ Nicolai epistolam audiant.* 5. Tota concertatio exardescit ibidem, Photius & Photiani à Nicolao Papa admissi aliquando an essent? negantibus Vicariis, aientibus & mentientibus Photianis. Tum Nicolai literæ leguntur, & ita profligata quæstio est, exclamantque Proceres ad Vicarios: *Ex his quæ nunc audivimus, satisfacti sumus, quia veritatem dixistis. Epistola enim repellit illos, & immovit nobis, quia Photium & manus impositionem eius sanctissimus Papa Nicolaus non recepit.* 6. At act. 6. eiusdem Synodi, cauillantibus Photianis, Canones & Nicolao & Patriarchis omnibus superiores esse: multos à Romano Antistite damnatos, alibi absolutos fuisse: excipit Basilius Imperator, neminem ab omnibus Patriarchis damnatum, restitui vnquam potuisse: Vicarij Romani abruptiùs respondent, damnati ab Antistite Romano, non pati se, vt vel cum Imperatore vel secum amplius colloquantur: sed cùm illi repudient, quæ exposita sunt à sanctis Patriarchis, *Nos nihil aliud facimus, neque subvertimus, neque vindicamus iudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, factum contra Photium & sequaces eius.* Et Metrophanes multò peritior, vt par erat, arcanorum Ecclesiasticæ disciplinæ, quàm Basilius Imperator; respondet: *Quod dixisti, multos Romanorum Ecclesiâ iustificante damnatos arbitramur: & rursus damnante, iustificatos habemus: fal-*

ſum eſt, & procul à veritate. Quod ibidem prolixè & validè demonſtrat, per ſingula excurrens argumenta, quibus innixi aduerſarij ferociebant. Et concluditur illa tandem Actio hâc legatorum conteſtatione, damnatum cum ſuis Photium à Nicolao, & ab Adriano, ab iſto ſe miſſos *ad manifeſtationem & certitudinem veri, & iuſti iudicij ipſorum, in conſpectu iuſti imperij veſtri, & huius ſanctæ ac magnæ vniuerſalis Synodi, ita vt non habeant vocem repetationis, vel appellationis: ſed quemadmodum iam iudicati ſunt & deiecti, in æternum maneant. Et Eccleſiæ Orientalium gratiâ Dei nobiſcum ſentiunt, ſtabiliunt, damnant, &c.* Ex quibus videtur conſtare nequaquam id ſibi ſumpſiſſe hanc Synodum, vt de iudicio Romanorum Pontificum iudicaret, quaſi ſupplicatum fuiſſet, ſin minùs appellatum ab ipſis, & res tota in integrum reſtituta eſſet. Sed vt dicitur infrà, act. 10. in epiſt. Synod. cùm damnatum Nicolai ſententiâ Photium extruſiſſet Baſilius, & Ignatium reſtituiſſet, vniuerſalem tamen is ipſe Synodum coëgit, *ad manifeſtiorem veritatis ſatisfactionem & certitudinem.* Nempe quia damnatos ſe Romæ Photiani quidam pernegabant. Quod ergo ſubditur, *cum multo ſcrutinio & probatione, quæ acta ſunt, examinantes, reperimus, &c.* ad illum ſenſum retorquendum eſt. Aut ſi quid aliud ſapiat, eo quoque referendum eſt, quod legati non ſubſcripſere Synodo niſi *vſque ad voluntatem* Romani Præſulis. Connixi erant enim ipſi ſummâ ſemper ope, ne ſemel iudicata Romæ, rurſus hic iudicarentur.

XXIV. Sua in Synodis retractari iudicia, aliquando annuit, aliquando rennit Sedes Apoſtolica. Et quare?

Sed illud præ cæteris ratum, fixumque eſſe cupimus, Romanæ Sedis Antiſtites ſua de fide vel de perſonis iudicia in œcumenicâ Synodo retractari, examinatâque iterum causâ confirmari, non ſemper conceſſiſſe, non ſemper interceſſiſſe: vbi interceſſerunt, ſuo id iure feciſſe, & nihilo ſequius ſemel ab ipſis damnatos, irretractabili infamiæ ſuccubuiſſe: vbi conceſſerunt, ſuâ ſponte & quâdam iuris veniâ factâ indulgenter conceſſiſſe, nec aliud vnquam, quàm confirmatas ipſorum ſenten-

tias: nec ex Concilij œcumenici authoritate mitigatam, aut fractam fuisse perduellium contumaciam: quin plerumque in abrupta desperationis præcipitatam. Ita Pelagianis & Cælestianis negata œcumenica Synodus. Ita Acacianis & Orientalibus restitui causam Acacij & in Synodo generali retractari postulantibus, strenuè restitit Gelasius: & *non putantes iure damnatum, quod non speciali Synodo videatur esse delectus*, suggillauit. Nempe vt epist. 13. ait ipse, *Quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apostoli ius habet resoluendi, vtpotè quod de omni Ecclesiâ ius habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat appellare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint; ab illâ autem nemo sit appellare permissus.* Et mox: *Sed nec illud præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter more maiorum, etiam sine vllâ Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat: & damnandi, nullâ existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Itaque ille & Chalcedonensi Synodo abundè damnatum Acacium, vt Eutychianis adulantem, interpretabatur, & citra vllius Synodi, nempe generalis, operam damnari posse quoslibet ab Apostolica Sede sperabat. Quod & peruicit tandem. Nam sola Romanæ Ecclesiæ, & Pontificiæ sententiæ authoritate fractus Oriens, & Iustinus in primis Imperator, in gratiam rediit cum Romana Ecclesia, expuncto sacris fastis Acacij nomine. Denique tot ferè huius rei sunt exempla, quot hæresum, quæ pleræque teste Augustino, particularibus Synodis, & consensu vniuersalis Ecclesiæ, ad sui capitis vnitatem religatæ & conspirantis, ita proscriptæ sunt, vt nulla vel petentibus œcumenica Synodus concessa sit. Annuêre tursus quandoque Romani Pontifices post primæ Sedis iudicia, œcumenicas cogi Synodos, sed ex quadam veniæ redundantiâ. Ita Leo negabat Eutychetis errori sopiendo opus esse Synodo generali, quam Theodosius Ephesi conuocarat, & suos tamen eò legatos misit. Denique si non est necesse, ex indulgentia ergo condonatur, vt erroris sui

tenaciores, per œcumenicam Synodum omni excusatio-
nis patrocinio spolientur. Et quanquam videri posset in-
uitis id expugnatum fuisse Pontificibus, vt post ipso-
rum iudicia Synodi coalescerent; nequaquam tamen ita
habet.

XXV. De eodem.

Nam etsi Synodum œcumenicam aduersùs Eutyche-
tem coïre dehortaretur primùm Leo, assensus est ta-
men postea. Priùs enim iuris rigorem, pòst indulgentiam
sectabatur. Ita Cœlestinus intra decem dies Nestorium,
aut receptui canere, aut extrudi sacerdotio sanxerat,
nec de generali Synodo tunc, vel ipse, vel Cyrillus co-
gitabat: sed Imperatori tamen ita cupienti vterque as-
sensus est. Ita Quintæ Synodo Romani Pontifices oblu-
ctati primò fuerant, pòst acquieuerunt. Non id ergo
nouum, sed antiquissimis & sanctissimis Pontificibus,
tum Romanis, tum aliis Augustini sententiæ consenta-
neis solenne fuit, œcumenicas Synodos deprecari, tanta
Ecclesiæ fatigatione, Episcoporum discursatione, Ec-
clesiarum spoliatione supersedendum clamitare; hæreti-
cos & in prouincia quemque sua & Romæ semel dam-
natos, comprimendos, nec tumultuationibus suis orbem
vniuersum miscere permittendos vociferari; & tamen
vbi æqua dispensandi necessitas, vel vtilitas allucebat,
acquiescere.

XXVI. Nusquam legitimè à Pontifice ad Synodum prouocatum, sed supplicatum est.

Vbi ergo posteris sæculis, quod infrà monebimus, &
fusiùs elucidabimus, à Pontifice prouocatum est ad Con-
cilium: vel ludificatoriæ, & peruersæ illæ fuere prouo-
cationes: vel certè ad morem supplicationum interpre-
tandæ sunt, & vel sic tamen nouitatem quandam inui-
diosissimam præ se ferebant. Nusquam enim olim pro-
uocatum à Pontifice ad Concilium: nusquam ferè etiam
supplicatum: nusquam inuito Pontifici id extortum. Sed
cùm Concilium ratum illud sit tantummodo, quòd à
Pontifice colligatur, & cui ipse, vel per se, vel per le-
gatos præsit; ab ipso vtique ad ipsum prouocabatur, id
est, ipsi supplicabatur. Et has ipsas prouocationes, vt

Digitized by Google

melioribus Ecclesiæ sæculis inauditas, vt ludificandis omnibus Ecclesiæ legibus opportunissimas vetuere iure meritò Pontifices, non nescij præcessores suos inter aurea Ecclesiæ primordia, Synodis œcumenicis abstinendum, quantum fieri potest, censuisse: sæpius efficacissimè obstitisse: vt fierent, nonnunquam, sed rarò indulsisse.

XXVII. Nouissima ætas Ecclesiæ, consentanea est primæuæ. Lutherus enim & sola Pontificis primùm, & statim indissociabili Ecclesiæ vniuersæ, & mox denique Concilij œcumenici authoritate obrutus est. *Tom. 10 Conc. pag. 170.*

Atque vt ex postremo hoc æuo nostro intelligas Ecclesiam à seipsa nil desciuisse, tametsi confragosæ illæ non ita pridem infremuerint, & adhuc inter scholarum pulpita crepitent concertationes, de Pontificis vel Concilij prærogatiua, & principatu potestatis; obiter referam vt Pontifices, vt Ecclesia aduersùs nuperrimæ hæreseos contagia consuluerint. Lutherum enim ita Leonis X. censura prostrauit, vt Ecclesiæ vniuersalis authoritas Pontificiæ indiuiduis nexibus copulata ostenderetur. Ait enim Leo, *Exurgat denique omnis cœtus sanctorum, ac reliqua vniuersalis Ecclesia, &c.* Ita ille cùm Petrum & Paulum antea compellasset. Laudat mox Colonienſem & Louanienſem Vniuersitatem, quæ istiusmodi errores iam inurere præceperant. Nec omittam, quod inter Lutheri deliramenta Pontificio hoc diplomate contrita, istud quoque legitur: *Si Papa cum magnâ parte Ecclesiæ, sic vel sic sentiret, nec etiam erraret: adhuc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire. Præsertim in re non necessariâ ad salutem: donec fuerit per Concilium vniuersale, alterum reprobatum, alterum approbatum.* Quod delirium vides quantis hîc argumentis exufflauerimus. Sed vt Pontifices, ita hæreticos præcessorum suorum fuisse imitatores, ex aliâ quæ statim ibi subiicitur & feritur, Lutheri vecordiâ patebit. *Via nobis facta est enarrandi authoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & reprobandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, siue probatum fuerit, siue reprobatum à quocumque Concilio.* Inolitum ergo hæreticis est, Concilij obtentu decreta Pontificia ludificare: & ipsa mox Concilia deridiculo habere. Vsque adeo qui Ponti-

ficum anterioribus definitionibus illuſerant, Concilia œcumenica ſtocci fecere ſemper. Vt inde magis eluceat, non neceſſe fuiſſe plerumque coïre Concilia; & vbi coaluere, indulgenter id datum, vt vel ſic cauſationibus aduerſariorum occurreretur. Ibidem Leo Lutherum dolet *in vocem temeraria appellationis prorupiſſe ad futurum Concilium, contra Conſtitutionem Pij II. ac Iulij II. prædeceſſorum noſtrorum, quâ cauetur, taliter appellantes, hæreticorum pœnâ plectendos. Fruſtra etiam Concilij authoritatem imploranit, qui illi ſe non credere profitetur.* Vides hinc quàm iure merito appellationes iſtiuſmodi prohibitæ ſint, vt quæ patentiſſimam tergiuerſationibus ianuam pandant, & plerumque ab iis vſurpentur, qui tempus lucrari ſtudent, Concilio nihilo plùs, quàm Pontifici morem geſturi. Denique ſummam errorum Lutheri hanc eſſe Leo concludit, quod inde ſequeretur, *Eccleſiam, quæ Spiritu ſancto regitur, errare, & ſemper erraſſe.* Suam ergo & Eccleſiæ authoritatem indiuulsè cohærere ſentit. Adrianus VI. ſimiliter in Breui ad Fred. Sax. Ducem, obiurgat acerrimè plus credentes vni homuncioni, quàm *tot ſanctiſſimis ab initio Patribus, tot vniuerſalibus Conciliis, ſancta denique Eccleſiæ Catholicæ, &c. quàm reliquo orbi vniuerſo, &c. Vnus apoſtata tibi potuit perſuadere, fefelliſſe priores vniuerſos, errare poſteros, & in ſolum ſe, & quos decepit, peruenisſe regnum Dei.* Vniuerſalis, vt patet, Eccleſiæ inexpugnabilem authoritatem vbique intentat Pontifex, vt cuius conſenſus vicem gerat Concilij generalis. Nec aliter Concilium Senonenſe an. 1528. cùm ſola Pontificum diplomata hactenus detonuiſſent, fidenter Eccleſiæ vniuerſæ conſenſionem, vt veritatis facem inextinctam nouellis hæreticis obiectat. Nempe Pontificio decreto aſſentiente Eccleſiâ, ſtultum eſt præterea Concilium generale expetere hæreticos, qui in Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu ineſſe Concilij vim perſpicere debuerant. *Voluit Deus tantam eſſe Eccleſiæ ſuæ ſtabilitatem & poteſtatem, vt per eam veluti per infallibilem quandam regulam, ad ſalutem mortales dirigerentur, &c. Nec gloriari poſſunt*

Ibid. pag. 176.

Digitized by Google

hæretici, quasi apud illos resideat Ecclesia Catholica. Nam cùm illa sit vniuersalis, omnesque fideles amplectatur, alioqui Catholica non esset, angulis aut latibulis hæreticorum nequit circumscribi. Et infrà: *Cùm sciant hæretici, sicut baculo canes, ita vniuersas suas hæreses Ecclesia repelli authoritate.* Et inferiùs, vt non de fidei regulis confligatur, sed regulæ regulis, & iura iuribus accumulentur, & tantò certiùs conficiantur hæretici: *Quasi verò magis sit paucis, iisdemque temerariis errorum fatoribus credendum, quàm omnibus doctoribus, sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, summis Pontificibus, generalibus Conciliis, quo stultius dici nil potest, aut furiosius.* Ita ibi in præfat. Et in generali decreto: *Ecclesia quippe vniuersa errare non potest, vtpotè quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum.* Et infrà in decreto 1. *Vna igitur sancta & infallibilis Ecclesia, quæ nec à charitate decidere potest, nec ab orthodoxâ fide deuiare.* Quæ in eo Concilio sexcenties ingeminantur contra serpentem Lutheri perfidiam, cùm necdum de Concilio generali quidquam sonaret, cùm sola Pontificum decreta irradiassent orbi, & Christianæ Ecclesiæ silentio, velut indubitato assensu confirmata, vicem Concilij œcumenici obtinerent in antecessum.

XXVIII. Moderni Pontifices suam, & Concilij authoritatem, coniunctissimam vnamque esse agnoscunt.

Sed audiendus ipse Paulus III. in bulla indictionis Concilij Trident. *Animo repetentes maiores nostros sapientiâ admirabili, & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reipub. periculis, remedium optimum, atque opportunissimum; œcumenica Concilia, & Episcoporum generales conuentus adhibuisse: ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adiecimus.* Vides quàm suæ non infestam Concilij potestatem ducat? At infrà quo fine Concilium post diplomata primæ Sedis, habendum sit, ita declarat. *Cùm peteretur à nobis, vt ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declaremus, quoad per œcumenicum Concilium illi excuterentur, & deciderentur: idque nobis, vt concederemus, neque Christiana, & Catholica veritas, neque nostra, & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palam potiùs Concilium vt quamprimùm fieret,*

Digitized by Google

mandauimus. Et ante Concilium ergo dissentiebant ab Ecclesia Nouatores, nec eorum *toleranda* videbantur placita, solo nimirum Apostolicæ Sedis oraculo fulminata: nec ita in Concilio discuti, & decidi permissa sunt, quasi dubia antè, vel tolerabilia fuissent, sed vt pluribus fulminibus obruerentur. Ita sess. 14. Pius IV. ait: *Cùm intelligeremus ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium quod sancta hæc Sedes adhibere consueuisset, œcumenici generalisque Concilij, eius congregandi, & Deo iuuante, celebrandi consilium cepimus*. Et tota illa tamen sessione claret, nouellos tunc Euangelij & Ecclesiæ desertores, etiam ante Concilium albo hæreticorum ascriptos fuisse, & per saluos conductus scrupulosissimè trutinatos tutum sibi ad Concilium iter munire quæsisse, & nec eâ ratione plerosque ipsorum in tantum discrimen coniicere se voluisse; adeò suo ipsi iudicio implacatas cum Ecclesia simultates susceperant. Nec anteriori ergo Pontificum decreto & authoritati Apostolicæ Sedis derogat quidquam œcumenicum Concilium: nec superuacanea sunt Concilia, quibus confecta iam hæresum portenta pleniùs conficiuntur, & irreparabili strage conteruntur.

XXIX. Elucidatur quid adiiciat Synodus Pontificio decreto, & congregatio Episcoporum iisdem per suas Ecclesias dispersis.

Ad id pertinet illud Arnulphi Sagiensis Archidiaconi, pòst Episcopi Lexouiensis, tractatus in Girardum Engolism. Episc. cap. 2. *Ad hoc enim Concilia celebrari sanctorum Patrum sanxit authoritas, vt inde virtutum doctrina, malorumque correctio proueniret; & velut exercitus sui facultate conspectâ, ipsam se pleniùs Ecclesia mater cognosceret; vt aduersùm vitia seueriùs insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentiùs auspicari*. A quibus non abludunt verba Tertulliani l. de Ieiun. *Per Concilia, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christianæ magnâ veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum fide auspicante, congregari vndique ad Christum*. Apage ergo putidas illas & inauditas beatioribus sæculis lites, à Christo ipso prædamnatas, *quis earum videretur esse maior*. Ne digladiemur, maior Synodo Pontifex, vel Pontifice Synodus œcumenica

Digitized by Google

œcumenicus sit. Sed agnoscamus succenturiatum Synodo Pontificem, seipso maiorem esse: truncatam Pontifice Synodum, seipsa esse minorem. Ita non exercitus maior est duce, sed succinctus exercitu suo dux, seipso maior est; diuulsus à duce exercitus, seipso minor, & nec exercitus est, sed palantium dissipatus grex, vel grassatorum cuneus. Ita Ecclesia velut castrorum acies ordinata in Synodo, *exercitus sui facultate conspecta, ipsam se plenius cognoscit*, quæ si se capiti suo abscindat, & collidat, vtique minor, & capite minuta decrescet.

XXX. Explicatur Augustinus, de plenario post Miltiadis sententiam Concilio.

Nec obiter prætereundus est Cusanus l. 2. de Concord. cap. 17. vbi sic habet. *In plenariis Conciliis gesta & iudicata per Romanos Pontifices, etiam synodicè inueniuntur repetita & examinata, vt in Chalcedonensi Concilio iudicium Leonis contra Dioscorum. Et in sexta Synodo iudicium synodicum Martini Papæ contra Pyrrhum & Sergium. Et in octaua vniuersali iudicium Nicolai & Hadriani contra Photium.* Addit ex Augustin. epist. 162. de iudicio Melchiadis aduersùs Donatistas, *Ecce, putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos iudices fuisse: restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ solueretur.* De octauâ Synodo copiosè suprà disseruimus. De Dioscoro infrà dicetur. De sexta Synodo alibi suo loco. Quod ad iudicium Melchiadis de Donatistis, indidem validissimum arcessitur præsidium nostræ sententiæ. Nam refricanda hîc omnino sunt illa Augustini verba epist. 162. *Dedit Constantinus aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum. Non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ iudicauerant, ipse iudicaret. Sed alios, vt dixi, dedit Episcopos, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem prouocare maluerunt.* Vides post Miltiadis iudicium, restaurari aliud in Synodo Arelatensi iudicium, *non*

Digitized by Google

neceſſe iam fuiſſ, & ex veniâ, ac remiſſione iuris id factum. Vides id relaxatum fuiſſe, quia Donatiſtarum *perſeuerſitatibus cedebat* Imperator, *& omninò cupiebat tantam impudentiam cohibere.* Vides quos Romani iudicij authoritas non inflexit, nullius pòſt Synodi pondere frangi potuiſſe. Ergo quod dixerat Auguſtinus, poſt Romani Pontificis iudicium ſuperfuiſſe Concilium vniuerſale, id veniæ temperamentum erat, non iuris præſidium. Adde quod expreſsè monet Auguſtinus in vniuerſali Concilio intereſſe priores iudices debuiſſe. Ergo non appellationis, ſed ſupplicationis via panditur ab Auguſtino, quæ Principis maieſtati nihil officit. Principi enim ſupplicatur, qui ſuâ ſponte abnuit, vel annuit, iudicium ipſemet ſuum in frequentiori ſenatorum cœtu redintegrare.

XXXI. Pontifex vt Concilii caput & vox, ſolus eloquitur, & pronunciat.

Nec aliter Pontifex quàm vt totius Eccleſiæ caput, mens, vox, eloquitur, vel à fidelibus auditur, ſiue in Concilio ſiue extra Concilium fundat oracula. Et Synodi ergo voces, ac definitiones Pontifex ſuas eſſe interpretatur: & Pontificis decreta Synodus ad ſe pertinere exiſtimat. Luculentè prorſus in Conc. Baſil. reſponſione ſynodali de Romano Præſule: *Quidquid in ſacris ſtatuitur Conciliis, ſuâ etiam authoritate ſtatuitur: quæ ſemper ibi refulget, vt prima & præcipua omnibus, caput & directrix. Et cùm aut perſonaliter, aut authoritatinè ſemper in Synodis vniuerſalibus interſit, ipſeque Eccleſiæ rector ſit & paſtor, decreta Conciliorum, etiam ſua & Sedis Apoſtolicæ non immeritò dici poſſunt. Nos enim vnum Eccleſiæ corpus ſumus, & ipſe huius corporis caput, ſub capite Chriſto. Quidquid igitur ſit ab hoc corpore Eccleſiaſtico, etiamſi omnia membra in idem concurrant, ſicut in corpore naturali accidit: magis tamen ac præcipuè operatio quæuis capiti appropriatur & aſcribitur: ab ipſoque magis quàm ab alio corporis membro procedere cenſetur, &c. Dum ipſe præſens eſt, ipſe concludit, ipſe ſtatuit, & ſub nomine ſuo ac perſonâ eius decernuntur. Dum abeſt, ſui præſidentes, qui vice eius funguntur, per ſacrum Concilium deliberata concludunt.* Ergo vt ibi efficitur, cum Conciliorum decretis morigeratur

Pontifex, non maiori alicui poteſtati, ſed ſibi morem gerit. Ipſemet enim ea decreuit. Ita quæcumque ſeu primò, ſeu iterum re in integrum reſtituta, à Concilio iudicantur, ipſe iudicat, ipſe in integrum reſtituit, ipſe ſua iudicia retractat. Sicut & de Conciliorum decretis cùm diſpenſat, de ſuis ipſe diſpenſat, vt ibidem ſubiicitur: *Per Concilium ſtatuta, in nullo derogant ſuæ poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſiſque & perſonis, vtilitate vel neceſſitate ſuadente, moderari, diſpenſareque poſſit, atque vti ſummi Principis ἐπιείκειᾳ, quæ ab eo auferri nequit.* Auferri igitur non poteſt à Pontifice *ſummi Principis* poteſtas diſpenſandi, iudicandi, extra Synodum & in Synodo. Quia quidquid à corpore, ſeu Concilio geritur, Capiti præcipuè adſcribitur.

XXXII. Antiquiſſimum eſt, Pontificem ſolum aſſentiente Synodo definire.

Non pigebit, & illud obiter hîc aduertere, quod confitetur Petrus de Alliaco lib. de authoritate Eccl. part. 3. c. 2. *Quærere an errores contra fidem debeant in Concilio per ſummum Pontificem damnari ſub hâc formâ, Nos hoc ſacro approbante Concilio damnamus, &c. aut damnari debeant ſub iſtâ formâ, ſacroſanctum Concilium damnat, &c. non eſt quæſtio inutilis, quia vtraque forma in decretis generalium Conciliorum reperitur.* Vtra tempeſtiuior ſit, non litigo. Vtramque malim opportuniſſimam profiteri, ſi vtraque in Conciliis generalibus reperitur. Si inſtar enim habeant Euangeliorum Concilia: quid ibi minùs tempeſtiuum ſuſpicabimur? Sed quia antiquiorum Conciliorum morem poſteritas ſui faſtidioſa, antiquitatis minatrix magis ſuſpicit, ad Chalcedonenſem Synodum recurramus. Eam *authoritate* Leonis, *authore* Leone celebrandam ſemel itemimque reſcripſere Imperatores. Ei porrigitur act. 3. & recitatur libellus Theodori Alexandri Diaconi, inſcriptus *ſanctiſſimo ac Dei amat. & vniuerſali Archiepiſc. & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & ſanctæ vniuerſali Chalcedonenſi Synodo.* Alius item Iſchyrionis Diaconi, item tertius Athanaſij preſbyteri, quartus itidem Sophronij eâdem inſcriptione inſignes. Actione 3. Iulianus Epiſcopus ita fatur:

Nunc vestra sanctitas authoritatem habet sanctissimi Archiepiscopi Leonis, & omnis sancta Synodus cognouit singula, &c. Petimus ergo sanctitatem vestram, qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare sententiam in Dioscorum, &c. Tunc Paschasinus, & cæteri Leonis Vicarij, sententiam proferunt depositionis in Dioscorum, quâ tum flagitia eius varia pernumerant, tum denique ita concludunt: *Vnde sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, vnà cum ter beatissimo Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam Episcopatûs dignitate, quàm, &c.* Vbique perspicis primas tenere Leonem ante Concilium, non quo illa iam tum animos incessisset altercatio, emineat Papa Concilio, an ex aduerso. Sed quòd vtriusque vna & indiscreta maiestas esse intelligeretur, dependeretur autem capiti is honor à membris, qui in membra ipsa illico redundaret. Nam & in relat. ad Leonem sacra Synodus ait, illum sibi *vt caput membris* præfuisse. Et ipsum enixè orant, vt concessam à se ampliationem honoris Episcopo Constantinopolitano confirmet, *lucente apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanam Ecclesiam illum spargentes, &c.* Et infrà: *Rogamus, tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis impendimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Nulla recentissima Synodus pluribus, & illustrioribus documentis, suam in Apostolicum Pontificem venerationem insigniuit.

XXXIII. Nouo argumento efficitur, non statim superiorem Pontifice Synodum, si eius acta retractet.

Aeque vt postremo hoc argumento rem conficiam, agnato materiæ, quam tractamus, Marciano succedens Leo Imperator, & quomodocumque mederi cupiens sauciatæ Eutychianorum furoribus Ecclesiæ, prout narrat Facundus lib. 12. cap. 3. *Per metropolitanos Episcopos literas generales misit, consulens de Chalcedonensi Concilio, vt conuenientibus secum coëpiscopis suis & clericis sua responsione signarent, quid eis videretur. His acceptis iidem metropolitani*

by Google

cum ſuis collegis, ſicut erant commoniti, de ſua quiſque prouincia reſponderunt, tam concordi atque conſtanti ſententiâ, quàm ſolet multos vnire ſpiritus veritatis. Nam licet è diuerſis, longéque diſtantibus locis data, nihil tamen habuerunt omnium reſponſa diuerſum, quibus decreuerunt irretractabiliter eſſe cuſtodienda Chalcedonenſis decreta Concilij. Tum luculenta hæc præ cæteris eorum verba hæc aſcribit: *Quoniam ſicut Soli nihil minus eſt, ad demonſtrandum, quia Sol eſt; ſic & magnâ, ſanctâ & vniuerſali Synodo Chalcedonenſi minus quidem bonorum nihil omnino eſt: neque additamento aliquo eget, neque detractione, à Spiritu ſancto velut diuino quodam Sole condita.* Extraordinaria prorſus hæc fuit examinatio Concilij Chalcedonenſis, aut fidei potiùs ibi definitæ, ſed neceſſitati tamen, vel vtilitati compenſationis ex diſpenſatione donata; vt eorum calumniæ retunderentur, qui ſola Imperatoris Marciani poteſtate, actam eſſe præcipitem Epiſcoporum turbam in errorum deuia blatterabant. Vt nemo autem metropolitanos iſtos, Synodoſve prouinciales, ſeu diſiunctim, ſeu collectim, vniuerſali Synodo maiores argutabitur, etſi per eas extraordinariè retractata ſit & confirmata Chalcedonenſium decretorum ratio: Ita nec Pontificis dedecori vertet, aut maior illo Synodus efficietur, quod eius iudicia in Synodo rurſus extraordinariè ad incudem reuocata ſint. Vtrobique enim ſuperſedetur protinus illa futili vitilitigatione, *Quis eorum videretur eſſe maior?* Vtrobique nemo alterius adcremento ſibi quid decreſcere, imò vt in vnius compage corporis, alterius amplitudinem ſibi accreſcere nemo non retur. Vtrobique de humilitate magis, quàm de principatu certatur. Vtrobique extraordinarias inire vias, & inuſitatas adhibere medicinas cogit mali vis, & diſpenſandi neceſſitas, & ſui immemor Chriſti charitas. Vtrobique iura iuribus non colliduntur, ſed accumulantur: authoritas authoritati non inſidiatur, ſed conſpirat. Vtrumque demum ideo rarum eſt, quia extraordinarium, quia ſola vtilitatis compenſatione præter commune ius diſpenſandum.

XXXIV. Quomodo irretractabilia nonnisi post Synodum fint iudicia Sedis Apostolicæ.

Si autem vel ex Leone ipso oggeras, Pontificis decreta de fide irretractabilia tum demum esse post Synodum: respondebo, nec inde quidquam, quod nobis officiat, exprimi. Nam post Pontificem, extraordinariè Synodus causam eandem retractare potest. Post Synodum, ne extraordinariè quidem. Quanquam, vt modò referebamus, Leo Imperator extraordinariam quoque post Synodum effusiore quadam dispensandi licentiâ aut potiùs charitate, cognitionem concesserit. Tametsi videri non iniuriâ possit, à Metropolitanis quos Leo consuluit, non tam retractatam esse Chalcedonensem Synodum, quàm retractari non posse pronunciatum. Vnde Victor Tunon. in Chron. *Leo Aug. supplicationibus Ægyptiorum permotus, vt Synodus fieret, quæ de gestis Synodi Chalcedonensis iudicium ferret: ad cognoscendam singulorum fidem, Ecclesiarum Præsulibus vnicuique semotim scripsit: à singulis epistolas tanquam ex vnâ collatione consonas suscepit, id fieri nullatenus posse: sed magis ac magis in suâ perpetuitate Synodi gesta Chalcedonensis manere.* Porro manifestissimè alibi commonstrauimus, nec Synodi decreta irretractabilem vim assequi, nisi postquam ea Pontifex primæ Sedis approbauit, & quatenus sui examinis trutina approbauit. Idque ex hoc ipso Chalcedonensi Concilio dilucidum est. Nam quæ de Anatolij Constantinopolitani Episcopi amplificandâ dignitate decreta fuerant, ea Leo irrita decreuit, & tunc pemicit. Quæ item de tribus capitulis ibi obiter perstricta fuerant, ea Pelagius posteà, & Quinta Synodus, vtpotè à Leone non confirmata, reuocauit ad examen. Denique Ferrandus epist. ad Pelag. n. 6. & 7. retractari non posse depugnabat, quæ Leo Papa confirmasset. *Vbi maiores reperiret in Ecclesia iudices? ante se habens in legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum.* Et infrà: *Vniuersalia Concilia, præcipuè illa, quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secunda authoritatis locum post canonicos libros tenent, &c. Quæ finiuntur iudicantibus Episcopis sanctis, & ad beati Petri memo-*

Digitized by Google

riam perducta, diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub quâlibet pietatis occasione, teneri non debent. Ergo vt ex hoc nil decerpitur summæ Concilij potestati, ita nec Pontifici derogabitur quid, etsi eius iudicia, non prouocationis, sed reuisionis iudicio; non necessitate, sed ex venia; & ex ipsius Pontificis concessu, & cum ipso ac sub ipso Pontifice, Synodus œcumenica rursum cognoscat.

XXXV. Damnatus Dioscorus non propter fidem, sed propter excommunicationem vibratam in Leonem Papam.

Pauca iam, & quasi perfunctoriè de Dioscoro dicenda sunt, vtque fidem nostram liberemus. De eius ergo depositione, propter intortam maximè ab eo excommunicationem in Leonem Pontificem, ita Synodus differit in relat. ad Leonem ipsum. *Qui multa priùs pessimè operatus, priora sequentibus superauit.* Tum depositos ab eo Flauianum & Eusebium, restitutum Eutychetem commemorant. *Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem: & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.* Non de iniusta, sed de qualicumque excommunicatione in primæ Sedis Antistitem lata conqueritur Synodus, nempe contrà Apostolicam & primam Sedem, contra eum, cui iure diuino vineæ totius seu Ecclesiæ vniuersæ principatus competit, qui adeo pro Capitis officio, membra totius corporis sui lacera sibi recolligere laborabat. Ideo hoc eius facinore cætera obrui & obliterari ait Synodus. Et in epist. ad Marcianum Imp. post act. 3. depositionis iaculo confixum testatur Dioscorum, quòd Leonis epistolam in Ephesina Synodo secunda legi vetuisset; quòd Eutychetem à Leone damnatum restituisset; tertio denique *quoniam super alias suas nequitias, & aduersùs ipsam Sedem Apostolicam latrauit, & excommunicationis literas aduersùs sanct. & beat. Papam Leonem facere conatùs est.* Et act. 3. in ipsa aduersùs Dioscorum sententia, *Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè*

transcendit, præsumpsit enim & excommunicationem dictare aduersùs sanct. & beat. Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Et ibidem ex libello Theodori Diaconi: *Excommunicationem faciens contra sanct. & beat. Apostolicæ Sedis magnæ Romæ Episcopum Leonem, suasit subscribere eis, qui cum ipso de Ægypto exierunt sanctissimis Episcopis, plùs minùs numero decem: aliquoties comminans, aliquoties decipiens, &c.* Anatolius denique ipsemet ibidem testis locupletissimus est, Act. 5. *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino Archiepiscopo Leoni:* & quia ter vocatus non accessit ad Synodum. Ergo hæc summa flagitij fuit, constitutum diuino iure caput Ecclesiæ impetere, & ideo Ecclesiam ipsam obtruncare voluisse. Nam si humano tantùm ex instituto dominatur cæteris Romanus Pontifex, eccur hæc Dioscori procacitas atrocior & inexpiabilior iactatur, quàm Flauiani iniquissima depositio, & immanissima cædes? quàm Eutychetis restitutio, quàm Eutychianæ perfidiæ approbatio, quàm Synodi Ephesinæ grassatio & tyrannis, quàm fidei Catholicæ, quantum in ipso fuit, constupratio? Ad hæc cùm Apostolicam Sedem, cùm vineæ Custodem à Christo institutum loquitur Synodus, diuini iuris primatum sanè astruit. Cùm toties legati Romanæ Sedis, in ipsâ etiam sententiæ synodicæ promulgatione, Petrum *Petram & Crepidinem Ecclesiæ, & rectæ fidei Fundamentum* crepant; cùm relatio ipsa Synodi ad Leonem, semel iterumque vt *Caput membris*, ita Pontificem Synodo præesse, & Leonem *Petri interpretem* fuisse: cum *Apostolico eius radio* cæteras illuminari Ecclesias vociferatur, apertissimè his omnibus diuina primatûs Romani prædicatur institutio. Adde & illud ex epistolâ Valentiniani, & Placidiæ ad Theodosium, vt iuberet in partibus Italiæ celebrari Synodum: *Beatissimus Romanæ Sedis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit.* Et ne secus detorqueas hanc vocem antiquitatis, accipe paucula hæc ex epistolâ Gallæ Placidiæ ad eundem: *Ad Con-*

Concil. Chalced. part. 1. num. 15.

Ibid. num. 16.

cilium

Digitized by Google

cilium Apoſtolica Sedis iudicium tranſmittatur, in quâ primus ille qui cæleſtes claues dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatûs ordinauit. Quando ſcilicet decet nos huic maximæ ciuitati, quæ maxima eſt omnium, in omnibus reuerentiam conſeruare. Non tacet vrbis maieſtatem, ſed principatum ſacerdotij à Petro repetit.

XXXVI. Priora de Anatolio, Maximo, Theodoreto iudicia Sedis Apoſtolicæ Synodus ſine nouo examine approbauit.

Porro ex his conſtat hallucinatum vehementer Cuſanum, qui Dioſcori à Leone iam damnati iudicium in hac Synodo innouatum fuiſſe exiſtimabat. Nuſquam enim vel apex exiſtit vllus, quo liqueat Leonem in Dioſcorum cenſuræ mucronem ſtrinxiſſe. Nec id ſiluiſſet Synodus, quæ priora de Anatolio, de Maximo, de Theodoreto iudicia Leonis tam reuerenter amplexata eſt. Cùm enim Anatolius Dioſcori antè in vrbe regia Apocriſarius, eiuſdem Epiſcopus ordinatus fuiſſet in Epheſina illa latrocinali Synodo: electo per ſummum nefas Flauiano: cùm Domno per eiuſdem Pſeudoſynodi graſſationes depulſo, ſuffectus fuiſſet Maximus, & præter Canones ab Anatolio ordinatus: atque ita vtriuſque claudicaret ordinatio: vtramque tamen ratam habuit Synodus, Leonis ſententiam, & factam ab eo Canonum veniam amplexa, citra noui examinis ſcrutinium. De Anatolio audi Leonem ſcribentem ad Marcianum, *Nos veſtræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cùm ſecundùm ſua conſecrationis authores, eius initia titubarent, benigniores circa ipſum, quàm iuſtiores eſſe voluimus: quo perturbationes omnes, quæ operante Diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus.* Nec alia in Chalced. Synodo occurrit vſquam vitioſæ Anatolij ordinationis expiatio, aut venia. Id enim poſt Synodum Leo ſcribebat, addebatque: *Satis ſit prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio & mei fauoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit.* De Maximo autem, idem Leo in eâdem ad Marcianum epiſtolâ, ita teſtatur, Anatolium obiurgare pergens: *Neque ſibi æſtimet licuiſſe, quod Antiochenæ Eccleſiæ ſine vllo exemplo, contra ſtatuta Canonum, Epiſcopum ordinare præſumpſit. Quod nos amore reparandæ fi-*

Part. 3. Concil. Chalced. c. 6.

Digitized by Google

dei, & pacis ſtudio retractare ceſſauimus. Et diſertiſſimè Synodi Chaled. act. 10. legati Romanæ Sedis dicunt: *Si ergo & à beatiſsimo & Apoſtolico Romanæ vrbis Epiſcopo, omnia quæ ibi, Epheſi, geſta ſunt, vana ſunt habita: clarct, quia & ſanctiſsimus Epiſcopus Antiochenæ ciuitatis extra hæc eſt, quem poſt hæc beatiſsimus Epiſcopus in propriâ communione ſuſcepit.* Quæ poſtrema verba etſi deſint in Græco textu nunc quidem, olim non defuiſſe liquet tum ex fide vetuſtiſſimi interpretis, tum ex ipſa ſententiæ conſequentia, tum denique ex eo quod mox Anatolius ſuccinit in eandem ſententiam, irrita eſſe proſtibuli Epheſini decreta, *Niſi illud circa Maximum, &c. Quoniam ſanctiſsimus Romanæ vrbis Archiepiſcopus Leo in communionem illum recipiens, præſſe eum Antiochenſium Eccleſiæ iudicauit: quam formam ſequens, & ipſe approbaui, & præſens omne ſanctum Concilium.* Quibus & reliqui Epiſcopi ſuffragati ſunt. De Theodoreto denique apertè Iudices in act. 1. interloquuntur: *Ingrediatur & reuerendiſsimus Theodoretus, vt ſit particeps Synodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum ſanctiſsimus Archiepiſcopus Leo, & ſacratiſsimus Imperator ſanxit eum adeſſe ſanctæ Synodo.* Cúmque Ægyptiorum aduersùs Theodoretum, Orientalium Epiſcoporum pro Theodoreto pugnantium vociferatio ingens, & penè inſana aliquandiu infremuiſſet, & hi illis Eutychianam, illi his Neſtorianam perfidiam oprobraſſent, Iudices de tumultuoſis & epiſcopali grauitati minimùm conſentaneis acclamationibus conqueſti, hanc pacis conciliatricem & quaſi mediam iniere viam, *Theodoretus reuerendiſsimus Epiſcopus proprium recipiens locum à ſanctiſsimo Epiſcopo inclytæ vrbis Romæ, in locum nunc accuſatoris ingreſſus eſt.* At act. tandem 8. vehementius Epiſcopi omnes incaluere, & expreſſere tandem à Theodoreto id vnum, vt apertè Neſtorio diceret anathema. Quo perfecto Iudices dixere, *Omnis iam dubitatio de Theodoreto eſt ſoluta, quippe & Neſtorium coram nobis anathematizauit, & à ſanctiſſ. Leone ſuſceptus eſt, & epiſtolæ ſanctiſſ. Leonis ſubſcripſit. Supereſt igitur vt ſententia proferatur à Reuerentiâ ve-*

Digitized by Google

ſtrâ, vt Eccleſiam ſuam recipiat, ſicut & ſanct. Leo Archiepiſcopus iudicauit. Omnes reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt, Theodoretus dignus eſt Sede. Eccleſiæ orthodoxum. Eccleſia Paſtorem recipiat. Archiepiſcopo Leoni multos annos. Cum Deo Leo iudicauit. Vt in Anatolio & Maximo, ita & in Theodoreto ſuperſederi potuiſſet hac ſcrupuloſitate. Nec iniquum tamen fuit ſubdubitantibus de fide Theodoreti ſatisfieri. Porro hoc vnum verbulum à Theodoreto expugnatum, ſeu anathema Neſtorio dici, non eam ego, non cordatus quiſquam ſententiæ Leonis reuiſionem, non totius cauſæ retractationem dixerimus, ſed reſtitutionis à Leone decretæ executionem. Executores enim Epiſcopi non iniuriâ flagitant, vnicâ voculâ eximi ſibi ſcrupulum dubitationis, tumque Leonis ſententiæ applaudunt.

XXXVII. De Dioſcori rurſum facinore, & petulantia in maiorem Sedem.

Atque vt ad Dioſcorum redeam, eadem fermè nobiſcum Synodi verba, & argumenta inculcauit Nicolaus Papa I. epiſt. 8. *Nunquid ibi legitur inquiſitionem fuiſſe factam, vtrum iuſtè, an iniuſtè ipſam iam fatus Dioſcorus excommunicationem dictaſſet? Non planè, ſed abſque omni controuerſiâ hoc in eo vlti ſunt, quia cùm eſſet inferior, potiorem quibuſlibet conatus eſt laceſſere contumeliis: teſte Anatolio, &c.* Et Hadrianus II. in epiſt. ad Ignatium quæ habetur in act. 3. Synodi 8. illa Patrum Chalcedonenſium verba perpendens, vbi aiunt Dioſcorum, *ſecundis exceſſibus priorem iniquitatem tranſcendiſſe*, hæc addit: *Vnde nota, quod Dioſcorus ſecundis exceſſibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictatâ patrauit, etiam hæreſin Eutychianam valdè tranſcendiſſe referatur.* Et act. 7. legitur allocutio eiuſdem Pontificis, & ſuggeſtio Synodi Romanæ ad eundem in eandem omnino ſententiam: *Quarta magna & vniuerſalis Synodus adeo hanc temeritatem execrata eſt, vt Dioſcorum Alexandrinum ſine reſtitutione damnauerit. Præſumpſerat enim & ipſe contra primæ Sedis priuilegium, contraque iam memoratam regulam agens, cùm eſſet poſterior, ſe anteriori proferre.* Quibus permirum eſt obſtrepere & nebulas offundere auſos Nouatores, cùm in Epheſina prima Synodo iam ſuprà aduer-

Digitized by Google

terimus ſuo loco, Ioannem Antiochenum à Cyrillo & Synodo in crimen vocatum eſſe, quod *in maiorem Sedem*, videlicet Alexandrinam, ferre ſententiam auſus eſſet. Quod & Hadrianus & Romana Synodus paulò antè citato loco aduerterunt: *Saltem Ioannem Antiochenum Epiſcopum in Epheſinâ Synodo recolere voluiſſet Photius, idcirco damnatum, quia Cyrillum anterioris, id eſt, Alexandrinæ Sedis Antiſtitem damnare non metuit, &c. Tertia generalis Synodus Antiochenum damnauit Ioannem, quoniam aduersùs potioris Sedis, id eſt, Alexandrinæ Pontificem, primâ Sede non conſentiente, auſus eſt proferre ſententiam.* Quod probant verbis ipſis Synodi ad Cæleſtinum ſcriptis. Quæ de Dioſcoro diſputata, & ipſa maximè de eo verba Anatolij relata ſuperiùs, nequaquam pugnant Leontio, lib. de Sect. act. 6. qui Hæſitantibus obiicientibus, *Si non propter fidem hæc Synodus Dioſcorum depoſitum dixit, cur nos reiicit? ſic enim credimus, vt ille credebat:* reſpondet: *Non propter fidem abdicatum eſſe Dioſcorum, nec illam fuiſſe depoſitionis eius cauſam: quippe nec adiit propterea Synodum, vt hoc nomine de ipſo iudicaretur: ſed quoniam reapſe tertiò vocatus venire recuſauit. Si tamen veniſſet, etiam propter fidem fuiſſet abdicatus.*

XXXVIII. Theodoretus in facto & perſonâ, non in fide titubare viſus, in vtroque compulſus aſſentiri Synodo.

Perpenſis iam Pontificis & Synodi œcumenicæ iuribus, ad imperatoriam etiam dignitatem proficiſci, & eius prærogatiuas, ſi quæ ex hâc Synodo radient, ponderare animus eſt, & res ipſa iubet. Vnum hoc interſeram, quod ad Theodoretum magis pertinet, de quo non ita pridem verba fecimus. Nutaſſe videlicet illum videri, non in fidei, ſed in perſonæ & facti controuerſiâ, & tandem extricare ſe coactum ab illis tergiuerſationum ſpiris. Abruptè enim Epiſcopi hoc vnum flagitabant, *Modò anathematiza Neſtorium*. At ille diuerticula alia, aliaque ſubinde comminiſcebatur, fideique orthodoxæ palam confeſſionem edens, Neſtorio anathema nominatim indicere & abſolutè fugitabat. Preces nempe ſe obtuliſſe Imperatori, & vicariis Romanæ Se-

Digitized by Google

dis libellos, &c. Se ab orthodoxis genitum, orthodoxè prædicasse, &c. Se neque de Episcopatu retinendo cogitare, &c. Se non posse aliud, quàm fidem suam profiteri, &c. Has cauillationes toties iteratas, toties Episcopi protelauere, & anathema Nestorio, Nestoriumque amantibus dici vrgentissimè præcepere. Acutiores etiam cauillos Theodoretus hos excogitauit, *Non solùm Nestorium & Eutychen, sed & omnem hominem, qui rectè non sapit, auersor, & alienum existimo.* Cúmque non acquiescceret Synodus, rursum ille: *Veni satisfacere me esse orthodoxum, & quia Nestorium, & Eutychen, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizo.* At Episcopi subodorati latitantia forsan fraudum semina, nec his contenti vrgebant præterea, *Dic apertè, Anathema Nestorio, & his qui cum eo sapiunt.* Cúmque ille renueret, nisi fidem priùs suam palam edissereret; nempe vt coniectura est, eâ spe fretus, quòd sanæ fidei confessione placaretur Synodus, nec vlterius quidquam expeteret: Episcopi clamauerunt, *Iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte.* Tunc demum apertè Theodoretus dixit, Anathema Nestorio. Quamuis subscripsisset epistolæ Leonis, quamuis orthodoxam de Deiparâ & vnâ Christi personâ fidem professus esset antè Theodoretus; hæreticus tamen à Synodo & Nestorianus proclamabatur, nisi Nestorio nominatim anathema diceret. Ergo & suis de rebus facti & personarum definitionibus subscribere iubent Synodi, iubet Ecclesia, vbi adlubescit sibi. 2. Et qui tergiuersatur, vrgetur: qui parere pernegat, quantumuis fidem Catholicam se sectari clamitet, hæreticus iudicatur, Synodoque expellitur. Nempe hæresin ipsam hac simulatione celari, & retineri interpretatur Ecclesia. 3. Nec pauci nunc Episcopi, aut Ægyptij solùm, sed omnes prorsus Theodoreto hanc necessitatem imposuere, vniuersi inquam, post fidem suam subscriptione Leonis epistolæ, & damnationis Dioscori, approbatam. 4. Theodoretum antè Leo Papa Ecclesiæ & Sedi suæ restituerat, nec no-

minatim ob eo expreſſerat Neſtorij damnationem, vt ſimile veri eſt. Nam ſi id antè ab eo impetraſſet Leo, non tam inſtanter Synodus hoc iterum flagitaſſet, non Theodoretus tam morosè reniſus eſſet. Videlicet potuerat Leoni non obrepere ea ſuſpicio. Poterat Leo ſimpliciùs fidei acquieſcere confeſſioni, nec de perſonis negotium faceſſere. Poterat diſpenſatione hic quoque vti, quam plurimam, poſt Epheſinæ graſſationis ſcandalum, à ſe adhibendam fuiſſe ſuprà ipſemet teſtabatur. 5. Etſi id à Theodoreto non extorſerat Leo, extorquere potuerunt Epiſcopi. Et quamuis non imperaſſet Pontifex primæ Sedis, imperantibus aliis Pontificibus obtemperandum ſanè fuit. 6. Denique nec cuicumque, ſed Epiſcopo impacta hæc neceſſitas eſt à Synodo.

XXXIX. Idem de Anatolio & Ægyptiis Epiſcopis obſeruatur.

Non diſſimilem verſutiam Anatolij videntur ſibi aliqui olfeciſſe, cùm tam fidenter pronunciauit, non eſſe damnatum Dioſcorum ob fidem, ſed ob Apoſtolicæ Sedi irrogatam contumeliam. Patentiſſima enim erat Dioſcori in Eutychianam hæreſin ruina. Sed de Anatolio iudicium eſto aliorum. Explicatior eſt Ægyptiorum Epiſcoporum moroſitas act. 4. Cùm enim clamaſſent, *Si quis præter iſta ſapit, Eutyches, ſiue alter aliquis, anathema ſit.* Ne ſic quidem quieuit Synodus. *Epiſcopi clamauerunt: Manifeſtè anathematizate dogma Eutychis.* Reſtitantibus adhuc Ægyptiis, Epiſcopi clamauerunt, *Qui non anathematizat Eutychen, hæreticus eſt.* Tunc denique paruerunt Ægyptij, clamaueruntque, *Anathema Eutychi & credentibus ei.* Vide inferiùs in eadem ſeſſione tergiuerſationes Caroſi Monachi: Eutycheti anathema dicere detrectabat, aut ita dicebat, *Si non credit Eutyches, ſicut credit vniuerſalis Eccleſia, anathema ſit.*

XL. Imperator, idem ipſe Sacerdos eſt.

τῷ ἱερῶ, τῷ βασιλῶ.

Ad regias nunc expendendas in rebus eccleſiaſticis vires, concretaque Imperio ſacra priuilegia, & penè ſacerdotalia iura, animum, calamumque conuertamus. Marciano acclamatur act. 6. *Sacerdoti, Imperatori, multos annos. Eccleſias tu erexiſti hoſtium victor, Doctor fidei.* Et ali-

zed by Googl

quantò ſuprà, *Marciano, nouo Conſtantino, nouo Paulo, nouo Dauid, &c. Orthodoxam fidem tu roboraſti. Sicut Apoſtoli, ita creditis.* Iam enim actione primâ eiuſdem Chalced. Synodi recitatum fuerat illud ex act. 7. Concilij Conſtantinopolitani ſub Flauiano, vbi Theodoſio ſimiliter acclamabatur, *Orthodoxo, pio Imperatori, Pontifici Imperatori.* Parte quoque tertiâ huius Chalced. Synodi legitur epiſtola Agapiti Rhodi Epiſcopi, ad Leonem Imperatorem, hæc habens, *Verè namque Sacerdos, & naturâ Imperator exiſtis.* Actione 18. ſextæ Synodi Leo Pontifex Conſtantino Imperatori gratulatur, quòd *regali faſtigio depoſito, vnum ſe de collegio Sacerdotum pro zelo Dei adnumerari concupiſceret.* At in anteactis ſeptimæ Synodi Gregorius Papa Romanus Leonem Iconomachum epiſtolâ ſecundâ ita obiurgat: *Scripſiſti, Imperator ſum & Sacerdos. Enimuero qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere & ſermone demonſtrarunt, qui curam geſſerunt Eccleſiarum, vnà cum Pontificibus, cupiditate zeloque incenſi, rectaque fidei veritatem perueſtigantes, Conſtantinus magnus, Theodoſius magnus, Valentinianus magnus, & Conſtantinus Iuſtiniani Pater, qui ſextæ Synodo interfuit. Imperatores iſti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus vno Concilio ac ſententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, ſanctas Eccleſias conſtituerunt & ornarunt. Hi ſunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonſtrarunt.* Quibus nihil luculentius dici potuit.

ἀδιάσειστος τῆς πίστεως.

τῷ ἀρχιερεῖ βασιλεῖ.

XLI. Rurſum de ſacerdotio Chriſtianis Principibus agnato, coalitoque.

Cuius Sacerdotij imperatorio nomini agnati coalitique origo, vt coniicio, repetenda eſt à Conſtantino, qui ſe quoque Epiſcopum, exteriorem ſe Eccleſiæ Epiſcopum inter Epiſcopos glotiabatur. Cui alludens Carolus Magnus lib. 6. Capit. c. 306. *Quod & nos qui miniſtri Domini ſumus, nec ſine causâ Dei gladium portamus, epiſcopali in vice omnium Epiſcoporum, atque regali authoritate pro viribus cunctos agere iubemus.* Vbi notandum quod cùm interiores Eccleſiæ innumeri ſint Epiſcopi, vnum ſe exteriorem Epiſcopum venditat, *vice omnium Epiſcoporum*, exequentem videlicet inermes alioqui leges ſpirituales. Leo

Digitized by Google

quoque l. epist. 59. ad Marcianum Augustum, sacerdotio imperium quasi consecrat. *Ineffabiliter Deo gratias ago, qui temporibus, quibus oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in imperij fastigio collocauit, in quibus ad totius mundi salutem & regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria.* Et epistolâ 75. ad Leonem Augustum: *Apud Christianissimum igitur Principem, & inter Christi prædicatores digno honore numerandum, vtor Catholicæ fidei libertate, & ad consortium te Apostolorum & Prophetarum securus exhortor, vt constanter repellas eos qui se Christiano nomine priuauere, &c.* Et confestim ibidem, *Debes incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, &c.* Et infrà: *Sacerdotalem namque, & Apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere, &c.* Non multùm ab his abluere Græci, qui ἰσοαπόστολον, æqualem Apostolis Constantinum magnum prædicâuere. Iustinianus certè Nouel. 7. cap. 2. ait: *Cùm nec multùm differant ab alterutro Sacerdotium & Imperium; & res sacræ à communibus & publicis.* Et Gregorius Turon. lib. 9. cap. 21. de Gunthranno rege: *Rex acsi bonus sacerdos, prouidens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, &c. Vt iam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur, &c.* Et Fortunatus l. 2. Carm. 11. de Childeberto Francorum Rege:

Melchisedec noster, merito Rex, atque sacerdos,
Complexit laïcus religionis opus.

Et Guillelmus Carnot. in vita S. Ludouici: *De salute etiam animarum vltrà quàm credi possit, piâ vsurpatione, permotus, sic de ipsâ curabat attentè, quod etiam quodammodò regale sacerdotium, aut sacerdotale regimen videretur pariter exercere.*

XLII. Posteriorum Græcorum assentatio vlteriùs, & ad insaniam prouecta.

Magnifica, & penè inuidiosa hæc sunt, nec his tamen lineis cohiberi potuit posteriorum Græcorum assentatio. Accipe enim quæ scribat Demetrius Chomatenus Archiepiscopus Bulgariæ ad Constantinum Cabasilam tom. 1. Iuris Orient. Respons. l. 1. p. 317. *Imperator vt communis Ecclesiarum διοικητὴς existens & nominatus, synodalibus*

Digitized by Google

nodalibus præeſt ſententiis, & robur tribuit, eccleſiaſticos ordines componit, & legem dat vitæ, politiaque eorum, qui altari ſeruiunt: hoc amplius, iudiciis Epiſcoporum, Clericorumque & vacantium Eccleſiarum electionibus, &c. Et vt vno verbo dicam, ſolo ſacrificandi excepto miniſterio, reliqua pontificalia priuilegia Imperator repræſentat, quando legitimè canonicéque facit. Tum ex Ioſepho refert Tiberium, poterat & cæteros Imperatores Romanos dicere, & ipſos etiam perdiu poſtquam Chriſtiano nomine claruerunt, Pontificis maximi nomen & poteſtatem obtinuiſſe. Denique vt Chriſtus in Sacerdotem ſimul & Regem inauguratus eſt, ita & Imperatores Chriſtianos regiâ ſimul & ſacerdotali gloriâ inungi ominatur. *Quod igitur & Vnctus Domini ſit, qui pro tempore eſt Imperator propter vnctionem Imperij: Chriſtus autem Deus noſter, præ cæteris etiam Pontifex factus eſt & prædicatur. Meritò ergo & ipſe pontificalibus decoratur gratiis.* His præluſerat Theodorus Balſamon ibid. l. 7. p. 444. *Audiant hi, tam ad amplitudinem imperatoriam, quàm patriarchalem officia docendi pertinere, propter vnctionis ſacræ vim atque poteſtatem. Hinc enim vſuuenit, vt fideles Principes atque poteſtates catechetico more cum populo Chriſtiano colloquantur: aut ſuffitum faciant more ſacerdotum, & cum cerâ duplici obſignent.* Addit non ob docendi tantum munus, faces argenteis aureiſque veluti corollis cinctas prælucere, & præferri Imperatoribus: cùm Imperatrici, cui vt mulierculæ docere nefas, præferantur: *Sed quod inſtar cæleſtis illius gigantis, hoc centrum orthodoxæ doctrinæ radiis colluſtrent; quodque luceat eorum egreſſio ab extremo cælo: & occurſus ipſorum ad alteram cæli tendat extremitatem, cùm interim nemo ſit, qui ab eorum calore ſe poſſit abdere.* Subiicit denique Imperatricis, quòd ſola curet corpora ſubditorum: Patriarchæ, quòd ſolas ferè animas, vnicis: at Imperatoris faces, geminis decorari corollis; quòd *eius auxilium ad illuminationem & ſtabilimentum ſeſe tam animi, quàm corporis porrigat.* Et ne extremas tantùm Græciæ faces hâc adulandi inuerecundiâ laboraſſe putes, iam olim temporibus Maximi Mar-

tyris Monotheletarum debellatoris, ſin minùs ſacerdotes, certè Principes iam inceſſerat ea peſtis. Nam in collatione eorum cum Maximo, vrgente Maximo eſſe ſacerdotum, *quærere, ac definire de ſalutaribus Eccleſiæ dogmatibus*, inſurgunt illi ex aduerſo, vt Typum à Conſtante editum tueantur, *Ergo non eſt omnis Chriſtianus Imperator, etiam ſacerdos?* Ita & in epiſtolâ Gregorij Papæ ſecundâ ad Leonem Iſauricum ſuperiùs laudatâ, conſtabat Imperatorem ſacerdotale & nomen & priuilegium ſibi vendicantem, & vltra metas laſciuientem, ſperaſſe ſuis decretis poſſe Chriſtianam fidem moderari, ac ſuo nutu vertere ſus deque. Prior ergo procerum adulatio, tum ipſorum de ſe Imperatorum amabilis inſania, denique lapſu temporum, gliſcens in Epiſcopos etiam & clericos aſſentandi libido, Chalcedonenſium Patrum infucatâ ſimplicitate in perniciem eccleſiaſticæ diſciplinæ abutebatur. Caſtigatiùs è recentioribus Græcis Simeon Theſſalonicenſis Archiep. lib. de ſacr. Ordin. cap. 7. *Imperator, quæ ſunt ſacerdotij, non habet: neque Apoſtolorum, Prophetarum, aut Doctorum dona. Solùm renunciatur Pontifex unctione Chriſmatis, &c. Chriſtus ſolus Rex, & Epiſcopus eſt.*

XLIII. Imperator fidei Cuſtos, ideo Synodis aderat quandiu de fide diſceptabatur.

Nec enim œcumenica hæc Synodus *Pontifici Imperatori* gratulabunda, doctorem propriè fidei illum, ſed Cuſtodem & Defenſorem prædicabat: nec diſciplinæ viſcera ſtatim illi aperiebat, ſed ſolis fidei tractatibus, non cauſarum, non iudiciorum intereſſe patiebatur. Quæ duo hîc curſim perluſtranda: vt Græculorum palponum leuitas euidentiùs pateat. Nam affuiſſe Imperatorem Procereſve laïcos œcumenicis Synodis, vbi fidei quæ ipſis etiam communis eſt, cauſa ventilabatur, planum eſt ex orat. Marciani Imperatoris ad Synodum Chalced. act. 4. *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus, ne vel vlteriùs populi prauis ſuaſionibus ſeperentur.* Et eiuſdem Synodi act. 1. recitantur Conſtantinopolitani ſub Flauiano Concilij aduersùs Eutychen geſta,

cui interesse Theodosius Imperator Florentium Patricium iusserat rescripto suo, *Quoniam de fide sermo erat.* Vnde & Nicolaus I. epist. 8. ad Michaëlem Imp. *Dicite, quæso, vbinam legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad clericos, verùm etiam ad laïcos, & ad omnes omnino pertinet Christianos?*

Sed Synodis fidei arcana disceptantibus aderant Imperatores & Imperatorij Optimates, non vt dicerent, sed vt discerent: non vt dictarent, sed vt dictatam ab Episcopis fidem confirmarent, defenderentque aduersùs obtrectatores & impacatos contentionum satores. Ita Constantinus etsi ad populum quandoque concionabatur de pietatis officiis, & præibat Principibus, de quibus suprà Balsamon, catechetico more perorantibus; non tamen vel Donatistas, vel Arium vllo suo diplomate aggressus est percellere, nisi postquam Episcopales Synodi in istiusmodi hæresum architectos detonuerant. Denique exteriorem se professus Episcopum, penetralia fidei sanciendæ sibi sepsit ipse, totûmque ad episcopos retulit, de quibus ait ipse: *Quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad diuinam referendum est voluntatem.* Ita Valentinianus teste Sozomeno lib. 6. cap. 7. Orientalibus Episcopis fidem consubstantialis restaurare sollicitantibus, respondit: *Sibi qui vnus è laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se vbicumque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant.* Sed nihil vehementius Ambrosio, epist. 32. vbi de fide cum Auxentio disputare in Consistorio Principis recusabat: *Nec quisquam contumacem me iudicare debet, hoc cùm asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus, non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causâ fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt; hoc est, sacerdotes de*

XLIV. Sed aderat Imperator Synodo, vt fidei auditor, non dictator.

Euseb. lib. 3. de vita eius c. 20.

Digitized by Google

ſacerdotibus voluit indicare. Vnde docemur Valentinianum reſponſum ſuum ſuprà relatum etiam lege latâ firmaſſe. Pergit autem Ambroſius animosè: *Quando audiſti, Imperator clementiſſime, in causâ fidei laïcos de Epiſcopis indicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt ſacerdotalis iuris ſimus immemores: & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? Si docendus eſt Epiſcopus à laïco, quid ſequetur? Laïcus ergo diſputet, & Epiſcopus audiat, Epiſcopus diſcat à laïco. At certè ſi vel Scripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat, in causâ fidei, in causâ, inquam, fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis indicare?* Et infrà: *Si conferendum eſt de fide, ſacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges antè præmiſit, ſed liberum dedit iudicium ſacerdotibus.* Idem porro Ambroſius in Conc. Aquilei. aduersùs Palladium ad laïcos iudices prouocantem in fidei negotio, hæc increpat: *In hoc ipſo damnandus eſt, qui laïcorum expectat ſententiam, cùm magis de laïcis ſacerdotes debeant indicare.* Concinens anteriorum Principum pietati Theodoſius Iunior, ad Epheſinam Synodum hæc ſcribit:

Conc. Epheſ. p. 1. c. 35. *Candidianum Comitem ad ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus: ſed eâ lege & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas eſt enim qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo aſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe immiſcere.* Et Agapetus Papa ad Iuſtinianum: *Pietatis tuæ epiſtolam de fidei veſtræ expoſitione, à prædeceſſore noſtro Ioanne roboratam, noſtra quoque authoritate firmamus, laudamus, amplectimur. Non quia laïcis authoritatem prædicationis admittimus: ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus.* Et Gregorius Papa ad Leonem Iſaurum nouæ hæreſeos fa-

In actis 7. Synodi. bricatorem, epiſt. 1. *Scis, Imperator, ſanctæ Eccleſiæ dogmata non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum, quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices, à reipub.*

Digitized by Google

negotiis abſtinentes: vt Imperatores ſimiliter ab eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt, capeſſant. Et epiſt. 2. ferocius adhuc: *Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum. Quoniam Chriſti ſenſum nos habemus. Alia eſt Eccleſiaſticarum conſtitutionum inſtitutio, alius ſenſus ſæcularium. In adminiſtrationibus ſæculi militarem & ineptum quem habes ſenſum & craſſum, in ſpiritalibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes.* In eandem ſententiam præclara ſunt & iſta Damaſceni orat. 2. de Imagin. *Regum partes non ſunt, vt Eccleſia leges præſcribant. Conſidera enim, quid dicat Apoſtolus: Et quoſdam quidem in Eccleſiâ poſuit, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores & Doctores. Ad Eccleſiæ conſtitutionem non adhibuit Reges. Et rurſum, Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, &c. Verbum non locuti ſunt vobis Reges, ſed Apoſtoli, & Prophetæ, Paſtores atque Doctores. Cùm præcepiſſet Deus Dauid, vt ædificaret ſibi domum, ſic allocutus eſt eum: Non ædificabis mihi domum tu, quoniam vir ſanguinum es. Regum eſt ciuilis adminiſtratio, eccleſiaſtica verò conſtitutio, Paſtorum atque Doctorum. Impetus iſte Latronum eſt. Scidit Saül pallium Samuelis, & quid ei contigit?* Totidem penè verbis Theodorus Studita, dux Studitarum: *Ne tentes nunc, ô Imperator, Eccleſiaſticum ſtatum diſſoluere. Ait enim Apoſtolus, Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores & Paſtores ad perfectionem ſanctorum. Non dixit Reges. Tibi quidem, ô Imperator, ciuilis ſtatus & exercitus commiſſus eſt. Hæc igitur cura. Eccleſiam autem Paſtoribus & Doctoribus derelinque.*

Apud Baronium, an. 814. n. 12.

Hoc ergo primùm temperamento, & Chalcedonenſium Patrum acclamatio, & Imperatorum quorundam eâ ex occaſione turgeſcens enormiter faſtus, & adulatorum procerum infinita quædam inſania mitiganda fuit. Quod enim obganniunt Græculi recentiores, inunctos vt regno, ita ſacerdotio Reges, & ideo Chriſtos dici: quia Chriſtus Rex idem & Sacerdos eſt; contrà totum eſt. Nam quia vnius Chriſti id eximium fuit decus, vt

XLV. Chriſtus ſolus idem Rex & Sacerdos. Ea exinde diſcreta fuere nomina & officia.

Digitized by Google

& regno & sacerdotio simul floreret: exinde nusquam Reges sacerdotio, nusquam Sacerdotes regno simul, nisi in speciem, & nomine tenùs, aut perfunctoriè potiri potuere. Marciani exemplo hanc regulam sancit Facundus Hermian. lib. 12. cap. 3. *Cogitare & nosse facillimè potuit Marcianus, Christi solius esse regnum cum sacerdotio simul habere. Quoniam etsi quidam Reges in eius venturi figuram, sacerdotio functi sunt: tamen cùm manifesta lux veniret in mundum, vmbras remouens, futurorum nulli alteri dedit, quod sibi singulare seruauit: sed in diuersos dona sua distribuens, sic, quæ propria sunt sacerdotij, regibus interdixit. Quocirca quemadmodum vir sapiens non prophanum iudicaret, hoc velle videri, quod solus est Christus?* Quem imitatur Papa Nicolaus epist. 8. ad Michaël. Imp. *Fuerunt hæc ante aduentum Christi, vt quidam typicè Reges simul & Sacerdotes existerent. Quod sanctum Melchisedec fuisse sacra prodit historia: quodque in membris suis Diabolus imitatus, vtpotè qui semper quæ diuino cultui conueniunt, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit: vt pagani Imperatores iidem, & maximi Pontifices dicerentur. Sed cùm ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, vltrà sibi nec Imperator iura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium vsurpauit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus in inferna demergi: vt & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur.* Quæ verbis totidem leguntur in Gelasij Papæ tomo de anathematis vinculo.

XLVI. Iudiciis, & causis canonicis abstinuere Imperatores. Exempla Marciani & Constantini.

Hactenus de fide ab Imperatoribus non dictandâ, sed sanciendâ à Pontificibus, & ita demum ab illis custodiendâ, & aduersùs Nouatorum procacitatem vlciscendâ: Causis autem aliis ecclesiasticis ne adesse quidem fas erat Principi, dum inter Episcopos tractarentur, nedum se immiscere, Chalcedonensis huius Synodi act. 3. Dio-

Digitized by Google

ſcorum ſiſtere ſe recuſantem, niſi adeſſent cognitioni Iudices & Senatus, Cecropius Epiſcopus refutauit his verbis: *Quando canonicæ quæſtiones examinantur, neque Iudices, neque alios laïcos intereſſe oportet, niſi tantummodo tuam ſanctitatem, quæ in propriâ accuſatur perſonâ.* Conſtantinus iam olim à canonicis iudiciis ſibi temperandum duxerat, cùm teſte Rufino lib. 1. hiſt. in hunc modum Epiſcopos alloqueretur: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati eſtis iudices; & conueniens non eſt vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolùm, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* De Cæciliano, quem à traditoribus ordinatum criminabantur Donatiſtæ, non ipſe cognouit, ſed iudices dedit Epiſcopos Romæ cum Melchiade cognituros; & rurſus de iudicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, non ipſe cognouit, ſed Arelatenſe indixit Concilium: denique de appellatione Donatiſtarum ab hac Synodo iudicauit ipſe quidem, ſed vt vel ſic eorum indomitam frangeret contumaciam, & authore Auguſtino, veniam ab Epiſcopis petiturus. Athanaſium in Concilio Tyrio cauſam dicere idem iuſſit, cui ipſi quod adeſſet Dionyſius Comes ſatellitio militum cinctus, conquerebatur Athanaſius, *Si iſtud iudicium Epiſcoporum, quid commune cum eo habet Imperator?* Antiocheno rurſum Concilio damnatus, Sardicenſi abſolutus Athanaſius eſt; cuius extorquendæ damnationi, cùm ſe impotentiùs infereret Conſtantius, ita illum increpabat Liberius apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. *Noli per Epiſcopos tuas vlciſci inimicitias. Nam virorum eccleſiaſticorum manus ſanctificationi vacare debent, &c.* Nec ipſe Conſtantius enim alio, quàm Epiſcoporum iudicio, Athanaſio exitium moliri ſe poſſe ſperabat: ſed cùm ſe intemperantiùs infereret epiſcopalibus Synodis, libertati canonicæ vehementer officiebat. Et Athanaſius Apol. 2. *Quis non exiſtimet ſub externo iudice, &c. quæſtionem de corpore & ſanguine Chriſti haberi? Nam ſi omnino delictum aliquod perpetratum eſſet, oportebat de eo legitimè in Eccleſiâ inquiri à Clericis.* Et infrà legitur epi-

ſtola Concilij Sardicenſis, ex quâ decerpo hæc pauca: *Preces noſtras ad Imperatores retulimus, vt illorum humanitas conſtituat, ne quis Iudicum quorum munus eſt publica curare, de clericis ſententiam ferat, &c.* Et in Epiſt. ad ſolitarios, *Epiſcopis ad ſe vocatis iuſſit Imperator, vt contra Athanaſium ſubſcriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus nouum eius ſtudium, dicentibuſque id non eſſe eccleſiaſtici Canonis; ille ſubiecit, At quod ego volo, pro Canone ſit, &c. Denunciabant illi Epiſcopi diem iudicij, ſuadebantque, ne eccleſiaſtica corrumperet, neve Romanum Imperium eccleſiaſticis conſtitutionibus immiſceret.* Intexitur inferiùs epiſtola Oſij ad Conſtantium, vbi illum ſic vrget: *Quid tale à Conſtante actum eſt? aut quando iudiciis eccleſiaſticis interfuit? &c. Ne te miſceas eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis imperium in terris tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.* Et infrà Athanaſius: *Obtendit Imperator in ſpeciem, Epiſcoporum iudicium, ſed interim facit, quod illi volupe eſt. Si iſtud eſt iudicium Epiſcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Sin contrà minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditum eſt? Quando iudicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris familiâ, non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit.* Et denique inferiùs, *Quis videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudiciis eccleſiaſticis, non meritò dicat illum etiam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta?* Et paulò ſuprà, ne

in

in Athanasium Constantinus ipse sæuisse æstimaretur, & Constantio facem prætulisse: *Siquidem Pater ex calumniâ Eusebianorum Athanasium ad tempus in Gallias amandauit, quò liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias immi-nebant. Hoc enim à beato Constante post mortem Patris scriptum fuit; vt ex literis eius patet.* Similiter Hilarius ad Constantium: *Prouideat, & decernat clementia tua, vt omnes vbique indices, quibus prouinciarum administrationes credita sunt, ad quos sola cura & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosâ se obseruantiâ abstineant. Neque posthac præsumant atque vsurpent, & putent se causas cognoscere cleri-corum.*

XLVII. Alia exempla Theodosii, Honorii, Basilii, &c.

Theodosius Magnus quàm illibatam Episcopis constare concesserit canonicorum iudiciorum potestatem, fidem facit Constantinopolitanæ Synodi primæ Canon sextus. Honorius ad Arcadium fratrem de exilio Chrysostomi hæc scribit: *Cùm si quid de causâ religionis ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos religionis præstat obsequium. Sed esto, sibi de mysticis & catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpserit: itane vsque ad exilia sacerdotum, vsque ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere?* Octauæ Synodo, eiusque decretis de vitiosâ Photij ordinatione, & Ignatij Patriarchæ restitutione, subscripturus Basilius Imperator, hæc perinodestè præfatus est: *Laïco cuicumque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi, aut vniuersam Ecclesiam, œcumenicamque Synodum oppugnandi fas esse dico. Hæc enim excutiendi, & in vtramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum & Doctorum est officium, quibus à Deo ligandi & soluendi potestas est data. Nam laïcus etsi omni pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen laïcus est, & ouis, non pastor.* Assentitur denique Iustinianus, qui ecclesiasticæ iurisdictionis fines peruasisse omnium maximè infamatus est. Nouella enim 83. ita habet: *Si ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione ecclesiasticâ & multâ, Deo amabilis Episcopus hoc discernat: nihil communicanti-*

Digitized by Google

bus clarissimis provincia Iudicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles Iudices. Cùm oporteat talia ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per ecclesiasticam mulctam, secundùm sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.

XLVIII. Multo magis sibi temperarunt Principes à legibus ecclesiasticis ferendis.

Si à iudiciis autem canonicis abstinendum sibi duxere Imperatores, multo æquius sanè fuit, vt à legibus eà de re ferendis sibi temperarent. Multo enim grauius est leges ferre iudiciorum moderatrices, quàm consequenter & conuenienter legibus, ipsa exercere iudicia. Ideo & Marcianus in Chalcedonensi hac Synodo, sanciri aliqua percupiens, de monachorum in Episcopos obsequio, Monasteriorum exædificatione non sine assensu Episcopi, Clericorum à sæcularibus negotiis secessione, & iugi fidâque in propriis Ecclesiis residentiâ; non ipse id sibi sumpsit, vt ea statueret, sed statuenda Synodo detulit. Nam ita ipsemet Synodum alloquitur sess. 6. *Quædam capitula sunt; quæ ad honorem vestræ reuerentiæ, vobis seruauimus, decorum esse iudicantes, à vobis hæc canonicè potiùs formari per Synodum, quàm nostrâ lege sanciri.* Ita Constantinus famosam illam de Paschæ die controuersiam, non suâ lege aliquâ præcepit finire, sed Canone Nicæno priùs definitam, tum legibus suis promulgauit firmauitque. Sed hacce de re operosior alibi instituenda erit disputatio. Vbi de Iustiniano, & Carolo Magno inquiremus, quantum illi hoc in negotio sibi licere voluerint. Marciani sanè verbis superioribus modestiæ fucus solus affingitur, non vera species, si ita arrogarit Synodo, vt sibi non abrogauerit sanciendarum istiusmodi regularum facultatem. Satius est, pristinæ Principum moderationis laudem illi quoque sinceram vindicare, qui ea potestate se vtpotè laïcos carere profitebantur, nec leges hactenus vllas Canonum duces, sed pedissequas & custodes rogauerant.

XLIX. Ideo antiquatæ leges, quæ Canonibus aduersarentur.

Ex his porrò ita præstructis, consentaneum rursus est, vt si quæ leges obloquantur Canonibus, eæ conticescant,

Digitized by Google

& tum regia, tum ſynodica authoritate expungantur. Minùs æquum id quidem eſſet, ſi legitima Principi adnaſceretur vis ferendi leges de rebus eccleſiaſticis. Ecquid enim per aduerſos Canones legibus iure perlatis aduerſaretur Eccleſia, & Imperio Sacerdotium collideretur? Præclariſſimum in hac Chalcedonenſi Synodo eius rei documentum ſe offert. Phœniciam quæ Tyrio Metropolitæ priùs tota ſuberat, Euſtathius Beryti Epiſcopus à Theodoſio diuidi impetrauerat, atque ita ſegmenti ſui ipſe arripuerat metropoliticum principatum. Reſcriptum Principis ea de re Conſtantinopolitana ſub Anatolio Synodus confirmarat. Photius Tyri Epiſcopus vi ſubſcribere adactus, Marcianum adit, qui cauſam Synodo Chalcedonenſi delegat, eiuſque nomine Iudices Synodum ita alloquuntur act. 4. *Sacratiſſimo Domino orbis placuit, non iuxta ſacras literas, aut pragmaticos typos res ſanctiſſimorum Epiſcoporum procedere, ſed iuxta regulas à ſanctis Patribus latas. Omni igitur ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, Canones de hoc capitulo editi legantur.* Tum rogant Iudices, *Dicat ſancta & vniuerſalis Synodus, vtrum ei placeat, ex Canonibus Patrum huius cauſæ quæſtionem examinari, an è ſacris pragmaticis, de quibus quid ſacro apici viſum ſit, iam omnibus apertum fecimus.* Sancta Synodus dixit, *Contra Canones nihil pragmaticum valebit.* Antè Imperator pragmatica ſua reuocat, antè videtur copiam facere Synodo, Canones pragmaticis præhabendi. Sed id imperatoriæ magnificentiæ vtique donatur. Cui verecundum & amarum eſſet, ſuas à Synodo leges palam aboleri. Nihilò ſeciùs tamen conſcia ſibi Synodus ſuæ poteſtatis, & iuſtitiæ incommutabilis gnara, fidenter proclamat & abſolutè, *Contra regulas nihil pragmaticum valebit. Canones Patrum teneant.* Quod mox apertius fit ex ipſa Iudicum percontatione, *Nunc tempus eſt edoceri nos à ſanctâ Synodo, an liceat ex ſacro pragmatico alienæ Eccleſiæ iura ab aliis Epiſcopis auerti?* Quis non videat, non regio tantùm aſſenſu, ſed ſuâ ſponte inania eſſe, & irrita hæc reſcripta, quibus

fulti, præter Canones, imò præter incommutabilem iuſtitiæ legem, alij in aliorum iura impetum faciunt? Vnde abſolutè reſpondet Synodus, *Non licet hoc, hoc eſt contra Canones.* Et infrà rurſus Synodus exclamat: *Supplicamus, vt etiamnunc virtus regularum in omnia, & in omnes prouincias valeat: ceſſantibus omnibus pragmaticis, quæ ex concurſatione & ambitione fiunt: quæque euerterunt ea, quæ ſpiritualiter, & ſecundùm Deum à ſanctis Patribus ſancita ſunt.* Denique Cecropio Epiſcopo petente, *Petimus vt ſine contradictione ceſſent ea pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibuſdam facta ſunt in omni prouinciâ. Canones autem per omnia teneant.* Et rogantibus Iudicibus, an Cecropio aſſentiretur Synodus, omnes tum Epiſcopi conclamarunt: *Omnes eadem dicimus, vniuerſa pragmatica ceſſabunt, Canones teneant, & hoc à vobis fiat.* Tunc Iudices dixerunt, *Ex ſententiâ ſanctæ Synodi, in omnibus quoque aliis prouinciis Canones teneant.* Laudatiſſimum id tunc quidem fuit, vt inexpugnabili pacis vinculo Sacerdotium & Imperium vinciente, inimica ſacris regulis pragmatica, & in fidei ac diſciplinæ eccleſiaſticæ exitium inſtructa, concurſatione & ambitione quorundam extorta, peruaſionem iniquiſſimam aliorum in alios fouentia, atque adeo vi ſuâ & per ſe ſe caſſa, quatenus iuſtitiæ aduerſaria, non abrogaret tamen ipſa Synodus, ſed à Principe abrogari exoraret, Princeps autem ipſe Synodi preces penè anteueniret. Similiter act. 7. lite inter Antiochenum & Hieroſolymitanum Epiſcopos per tranſactionem ſopitâ, valere id Iudices ſanciunt, communi ſuo & Synodi decreto, *vacantibus ſecundùm iuſſionem diuiniſſimi Principis omnibus pragmaticis, & quocumque modo ſacris ab vtraque parte literis impetratis: inſuper & mulctatione, quæ in eis huius rei causâ noſcitur contineri.*

L. Rurſum vt Imperator, vt Eccleſia, leges Canonibus infeſtas abrogaret.

Vtque omnis dubitationis nubecula abſtergeatur à ſynodici iuris moroſis exploratoribus, audiendus Leo Sapiens Conſtit. 2. *Cùm ſacroſancti, diuinique Canones, & quicumque alij de ſacerdotio & Epiſcoporum creatione ſtatuêre, in*

optimum numeriſque omnibus plenum editi ſint modum: & quidem quomodo illi non exactè perfectéque editi ſint, cùm diuina inſpiratio in authoribus efficaciter operata ſit: mirari ſubit, quomodo non veriti nonnulli ſint, ſacras, diuinaſque leges, tanquam illæ abſolutæ non eſſent, promulgatis aliis legibus abrogare. Si ſacræ, ſi diuinæ ſunt leges eccleſiaſticæ, ſi à Spiritu ſancto dictatæ, ſi ita promulgatæ, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis:* ſi Euangeliorum inſtar habent Synodi vniuerſales: cui iam non dilucet, quàm caſſæ, & inutiles ſuâ ſponte ſint, quæ Principibus ſurripiuntur pragmaticæ ad illarum perniciem ſanctiones? Idem rurſus Conſt. 16. *Vetus verbum, quod de rebus ſuis dicenti, aures eſſe aperiendas monet, cùm in omnibus aliis perbellè ſeſe habeat, tum hîc longè eſſe pulcrius apparet.* Tum memoratâ compugnantiâ legum & Canonum circa Hypodiaconi ætatem: *dignum itaque ſacram legem de rebus ſuis præcipientem audire imperatoria noſtra maieſtas rata, in eandem cum illâ ſententiam deſcendit.* Quo teſtimonio vox ipſa naturæ videtur exaudiri, iubens vt cuique ſuæ artis experto auris & fides adiiciatur. Et rurſus idem Conſt. 75. *Si ſacrorum decretorum ſanctio ad res ciuiles tranſiens, in illis ſæpe plus authoritatis, quàm ipſæ ciuiles de iiſdem rebus tractantes leges habeant: quantò magis ſacra decreta in ſuis rebus, ciuilibus legibus præualebunt?* Abſoluta hæc quoque ratio eſt. Ita enim natura comparatum eſt, vt cæleſtia mundanis, æterna temporalibus, carnalibus ſpiritalia, ſacra prophanis inuigilent, & imperitent, non viciſſim. Vnde præclarè Iuo Epiſcop. Carnot. ad Henricum Angl. Regem, epiſt. 51. *Quia res omnes non aliter bene adminiſtrantur, niſi cùm Regnum & Sacerdotium in vnum conuenerint ſtudium: celſitudinem veſtram obſecrando monemus, quatenus in regno vobis commiſſo verbum Dei currere permittatis; & regnum terrenum cæleſti regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt, ſubditum eſſe debere ſemper cogitetis. Sicut enim ſenſus animalis ſubditus debet eſſe rationi, ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet eccleſiaſtico regimini. Et quantùm valet corpus, niſi regatur ab animâ, tantùm valet terrena poteſtas,*

nisi informetur, & regatur ecclesiasticâ disciplinâ. Et sicut peccatum est regnum corporis, cùm iam non resistit caro spiritui: sic in pace possidetur regnum mundi, cùm iam resistere non molitur regno Dei. Hoc cogitando, seruum seruorum Dei vos esse intelligite, non dominum: protectorem, non possessorem. Quod ipsum Gregorius Magnus Mauritium Imperatorem monuerat, lib. 2. registri ind. 11. epist. 62. ei nempe *potestatem celitùs datam esse super omnes homines, vt celorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum celesti regno famuletur.* Et Gelasius epist. 8. ad Anastasium Imperatorem: *Licèt præsideas humano generi, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis; inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque, vt competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potiùs quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Quibus luculentè consonat Facundus Hermian. lib. 12. c. 3. Marcianum Imperatorem commendans, vt qui *nosset, quibus in causis vteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani.* Ideo enim abstinuit non tantùm de fide sancire, sed etiam *nouos constituere Canones, quod nonnisi multis, & in vnum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, ecclesiasticorum Canonum Executor esse voluit, non Conditor, non Exactor.* Quibus aliquanto vehementior Lucifer Calaritanus Episcopus lib. 1. ad Constantium Imp. *Quia præceptum sit tibi, non solùm non dominari Episcopis, sed & ita eorum obedire statutis, vt si subuertere eorum decreta tentaueris, si fueris in superbiâ comprehensus, morte mori iussus sis. Quomodo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, iam quantùm apud Deum mortis pœnâ fueris mulctatus?* Sic ille Principibus spiritalem intentat gladium. Et rursùs Cassiodorus lib. 11. epist. 2. ad Ioannem Papam: *Monete me, quæ sunt gerenda sollicitè. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus.*

Digitized by Google

Sedes illa toto orbe mirabilis, proprios tegat affectione cultores, &c. Et Isidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 249. *Ex Sacerdotio & Regno rerum administratio conflata est. Quamuis permagna vtriusque differentia sit. Illud enim velut anima est, hoc velut corpus. Ad vnum tamen & eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. Quapropter cùm Iudaïca res initium sumebant, sacerdotium, vt magis necessarium, institutum est, ac perdiu duravit. Postquàm autem carni addictiores, atque crassiores essent, regnum popoſcerunt. Illud ipsis concessum fuit, quippe quod vtilissimum esset, atque eorum, qui sacerdotio minimè parebant, peccata coërceret, ac restringeret.* Quem ſecutus videri poſſit Iſidorus Hiſpalenſis lib. 3. de ſummo bono c. 51. cuius verba Antiſtites Gallicani tranſtulere in c. 2. lib. 2. Concilij 6. Pariſienſis: *Sub religionis disciplinâ ſæculi Potestates subiectæ sunt, &c. Principes ſæculi nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem poteſtatem, diſciplinam eccleſiaſticam muniant. Cæterùm intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi vt quod non prænalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem.* Eadem adſcripta leges in Capitul. Caroli M. Add. lib. 2. cap. 21. Et eiuſdem Caroli Magni progenies Gallorum Rex apud Lupum Ferrarienſem, epiſt. 81. teſtatur *ſe fideliter tenere, quod Rex regum, idemque Sacerdos ſacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere, quam redemit, poſtquàm humanitatem ſuam in cælum euexit, ſemper cum ſuis futurus diuinitate, poteſtatem ſuam ad eandem gubernandam Eccleſiam, in Sacerdotes diuiſit, & Reges: vt quod ſancti docerent Pontifices, & ipſi implerent, & impleri facerent deuotiſſimi Reges.* Quæ omnia luculentiora ſunt, quàm vt interpretis operam deſiderent. Ille ipſe autem, qui à Leone carpitur, Iuſtinianus non aliâ in ſententiâ fuit, cum lib. 1. Cod. Tit. 2. cap. 12. hanc Marciani retulit conſtitutionem: *Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones eccleſiaſticos interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus.* Et ipſi ergo obreptum eſt, quidquid ab eo præter Canones

est constitutum. Quæ non eo consilio deprompta à nobis sunt, vt Ecclesiæ Synodique ad infringenda Principum diplomata ipsis inconsultis temerè prosiliant; sed vt Patrum modestiæ tenaces, tantò maiori in admiratione sint.

LI. Causis mixtis clericorum, miscebant se Iudices Regij.

Nec illud omittendum, quod momenti plurimum habet in hoc negotio. Nempe à iudiciis merè ecclesiasticis, & à causis spiritalibus regios iudices in totum abstinuisse. At si quæ mixtæ fuere causæ, & temporalibus rebus aliquâ ex parte implicatæ, in iis diiudicandis suas aliquas esse partes voluisse. Perlustra animo, quæ suprà de Cœciliani, Athanasij, Chrysostomi, Dioscori, Photij causis perstricta sunt, merè ecclesiasticas illas fuisse liquebit. Rursus in hac Synodo cùm de Episcopis ageretur à Phytio Tyri metropolitâ ordinatis in iis ciuitatibus, quæ à Tyriorum Ecclesiâ auulsæ, Ecclesiæ Beryti erant tributæ: & an valerent eorum ordinationes, inquireretur; quia merè canonica erat disceptatio, eâ sese abstinuere Iudices, aientes, *De his finaliter decernere ac definire, sanctæ est Synodi*. At vbi mixta iudicia fuere, illis se inseruere, vt cùm de rescindendo Theodosij rescripto, & de restituenda Tyrio Metropolitæ pristina finium amplitudine actum est. Item cum de Patriarchatu Hierosolymitano constituendo, eique adiudicanda portione Antiocheni Exarchatus definitum est. Quanquam nec illud dissimulandum, in illis quæ merè ecclesiasticæ causæ dicuntur, Athanasij, Dioscori, Photij & aliis id genus, non pauca quoque de temporalium contagio adhæsisse, quæ illas in mixtarum classem reuoluerent, si tricari & suos ampliare fines voluisset Princeps. Et rursus vbi in causis mixtis suas interposuere partes Iudices regij, tam parcè id feciisse, vt totum penè Episcopis permiserint. Adeo tunc & Princeps Ecclesiæ, & Ecclesia Principi, non detrahere quid, sed sua erogare certabat. At lex Iustiniani superiùs relata, ecclesiasticas & mixtas planè discriminat causas. Verùm ecclesiasticæ iurisdictionis pomœria vndequaque

Digitized by Google

vndequaque ille coartauit. Illud pene effugerat nos, minimè aſpernandum, quod cùm ordinationes Epiſcoporum à Photio factas iampridem in iis ciuitatibus, quæ illi reſcripto Theodoſij ademptæ fuerant, ratas eſſe ſtatuit Chalcedonenſis Synodus; eo argumento plus ſatis demonſtrauit, reſcriptum Theodoſij non tunc demum, cùm à Marciano reuocatum eſt, ſed & priùs atque ab exordio caſſum atque inutile fuiſſe, vtpote ſacris regulis infeſtum. Si enim aliquando valuiſſet reſcriptum, irritæ tunc Epiſcoporum ordinationes in alieno territorio fuiſſent. Et caducum ſponte, atque ab initio fuiſſe illud reſcriptum, liquet præterea ex eo, quòd Conſtantinopolitanâ Synodo Berythenſis Epiſcopus eaſdem ſibi ciuitates addici curarit. Vnde ait ipſe act. 4. *Nec verò ego ciuitates diuiſi, ſed ſancta diuiſit Synodus.* Itemque Iudices: *Dicat ſancta Synodus, licueritne Anatolio iubere, vt Photio certæ Eccleſiæ in prouincia auferrentur.* Denique ita ſuperiùs oſtenſum eſt, Epheſinam ſecundam Synodum à Leone & Occidentali Concilio caſſatam; & ab eodem tamen interpellatum Marcianum, itemque à Chalcedonenſi Synodo, vt eam vnà cum confirmatorio Theodoſij reſcripto ipſe reſcinderet.

LII. Petebantur ab Imperatore Iudices eccleſiaſticiin cauſis Canonicis.

Quanquam autem cauſis eccleſiaſticis temperaret Imperator, Iudices tamen eccleſiaſtici, qui eas dirimerent, ab illo & petebantur & delegabantur. Itaque Imperator, vt Canonum cuſtos, vt ciuium omnium Defenſor, vt Clericorum maximè Patronus, ab his vtcumque præter Canones læſis adibatur, non iudex futurus, ſed iudices conſentaneos daturus. Concilij Chalcedon. act. 1. Euſebius Dorylæi Epiſc. apud Marcianum dato libello conqueritur de iis, quæ aduersùm ſe à Dioſcoro patrata erant in latrocinio Epheſino: *Intentio & propoſitum eſt maieſtatis veſtræ, vniuerſis quidem ſibi ſubditis prouidere, & manum porrigere omnibus iniuſtè oppreſſis, præcipuè tamen ſungentibus ſacerdotio: in hoc diuinitati placentes, à quâ vobis imperare & dominari ſub hoc Sole donatum eſt. Ergo quoniam multa, &*

Digitized by Google

dira, & contra omnem conſequentiam, fides quæ in Chriſtum eſt, & nos ſumus perpeſſi à reu. Dioſcoro Epiſcopo Alexandrinæ ciuitatis, adimus veſtram pietatem, ſupplicantes iuſtitiam promereri. Baſſianus quoque Epheſi quondam Epiſcopus, act. 11. preces offert Marciano, quibus iniquo ſe iudicio exturbatum Epiſcopatu expoſtulat: *Omnis ſalus violentiam patientium poſt Deum veſtra tranquillitas eſt, præcipuè autem ſacerdotum Chriſti. Quapropter & ego ad has preces veni, prouolutus veſtigiis veſtris, vt in his mei miſereamini.* Ita & act. 13. regiam tuitionem implorat Eunomius Epiſcopus Nicomedienſis aduersùs Anaſtaſium Nicænum. Et ab his Epiſcopis aduersùs Epiſcopos litigantibus, non ſubſidium tantùm implorabatur imperatorij patrocinij, ſed & iudices poſtulabantur. Euſebius enim Dorylæi Epiſcopus ait, *Prouolati precamur veſtram clementiam, vt præcipiatis reuerendiſſimum Epiſcopum reſpondere de his, quæ ei à nobis ingeruntur.* Et infrà: *Sacrum & venerabile veſtrum mandatum dirigentes ſanctæ & vniuerſali Synodo relig. Epiſcoporum, quo poſſit inter nos & præfatum Dioſcorum audire, & perferre ad ſcientiam veſtræ pietatis, omnia quæ geruntur.* Nec aliter Baſſianus: *Supplico veſtræ pietati, & prouoluor diuinis veſtris ſacratiſque veſtigiis, quatenus ſancire dignetur veſtra cæleſtis poteſtas, ſacrâ veſtrâ ſubnotatione miſsâ ad ſanctum Concilium, vt cognitio fiat inter me miſerrimum, & eos qui in me talia perpetrarunt, ac dicunt ſe aliquid aduersùm me habere.*

LIII. De eodem, ab exemplo Conſtantini.

Regiæ huius poteſtatis ſplendidiſſimum & omnium antiquiſſimum emicat monumentum in cauſa Donatiſtarum, quibus poſtulantibus Iudices delegauit Conſtantinus tres è Gallia Epiſcopos, qui cum Melchiade Romano Pontifice hanc litem diiudicarent. Apud Euſebium ita ſcribit ad Melchiadem Conſtantinus: *Viſum eſt mihi, vt idem Cæcilianus, cum decem Epiſcopis, qui illum reum facere videantur, & decem aliis, quos ipſe ſuæ litis diiudicationi neceſſarios exiſtimauerit, Romam nauigio traiiciat. Vt ibi coram vobis, Rhæticio etiam & Materno & Marino collegis veſtris, quos eâ de cauſâ Romam maturare iuſſerim, poſſit audiri, ſicut*

Digitized by Google

ſanctiſſima Dei lex, vt noſtis, poſtulat. De hoc iudicio cùm murmurarent Donatiſtæ, quippe qui causâ cecidérant, alios illis iudices dedit Conſtantinus, nempe Arelatenſi Synodo congregatâ. Cúmque ſexcenties Auguſtinus de hac iudicum Conſtantinianâ delegatione diſſeruerit, nec ſemel conqueſtus eſt de vſurpatâ à Principe præter fas eccleſiaſticâ iuriſdictione. Quin imò temerè vſurpatum à Melchiade iudicium de Afris quiritantes Donatiſtas, refellit epiſt. 162. in hunc modum: *Quid quod nec ipſe vſurpauit? Rogatus quippe Imperator iudices miſit Epiſcopos, qui cum eo viderent: & de totâ illâ causâ, quod iuſtum videretur, ſtatuerent. Hoc probamus & Donatiſtarum precibus, & verbis ipſius Imperatoris.* Nec minùs inſigne eiuſdem rei ſpecimen editum eſt in Athanaſio, cui cùm Euſebiani & Meletiani fabulam illam fracti calicis, altaris euerſi, & Arſenij occiſi impingerent, Synodum Tyriam cogi ab Imperatore impetrarunt, quæ delatorum criminum cognitionem ſuſciperet. Quin non omnes promiſcuè, ſed delecti ad arbitrium accuſatorum Epiſcopi, Synodo adeſſe, & cauſam ventilare iuſſi ſunt.

LIII. Meræ diſpenſationis eſt hæc poteſtas regia.

Ab his fontibus illa fluxit regia poteſtas, iuxta regulas alibi iam non ſemel indigitatas nobis interpretanda. Iudices enim dedit primùm Conſtantinus, ſed, vt ait Auguſtinus, *Donatiſtarum precibus*: vt Socrates aliique paſſim teſtificantur, *Euſebianorum & Meletianorum* artibus deluſus. Illic feliciter res ceſſit, hîc infeliciùs: vt ſolent quæ præter Canones vſurpantur. Itaque perduellibus quomodocumque reuocandis indultum illud eſt primò, vt Iudices eccleſiaſticos daret Imperator, idque quod non inauſpicatum quandoque ſortiretur exitum, ex eodem indulgentiæ tenore probauit aut tolerauit Eccleſia. Nam Cæcilianus quidem, vt ſæpius inculcat Auguſtinus, poterat cauſam ſuam tranſmarino iudicio Epiſcoporum integram ſeruare; vt iudices autem ab Imperatore peteret, nec ipſi, nec Auguſtino hæc toties narranti in mentem vnquam venit. Athanaſius perinde à petendis ab Imperatore iudi-

cibus alienus fuit. Et si cui in mentem recurrant ea, quæ paulò antè ex ipso, ex Osio, ex Liberio, ex Hilario corrasimus, ne se Imperator causis ecclesiasticis inserat, iam ambigua esse non poterit horum hacce de re sententia. Quibus enim ab exordiis erupit insana illa Constantij licentia ac tempestas, iudiciorum canonicorum conculcatrix, nisi ab illâ, quam à Patre propagatam exceperat, potestate, Episcopos suo nutu ad Synodos, & iudicia congregandi? Si hæc enim ianua pateat Principi, iudices delegandi, iam non potest non irrumpere tota illa vis & procella, causas ecclesiasticas susdeque vertens ad Regum Procerumque libidinem. Posteræ ergo disciplinæ adplaudendum magis est, & Regum pietati, qui libertati ecclesiasticæ impensiùs suffragati sunt: & in causis episcopalibus, quales erant ferè superiores omnes, non ipsi dare iudices præsumunt, sed à Romano Pontifice delegari postulant. Et quidem cùm non semper, cùm rarò cogatur Synodus œcumenica, rerum ipsa necessitas persæpe adigebat interpellari Imperatorem in iis causis, quæ communes erant, vel summos Episcopos & œcumenicæ Synodo propiùs obnoxios attingebant. Quod vis imperatoria, vt ita dicam, œcumenica & ipsa sit, ac vbique terrarum polleat. Inde præstruebatur Romani Antistitis amplitudo. Multo æquius enim, sacris regulis, ac libertati ecclesiasticæ consonantius est, causas ecclesiasticas communes, maiores, episcopales, iudicibus à sede Apostolicâ delegatis concredi, quàm ab imperatoriâ maiestate. Orientales ergo qui vt semotiores, ita alieniores erant à Romani Pontificis vniuersali authoritate subeundâ, in eius vicem imperatoriâ premi & conteri conducebat; vt intelligerent, extundente intellectum vexatione, non posse Ecclesiæ libertatem sine summo aliquo vno iudice Episcopo constare. Nisi enim summus iudex sit Episcopus, erit Imperator. Denique nemo nescit, & in Florentina Synodo patentissimè eluxit, quàm fœda seruitute Græcam Ecclesiam suus Imperator dehonestasset.

Digitized by Google

LIV. Etiam extra territorium Iudices Ecclesiasticos prorogabat Imperator.

Vtque recurramus ad priora sæcula Ecclesiæ, id quoque sibi sumpserat Imperator, vt extra territorium iurisdictionem Episcopis prorogaret. Ideo Cyrillus & Memnon in Ephesina Synodo prima grauiter expostulant se à Ioanne Antiocheno damnatos, cui nulla in se competeret authoritas, neque ex legibus Ecclesiæ, neque ex Principis edicto. *Et quidem, nec per leges ecclesiasticas, nec per imperiale decretum potestatem habuit, quâ saltus, vel quempiam ex nobis iudicare, vel omnino simile quippiam attentare posset: præsertim verò contra maiorem Sedem.* Cui finitima est & illa potestas, iudicium ab vnâ prouinciâ vel diœcesi auocandi, & in aliam transferendi, si cui Episcopo suus vel Metropolita, vel Patriarcha suspectus foret, & recusandus videretur. Ita Ibas Edessæ Metropolitanus, Ioannes & Daniel Episcopi, de hæresi à Clericis accusati, coram Domno Patriarcha Antiocheno: etsi lis contestata fuisset in Synodo Antiochiæ: rescripto tamen & authoritate Theodosij Imperatoris, ex sententiâ Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani, ab Osrhoëna prouinciâ ad prouinciam Phœniciæ translati sunt, vt à Photio Episcopo Tyri, Eusthatio Beryti, & Vranio Himeriorum Episcopis iudicibus datis, iudicium de accusatione ferretur. Iudices commonitorium Principis à Damascio Tribuno prolatum actis inseri iussere, vt constaret de collatâ sibi à Principe cognitione. *Pium commonitorium dignetur ista magnificentia demonstrare, vt per omnia intentionem piissimi & Christianissimi Imperatoris nostri sequamur. Præfulgere etenim debet his gestis.* Quod totum refertur act. 10. Concilij Chalcedonensis.

LV. Id quoque dispensationi vendicandum est.

Verùm & hîc quoque non facta tantùm, sed & iura pensitanda sunt. Nam si suo, & pleno iure Imperator iurisdictionem Episcoporum aliorum in alios prorogat, & propriis quoslibet subducit, aliisque subiugat Iudicibus, quò euadent Canones? Quò leges synodicæ? Quò sedium prærogatiuæ? Quò prouinciarum & diœcesicon fines? Quò Nicænis ipsis Patribus venerandæ *antiquæ*

Digitized by Google

consuetudines Ecclesiarum? Tota hæc regularum & ordinis pulcritudo, passim & promiscuè regiorum diplomatum licentiâ deformabitur. Adde, quòd Cyrillo suus erat ecclesiasticus iudex, Romanus Præsul. Hoc est, vt secunda Sedes cæteris, ita secundæ prima, Alexandrinæ Romana imminebat. Quorsum ergo primam Sedem suo iure fraudaret, secundam tertiæ subiiceret, ordinem Canonum interuerteret Imperator? Ad hæc, refricanda est eorum memoria, quæ suprà perstrinximus, de Pragmaticorum & Canonum conflictu. Si nihil enim pragmaticum tenet, quod canonicis obuiet institutis; inutilia ergo & cassa erant illa rescripta Principum, quibus Sedium priuilegia perimebantur; etsi Principum maiestati ad tempus quandoque morigerari cogeret dispensationis necessitas, & pacis inter Regnum & Sacerdotium alendæ charitas. Quæ omnia operosum non est transferre ad alterum caput, translati videlicet ab vna prouincia in aliam iudicij. Nec sanè species istæ effugerant prouidentiam Synodorum & Canonum. Sæpiculè enim iusserant sacræ regulæ è vicina prouincia accersi Episcopos, vel ad Exarchum diœceseos recurri, vel Iudices eligi, vel ad primam Sedem prouocari. Nusquam autem copiam fecerant Canones adeundi ad postulandos iudices Principis. Quin imò viam sepserant, quantâ maximâ fieri poterat diligentiâ, Canones Antiocheni, Sardicenses, aliique, ne Comitatum peterent, ne ad Principem cursitarent Episcopi. Amplitudini regiæ id tributum fuerat, ne pœnæ irrogarentur ei, qui ecclesiasticos iudices à Principe postulasset. *Si episcopale iudicium ab Imperatore petierit, nihil ei obsit:* ait Canon Africanus. Ex venia id toleratur. Nam huius rei copiam apertè nulli fecere Canones.

LVI. Illa plerumque necessitas aditi cogebat Principem, vt regiorum Præsidum violentiæ mederetur.

Adde quòd Ibas ab Eutycheto clancularíis sæcularis potentiæ machinis exagitatus, & plures expertus carceres, & Synodo prohibitus se sistere, necessariò ad Imperatorem recurrit. Act. 10. Concilij Chalcedonensis, ita sortem suam dolet: *Eutyches aduersùm me pro fide qua-*

Digitized by Google

dam falsa confinxit, nec me in Synodum introire permisit, per quadraginta mansiones, per diuersos ad inuicem succedentes ordines direxit me, vigiñti & amplius carceres mutaui, &c. ob hoc adij sacrum & immortalem verticem, & iussit vestram magnificentiam Synodumque audire, quæ aduersùs me gesta sunt. Aduersùs istiusmodi nefaria sæcularis potentiæ machinamenta necessariò adeundus erat Imperator. Vtque hoc exemplo, ita & superiùs delibatis, & compluribus aliis liquet, non alia magis de causa aditum à Clericis esse Principem, si quando à piis & religiosis adiri illum contigit, quàm vt quæ vel præcessores eius, vel Iudices Præsidesque imperatoria potestate abutentes, machinati nefariè fuerant, ab ipso reuocarentur. Ita Theodosij gesta & rescripta Marcianus rescindere pluries exoratus est. Ita Constantinus ab Athanasio compellatus magis, quàm appellatus, vt Synodi Tyriæ, & Dionysij Comitis flagitium, regiâ authoritate armatum, ipsemet rescinderet. Ita & Bassianus Ephesi Episcopus, vt Imperatoris tuitionem imploraret, compulsus est militari incursione in se factâ. Ait enim ipse: *Postquam mysteriorum sacrificium absolutum est, apprehendentes me, & abripientes de sanctâ Ecclesiâ, plagis afficiebant, ducentes & portantes in foro, aliquando verò & recludentes, gladiis me subiecerunt.* *Act. 11. Concil. Chalced.*

Adde rursum, quòd Edesseni Presbyteri in suo ad Photium & reliquos Phœniciæ Episcopos libello, Synodis & Episcopis hanc potiùs tribuunt iudicij translationem: *Consequenter & secundùm Canones, adeuntes Concilium tam Orientale, quàm Occidentale, oportuit nos & piissimum, atque Christianissimum Principem nostrum pro his deprecari. Ex hoc ergo & sanctissimo nostro Archiepiscopo Flauiano pariter decernente, cum pissimo nostro Principe, & decernente nostrum à sanctitate vestra exerceri negotium, aduenimus parati nobis adesse.* Transtulit ergo iudicium ab vnâ prouinciâ in aliam cum Imperatore Flauianus Episcopus Constantinopolitanus. Si roges, quo suo iure? Expedita responsio est, vt iudicia ecclesiastica à Clericis exerceantur, & secundùm

LVII. Ex hac Imperatoris potestate in causis ecclesiasticis, enormis illa excreuit Episcopi Constantinopolitani potestas. *Act. 10. Concil. Chalced.*

Canones; non à Principe, & ſecundùm leges. De fide quippe hîc agebatur. At vltra fines ſibi defixos euagabatur hoc prætextu Epiſcopus Conſtantinopolitanus, quòd multa ad eum remitteret Imperator, vndequaque ad ſe querelis miſerabilium quorumcumque relata. Ex quo vno capite potiſſimum erupit infinita tandem illa, & regulis antiquis Eccleſiarum infeſtiſſima poteſtas Patriarchæ Conſtantinopolitani, & reliquorum Orientis Patriarcharum iura abſorbuit. Vt & hinc diluxerit, vnum vniuerſalem Epiſcopum, & ſummum cauſarum eccleſiaſticarum iudicem opus eſſe; alioqui fore, vt pleraque iudicia, & ea maximè quæ diuerſis Patriarchatibus implicata ſunt, ad ſæcularem magiſtratum deuoluantur: vel in contumeliam & exitium antiquorum, & Apoſtolicis Nicæniſque inſtitutis commendatorum, nouus ebulliat Patriarcha, ſolo Principis patrocinio, & ſæculari ambitu, omnia peruaſurus. Quod in Oriente exitus comprobauit.

LVIII. In Occidente non Imperator aut Rex, ſed Pontifex ſæpius & conuenienter maieſtati Eccleſiæ adibatur.

In Occidente verò, vbi primæ Sedis priuilegio cælitus conſignato lubentiùs ſubſcriptum, longè rariora ſunt huius rei exemplã. Nec nulla ſunt tamen. Nam Concilium Toletanum 13. canon. 12. de iis agit, qui ab Epiſcopis ad Metropolitanum prouocant, itemque ab vno Metropolitano confugiunt ad alium, & denique ad Regem, ſi à duobus Metropolitanis abiiciantur inauditi. *Si prægranatus quis à metropolitano proprio, ad alterius prouinciæ metropolitanum moleſtiam preſſuræ ſuæ agnoſcendam detulerit; aut ſi inauditus à duobus metropolitanis ad regios auditus negotia ſua perlaturus acceſſerit.* Religioſior hæc diſciplina. Nam ab Epiſcopi iudicio, ad metropolitanum confugitur. A metropolitano, non ſtatim ad Regem, ſed ad alium metropolitanum. Priſcæ enim conſuetudinis fuerat, ad vicinas recurrere Synodos. Si denique à duobus quis metropolitanis protelatus fuerat, adire Regem poterat, vt qui vel delegare iudices, vel Synodum generalem colligere moris habebat. Quantò pulcriùs alibi à metropolitani

Digitized by Googl

politani vel ſententiâ, vel repulsâ, ad Vicarium Sedis Apoſtolicæ, ſeu Primatem, aut ad ipſam Sedem Apoſtolicam concurrebatur, & intemerata ſeruabatur regula non conueniendi ſæcularis magiſtratus in negotio eccleſiaſtico? Denique adiri Principem vſquequaque, & abſolutiſſimè vetuere, & Principes & Epiſcopi, niſi de Epiſcoporum conſenſu. Nam capitul. Car. M. l. 7. c. 57. ita habetur: *Si quis adire Principem neceſſariâ causâ depoſcit, hoc agatur cum conſilio & tractatu Metropolitani, & cæterorum Epiſcoporum ipſius prouinciæ.* Plures alibi eam in rem Canones conglobabuntur.

LIX. Oeconomicè hanc indultam Principi poteſtatem nouo probatur exemplo.

Nec aſpernanda in iſtiuſmodi illa etiam ſuſpicio eſt, hæc omnia à Principibus, non iuris rigore, ſed pietatis inſtinctu, vſurpata fuiſſe; ideoque non exempla hinc aucupanda legitimæ poteſtatis, ſed charitatis, leges & canones non rarò, nec ſine laude prætergredientis. Vno & ſplendido id efficiam argumento, ab illis deprompto monachis, quos cùm Theophilus in Alexandrina Synodo velut Origenis errorum aſſines damnaſſet, & perdiu exagitaſſet, *regiam ad vrbem peruenerunt, in qua diuinâ manu ad curam indigentium Ioannes ordinatus erat Epiſcopus, procumbenteſque ad eius genua, orabant, vt opem ferret animabus calumniam paſſis, vaſtatiſque hoſtium odio, &c.* vt ait Palladius in Dialogo de vita Chryſoſtomi, cap. 7. Vbi & hæc monachi quinquaginta ad Chryſoſtomum conteſtantur: *Sede, Pater, noſque non vtcumque vulneratos Theophili Papæ veſaniâ curare ſtude, ſi tamen valueris noſtrorum tumoribus vulnerum obducere cicatrices. Nam ſi ipſe quoque nos deſpicis, aut reuerentiâ aut metu Theophili, iuxta Epiſcopos reliquos, nihil iam ſupereſt nobis, niſi vt profecti ad Imperatorem, ipſius opera peſsima ad iniuriam Eccleſiæ publicemus.* Denique vt ſubditur cap. 8. monachi iidem, *Auguſtis primùm congreſsi, Reginam deinde adeunt in Eccleſiâ ſancti Ioannis, orantes, vt Theophilus vel inuitus adductus, Ioannis iudicio ſubiiceretur, &c.* Æqui bonique conſulenda hæc omnia, non ad iuris elimati amuſſim trahenda ſunt. Nam quòd

Digitized by Google

monachi à Theophilo damnati ad Palæſtinos Epiſcopos confugiant, quòd rurſus ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, id totum præter Canones fit. Quòd ad Imperatorem denique ſe profecturos comminentur, eo apertum faciunt, ſolâ iudicij eccleſiaſtici deſperatione, ſe ad regiam tuitionem implorandam compelli. Quòd denique Ioannis iudicio Theophilum ſubiici orant, id immane quantùm, & Nicænis, & omnibus prorſus Canonibus aduerſatur. Nuſquam hîc ergo legitima, & Canonibus authorata poteſtas à miſerabilibus monachis inuocatur, ſed ſola & vbicumque obuia charitas.

LX. Cauſas canonicas quandoque Princeps ipſe cognoſcebat, nempe ex diſpenſatione.

Eidem prorſus extraordinaria omnia adgredienti charitati, magis quàm ordinariæ & legitimæ poteſtati adſerendum illud etiam eſt, quod cauſas eccleſiaſticas Princeps ipſe, non per vicarios vllos definiat. Perinſigne emicat eius rei documentum in epiſtolâ Concilij Romani ád Gratianum & Valentinianum Imp. vbi poſt grates Imperatori habitas, quòd ſtatuiſſet, *vt de reliquis Eccleſiarum ſacerdotibus Epiſcopus Romanus haberet examen. Vt & de religione religionis Pontifex cum conſortibus iudicaret, nec vlla fieri videretur iniuria ſacerdotio, ſi ſacerdos nulli vnquam prophani iudicis, quod plerumque contingere poterat, arbitrio facilè ſubiaceret.* Poſtea gratantur, quòd Imperatoris iudicio probata ſit innocentia Damaſi Papæ, aduersùs Vrſicini aſſeclarum criminationes: *Quia igitur veſtra iudicio tranquillitatis probata eſt innocentia fratris noſtri Damaſi, &c.* Orant, vt tanto magis Damaſus à forenſium iudicum poteſtate immunis habeatur, à quâ abſoluti ſunt omnes Epiſcopi: *Quoniam Damaſus in ſuâ cauſâ veſtri tenet ir ſigne iudicij, non fiat inferior his, quibus etſi æqualis eſt munere, prærogatiuâ tamen Apoſtolicæ Sedis excellit, vt iudiciis publicis videantur eſſe ſubiecti, quibus ſacerdotale caput lex veſtra ſubmouit. In quo poſt ſententiam non videtur declinare iudicium, ſed delatam à vobis honorificentiam flagitare.* Denique iſtud præ cæteris memorandum & admirabile ſubiicitur: *Accipite aliud quoque, quod vir ſanctus veſtræ magis conferre pie-*

In append. Cod. Theod.

Digitized by Google

tati, quàm sibi præstare desiderat; nec derogare cuiquam, sed Principibus arrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum; vt Episcopus Romanus si Concilio eius causa non creditur, apud Concilium se imperiale defendat. Nam & Syluester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Et de Scripturis similia exempla suppeditant. Quòd cùm à Præside sanctus Apostolus vim pateretur, Cæsarem appellauit, & ad Cæsarem missus est. Certè priùs examinet causam vestra clementia: & si emerserit quæstio, interroganda distinguat. Vt quemadmodum dudum estis censere dignati, factorum à iudice ratio quæratur, non arbitrium sententiæ vendicetur. Quæ admirabiliora visum iri intelligo. Sed aduerte 1. vt Episcopus, & Episcoporum summus *apud imperiale Concilium se defendat*, id non ab Imperatore vsurpari, qui immunitatem potiùs omnium Episcoporum sanxerat: sed à Pontifice ipso deferri, sibi nempe derogante, *vt Principibus adrogaret.* 2. Apertè innui causas episcopales episcopali Concilio terminandas. Id enim Canones iubent. Si interuertatur ordo legitimus, id saltem postulatur, id dispensatiuè remittitur, vt coram solo Imperatore causam dicat Pontifex, non vllo alio iudice sacram vicem fungente. 3. Sine figurâ iudicij plerumque Principem, vt nullis forensium legum anfractibus deuinctum, iudicare, & arbitrum magis agere, quàm iudicem.

LXI. Idem probatur exemplo Constantini, in causa Athanasij, & Donatistarum.

Vt vt habeat de Syluestri apud Constantinum purgatione, vt indubitatius, ita splendidius est exemplum Athanasij, qui à Tyriâ latrocinali Synodo ad ipsum Constantinum maturauit, postulauitque ea, quæ Constantinus ipsemet nos docebit in epist. ad eandem Synodum: *Magnâ libertate nihil aliud postulauit, quàm vt vos huc euocari juberem, quò nobis presentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cùm mihi æquum, & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denunciatum volui, vt quotquot Synodum Tyri absoluistis, sine omni terginersatione ad prætorium nostræ clementiæ conueniatis. Reipsa quantum seueritatis*

Digitized by Google

integritatisque sit in vestris sententiis, coram meipso declaraturi. Appellasse Athanasium *velut ab Abusa*, à Synodi iudicio ad Imperatorem, colligunt aliqui ex epistola synodica Orientalium Sardicæ Episcoporum apud Hilarium in fragmentis: *In præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens, Imperatorem appellat. Audit etiam Imperator, quique interrogatione habitâ, omnia eius flagitia recognoscens, suâ illum sententiâ, in exilium deportauit.* Verùm mendaciter hæc omnia in Athanasium, & inuidiosè conficta sunt. Nam nec in præsentem Athanasium sententia dicta est, nec Athanasius appellauit. Sed præcipiens Synodo tumultuanti se subducere, recusatoque iudicio Episcoporum sibi suspectorum, causam suam integram Principi reseruauit. Disertè enim in contestatorio libello quem Dionysio Comiti obtulit, *Cognitionem causarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserues. Æquum est enim, te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum retinere.* Nulla hîc appellationis vestigia. Appellationem Donatistarum nemo nescit, quibus diris prosecutus sit Constantinus. Quando ergo non dabatur copia, nec spes vlla supererat residua legitimi synodici iudicij, extraordinariam tentat hanc tandem Athanasius, vt & suprà Damasus, viam, vt Princeps cognoscat. Nonne Constantinus idem post Arelatense Concilium appellatus à Donatistis, de re tota rursum cognouit, *ventam petiturus* ab Episcopis? Non ergò iuri consentanea, sed dispensandi necessitati opportuna hæc fuit ratio, vt Princeps cognosceret, non vice sacra quisquam alius, de Cæciliano, de Athanasio, de Damaso. Valet enim in hæc omnia vniuersim, quod de causa Cæciliani tradit Augustinus epist. 48. *Illos magis hinc arguimus, quia cùm apud Imperatorem vltro Cæcilianum accusassent, quem primò vtique apud collegas transmarinos conuincere debuerunt; ipso autem Imperatore longè ordinatiùs agente, vt Episcoporum causam ad se delatam ad Episcopos mitteret: nec victi pacem cum fratribus habere voluerunt.* Indi-

Digitized by Google

gnabundus addit, rursum à Donatistis *Episcopos iudices apud terrenum iudicem* accusatos. Et epist. 68. ab Arelatensi Concilio, *pertinacissimi & ligitiosissimi ad eundem Imperatorem appellauerunt, postea & ipse coactus, episcopalem causam inter partes cognitam terminauit, &c.*

LXII. Ad Constantinum non Athanasium, sed Donatistas solos appellasse.

Quod ergo qui appellationem Donatistarum recusabat primò Constantinus, cognitionem Athanasij posteà admiserit non illud in causâ fuit, quòd iste de insidiis, & dolo Synodi Tyriæ conquereretur, illi verò de iniquitate iudicij. Nam 1. etiam de Romanæ Synodi insidiis, & dolo mussitabant Donatistæ, nempe *quòd omnis causa non fuisset audita, sed pauci quidam Episcopi quodam loco se clausissent, & pront ipsis aptum fuerat, iudicassent: à paucis dictas sententias; & hos ipsos, non omnibus quæ inquiri antè oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum iudicium properè, festinanterque processisse:* vt author est Constantinus ipse in epist. ad Ablauium præf. Afric. & ad Chrestum Syracus. Episc. Præter Canones iudiciorum moderatores hæc peræquè erant, si ita fuissent gesta. 2. Non ab hac Romanâ, sed ab Arelatensi pòst Synodo prouocarunt ad Imperatorem Donatistæ, qui protinùs illos execratus est, quòd quomodocumque ab Episcopis ab Regem, ab iis inquam, *quorum iudicium ita debet haberi, acsi ipse Dominus residens iudicet:* ab iis, *qui nihil aliud sentire, ac iudicare possunt, nisi quòd Christi magisterio sunt edocti:* quòd appellantes, iudicia *perquirerent sæcularia, relinquentes cælestia:* quòd denique *sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuissent.* Quæ latissimè patent, & omnes iudiciorum, atque appellationum species amplectuntur. 3. Id ergo exhorruit Constantinus in Donatistis quòd appellassent: id non auersatus est in Athanasio, vt qui minimè appellasset, sed causam suam integram Imperatoris cognitioni reseruasset: sicut Augustinus Cæcilianum ait, non appellare, sed causam suam integram transmarinis iudicibus seruare potuisse; etsi in eum absentem Donatistæ, sicut in absentem Athanasium Eusebiani, sententiam dixis-

ſent. Inuidiam autem Athanaſio conflabant Orientales Epiſcopi Sardicæ, cùm appellaſſe eum nugabantur. 4. Nec ab Athanaſij autem, nec abs Conſtantini factis, ius vllum condi legitimum poteſt, vt quæ extremæ & deſperatæ neceſſitatis telo extorta ſint. Nam vt docuit Auguſtinus, nonniſi *à contumaciſſimis & litigioſiſſimis coactus*, vtque vel extraordinariam hanc viam frangendæ eorum pertinaciæ tentaret, & *veniam peiturus ab Epiſcopis*, Conſtantinus de causâ Donatiſtarum & Cæciliani cognouit poſt Epiſcopos, qui ante Epiſcopos cognoſcere ſe non poſſe *ordinatius agens* profeſſus erat. Ita & neceſſitati obſecundans Athanaſius, quando canonicæ cognitionis ſpes omnis amputabatur, ad Imperatorem recurrit. 5. Quid enim ſibi iure liceret in cauſis eccleſiaſticis, Conſtantinus ipſe Nicænæ Synodi tempore declarauit, cùm accuſatorios complures libellos ſibi ab Epiſcopis oblatos, comburi iuſſit, hæc effatus: *Iſte criminationes tempus ſibi præſtitutum habent, diem magni iudicij: Iudicem autem, qui ſit tum de omnibus ſententiam pronunciaturus. Mihi verò non eſt fas, cùm homo ſim, eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare: præſertim cùm & qui accuſant, & qui accuſantur, ſacerdotes ſint. Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Vos nobis à Deo dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos: ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, &c.* Horum meminêre Rufinus, Socrates, Sozomenus, aliique. In tantâ libellorum copiâ, conſentaneum eſt omnis generis querimonias extitiſſe, quas indiſcriminatim ſummouit Princeps, & omnem iſtiuſmodi poteſtatem à ſe abdicauit. Ergo cùm de cauſis eccleſiaſticis cognoſcere recuſauit, tum planùm fecit, quid iuri concineret: cùm cognouit, tunc patefecit, quid neceſſariæ diſpenſationi, & charitati omnium legum imperatrici indulgeret. 6. Et poſtremò obuiis vlnis amplectendus hic ſaltem Ioannes Maior, næ parcus alioqui ille imprimis, & illiberalior in

ecclesiasticâ, prodigus autem propemodum in sæculari potestate dimetienda. Ergo sic habet ille in lib. 4. sentent. d. 24. *Ex talibus factis singularibus, quæ ex deuotione ad Ecclesiam, & non debito iuris fiunt, non est trahendum aliquid in consequentiam, quemadmodum nec ex multis aliis. Vt vbi Imperatores elegerunt maximos Pontifices: similiter quod aliqui maximi Pontifices depositi sunt per Imperatores. Et sicut recitat historia ecclesiastica, multi sacerdotes apud Constantinum Magnum querelas suas deponebant. Ex quibus nullum sumi potest argumentum.*

LXIII. In Gallià quoque Principem adiri, & priuatim lites istas dirimi moris fuit.

Quocirca in hocce inter Christiana Christianissimo regno, Priuilegij nomine honestatur, quidquid in ecclesiasticis causis Iudex publicus audet. Qua de re aliàs. Adiri autem Principem ipsum, non quoslibet Iudices regios, in istiusmodi causis ad infulatos Præsules attinentibus, monebat Hincmarus Rhemensis Episcopus, nec improbabat, in Rotula Carolo Regi porrecta, si modò *non in publico, sed in priuato loco*, & veluti de plano, vel à Rege, vel à regiis delegatis res disceptaretur: *Regia igitur sollicitudo à Rege Regum, & æquissimo iudice Deo, vt in directione cordis iudicium iudicetur, constituta, sollicitè prouidere debet, vt tales iudices cum Episcopis ad causam inter Ecclesiasticos & Saculares dirimendam eligat, & constituat, qui religiosi sint, & Dominum timeant, &c. Et iudicent non in publico iudicij loco, sed in priuato. Quia Episcopi non in Consistorio Regum, non in Prætorio Iudicum, nec nisi ab Episcopis, aut in Synodo, aut in priuato loco à Primatibus Deputatorum, aut à se electorum Iudicum iudicio, debent aut possunt regulariter iudicari.* Et in Quaternionibus: ad eundem. *Si laïca persona episcopale abnuerit iudicium eligere, quod Episcopo non licet refugere: ratio est, & non obsistit authoritati, vt cum Coëpiscopis Episcopi, contra quem ad vos quis reclamat, quia indignum est vos ipsum inde laborare, missos vestros ab eo petitos, vel à vobis deputatos mittatis, qui vtriusque partis rationem audiant; & secundùm humanas & diuinas leges discernant, &c. Et hoc non in publico, sed in priuato loco fiat.* Et paulò

Post Concil. Duziac. I.

Ibid. pag. 407.

Digitized by Google

Pag. 405. antè : damni quidpiam paſſus ab Epiſcopo, *Et à vicini Epiſcopi monitis & precibus, vel cuius alterius inſtitiam obtinere ſi nequiverit : non abhorret à ratione, ſi non accuſet Epiſcopum ad publicos iudices, quod non licet : ſed ad vos ſe reclamet.* Rei eiuſdem exempla ſub tertia Regum noſtrorum Dynaſtia vide in Collect. Quercetana tom. 4. pag. 584. 634. &c.

APPENDIX

AD

SYNODVM CHALCEDONENSEM

De Subſcriptionibus.

SYNOPSIS.

Moris olim fuit, Romanorum Pontificum literis fidem præſcribi. Quantùm ea cæterorum Antiſtitum ſcriptis etiam de fide literis antecellerent. Duplici occurritur obiectioni, aduersùs Leonis epiſtolam gannienti, quaſi illi, nonniſi ob ſuum cum Scripturis Synodiſque prioribus concentum, ſubſcriptum ſit, & ob accumulata Patrum teſtimonia. Cyrilli quoque epiſtolis ſubſcriptum, & cur? Num. I. II. III. Epiſcopalibus quoque definitionibus ſubſcriptum eſt. Num. IV. V. VI. VII. Subſcribere ſolos Epiſcopos, ſolennius fuit : quicumque tamen obliquis ſuſpicionibus perſtringebantur, ſubſcribere & ipſi compulſi ſunt, Clerici, Monachi, Laïci. Num. VIII. IX. X. Quanta obſequendi neceſſitas immineret. Vbi & illud Chryſoſtomi elucidatur, Communicate quidem, ſed nolite ſubſcribere. Illud item Auguſtini, Viros quandoque bonos ab Eccleſia communione eiici. Num. XI. Imperator ſicubi Epiſcopis

Episcopis praecurreret, si aduersùs fidem, restitum est: si pro fide, restitum quandoque tamen pro libertate, sepius ex dispensatione obtemperatum est. Num. XII. XIII. XV. Summa Romani Præsulis authoritas in subscriptionum negotio. Num. XIV. Post subscriptiones, nihil amplius suspicionum penes quenquam residere debet. Num. XVI. Subscriptiones vel fidei confessiones plenæ, apertæ, puræ, & simplices esse debent, atque ita vt ex animo saltem Episcoporum, ceu fidei Magistrorum suspicio infesta expungatur. Num. XVII.

CANON 30. apud Balsamonem, non Canon est, sed decretum act. 4. Planum hinc est autem, in more positum fuisse, vt & fidem epistolis suis definirent Romani Antistites, & ei subscriberent reliqui per orbem Episcopi. Id vel ex hac maximè Leonis epistolâ patet ad Flauianum datâ, quæ exinde velut Catholicæ fidei tessera Ecclesias omnes peruagata est. Id ante cætera Dioscoro crimini dâtum, quod in Ephesina secunda Synodo eam vetuerit legi: inde prædatoriæ illius Synodi labem profectam esse omnes contestati sunt, vt suprà ostensum: Chalcedonensis ipsa Synodus in id ante omnia incubuit, vt huic epistolæ omnes subscriberent. Tergiuersantibus Ægyptiis act. 4. iterum iterumque Episcopi omnes & ad rauim vsque intonuere, *Epistola Leonis subscribant, Anathematizantes Eutychen & dogma eius. Consentiant epistolæ Leonis. Eludere nos volunt & discedere, &c. Subscribant epistolæ Leonis. Qui non ei subscribit, hæreticus est, &c. Vniuersalis hæc Synodus Ægyptiacâ maior est, & fide dignior. Non est iustum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Episcopos.* Denique fideiussores dare vel iuramento se constringere coguntur, nec Constantinopoli discedere, donec creetur Episcopus Alexandrinus, & tunc subscribant. Sed & ante Synodum Chalced. vt refertur act. 4. *Cùm pauci Constantinopoli conuenissent, missa est epistola almi Archiepiscopi Leonis, iis qui vbique essent metropolitis, & subscripta est.* Et Pulcheria Augusta ad Leonem scri-

1. Moris olim fuit, Romanorum Pontificum literis fidem inscribi, vbique postea subscribendis. Ex epistolâ Leonis maximè id probatur.

bens, purganſque apud illum alioqui meritò ſuſpectam fidem Anatolij, ait: *Tuarum literarum Apoſtolicam confeſſionem complectitur, & epiſtola Catholicæ fidei, quam ad Flauianum tua beatitudo direxit, ſine aliqua dilatione ſubſcripſit.* Denique cùm non pauci ſtomacharentur, quòd fidei confeſſio mandata eſſet, illigataque epiſtolæ: Synodus Chalced. in Proſphon. ad Marcianum, Leonem congeſtâ exemplorum ſerie tuetur: *Sic magnus ille Baſilius miniſter gratiæ, ſubſiſtentiarum euidentiam, vt in epiſtolâ mirè declarauit, & ſancti Spiritûs doctrinam diligentiùs tradidit, Conſacerdotum ſuorum eliciens etiam ſubſcriptione conſenſum. Sic quoque Damaſus Romanæ vrbis decus ad iuſtitiam, literis ad Paulinum datis diſpenſationis ſacramenta patefecit, admonens vt his quæ bene decreta ſunt, ſi qui communionis ſuæ participes velint eſſe, conſentiant, &c. Sic Athanaſij ad Epictetum amplectimur literas. Sic tanquam propriam, Gregorij ad Cledonium epiſtolam vbique proferimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim per epiſtolas Eccleſiæ dogmata declarari, pro vnaquaque quæſtione, dignum culpâ iudicant; ipſum in primis beatiſſimum Cyrillum quilibet potuerit denotare, qui literis ſuis quod ſentiebat, Orientalibus expreſſit. Nec non & magnum Proclum, huic vituperationi ſubiiciet, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentiâ deſtinauit. His etiam conſociabitur ad culpam & ſanctiſſimus Ioannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apoſtolicæ doctrinæ rectiſſimum dogma declarans, totius Orientis confeſſionem, velut ex vno ore ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinauit. Non igitur nobis admirandi Romæ vrbis Præſulis epiſtolam, velut innouationis offendiculum criminentur, &c.* Vbi vides coaceruata exempla exaratæ multoties in epiſtolis fidei orthodoxæ. Suprà retuli Epiſcoporum Galliæ, itemque Mediolanenſis prouinciæ teſtimonium, & ſubſcriptionem in eandem Leonis ad Flauianum epiſtolam. Vt Orientem Occidenti ſuccinuiſſe hîc quoque intelligas, & nos in fidei Apoſtolicæ, ſediſque Petri veneratione ſemper præiſſe.

Digitized by Google

Quod autem Chalcedonenſes Patres in ſuprarelatis Proſphonetici ad Marcianum verbis, non Leonis tantùm & Damaſi Pontificum Romanorum, ſed Athanaſij quoque & Cyrilli Alexandrinorum, Ioannis Antiocheni, Procli Conſtantinopolitani, Baſilij Cæſarienſis, imò & Gregorij Nazianzeni epiſtolàs commendant, vt fidei promulgatrices: non tamen communicare his omnibus ſingulare primæ Sedis priuilegium cenſendi ſunt: aut primæ Sedi nihilo plus quàm his tribuere. Nam 1. quidem Damaſi epiſtolam aiunt abrumpendæ communionis interminatione, velut ſummæ iuriſdictionis indice munitam fuiſſe, quod de nullâ iſtiuſmodi epiſtolarum aliâ dici poteſt. 2. Leonis epiſtola in Synodo œcumenica, & longe numeroſiſſimâ ab omnibus ſubſcripta, ſubſcribique iuſſa eſt, quod nulli item alij competit: ſicut nec vlli ſupradictorum Epiſcoporum congruit, quod de Leone teſtificata eſt eadem Synodus, Petri interpretem omnibus conſtitutum fuiſſe, vt Caput membris præfuiſſe. 3. Etiam ante Synodum ſubſcribi cœperat Leonis epiſtola, ſola Pontificis ſummi authoritate vrgente, vtputa in Galliis, in Italia, imò Conſtantinopoli, & in Oriente toto, ad omnes nempe Metropolitas directa, vt ſuprà didicimus. 4. Etiamſi magnarum Sedium faſtigia obtinerent ſupradicti Epiſcopi penè omnes, non tamen vniuerſali Eccleſiæ legem dicere, aut fidem dictare poterant; ſed in priuatis tantùm ſuis diœceſibus aut prouinciis vel paræciis in obnoxios ſibi quoſque. Quin etiam ſcribebat Nazianzenus ad Cledonium, Proclus ad Orientales, vel ad Armenios, Ioannes ad Proclum, Athanaſius ad Epictetum: nonnulli fidem magis ſuam nudabant, quàm alienam informabant. At Damaſus ad Paulinum Antiochenum, Leo ad Flauianum Conſtantinopolitanum, imò in Gallias, in Italiam, ad omnes vbique terrarum Metropolitas fidem ſanciebant, renitentibus excommunicationis intentabant iaculum. Ergo & iuriſdictio hæc erat, & vniuerſalis iuriſdictio. 5. Apertè in literis ſuis ad Leonem

II. Epiſtolæ Romanorũ Pontificũ de fide quantũ præcellerẽt aliorũ literis Epiſcoporum quorumlibet. Soluitur autem duplex obiectio aduersùs epiſtolam Leonis: quaſi illi nonniſi, vt Scripturis, Synodiſve conſonæ, & Patrum teſtimoniis communitæ ſubſcriptam ſit.

Digitized by Google

Gallicani Episcopi, consitentur fidem hanc se eloquuturos fiducialiter & liberè, *suffragante etiam Apostolicæ Sedis authoritate.* Deoque grates acturos, *quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo mananit, Antistitem dederit.* Et prouinciæ Mediolanensis Episcopi in epist. ad eundem eadem de causâ, censent fidei hostes damnatione congrua persequendos, *authoritatis vestræ præcedente sententiâ.* 6. Crebrò iam ex Hieronymo monuimus, Damasum eius calamo, *Orientis, Occidentisque consultationibus synodicis respondisse.* Idem de antecessoribus eius ex ipso, & successoribus non immeritò coniectamus. De nullo præterea primarum etiam Sedium Episcopo idem constat. Non doctrinæ autem tantùm, sed iurisdictionis, & summæ in Ecclesia authoritatis testes fuisse, has literas inde indubium fit: quòd doctrina magis Hieronymi, authoritas mera Damasi coruscaret: quòd Athanasium, Cyrillum, Basilium, Nazianzenum, Proclum doctrinæ vbertate inusitata floruisse exploratum omnibus sit, scripta ipsorum testentur; non item Damasum, Siricium, Innocentium: illos ergo eruditio, hos Sedis authoritas consuli suadebat: quòd in Occidente saltem iurisdictionem Romanorum Antistitum latissimè dominatam esse, nec aduersarij abnuant, at promiscuè Hieronymus consultationes synodicas commemorat Orientis & Occidentis: ergo vt istæ, ita & illæ ad principatum Petri Sedis referebantur: quòd denique ipsæ, quæ à Syricio & reliquis deinceps Pontificibus indubitatæ supersunt nobis literæ decretales, singulis penè verbis, non copiam quandam singularem doctrinæ, sed exertissimam potestatem, & iurisdicendi principatum ostentent, atque adeo parendi necessitatem inferant. Frustratorius autem & merus ille cauillus est, causantium epistolæ Leonis ad Flauianum subscriptum esse in Concilio Chalcedonensi, non ex Leonis authoritate, quasi fidei Dictatoris, sed ex compertâ eius consensione cum

Digitized by Google

Nicæno, cum Conſtantinopolitano, cum Epheſino primo Concilio, vt fidem faciunt ſubſcriptiones actionis quartæ Concilij Chalcedonenſis. Cui ludificationi ita occurritur. Subſcriptiò & veritati exploratæ, & authoritati indiſcriminatim, perinde vt fides adhibetur. Illud vſitatiſſimum eſt Sectariis diuerticulum, vt obtentu veritatis authoritatem detrectent: adeo Catholicis fugitandum: ne authoritati dematur, quidquid arrogatur veritati. Nicænæ ipſi Synodo ſubſcribitur, vt diuinis literis conſentaneæ. An ideo Synodi œcumenicæ primæ vigor & authoritas emarcuit? 2. Secundæ & Tertiæ Synodo ſubſcribitur, vt cum Nicænâ conſonantibus: an ideo tota credulitas in Nicænam exhauſta eſt, eiuſque nec pilus ſupereſt, quo reliquæ Synodi honeſtentur? Vide vt hac eadem act. 4. ſubſcribat Sabbas Epiſcopus Palti Syriæ: *Trecenti decem & octo Patres edocti à Spiritu ſancto rectam fidem noſtram expoſuerunt: & centum quinquaginta Conſtantinopoli collecti eam ſequuti ſunt: ſimiliter etiam huic congruentia B. Cyrillus Epheſi docuit: conſona quoque ſanctiſsimus Archiepiſcopus Romanorum Leo per ſuam epiſtolam docuit: & vniuerſus orbis terrarum ſic inſtitutus eſt & edoctus, &c. & ſubſcripſi ei, &c.* In eundem ſenſum ſubſcribunt complures alij, & omnium penitùs ſubſcriptio, etſi verborum contextu diſcrepans, eòdem tandem reuoluitur. An ideo ſolam Nicænam *à Spiritu ſancto edoctam* argutaberis, reliquis Synodis ſubſcribi non aliter, quàm ex illius primæ, quam ſectantur, authoritate? Apage has ineptias. Reuiuiſcat potiùs ſolertiſſima Patrum ſimplicitas, iura iuribus, lumina luminibus affectans non committere, ſed conciliare: & fidei formulis gnara ſubſcribere, tum quia Scripturæ concinerent, tum quia viuæ vocis traduce à maioribus eſſent in poſteros propagatæ, tum quòd ſynodicè confirmatæ, tum quòd prioribus etiam aliquantis Synodis authoratæ eſſent. Amica ſibi ſunt hæc omnia veritatis præſidia, non mutuò collidenda. 3. Paſchaſinus, Lucentiuſque Epiſcopi, & Bonifacius Preſby-

ter, Vicarij Sedis Apoſtolicæ in hac eadem actione, conſentiunt ſimiliter Leonis epiſtolæ, vt tribus œcumenicis prioribus Synodis conſonantiſſimæ. An ergo nec hos mouebat tantillùm Leonis Papæ authoritas, ſed totum dabant ponderi priorum Synodorum, vel puro, putoque veritatis lumini? Saltem Occidentales, ſaltem peculiares Epiſcopi, ſaltem Preſbyteri, ſaltem Vicarij aſſurgerent authoritati Archiepiſcopi ſui. 4. Quin ipſi Chalcedonenſi Synodo metropolitani variarum prouinciarum ad quos eâ de re poſteà ſcripſerat Leo Imperator, iterato ſuffragati ſunt per encyclicas ſuas, eò quòd Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum, *Concilia firmauerit, nihilque quòd illis bene videatur placuiſſe, commonuerit; nec augmentum quoddam, vel detractionem fecerit, &c.* Cuiuſmodi ſimilia verba inculcantur in omnibus his encyclicis. Extremæ autem cuiuſdam vecordiæ fuerit, his nugari abrogatam omnem Chalcedonenſis Synodi authoritatem. 5. Quid quòd & Patres Concilij Toletani 14. Sextæ Synodi geſtis ſubſcribunt, *Prædicta geſta cum antiquis Conciliis conferentes, &c. iteratò ea ipſa geſta probauimus, decretis quidem illis ſynodalibus & præcipuis in omnibus conſona: & Nicæna quidem, Conſtantinopolitanæ, vel Epheſinæ fidei concordantia, Chalcedonenſi verò tam eſſe vnita, &c. Et ideo ſupradicti acta Concilij in tantum à nobis veneranda ſunt, & recipienda conſtabunt, in quantum à præmiſſis Conciliis non diſcedunt. Vnde his Conciliis ea ſubnectenda decernimus, quorum & authoritate fulta probamus.* An & hi exauthoraſſe videbuntur Sextam Synodum, reliquo iam Chriſtiano orbe receptam, cùm antecedentium Conciliorum authoritatem illi ſubſternunt? 6. Sed cùm Leonis epiſtola ante Chalcedonenſis Synodi initia, toto Occidente & in magnâ Orientis parte ſubſcripta iam, atque authorata eſſet: Num nihil hinc illi authoritatis accreuerat, & à nutu Chalcedonenſium Patrum anceps & vacillabunda pendebat? Nonne idem Orientalibus tunc, quod antè Cyrillo poſt Cæleſtini Neſtorium damnantis epiſto-

Part. 3. Concil. Chalced. c. 27.

Digitized by Google

las ſuſceptas dicendum nempe ſupererat, *neceſsitatem* incumbere ſibi, in damnando & errore & erroris authore conſentiendi Occidentalibus, vel communione eorum carendi? Certè act. 5. Chalc. Synodi, tergiuerſantibus plenam & enucleatam fidei definitionem edere, has Vicarij Romani minas intentant, *Si non conſentiunt epiſtolæ Apoſtolici & beatiſſimi viri Papæ Leonis, iubete nobis reſcripta dari, vt reuertamur, & ibi Synodus perficiatur.* 7. Porro vt fidei Doctorem ac Magiſtrum ſibi præluxiſſe Leonem, tota Synodus non diſſimulat, ſed exertiſſimè vociferatur, dum in fidei definitione vno contextu aſſentitur Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolo, itemque Cyrilli epiſtolis Epheſi confirmatis, atque Leonis epiſtolæ, vtpote quæ *Magni illius Petri confeſſioni congruat, & communis quædam Columna exiſtat, aduersùs peruersè ſentientes.* Dum act. 2. poſt eius epiſtolam recitatam exclamant, *Petrus per Leonem ita docuit, hæc Patrum fides. Hæc in Epheſo cur lecta non ſunt? Hæc Dioſcorus occultauit:* In Epheſinâ enim Pſeudoſynodo aberratum eſt à vero, non anteriorum Synodorum ignoratione, ſed ſolius Apoſtolici magiſterij penuriâ, vt hîc patet, & alibi oſtenſum. Dum in epiſtola ad Marcianum ſcribit: *Nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & Romanæ Eccleſiæ Papam ad victoriam præparauit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens: vt quemadmodum feruens affectu Petrum, & hic affectu feruentiore decertans, omnem ad Deum ſenſum, intelligentiamque perducat.* Dum ad ipſum Leonem ſcribit: *Tu vocis B. Petri omnibus conſtitutus interpres, &c. Tu ſicut membris Caput præeras, &c. Rogamus, tuis decretis noſtrum honora iudicium: & ſicut nos Capiti in bonis impendimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis quod decet adimpleat.* Non præfertur his verbis ſupercilium eorum, qui epiſtolæ Leonis, eiuſque cum priſcis Synodis concentus iudices ſe eſſe iactent, ſed diſcipulorum ſobrietas; qui vt Apoſtolis Petrum, vt membris Caput, vt filiis Patrem, ita ſibi Leonem in fide præluxiſſe gratulentur. Quid æquius autem,

quàm vt regat & moderetur, non explorata tantùm veritas, ſed etiam à Deo & à veritate inſtituta authoritas Petri Apoſtolos, Capitis membra, Patris filios? An filij Patriam, an membra Capitalem minùs, aut pigriùs ſectabuntur, quàm Magiſtralem diſcipuli authoritatem? Denique idem de Synodo, quod de Eccleſiâ: imò idem de Eccleſia ſynodicè collectâ, & per orbem ſparsâ: idem de repræſentante, ac de repræſentata iudicium eſto; Romana quæ Caput, quæ Prima, quæ Magiſtra eſt, vtrobique principatum & authoritatis & magiſterij habet, vtrobique cæteras ducit ſponte ſequaces, vtrobique & veritatis luce, & authoritatis mole cæteras antecellit, vtrobique enim valet illud Tertulliani, ad Matrices, ad Apoſtolicas, ad Originales Eccleſias reliquis eſſe recurrendum, vt ab his fontibus illimiores hauriant fidei latices, hoc eſt, fontem veritatis in fonte authoritatis & originis inueniant. Leonis poſtremò authoritati quantùm concederetur, proditum poſteà eſt, cùm perdiu, & Leonis epiſtolæ, & Concilio Chalcedonenſi ſubſcribi moris fuerit. Longè putidius eſt autem, quod alij tricantur, teſtimoniis antiquorum Patrum Leonem ſuam muniuiſſe epiſtolam, tanquam horum potiùs, quàm ſuis vocibus fides addicenda eſſet. Quæ enim Synodus œcumenica non æquè ſuffragia priſcorum Patrum aceruauit? Quæ Synodus œcumenica, non æquè vt Chalcedonenſis, ad rauim vſque exclamauit, Hæc Patrum fides? Quæ Synodus ſuæ decerptum iri authoritati ſuſpicata eſt, ſi vel Scripturarum, vel antiquorum Patrum authoritas proferretur? Nonne & ipſa Chalcedonenſis Synodus poſt conſecratam ſuis ſubſcriptionibus Leonis epiſtolam, ad Imperatorem Marcianum eandem commendans in epiſtolâ ſynodicâ, Patrum teſtimonia ei rurſus aggerat? Sed quis eorum qui Chalcedone ſubſcripſere huic epiſtolæ, vel leuiſſimè attigit, aut tantilli fecit ea teſtimonia epiſtolæ Leonis ſuccenturiata? An etiam cùm paſſim Epiſcopi Synodis œcumenicis ſubſcribentes conteſtantur, hanc

Digitized by Google

hanc esse fidem inter cunabula, inter lustrales vndas sibi irroratam, hanc quæ toto orbe Catholico hactenus coruscauerit: tunc Synodi authoritatem eleuant, eamque vni Ecclesiæ antiquæ, & per orbem sparsæ vendicatum eunt? Cruda hæc sunt insomnia, & vacua commentitiarum pugnarum ludibria, quibus illusi illusere, & falsi fefellere quidam, antiquæ pacis & ecclesiasticæ olim concordiæ ignari; calamitosa autem schismatum tempora, & incertas dubiorum Pontificum, ideoque cum Synodis colliforum procellas experti, & veluti tempestate quadam iactati, reliqua omnia quamuis pacata immotaque, iactari peræquè & æstuare imaginantur. Non pugnat, imò militat authoritas veritati, veritas authoritati, authoritas authoritati, ius iuri, Scriptura Synodis, Synodi Patrum dogmatibus, Pontifices Conciliis, Concilia Pontificibus, Caput membris, membra Capiti. Consentanea, amica, conserta sunt hæc omnia; mutuâ se ope, luceque recreant & augent: nullo vero, nullo intestino, sed imaginario fabulosoque conflictu, nec vsquam nisi in scholis perstrepente dissident. Vt enim post serenatos, ita & ante excitos illos plurium simul & dubiorum Pontificum turbines, nusquam membrorum omnium compago aduersùs Caput, nusquam Ecclesia vniuersa aduersùs Romanum Pontificem stetit; sed semper permagna & plerumque longè maior Ecclesiæ pars pro Capite suo certauit; vtque post scissum Orientem citimior Romanæ Ecclesiæ atque Vrbi Christianitas, ita antè Occidentalis omnis Ecclesia Romano Pontifici ita cohæserat, & penè coaluerat, vt ab eius sententiâ & nutu nec latum vnguem vsquam se abduci sineret.

Cyrilli epistolas in Ephesina prima Synodo subscriptas non detrecto. Sed vicariam in illo statim primæ Sedis authoritatem suspicio: & hanc ab eo passim prætendi. Nec his epistolis subscribere, ita Ioannes Antiochenus, & Orientales adacti sunt, vt Ægyptij epistolæ Leonis, à qua, vt Dioscoro obnoxij, videbantur abhorruisse.

III. Cyrilli etiam epistolis synodicè subscriptū. Et cur?

Digitized by Google

Nec Synodus Ephesina tantùm se Cyrilli nomine tuetur, quantùm Cælestini, cuius epistolâ se cogi fatetur in Nestorij abdicationem. Nec ante ipsam Synodum ita Cyrilli, vt Leonis literæ ad omnes metropolitas destinabantur, vel in Oriente & Occidente circumferebantur subscribendæ. Nec Cyrillus ita poterat ad summarum Sedium Episcopos mittere literas, vt Leo ad Flauianum, ad Anatolium, ad Synodos œcumenicas.

IV. Episcopalibus quoque definitionibus subscribi iussum.

Posse tamen ab Episcopis vt fidei magistris & Apostolorum successoribus conscribi formulas fidei, & ab iis quos regunt singuli, subscribendas publicari: in controuersiam vix trahi potest. In Episcopalibus enim quarumlibet regionum Conciliis sexcentæ cùm proscriptæ olim fuerint hæreses, orthodoxæ eorum definitioni iussos subscribere quicumque suspecti habebantur, consentaneum est credere. Ad hæc Basilius, teste Synodo Chalcedonensi, *Consacerdotum suorum elicuit subscriptione consensum.* Cùm Ariani enim orbem vniuersum nefariis subscriptionibus exigendis fatigarent, Nicænamque fidem & Athanasium pessumdare machinarentur: necessum fuit orthodoxos Episcopos contrariis subscriptionibus communire veritatem ecclesiastici dogmatis. Arianos imitati Semiariani, eâdem perdiu subscriptionum vesaniâ bacchabantur: adeo vt Gregorio etiam Nazianzeno Episcopo, Theologi Patri imposuerint, & complures ex Catholicis incautos vel inuitos irretiuerint. Vnde in vitâ Gregorij Theologi: *Quò factum est, vt alij metu perculsi, alij verborum illecebris deliniti, aut pecuniis subacti, alij morum simplicitate decepti, hæresis escam susceperint: chirographo suo & communione cum aduersariis coniuncti. Quo in numero B. quoque viri huius Pater erat, animi simplicitate in hamum prolapsus.* Sed parentem breuì Theologus his laqueis extricauit, monachosque & plebem ab eo hâc de causâ secedentem recollegit, vt author ipse est orat. 19. *Cùm à fermentione Ecclesiæ parte ob eam causam seditio in nos excitata est, quòd scripto quodam, & artificiosis verbis circumscripti, in prauam*

Digitized by Google

societatem pertracti fuissemus, solus ipse illæsam mentem, minimeque simul cum atramento infectam animam habere creditus est: tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolumque ob animi sinceritatem ab omni dolo alienam minimè cauisset. Quin etiam solus, aut, vt rectiùs dicam, primus, eos qui à nobis ob pietatis zelum dissidebant, & sibi & cæteris reconciliauit, &c. Qui rursus orat. 21. de grassatione ista extorquendorum chirographorum ita expostulat: *Hinc alij ab Ecclesiarum thronis iniustè pellebantur, alij in eorum locum subrogabantur: sic tamen, vt ab iis impietatis chirographa non secus atque aliud quidpiam necessarium exigerent. Atque in promptu atramentum erat, & calumniator à tergo. Ea res permultos à nobis inuictos alioqui viros in fraudem impulit: qui quamuis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transuersi acti sunt: atque cum illis vtroque nomine improbis consenserunt: ac si non flammæ, fumi certè participes fuerunt.* His quos vtcumque excusat Gregorius, etsi non omnino culpâ absoluit, accenseri fortassis potest, (quo de tamen aliàs) Liberius, aliquandiu antè consimili fraude implicatus. At ibidem longè excusatiores plebeios ostendit Episcopis, si qua istiusmodi arte circumuenientur. *Nam plebeius hominibus, qui per errorem id admiserint, ignoscendum fortasse fuerit, quibus illud plerumque saluti est, quod animum à curiosâ exploratione alienum habent. At doctori quo tandem modo id concedemus, &c.* Episcopis ergo seu Arianis antè, seu pòst Macedonianis orthodoxos Episcopos, forsan & plebeios hac subscriptionum procella infestantibus, visum est Basilio catholicum dogma sanctioribus chirographis defensandum. Basilium imitatus est Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, de quo in Ephesina Pseudosynodo hæc conquestus est Eutyches: *Subscribere dictatam aduersùm me sententiam monasteria compellebat: nunquam, sicut & vestra nouit reuerentia, tali habitâ consuetudine, nec contra apertos hæreticos. Et per Orientem, & per alia diuersa loca destinauit chartas, vt etiam & ab aliis religiosissimis Episcopis, & Monachis, etiam qui hæc non indica-* *Act. 1. Concil. Chalced.*

Digitized by Google

nerunt, ſubſcriberentur, cùm magis oportuerit antè omnia Pontificibus ſcribere, quos & appellauerant. Quin & ipſe Eutyches in ſui defenſionem, volumen de fide per monaſteria ſubſcribendum direxit, vt euincitur in Synodo Conſtantinopolitana ſub Flauiano: dehortans etiam à ſubſcriptionibus quas exigebat Flauianus: *In his diebus tomum ad te directurus eſt Archiepiſcopus, vt ſubſcribas; ne perſuadearis ab eo.* Quanquam Eutychetis libello ſubſcribere recuſarent complures Archimandritæ, aientes: *Non eſt meum ſubſcribere, ſed Epiſcoporum tantùm eſt:* itemque: *Nos Eccleſiæ filij ſumus: & vnum Patrem poſt Deum habemus, Archiepiſcopum.* Et Liberatus in Breuiario, c. 11. *Eutyches direxit tomos per monaſteria, cum ſuis dogmatibus ad Abbates, vt ſubſcriberent ei.*

V. Exempla alia ſubſcriptionum epiſcopalibus definitionibus additarum.

Aduersùs Origenis errores, epiſcopali per orbem imperio ſubſcriptum etiam eſt, non ſine mirâ & deridiculâ tergiuerſantium ludificatione, vt narrat Hieronymus ad Pammach. & Ocean. aduerſ. error. Origen. *Hoc vel maximè cauent, ne quando contra authorem ſuum eorum ſcripta teneantur. Facilè dicunt cum iuramento, quod poſtea alio ſoluant periurio. Ad ſubſcriptionem tergiuerſantur, quæruntque ſuffugia. Aliis, Non poſſum, inquit, damnare, quod nemo damnauit. Alius, Nihil ſuper hoc à Patribus ſtatutum eſt: vt dum totius orbis prouocatur authoritas, ſubſcribendi neceſſitas differatur. Quidam conſtantiùs, Quomodo, inquit, damnabimus, quos Nicæna Synodus non tetigit? &c. Quòd ſi quando vrgeri caperint, & aut ſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſiâ, miras ſtrophas videas. Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & noſtram & aduerſariorum confeſſionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Hæc de Origenis ſectatoribus, nullâ vniuerſali Synodo, ſed particularibus tantùm per orbem Conciliis, & damnatis, & ad ſubſcribendum adactis. Expertus erat & ipſe Hieronymus orthodoxorum Epiſcoporum in hac parte, non poteſtatem tantùm, ſed ſcrupuloſitatem, cùm ob trium hypoſtaſeon cauſam, Sabel-

Digitized by Google

lianiſmi ſuſpicionibus in Oriente exagitaretur. Id nos ipſe docet in epiſt. ad Preſbyterum Celedenſem : *Non mihi conceditur vnus angulus Eremi. Quotidie expoſcor fidem, quaſi ſine fide renatus ſim. Confiteor vt volunt, non placet. Subſcribo, non credunt. Vnum tantùm placet, vt hinc recedam. Iam iam cedo. Abruperunt partem à me animæ meæ, chariſſimos fratres, ecce diſcedere cupiunt, imò diſcedunt, melius eſſe dicentes, inter feras habitare, quàm cum talibus Chriſtianis. Et ego ipſe, niſi me & corporis imbecillitas, & hyemis retineret aſperitas, iam modò fugerem.* Vereor vt hæc nimia ſanè, monachorum potiùs cierit moroſitas, quàm Epiſcoporum in exigendis ſubſcriptionibus. Non otioſum eſt animaduertere Hieronymi tali etiam in re obſequium paratum, & expeditum, *Confiteor vt volunt, ſubſcribo, &c.* Quanquam nec fortaſſis Epiſcopus, nedum Romanus Pontifex ſubſcribi decreuiſſet.

VI. Alia eorundem exempla.

Manifeſtius eſt Auguſtini teſtimonium de epiſcopalibus aduersùs Pelagiana deliria ſubſcriptionibus. Has enim ille querimonias iſtiuſmodi hæreticorum refert l. 4. ad Bonif. cap. 8. *Sed quoniam dicunt inimicos ſuos dicta noſtra in veritatis odium ſuſcepiſſe, & toto penitus Occidente non minùs ſtultum quàm impium dogma eſſe ſuſceptum : & ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus ad hoc confirmandum ſubſcriptionem queruntur extortam : cùm potiùs eorum prophanas vocum nouitates Eccleſia Chriſti & Occidentalis & Orientalis horruerit.* Et c. vlt. *Quid ergo eſt quod dicunt, De ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi, in locis ſuis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt, &c.* Nuſquam Innocentius & Zoſimus in damnando Cæleſtianos errores, ſubſcribi ab Epiſcopis imperauerant : has ergo ſubſcriptiones ſibimet Epiſcopi ipſi indicebant. Ita forſan & in epiſtolam Leonis ad Flauianum ſua ſponte Epiſcopi Galliæ & Italiæ ſubſcripſere, imò & vbique terrarum Epiſcopi omnes, cùm nuſquam id ipſe præcepiſſe comperiatur. Et ad calcem Concilij Toletani primi attexuntur ſubſcriptiones Symphoſij & Dictynnij Epiſcoporum, &

Digitized by Google

Comasij presbyteri, aduersùs Priscilliani errores, ipsumque Priscillianum & eius libros, à quibus aliqui abstergere laborabant errorum istorum infamiam. Noranda sedula ibi verba Comasij presbyteri : *Non timeo frequenter dicere, quod semel dixissem, vt gaudeam. Sequor authoritatem Episcopi mei Symphosij, sequor sapientiam senis. Sentio quod dixi. Si iubetis, ex chartulâ relegam.* Et in Concilio Bracharensi I. aduersùs eundem Priscillianum, non Leonis tantùm Papæ primi decreta fidei, sed & Episcoporum veluti succinentium primæ Sedi capitula releguntur, *vt quisquis Clericus vel Monachus siue Laïcus tale aliquid sentire adhuc, vel defendere fuerit deprehensus, tanquam verè putre membrum, continùo de corpore abscindatur Catholicæ Ecclesiæ.* Et paulò antè: *Eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ sectæ venena serpebant, beatissimus Papa vrbis Romanæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit B. Petri successor, per Turibium notarium Sedis suæ, ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cuius etiam præcepto Tarraconenses & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque & Bætici facto inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresin cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balearium tunc huius Braccharensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt.* Vides rescripta Sedis Apostolicæ de fide ad Episcopos in prouincias mitti, synodicè ea recipi, ab ipsis Episcopis *regulam fidei*, & varia capitula in eandem sententiam conscribi: pœnas dare clericos, monachos, laïcosque, si qui secùs senserint, quod per subscriptiones facillimè potest rescisci.

VII. Alia rursum exempla vicinio-ra.

Perillustre est in rem istam, quod de Episcopis Gallicanis narrat Otho Frising. contra Gilbertum Porretanum in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. de fide scribentibus. *Mox ad publicum progressus Bernardus Abbas, omnes quos poterat conuocauit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictauino Episcopo imponebantur capita, fidem suam in hunc modum, ipse cum aliis & alij cum eo exposuerunt. Credimus, &c.* Descri-

Lib. 1. de Gestis Frider. Imp. c. 56. 57.

Digitized by Google

pta confessione, subdit: *Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam grauiter sacer Cardinalium Senatus accepit.* Tum eorum refert effusas indignanter apud Pontificem querelas, de Bernardo, & Ecclesiâ Gallicanâ. Quæ tamen eò reuoluuntur tandem, *Ecce Galli isti faciem nostram contemnentes, tanquam finitimæ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt.* Omnia enim alibi terrarum disceptata, *Romano seruari examini terminanda.* Nec id consilij Gallis Episcopis fuerat, vt vltimam manum rei imponerent, *super capitulis, quæ assidentibus Cardinalibus agitata fuerant.* Duo tantùm purpuratis Patribus certa erant, nec Galli dissentiebant; quæ agitari coram Pontifice & Romano Senatu sacro cœperant, non posse ab aliis definiri: item nec ab aliis Episcopis ita definiri quid posse, quin à Pontifice retractari id, & terminari possit. Sed Gallis Episcopis sua etiam constabat ratio & potestas edendæ fidei regulæ, etsi tunc purpuratorum Principum excandescentiam mitigandam censuerit Bernardus hac responsione molliori: *se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definisse, sed quia ab Episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur: idcirco quia solus nollet, illorum authoritate, ac testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse.*

VIII. Subscribere solos Episcopos solennius fuit.

Qui autem adigerentur subscribere, ex superioribus dilucidum est. Episcoporum enim præ cæteris fuit & fidei decreta constituere, & iisdem subscribere. Ita Basilius consacerdotum subscriptiones eliciebat. Ita Patres Synodi Chalcedonensis reliquas Patrum de fide epistolas à se suscipi testabantur. Ita epistolæ Leonis non alij, quàm Galliarum & Mediolanensis prouinciæ Episcopi, Anatolius, Metropolitæ Orientales, Patres denique Chalcedonensis Synodi leguntur subscripsisse. Ita Archimandritæ sub Flauiano Constantinopolitano respònderunt, *Episcoporum tantum est subscribere.* Ita Nazianzenus de solis pene Episcoporum subscriptionibus meminit. Ita apud Augustinum quiritabantur Pelagiani, à simplicibus Epi-

Digitized by Google

ſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus extortas eſſe ſubſcriptiones. Nimirum grex in Paſtore, Eccleſia in Pontifice eſt: Laïci, & Clerici, & Monachi omnes *Eccleſiæ filij ſunt, & vnum Patrem, poſt Deum, habent Epiſcopum*: ideo, *ſequuntur authoritatem Epiſcopi*, & eo ſubſcribente, cenſentur ſubſcribere. Vt Synodus enim vniuerſalem, ita Epiſcopus quilibet particularem ſuam Eccleſiam in Synodo repræſentat.

IX Si qui tamen obliquis de fide ſuſpicionibus agitarentur, ſubſcribere cogebantur Clerici, Monachi, Laïci.

Sicubi tamen exagitati fuerant iniquioribus ſuſpicionibus ſeu Clerici, ſeu Monachi, ſeu denique Laïci, horum quoque ſubſcriptiones elicere in vſu fuit. Ita Hieronymus ſuprà ab Origenis defenſoribus referebat chirographa exigi, quos exemplo Rufini, Melaniæ, Monachorumque Ægypti, facilè coniicitur epiſcopalibus infulis non radiaſſe. Ita ipſe Hieronymus, cum monaſtici inſtituti collegis, vrgebatur ſubſcribere, & ſubſcribebat, vt vellent. Ita ſuperiùs Monachos, nempe Archimandritæ Eutycheti ſuffragari vtcumque ſuſpectos, iubebat ſubſcribere Flauianus. Ita in damnationem Chryſoſtomi, etſi præter ius damnati, ſubſcribere paſſim cogebantur, quod ne fiat ab innocentiæ ſuæ conſciis quibuſlibet, deprecatur. Non pœnitebit adſcripſiſſe, quæ in rem iſtam diſputat Ferrandus Diaconus, ad calcem epiſt. ſuæ ad Pelag. & Anatol. perſtringens, vt opinor, Iuſtinianum, qui ſua ab omnibus paſſim placita ſubſcribi extorquebat: *Poteſt vnuſquiſque rectam prædicans fidem, quod ſentit, ſcribere: non autem ad ſubſcribendum, quæ ipſe ſcripſerit, alios provocare. Quantùm laborauerunt in prædicatione verbi poſt Apoſtolos ſanctiſſimi illi præclarique doctores, quibus per ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ conceſſerat Dominus docere Catholicos, & hæreticos expugnare? Libros tamen ſuos à nemine ſubſcriptos poſteris reliquerunt. Conſideremus quid B. Apoſtolus moneat: Prophetæ duo, vel tres dicant, & cæteri examinent. Nunquid dixit, ſubſcribant, aut ſubſcribere compellantur? &c. Præcipit Scriptura, Audi, fili, legem patris tui, & ne ſpernas conſilium matris tuæ. Lex enim patris fulget, quantum mihi videtur,*

Digitized by Google

detur, in canonicis libris : consilium matris in vniuersalibus Conciliis continetur: vbi propterà qui conueniunt, tales sacerdotes statuta sua subscribunt, vt dubium non relinquatur à quibus est habita disputatio. Cæterùm præter illos qui statuunt, quæ statuenda sunt, nullus cogit vltrà subscribere. Sufficere enim iudicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moueant, vel scandalum fratribus: sed Apostolicæ fidei conuenire firmentur, Apostolicæ Sedis roborata consensu. Non intercedit Ferrandus, quin Sedis Apostolicæ decreta subscribantur, cum solo eius consensu, & reliquæ silentio Ecclesiæ, conualescere in authoritatem œcumenicam & ineluctabilem statuta particularium vel vniuersalium Synodorum existimet, quibus non abnuit subscribi debere. Itaque synodalibus decretis permiscuit Ferrandus constitutiones Sedis Apostolicæ. Sed synodicis definitionibus negat subscribere solere, nisi Episcopos qui definierunt, dummodò *nullum offendiculum, aut scandalum moueatur.* Si qui enim aut clericorum aut laïcorum resiliant à decretis quibus vniuersa acquiescit Ecclesia, & scandalo sint fratribus: haud dubiò amoliri hoc offendiculum, & chirographo suo suspectam fidem suam approbare compellentur.

X. Quàm effusè abusus Photius hâc chirographorum licentiâ: Effusissimè, sed perquàm sanctè visus est Hadrianus Papa in octaua Synodo.

Hac chirographorum' effusissimâ licentiâ abuti vltra omnes pudoris limites visus est Photius CP. Episcopus, de quo hæc referuntur Synodi 8. act. 7. *Iubente Basilio Imperatore positum est in medio Synodi vas æneum, ad id aptum, plenum igne: & delati sunt in marsupium omnes tomi chirographorum, qui exacti sunt à Photio ab omni sacrato catalogo, & ordine Clericorum, tam magnæ Ecclesiæ, quàm earum quæ foris sunt: quamque etiam à magnis, & paruis, & omnibus senatoriæ dignitatis, & cunctis aliis tam illustribus, quàm ignobilibus, atque iis, qui in omni arte, ac disciplinâ, & diuerso studio esse videbantur, vsque ad pellarios, & pisces vendentes, & lignarios, & acus facientes, &c. Omnia igni cremata sunt, & redacta in nihilum.* Ita homo frontis perfrictissimæ. At Hadrianus II. Pontifex in hâc ipsâ 8. Sy-

Digitized by Google

nodo, act. 1. libellum, seu formulam confessionis Constantinopolim missam, effecit ab omnibus Clericis subscribi. Ita enim ibidem ad marginem adscriptus Anastasius Biblioth. *Archiepiscopi, Metropolitani, & cæteri Episcopi Constantinopolitanæ diœceseos, nec non & omnes omnino Clerici, qui vel in honore, vel in communione essent, symgraphum Sedi Apostolicæ Græcè scriptum, & tam propriæ manûs scripto, quàm testium à se rogatorum testimonio, & subscriptione roborauere, nomina & tempus signantes, quo singuli chirographum suum scribebant, & Sedis Apostolicæ vicariis porrigebant. Ita vt nullus Antistitum vel reliquorum Clericorum in synodalem fuerit conuentum receptus, qui non secundùm huius exemplar codicilli chirographum scripsit, &c.* Suspicata statim est Græcorum leuitas, hac chirographorum seruitute subiugari Constantinopolitanam Ecclesiam Romanæ. Itaque furtim eorum partem sustulere. At reddi sibi ab Imperatore expugnarunt Vicarij Romanæ Ecclesiæ, qui ad vnum omnia restituens, dixit: *Ego quidem, vt magistram ecclesiasticorum negotiorum Sedem Apostolicam per meos legatos adij; & ideo vestram præsentiam præstolatus sum, vt vestro decreto & solertiâ, Ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet, & nos non nostris motibus, sed vestræ sententiæ pareremus. Ergo chirographa, quæ à nostris sacerdotibus, & cunctis Clericis salubriter exegistis, recipite; & spiritali nostro Patri sanctissimo Papæ repræsentate. Ita vt si quis eorum per abrupta vitiorum vel deuia prauitatum solito incedere more tentauerit, his quodammodo habenis ab eo refrænetur: & talibus loris ad rectum iustitiæ tramitem reuocetur.* Chirographorum hîc perspicua vtilitas, imò & necessitas est, quæ non ab Episcopis tantùm, sed à Clericis etiam singulis eliciantur, vt his veluti habenis officij metas transilire inhibeantur. Nec causetur quis rariùs id antè, aut nunquam factitatum fuisse. Nam vt author est Augustinus, nouas temperare medicinas cogunt noua in dies morborum experimenta. Synodus denique ipsa octaua act. 9. è nobilibus laïcis Leonem consulem adegit anathema Photio dicere: & quanquam

exciperet ille se laïcum esse, Photium orthodoxum esse, anathema non illidi, nisi in hæreticos, *Quis sum ego, vt anathematizem? Anathematismus in causâ fidei sit: at verò Photius orthodoxus est.* Vrgentibus tamen legatis, opera eius omni hæresi peiora esse: morem gessit his verbis: *Cùm vos iudicetis fieri & exceptâ hæresi anathematismum, anathematizo & ego cunctos, quos anathematizauit sancta hæc & vniuersalis Synodus.* Denique act. 10. post subscriptiones omnium Episcoporum: *Interrogati Magistri & omnes Patricij, quid de sanctâ & vniuersali Synodo existimarent: vel quomodò eam subscriberent? Theodorus magnificentissimus Proconsul, & Magister dixit ita: Omnia, quæ facta sunt à Photio contra Ignatium, & Nicolaum, anathematizans: & hanc sanctam & vniuersalem Synodum recipiens: recipio, quos recipit: & anathematizo, quos anathematizat. Similiter Christophorus, &c. Et deinceps vnusquisque prænominatorum in sessione Patriciorum secundùm hæc edidit ore proprio per viuam vocem sensum suum, velocibus Scriptoribus excipientibus quæ dicebantur ab vnoquoque ipsorum, quæ etiam lecta sunt in audientiam omnium.* Ita laïci suo quodam ritu subscripsere.

XI. Quanta obsequendi necessitas immineret. Vbi & duplex obiectio diluitur ab Augustino & Chrysostomo petita.

Quanta denique obsequendi necessitas immineret, vbi hæc chirographa legitimus Præsul flagitabat, otiosum iam penè foret prosequi. Ex antedictis enim omnibus, id quoque refulgebat. Origenis deliramenta sectatos, aut eius suspicionis aurâ afflatos, contrario dogmati subscribere vt fugitarent, vt cogerentur, suprà Hieronymus docuit. Prouocabant enim orbis authoritatem, vt *subscribendi necessitatem* differrent: verbis rem transigere moliebantur, quæ etiam cum iuramento adhibita facilè auolarent; sed *ad subscriptionem terginersabantur, quærebantque suffugia.* Denique ita à Catholicis Antistitibus vrgebantur, vt *aut scribendum esset, aut exeundum de Ecclesiâ.* Nimij quidem erant, & plùs æquò morosi, qui Hieronymum cum consortibus in tres Hypostases subscribere adigebant, subscribentibus non credebant eisdem: sed hinc quoque necessitas elucet subscribendi. Epistolæ

Digitized by Google

Leonis toto orbe ſubſcriptum eſt, pronunciante Synodo Chalcedonenſi, *hæreticum eſſe* qui non ſubſcripſerit. Ei etiam vt ſubſcriberetur à Gallicanis Epiſcopis ipſum præcepiſſe, coniicere fortè quis poſſet ab exemplo conſimili Martini Papæ I. qui an. 650. ad Epiſcopos Galliarum acta Synodi Romanæ contra Monotheletas mittens, ait: *Studeat fraternitas tua eadem omnibus innoteſcere, vt tam abominandam hæreſin nobiſcum execrentur, atque ſynodali conuentione omnium fratrum, & Coëpiſcoporum noſtrorum partium illarum effectâ, ſecundùm tenorem Encyclicæ à nobis directæ, ſcripta vnà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes, atque conſentientes eis, quæ pro orthodoxâ fide à nobis ſtatuta ſunt.* Ita & Leo II. poſteà ad Patres Concilij Toletani XIV. ſubſcribenda miſit acta ſextæ Synodi œcumenicæ. Quibus exemplis in more poſitum id fuiſſe generatim non immeritò perſuadetur. Denique cum Hieronymo ſuprà, vel ſubſcribendum, vel de Eccleſiâ exeunddm, ſentit Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus ex communibus & vulgatiſſimis eccleſiaſticæ diſciplinæ præiudiciis l. de prædeſt. cap. 38. ſeu Epilog. c. 1. *Si quis ſecus ſentiens, ſecundùm formam in proximè diſtinctis capitulis, ex authoritate eccleſiaſticâ ſcomprehenſam, epiſcopali conſenſu, vel ſynodali decreto, ernato per omnia priuilegio ſanctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & ipſius in toto orbe terrarum primæ Sedis Pontificis, conſentire: & cum ſanctâ, Catholicâ & Apoſtolicâ vnitate ſuſcipere, ſiue ſubſcribere detrectauerit, ipſe ab eius ſe compage, & vnitatis ſecernet communione, cuius eſſe noluerit ſocius diſciplinæ. Nam ſemper ſic habuit Catholica omnis Eccleſia, vt qui in vna communione conſentiunt, vno dogmate, vna charitate, vno teneantur aſſenſu.* Nec moror, quâ hæc in causâ ſcripſerit Hincmarus, regulam ipſam intueor eccleſiaſticæ diſciplinæ omnium Catholicorum animis infixam & præiudicatam. Nec his obſtrepunt, quæ Chryſoſtomus exulaturus, ad Epiſcopos ſuarum partium dixit, ita quiritantes: *Neceſſariò, ſi Eccleſias tenuerimus, communicare cogemur, atque ſub-*

Digitized by Google

ſcribere. Ad quos ipſe: *Communicate quidem, ne ſcindatis Eccleſiam; verùm nolite ſubſcribere. Nihil enim mihi conſcius ſum, propter quod deponi, aut deiici merear.* Hæc refert Palladius, & totidem penè verbis Cedrenus. Hincmarus quippe ſubſcriptione *vnitatem dogmatis & communionis* ſignificandam vrgebat: at in causâ Chryſoſtomi nihil dogmatis controuertebatur. Ad hæc qui aduersùs Chryſoſtomum ſententiam dicebant Epiſcopi, & ab illo recuſati fuerant: & non multò plùres, vel pauciores etiam erant, quàm qui eius innocentiæ ſuffragabantur: & denique Occidentalium omnium Epiſcoporum multitudini, Romanæque Sedis principatui impares admodum erant, quorum beneuolentiam & ſuffragationem Chryſoſtomo aſpiraturam nequaquam ambigebatur, vt amicorum eius omnium fuga in vrbem Romam argumentò fuit. Denique præter ipſius Chryſoſtomi ſententiam, imò ſecundùm illam, ſed poſteà in contrarium flexam, non negari tantùm ſubſcriptionem, ſed communionem etiam ſcindi neceſſum fuit, vt ſuprà demonſtratum. Ergo tunc ſubſcriptio negata, & neganda fuit, cùm non de dogmate quærebatur: cùm ſuſpecti & meritò recuſati iudices: cùm pauciores; cum aduerſam Occidentalibus omnibus & pleriſque Orientalibus, & ipſi imprimis primæ Sedi ſententiam præcipitarunt: cùm denique commiſerunt, vt etiam communio ſcinderetur. Nec nos præterit, quod ſcripſit Auguſtinus lib. de verâ religione cap. 6. *Sæpe etiam ſinit diuina Prouidentia per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum ſeditiones, expelli de congregatione Chriſtianâ etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel iniuriam ſuam cùm patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque vllas nouitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint: docebunt homines quàm vere affectu & quanta ſinceritate charitatis Deo ſeruiendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus: aut ſi id non ſinantur, vel eâdem tempeſtate perſeuerante, vel ne reditu ſuo, talis aut ſenior oriatur, tenent voluntatem conſulendi etiam eis ipſis, quorum me-*

tibus, perturbationibusque cesserunt: sine ullâ conventiculorum segregatione, usque ad mortem defendentes, & testimonio iuuantes eam fidem, quam in Ecclesiâ Catholicâ prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Verùm neque in hac specie, de fide aut de dogmate controuersia est. Sed cùm non propriâ tantùm confessione, sed etiam testium aut quarumcumque probationum conuictione tunc temporis, vel publicæ manciparentur pœnitentiæ, vel ab Ecclesiâ funditus eiicerentur: contingebat non rarò, vt falsis & coniuratis testibus productis, quos infirmare non posset, vel turbulentâ plebium seditione opprimeretur quis, & expelleretur ab Ecclesiâ, impactis sibi criminibus, à quibus purus esset. Si fidei enim causa verteretur, quàm facilè tempestas illa carnalium hominum sedaretur & seditio, fidei Catholicâ coram Episcopo professione, quod non perinde expeditum est, vbi alia scelera affinguntur? Ad hæc, *carnalium hominum seditiones, turbines, tempestates, perturbationes*, vix ac nec vix quidem dicerentur, potissimùm ab Augustino, episcopales seu conuentus, seu definitiones, quibus subscribere quis auersabundus, ab Ecclesia execari mallet. Adde quod *viros bonos* ita eiici ait Augustinus, non viros orthodoxos, vt ad mores, non ad fidem spectare eam accusationem constet. Præterea ait eos postquàm electi sunt à limine Ecclesiæ, *nullas tum schismatis vel hæreseos nouitates moliri*: non ergo antequàm eliminarentur, nouabant quid, aut videbantur in fide nouare. Quod magis & hinc dilucet, quòd ait eos etiam extorres *testimonio suo iuuare eam fidem, quam in Ecclesiâ Catholicâ prædicari sciunt.* Non ergo de fide rei agebantur: sed de aliis criminibus, quorum ergo non pauci olim ab Ecclesia abacti, tum demum ad hæreses parturiendas adgressi sunt. Ideo aduersùs falsos testes crebra olim Canonum statuta, crebra de conuictis per aliena testimonia & ad excommunicationem subeundam adactis mentio. Hæreseos autem criminatio si cui illidebatur, quia ex maioribus hæc causis erat, ad

Digitized by Google

Synodos & ad ſummos demum Pontifices recurrere, & infeſtatam à Sycophantis innocentiam tueri dabatur. Conſpiratione autem Epiſcoporum, vel epiſcopalium conuentuum, immerentem quem hæreſeos damnari, eiicique Eccleſiâ, conſcio & ſilente, & ad innocentiæ defenſionem ceſſante reliquo per orbem epiſcopali collegio, inauditum id quidem prorſus eſt. Quare de eo non diceret, quod idem mox ibidem ſubiicit Auguſtinus, *Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt: imò plura ſunt, quàm credi poteſt.* Plura certè erunt, quàm credi poteſt, ſi de cæteris facinoribus & falſis teſtibus ſermo ſit, non ſi de hæreſibus aut dogmatum cauſis. Finitimus eſt ſuperiori & iſte eiuſdem locus in Pſal. 75. *Si fortè contigerit aliquis tumultus aduersùs montes in Eccleſiâ, aut per populares ſeditiones carnalium, aut per aliquas falſas ſuſpiciones hominum, bonus mons repellit à ſe omnes, qui propter ipſum volunt ab vnitate recedere.* Non fides, non Epiſcopi his verbis inſinuantur, non epiſcopalis authoritatis manifeſta detrectatio, ſed hominum falſæ ſuſpiciones, & populares ſeditiones carnalium.

Deditâ autem operâ admonui, tum ineuitabilem incumbere ſubſcribendi neceſſitatem, ſi legitima iubeat poteſtas, vel fraterna, ſi fors vt Hieronymum, & ſocios, Baſilij forſan etiam Coëpiſcopos, charitas. At ſi in cauſa eccleſiaſtica Imperator, qui ſequi debet vt ouis, anteire & ducere paſtores occipiat, & ſubſcriptiones extorqueat: tum enimuerò alia ineunda ratio eſt, vt vel pro veritate contra mendacium decertetur: vel ſi veritati patrocinetur temeritas, nec dogma ſanum, ſed ordinem rectum interuertat: tum aut pro libertatis eccleſiaſticæ tuitione ineatur pugna; aut contemplatione pacis, & vnitatis compenſatione, diſpenſatoriè neceſſitati ſeruiatur. Horum ſplendida ſunt exempla in Sextæ & Quintæ Synodi monumentis. Nam Ecthesi ſuæ ſubſcribi Heraclius cùm iuſſiſſet, & conſenſiſſet Pyrrhus, vt refertur conſult. 4. Lateran. Synodi ſub Martino I. *Sicuti magnus Impera-*

XII. Sicubi Imperator præcurreret Synodis, & ſubſcriptiones exigeret: ſi contra fidem, reſtitutum eſt: ſi pro fide, aliquando ex amore diſciplinæ & libertatis, reſtitum: ſæpiùs ex diſpenſatione & pacis charitate obtemperatum.

Digitized by Google

tor & adinuentor ſublimium, &c. Competenter igitur & nos, ſequentes eiuſdem virtutem & conſtructionem eius dogmatica & à Deo inſpirata doctrina, &c. quatenus inconcuſſum permaneat eius regale imperium, &c. decernimus Epiſcopos qui necdum imperialis prædicationis inſinuationi ſubſcripſiſſe probantur, vt proprias ſubſcriptiones poſt noſtram ſubſcriptionem actibus ſubiungere debeant. Imperatoria poteſtas præire Epiſcopis, & veritatem adulterare moliebatur per nefarias ſubſcriptiones; infractis animis Catholici reluctati ſunt. At Iuſtinianus citra fidei diſpendium, fortè etiam cum aliquo fidei compendio, in trium Capitulorum damnationem ſubſcribere iuſſit, non expectatâ eâ quæ antecedere debuerat, pontificiâ authoritate: nefandâ ille quidem tempeſtate Chriſtianum orbem quaſſauit: at Epiſcopi orthodoxi, & officij metas non præteruecti, partim reſtitere, vt libertati eccleſiaſticæ ſemet impenderent: partim ceſſere, vt vnitati conſulerent; & huic tandem omnes acceſſere diſpenſationi, vnitatis ſoſpitatrici, nec peremptrici veritatis. Pauca deſcribo ex edicto fidei contra Origenem, vt ſimilia decreuiſſe circa tria Capitula Iuſtinianum ne ambigas: Ita ergo ille ad Menam: *Hanc epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, quâ eam hortamur, vt omnium qui in hâc regiâ vrbe degunt, ſanctiſſimorum Epiſcoporum conuentum habeat, ac præfectorum monaſteriorum: faciatque, vt omnes in ſcriptis Origenem, & eius dogmata anathematizent: exemplaque dimittas eorum, quæ à beatitudine tuâ ob hanc cauſam geſta fuerint ad alios omnes ſanctiſſimos Epiſcopos, Præfectoſque monaſteriorum, vt & ipſi ſubſcriptione propriâ anathematizent. In poſterum autem ne aliter ordinentur Epiſcopi, aut monaſteriorum Præfecti, niſi priùs, &c.*

XIII. Idem rurſus probatur exemplo Quintæ Synodi.

Ægrè quidem, ſed manus tamen dedere Orientales Epiſcopi ſubſcribere iubenti in damnationem trium capitulorum Imperatori, certi nullum fidei orthodoxæ creari periculum; dubij tantùm & trepidi, ne ſaltem leuis aliqua inureretur infamia Synodo Chalcedonenſi, quæ ab eorum damnatione abſtinuiſſet. Rem geſtam Iuſtinianus

Digitized by Google

Iustinianus ipse modò iùs narrat in sacra ad quintam Synodum data, quæ in eius collatione prima radiat: *Nos sequentes sanctos Patres, & volentes sanctam fidem sine aliquâ maculâ in Dei Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum resecare: primùm quidem & in vestris vos degentes Ecclesiis interrogauimus de prædictis impiis tribus capitulis: & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis: pro quâ & comprobauimus, quòd indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis. Quoniam verò & post condemnationem à vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, &c.* Non dissimulat ducem se fuisse, vbi Episcoporum vestigia premere debuerat: vim cuiquam à se factam ad exrundenda chirographa negat, quod sexcentis aliunde tamen testibus indubitatum est. Vnus in medium prodibit Facundus Hermian. Episc. lib. 4. cap. 4. *Primus confirmator eorum Menas Constantinopolitanus Episcopus, cùm adhuc contaretur scripto, sicut præceptum fuerat, prabere consensum: contra Synodum Chalcedonensem fieri protestatus est. Sed & postea quàm consensit, à Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono & Apocrisario conuentus, cur priori sententiæ suæ contrarius acquieuisset his, quæ antè culpauerat, & de quibus se nihil actum sine Apostolicâ Sede promiserat: sub eâ se conditione cessisse, & iuratum sibi fuisse respondit, quòd Chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.* Et infrà: *Zoilus quoque Alexandrinæ vrbis Antistes, cùm Romanum Episcopum venire cognosceret, obuiàm illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: quod hîc ei, postquam venit, idem Romanus Episcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præsentibus, exprobrauit.* Et infrà: *Iam verò de aliarum ciuitatum Episcopis quid loquamur, qui & cùm scribere compellerentur, palam reclamauerunt contra magnam Synodum fieri; & post subscriptionem, memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos; confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.*

XIV. Summa Romani Pontifi-

Ex his 1. patet & præfestinatò Imperatorem incon-

eis authoritas in subscriptionibus exigendis.

sultis, imò renitentibus Episcopis decreuisse, & ipsis pòst ad subscribendum vim intulisse. 2. Patèt non persuasos, sed suspicatos fuisse Episcopos, Chalcedonensi Synodo contumeliam fieri, eiusque non quidem fidem, sed authoritatem conquassari. Nam factorum & personarum quæstionibus fidem non contineri gnari erant vtique. Deinde si fidem certò scissent euerti, non à consensu vel dissensu Romani Præsulis hæsissent suspensi. Denique exitu constitit nil derogatum fuisse Concilio Chalcedonensi, nec his extortis subscriptionibus quenquam in hæreseos crimen vocatum esse. 3. Patet persuasos fidem nil periclitari, maiestatem Concilij Chalcedonensis concuti dubios, ita tunc Orientales Episcopos vrgentissimæ necessitati ex dispensatione obsecutos esse, vti postea Occidentales. Itaque quia dispensatione vti, vel non vti pro temporis, loci, rerum, personarumque contemplatione consentaneum est: non abs re censebimus pari ferè laude euehendos tunc fuisse Episcopos, etsi longè disparia, & aduersa potiùs consilia capesserent. In eàdem enim re dispensationem illi sectabantur, hi iuris vigorem, & asperitatem Canonum. Quod ab illis nempe, vt periculo vicinioribus, æquius esset formidari, ne vis & potestas imperatoria, seuerioris disciplinæ obice, non tam cohibita, quàm efferata, impotentiùs efferuesceret, & in Ecclesiæ perniciem inflammaretur. 4. Patet vel Orientalibus Episcopis persuasissimum fuisse, fidei & disciplinæ incolumitatem à primæ Sedis authoritate aptam religatamque pendere: & subscriptiones quascumque meritò improbari, quæ illi displicerent: probari, quæ placerent. Ita enim Constantinopolitanus Episcopus primùm nihil nouare decreuerat sine Sede Apostolicâ: deinde scribere compulsus, paruit necessitati, sed iuratâ hâc sibi *conditione, vt chirographum suum recuperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.* Ita Alexandrinus, ita cæteri Episcopi subscribere coacti, ad Sedem Romanam continuò libellos dedêre, coactos se ab Episcopo Constantinopolitano

Digitized by Google

conteſtantes; ſed & id inſinuantes, vt Epiſcopi Conſtantinopolitani, ita & ſua omnium chirographa, ab vno illius nutu pendula nutare, vnoque illius diſſenſu irritanda. 5. Patet nutu Apoſtolicæ Sedis, eiuſque inclinatione & Occidentem & Orientem in has ſubſcriptiones actum eſſe. Nam ante Synodum non ſubſcripſere Orientales, niſi eâ conditione, ſi ea Epiſcopo Romano probarentur, ab eo interpoſitâ, qui omnes ad ſcribendum reliquos compulit. Nec iidem in Synodo conſenſere, niſi antè Imperator docuiſſet, damnata à Vigilio ipſo eſſe tria Capitula. Occidentales verò tandiu damnationi trium Capitulorum obluctati ſunt, quandiu ducem habuere Pontificem Romanum. Vbi huic diſpenſatio allubuit, in eam ſenſim omnes conceſſere. Ita enim ſumma rerum, & conſiliorum finis, exituſque perpendi debet, in quem omnes tandem conſentiunt, & inde negotiis aptanda, temperandaque iudicia noſtra ſunt: non ex dubiis quibuſdam verbis, aut conſiliis in angulo ſuſurratis, abiectiſque ex animo mox eorum ipſorum, qui vacillarunt antè aliquandiu, quàm certum & deſtinatum quid amplecterentur. Ita ſanè in Synodo de diuortio Lotharij & Theutbergæ habita, vt refert Nicolaus I. epiſt. 58. *Cùm Epiſcopi qui conuenerant, ſubſcriberent eadem geſta, imò per ea flagitium roborarent: ventum eſt ad quendam fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum, qui tantùm vſque ad noſtram deliberationem ſubſcripſit eadem geſta ſeruanda. Quod cernentes Teutgaudus & Guntharius, arrepto cultello, omne quod Antiſtes prouidus ad deliberationem noſtram ſeruandum eſſe deſcripſerat, raſere, nomine ſolo Epiſcopi relicto.*

XV. Nec aduersùs res ſemel definitas chirographa extorquere debet Princeps.

Poſtremò denique, vt præcurrere non debet vnquam Imperator epiſcopalibus definitionibus, ſed ſuccurrere: accedere, non præcedere: ita vbi ſynodicè quid definitum eſt, obſtrepere poſthac, & extorquendis ſubſcriptionibus contrariis aduerſari non debet. Ita Baſiliſcus tyrannus Encyclicis ſuis in orbem ſparſis Concilium Chalcedonenſe damnari fecit *quingentorum circiter Epiſcoporum*

ſubſcriptione, vt refert Euagrius lib. 3. cap. 5. Longè aliter Leo Imperator omnium orbis Epiſcoporum ſubſcriptionibus Concilium Chalcedonenſe confirmari curauerat: itemque pòſt Iuſtinus. Vnde Ruſticus Eccleſiæ Romanæ Diac. Cardinalis in diſputatione aduersùs Aceph. *Licèt numero ſuperat vniuerſas Chalcedonenſis Synodus, toties cunctarum Eccleſiarum conſonâ ſententiâ confirmata eſt, tam per encyclicas epiſtolas regnante Leone, quàm per libellos ſacerdotum forſan duorum millium & quingentorum, imperante Iuſtino, poſt ſchiſma Petri Alexandrini & Acacij Conſtantinopolitani.* Cum laude enim Imperator ſemper Cænones ſequitur, & exequitur: cum dedecore ſemper anteuertit, aut euertit.

XVI. Poſt ſubſcriptiones omnis iam ex animo excutienda eſt priorum ſuſpicionum nubecula.

Quod autem poſt ſubſcriptionem perguntadhuc quidam ſcrupuloſis indulgere ſuſpicionibus, & reſidere fæces adhuc aliquas hauſtarum ſemel opinationum, vel ne hauſtarum quidem, ſed falsò affictarum, imaginantur, importuna iſta quidem eſt non iam ſuſpicionum, ſed calumniarum effrænitas. Amarulentè ſuprà Hieronymus de trium hypoſtaſeon procacibus defenſoribus expoſtulabat, *Confiteor, vt volunt: non placet. Subſcribo, non credunt. Vnum tantùm placet, vt hinc recedam.* Nec enim expreſſius vllum aut indubitatius conſcientiæ & fidei argumentum, vel imperauit vſquam Eccleſia, vel hæreticâ perfuſi fuligine detrectarunt, quàm ſubſcriptionem. Idem ſuprà de Origenis fautoribus: *Hoc vel maximè cauent, nequando contra auctorem ſuum eorum ſcripta teneantur. Facilè dicunt cum iuramento, quod poſtea alio ſoluant periurio. Ad ſubſcriptionem tergiuerſantur, quæruntque ſuffugia.* Itaque ſubſcriptio extremum erat & veluti peremptorium cauterium, quod vel hæreſi, vel hæreſeos infamiæ aut ſuſpicioni exurendæ adhibebat Eccleſia, quod vel hæretici, vel ſuſpecti ſummopere, & vltra iuramentum etiam refugiebant. Vnde idem item: *Siquando vrgeri cæperint, & aut ſcribendum eis fuerit, aut exeundem de Eccleſiâ, &c.* Nec ſum neſcius, quid Baſilius epiſt. 59. Occidentalibus ſcri-

Digitized by Google

bendum ſcribat, *Ne ſine diſcrimine quorumuis communionem ex Oriente venientium accipiant: nec cuius ſub prætextu orthodoxæ doctrinæ, fidei formulam ſcribendi, adſtipulentur. Nam iſto pacto deprehendentur cum aduerſariis facientes, qui eadem ſæpenumerò verba prætexunt quidem, inter ſe verò pugnant, vt qui plurimum diuiſi, diſſidenteſque fuere.* Nec hoc tamen Baſilij teſtimonio vel fides ſubſcriptionum eneruatur, vel authoratur ſuſpicioſorum hominum importunitas. Largiamur id enim, vt verba dare potuerint Occidentalibus Orientales: vtpote peregrinarum ſtropharum rudibus, & inexpertis: at Orientales Orientalibus, Occidui Occiduis imponere non poterant: Baſilio Orientales ſui fucum non faciebant: quî enim potuiſſet de eorum fraudulentiâ Occidentales commonefacere? Deinde cùm, vt aiebant ſuprà Patres Chalcedonenſes, Baſilius ipſe literas de fide ſcriberet, & Coëpiſcoporum eliceret ſubſcriptiones: his vtique ille non dubiam fidem adiiciebat. Adde quod eorum Baſilius protelandas monet ab Occidentalibus ſubſcriptiones, qui in Oriente ab orthodoxorum communione exacti erant. Denique ſubſcriptiones vel fidei confeſſiones eas improbat ibi Baſilius, quas ſuo ipſi marte, non ſine fuco proinde ſcriptitabant; nequaquam eas verò quæ ab orthodoxis Epiſcopis aduersùs vafritiem & artes ſectariorum temperabantur, atque vt ipſe concludit, *κατὰ τὸν τύπον τῆς ἐκκλησίας, iuxta formulam eccleſiaſticam.* Alioqui quo Nicæni Patres ab Euſebianis, quo Chalcedonenſes conſilio & fructu ab Eutychianæ dementiæ affinibus aut ſuſpectis, quo Hiſpanienſes Pontifices aduersùs Priſcilliani, Afri & Romani aduersùs Pelagij, Galli aduersùs Pelagianarum reliquiarum venena ſubſcriptiones exigerent, vt ſuprà memoraumus: quo à Græcis omnibus Hadrianus Papa; quo, vt ne longum faciam, omnes penè Synodi, Patreſque hanc vnam eſſe voluerint amuſſim fidei probandæ, aut eiurandæ hæreſeos, ſi poſteà æquè locus ſuperſit ſuſpicionum vel calumniarum iniquitati? Vide quid Leo præci-

piat epiſt. 85. & 86. ad Nicetam Aquilei. Epiſc. de Pelagiani erroris *ſuſpectis*, vt qui ex Pelagianorum conſortio ad Eccleſiam rediſſent: *Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris authores, & quidquid in doctrinâ eorum vniuerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur: omniaque decreta ſynodalia, quæ ad exciſionem hæreſeos, Apoſtolicæ Sedis confirmauit authoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis, & propriâ manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur.* Hæc accuratiſſima eſt, & ſolertiſſima, omnibuſque Eccleſiæ Catholicæ Synodis ac Pontificibus hactenus vſurpata fidei ſincer ſſimè profitendæ, & abſtergendæ vel hæreſcos, vel ſuſpicionis diligentia.

XVII. Subſcriptiones apertæ, puræ, plenæ, ſimpliceſque eſſe debent, vt nihil in animis reſidere ſuſpicionum ſinant.

Ex antedictis denique emergit id quoque, ſolemne & vſitatiſſimum fuiſſe, fidei formulis ſubſcribi citra additamentum vllum, aut citra eiuſmodi ſaltem, quo vetus confirmaretur, aut noua crearetur illis ſuſpicio, quorum gratia & æſtimatio ſubſcriptione recolligebatur, ſiue confirmabatur. Sic Baſilius ſuprà docebat, fucum facere aduerſarios Eccleſiæ, dum in ſubſcribendo *eadem ſæpenumerò verba prætexunt, pugnant verò vt qui maximè. Et ita hæreſis, per ipſorum ſcripta, quæ prætexere & obiicere ſolent, incautos ſeducit.* Sic & Hieronymus aiebat, Origenis admiratores nimios, vbi vel exeundum de Eccleſiâ, vel aduersùs eum ſcribendum imperitabatur, *miras ſtrophas egiſſe. Sic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & noſtram & aduerſariorum confeßionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Et idem ad eundem Pammachium adu. error. Orig. *Aut ſimpliciter noſtra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates; nolo mihi dici, quod & aliter poßit intelligi. Reuelatâ facie gloriam Domini contemplemur. Claudicabat quondam & Iſraëliticus populus in vtroque pede. Elias qui interpretatur Fortis Domini: Vſquequo, ait, claudicatis in vtroque veſtigio? Si Dominus eſt Deus, ambulate poſt eum: ſi autem Baal, ſequimini eum. Et ipſe Dominus de Iudæis, Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueteraverunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.*

Digitized by Google

Certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, vt cupio & credo, cur non verbis meis meum ſenſum loquitur? Quam ille ſimplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Perſuadere mihi vult, quòd purè credat: purè ergo & loquatur. Hæc Hieronymus aduersùs Ioannem Hieroſolymitanum Pontificem, monachis de fide ſuſpectum & purâ ſimplicique confeſſione illis ſe purgare faſtidientem. Vt idem Epiſcopis & amplius iuris eſſe in alios quoſlibet intelligas. Et rurſum: *Qua iſta ſimplicitas eſt, quaſi ſuper oua & ariſtas inter theatrales præſtigias pendenti gradu incedere, vbique dubium, vbique ſuſpectum? Putes eum non expoſitionem fidei, ſed figuratam controuerſiam ſcribere. Etiamſi bene credit, & circumſpectè & timidè loquitur, ſuſpicionem mihi facit nimia diligentia. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Stultum eſt fruſtra infamiam ſuſtinere. Obiicitur ei crimen, cuius non habet conſcientiam. Ergo crimen quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac liberè faciat inuidiam aduerſario ſuo.* Sic ille inuidiam facit Origenis defenſoribus, confeſſiones & ſubſcriptiones eas concinnantibus, quibus ſuſpiciones de ſuâ fide magis confirmarent. Sic & Leo ſuprà ab illis qui Pelagianâ ignominiâ laborabant, expoſcebat *plenas, & apertas, & propria manu ſubſcriptas proteſtationes. Nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inueniatur ambiguum. Quoniam nouimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, vt in quâcumque particulâ dogmatis execrandi, quâ ſe à damnatorum ſocietate diſcreuerint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſalnum. Cumque omnes diffinitiones ſuas ad ſubrepentem facilitatem improbare ſe ſimulent, atque deponere; hoc ſibi totâ arte fallendi, niſi intelligantur, excipiunt, vt gratia Dei ſecundùm meritum dari accipientium ſentiatur.* Et infrà: *Qui correctos ſe videri volunt, ab omni ſuſpitione ſe purgent; & obediendo nobis, probent ſe eſſe noſtros.* Figuratis porrò & ambiguis confeſſionibus ludibrio habere Eccleſiam, ſequaces ſuos olim prædocuerat Pelagius ipſe, de quo Auguſtinus lib. de pecc. Origen. cap. 21. *Itaque & iſta eius verba Romam pro magnâ eius purgatione tranſmiſſa, tam ſunt ambigua, vt poſſint eorum dog-*

mati præbere latibula, vnde ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus. Et ipsi Papæ Zosimo penè imposuerat Pelagius, sed Afrorum industriâ fraudes eius nudatæ sunt: *Visus est ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conueniret: sed illam sedem vsque in finem fallere non prævaluit.* Fallebat autem ille hoc potissimùm fuco, quòd se literis Innocentij Papæ assentiri testaretur, *Quibus de hâc re dubitatio tota sublata est:* vt ait Augustinus idem lib. 2. ad Bonif. c. 3. Sed ex Africa ad Zosimum *venerunt litera, id continentes, Non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quòd se generaliter Innocentij Episcopi literis consentire fatebatur: sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat.* Itaque parum fuit subscribere literis Innocentij, etsi illis omnis dubitatio tolleretur: sed ad amoliendas hominum suspiciones, opus fuit, libelli ipsius obliqua & praua eiurari: alioqui videri posset, non tam suam sententiam Innocentij literis accommodasse, quàm Innocentij literas in suæ obliquitatem sententiæ captiuas traxisse. Quid æquius in speciem, quàm quòd Ariani detestari se simulabant solam offensionem vocis τῆ ὁμοίᾳ, quam Antiocheni Patres non ita pridem proscripserant? Et tamen per illos cuniculos veritas subuertebatur, teste Hieronymo, vbi suprà: *Et Ariani multo tempore propter scandalum nominis ὁμοίου se damnare simulabant, venenaque erroris circumliniebant melle verborum. Sed tandem coluber se tortuosus aperuit; & noxium caput, quod spiris totius corporis tegebatur, spiritali mucrone confossum est.* Quibus ex omnibus id sanè efficitur, vel fidei formulis ab episcopali collegio trutinatis ita purè & simpliciter subscribendum esse, quod posteriori æuo magis obtinuit: vel quod olim erat frequentius, ita plenam & apertam suo cuique sensu scribendam esse confessionem, vt omnis vel obtusioribus, vel perspicacioribus amputetur suspicio: vt in libello Leporij olim presbyteri liquet, de quo Facundus Herm. lib. 1. cap. 4. *Scripsit libellum satisfactionis Leporius ad Gallos Episcopos, quem venerabiles Patres, Aurelius atque Augustinus*

guſtinus & cæteri ſic probauerunt, vt ad faciendam veritatis fidem, ſuas ei ſubſcriptiones adiicerent. Epiſtolæ Leonis Chalcedone, & alibi Synodis ſubſcribentes Epiſcopi, multa ſæpe addidêre, ſed quibus fidei confeſſio, eiuſque authoris, ſiue Pontificis, ſiue Concilij, mens & conſilium magis, magiſque roboraretur. Exceptiones & derogantes clauſulæ appoſitæ ſunt aliquando, ſed illæ nimirum vbi neceſſitati magis, quàm voluntati parebatur, & tum ad ſummorum Antiſtitum authoritatem religatæ ſunt. Sic enim Vicarij Romanæ Sedis ſubſcripſere octauæ Synodo, *vſque ad voluntatem Hadriani ſummi Pontificis.* Sic Epiſcopus, de quo ſuprà ſynodico decreto de diuortio Lotharij Regis & Teutbergæ ſubſcripſit, *vſque ad deliberationem* Nicolai Papæ I. Sic ante Quintam Synodum Conſtantinopolitanus Epiſcopus damnationi Capitulorum ſubſcripſit, *Hac conditione, vt chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret:* teſte Facundo Herm. lib. 4. cap. 4. *Sed & ciuitatum aliarum Epiſcopi, qui cùm ſcribere compellerentur, palam reclamauerunt contra magnam Synodum fieri; & poſt ſubſcriptionem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confitentes in eis, quòd à Conſtantinopolitano Epiſcopo coacti ſubſcriberent.* Itaque alterutrum neceſſe eſt, vel ea adſcribere, quibus iuuetur Pontificum, qui præſcripſere, ſententia, & quibus vel ipſi poſſint ſubſcribere: vel ea excipere, quibus ſuperiorum & ſummorum Pontificum authoritas dominetur. Alioqui præpoſterum eſt, quorum vt cælitùs inſtitutorum Iudicum & Magiſtrorum decretis ſubſcribas, tuo illos ipſos magiſterio, iudicioque, & eorum decreta ſubiugare.

DISSERTATIO XIII.

IN CONCILIVM ARELATENSE ET LVGDVNENSE

An. 475.

SYNOPSIS.

Quid de his Synodis sentiendum: & an illa Fausti Reiensis Episcopi doctrinæ suffragatæ sint? De Fausti doctrinâ & opusculis censura Pontificum, Patrumque. Vsque ad num. X. An fuerint aliqui Prædestinatiani hæretici? Propius à vero abest, nullos fuisse: aut si qui fuerint, simpliciores illos, & incautos fuisse quosdam, nequaquam hæreticos. Num. XI. XII. XIII. Quo animo esse debeamus in huiusmodi tardiores, & ad ardua contumaciter hebetes, ex Augustino, & aliis Patribus, ex Romanis Pontificibus & Synodis. Vbi & eidem naui imponendos ostenditur Faustum, Cassianum, & alios quibus Semipelagianorum additum est nomen: ita vt eorum quidam sanctitate præcipui fuerint, & alicubi religioso cultu decorentur. Vsque ad num. XXX. Complura alia eiusdem rei exempla referuntur, numeris quatuor sequentibus. Denique Zosimus Papa eidem sententiæ ex Augustino consonus ostenditur: vbi tria quædam subnectuntur ad occupandas difficultates opportunissima. Num. XXXV.

HARVM Synodorum vnus meminit Faustus Reiensis Episcopus, libris duobus de gratiâ & libero arbitrio, quos in præfatione maximè ad Leontium Arelatensem Episcopum & Arelatensis Synodi

I. De his Synodis quid sentiendū.

Digitized by Google

Præsidem, scriptos ipsemet testatur ex iussu & gustu harum Synodorum. His conueniunt epistolæ Fausti eiusdem & Lucidi presbyteri, ad eorundem errorum condemnationem pertinentes.

De his ergo Synodis ita sentio vel consentaneas illas Fausto fuisse, & in eas refundi debere, quæ de Fausto summi Pontifices & Ecclesiæ Patres censuere: vel ab eo dissensisse, & ita nil supereresse nobis, quod de illis dicamus, cùm de illis vnus scripserit, & mendaciter scripserit Faustus: vel nusquam eas coaluisse, & omnino confictas à Fausto fuisse, quod audaciùs fortasse, quàm prudentiùs affirmaretur: vel denique non vbique deliraſſe Faustum; eique vel sana sapienti, vel insana insectanti quandoque dogmata, concinere potuisse Synodos orthodoxas. Quò fortasse magis propendebunt, qui non facilè, nec nisi inuictissimis argumentis discedendum pensitabunt à fide maiorum de Synodis.

II. De Fausti doctrinâ & opusculis censura Pontificum Romanorum.

De Fausto sanè ita Gelasius Papa statim in Concilio Romano pronunciauit: *Opuscula Fausti Rhegiensis Gallia-rum apocrypha.* Cùmque orbem vniuersum Catholicum graui offensione perculissent hæc Fausti opuscula, de iis possessor Episcopus Africanus Hormisdam Papam consulit in hunc modum: *Cùm quorundam fratrum animus de codice Fausti cuiusdam, natione Galli, Rheginæ ciuitatis Episcopi, qui de diuersis rebus, & frequentiùs de Gratiâ Dei, diserte visus est disputare: ne scandalum moueretur aliis, vt se habent humana studia, in contrarium renitentibus: me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem, ea quæ à tractatoribus pro captu proprij ingenij disputantur, non vt canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege seruari: sed habere nos certa, scilicet quæ veteri lege, vel nouâ conscripta, & generalibus sunt Patrum decreta iudiciis. Hæc autem quæ Antistites diuersi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præiudicio fidei, solere censeri.* At cùm hæc, vt ipse subiicit, excusatio plerisque videretur, non absolutio ambigui, de eo Pontificem consulit: *Quæso, vt consulentes, quæ de præfati authoris dicta vi-*

Digitized by Google

deantur, authoritate Apoſtolicæ reſponſionis agnoſcant: & maximè quòd filij quoque veſtri, Magiſtri militum, Vitalianus & Iuſtinianus, præcipuè ſuper hac re, reſcripto beatitudinis veſtræ ſimiliter informari deſiderant. Concuſſerat ergo Orientem ipſum nouitas, & inſolentia dictorum Fauſti. Certò perſuaſum fuit Poſſeſſori, nulla illum iuuari ſynodali authoritate. Has ergo Synodos aut neſciuit, aut contempſit. At Hormiſda Pontifex epiſt. 70. ita reſcribit: *Neque Fauſtum recipi, neque quenquam, quos in authoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut eccleſiaſticæ diſciplinæ, ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præiudicium comparare.* Ita ille non peruerſam tantùm de Gratia ſententiam Fauſti concerpit, ſed & diſciplinæ eccleſiaſticæ aduerſam de morientium ſerâ pœnitentiâ auſteritatem, quam & Auitus Viennenſis, vt mox dicemus, inſectatus eſt, & ex reſiduâ illarum Galliæ partium tetricitate forſan ipſe Fauſtus hauſerat, & quanquam tot Pontificum decretis, vt alibi retulimus, inuſtam, abdicare in totum detrectarat. Sed vtut ea res habeat, pergit ibidem Pontifex: *Cùm Chriſtiana fides canonicis libris, & ſynodalibus præceptis, & Patrum regularibus conſtitutis, ſtabili & inconcuſſo termino limitetur.* Addit denique de gratia Chriſti audiendam Eccleſiæ Romanæ & Auguſtini doctrinam: *De libero tamen arbitrio & gratiâ Dei, quod Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & aſſeueret Eccleſia, licèt in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit agnoſci, &c.* Vbi rurſum perſtringitur Fauſtus, qui cum tribulibus ſuis in hos maximè extremos, eoſque aſperiores Auguſtini libros ſolebat ſtomachari.

III. De iiſdem iudicium Ioannis Maxentij.

In has cùm incidiſſet Hormiſdæ epiſtolas Ioannes Maxentius, eas quidem procaciſſimè & impudentiſſimè lancinauit, tanti Pontificis eſſe inficiatus: at quod ad rem iſtam attinet, reſponſione ſua 1. prolixam inſtituit collationem librorum Fauſti cum ſuprà laudatis Auguſtini libris, & cum Scripturis, vt ita *clareat libros Fauſti eſſe hæreticos. Sicque confundantur omnes, qui eos hactenus de-*

Digitized by Google

fendunt Catholicos, quorum princeps & author est Possessor Africanus Episcopus. Summatim aduersis quasi frontibus collidi Augustinum & Faustum ita docet: *Augustinus ita humanum arbitrium liberum docet, vt illuminatio, virtus & salus illi à Christo & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio, virtus & salus, non à Christo, sed naturâ sit.* Quo operosissimè demonstrato, tandem ita concludit: *Eat nunc Possessor, & adhuc in pernicie propriâ, & eorum qui sibi consentiunt, defendat Fausti libros catholicos, &c.* Ait tamen mox causari Possessorem, non legisse se nisi octo priora primi libri capitula. Quanquam ex suprà relatis Possessoris verbis procliuius sit æstimare, alieno fuisse ipsum animo à scriptis Fausti; non audacter tamen in ea strinxisse censuram, sed eâ de re consuluisse Sedem Apostolicam: & interim censorium mucronem sustinuisse.

IV. Item Auiti Vienn. Episcopi.

Eandem Fausti, tum de tardâ in extremis pœnitentiâ, tum de Christi gratia sententiam, illic duriorem, hîc molliorem quàm par esset, insectatus est Auitus Viennensis Episcopus epist. 4. ad Gondobadum Regem: vbi & Faustum vocat *ortu Britannum, habitaculo Regiensem.* Quo de suis Gallis optimè meritus est Auitus, dum abstersit à Gallia istud dedecus, & in Britanniam, in Pelagij patriam ablegauit hominem, Pelagianæ fuliginis reliquias præferentem. Britannum fuisse affirmat & Sidonius lib. 9. ep. 9. Quod an de Britannis Gallis intelligi debeat, viderint alij. Vtraque gens vna est Britannorum. Ita sanè constaret quod alij Gallum, alij Britannum dictitant, si Gallus Britannus esset. Sed constabit idipsum, si vt ait Auitus, & affectatiùs exprimit, ortu Britannus sit, habitaculo Regiensis.

V. Item Fulgentii, Episcoporum Africæ, & Facundi Hermian.

Sed ante alios Fulgentius Ruspensis Episcopus, aduersùs Fausti vafritiem decertauit. Quo de Isidorus in lib. de viris illustribus: *Fulgentius Afer, Ecclesiæ Ruspensis Episcopus, &c. Scripsit multa, è quibus legimus de gratiâ Dei & libero arbitrio libros Responsionum septem, in quibus Fausto*

Digitized by Google

Galliæ Regiensis vrbis Episcopo, Pelagianæ pranitati consentienti respondens, obnititur profundam eius destruere calliditatem. Item epistola synodica Episcoporum Africæ in Sardinia exulantium: *Vnus ex nobis tribus libris respondit. Qui aduersùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit: quos cùm recensueritis, agnoscetis protinùs, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitùs inimica, discussio prodidit, ratio manifesta connicit, authoritas diuina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutauit.* Adde Ferrandum in vita S. Fulgentij cap. 28. *Vt etiam libri duo, quos Faustus Episcopus Galliarum contra Gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed tamen Catholicus videri volens, Constantinopoli assensis plurimis fratribus, ab B. Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus respondit, &c.* Item Facundus Hermianensis Episcopus initio libelli contra Mocianum: *Sic aliquando etiam Faustus Gallus in quæstione liberi arbitrij, malè intellectis & incongruè adhibitis ipsius B. Augustini sententiis, fallebat, & in assensionem sui erroris inducebat incautos. Qui tamen à sanctæ memoriæ Fulgentio Ruspensi detectus, atque conuictus est.* Et ne cui bilem moueat quòd Augustinus ita scripserit, vt ex eo malè intellecto transuersi acti sint tam multi in errorum auia: subiicit ibidem: *Quid autem in hoc miremur? Neque enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Propheta, quàm Apostoli & Euangelistæ: quorum verbis similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores.*

VI. Cæsarii Arelatensis, & complurium Galliæ Episcoporum, & quidem longè præstantiorum.

Cæsarius quoque Arelatensis Episcopus, sanctitatis & doctrinæ famâ præstantissimus, scriptis Faustum exagitauit: exagitauit & Synodus Arausic. secunda, tacito nomine, sed dogmate toto eius tot telis, quot Canonibus impetito confectoque. Cæsarius quidem teste Gennadio, aut Gennadij continuatore, *de gratiâ & libero arbitrio edidit testimonia diuinarum Scripturarum, & sanctorum Patrum iudiciis munita, vbi docet nihil hominem de proprio aliquid agere boni posse, nisi eum diuina gratia præuenerit. Quod opus etiam Papa Felix per*

Posſeuinus in Apparat.

ſuam epiſtolam roborauit, & in latius promulgauit. Quæ contra Fauſtum ſcripta fuiſſe, liquebit ex doctiſſimi Sirmundi iudicio de Synodo Arauſicana ſecunda, cui præfuit Cæſarius. Ita ergo ille in præfat. in hanc Arelatenſem Synodum: *Prædeſtinatiani de prædeſtinatione ita diſſerebant, quaſi fatalem quandam neceſſitatem efferret, &c. Cui abſurdo, quia nonnullis quorundam librorum ſuorum ſententiis viam munire, aut vim addere ſanctus Auguſtinus quorundam in Galliâ Epiſcoporum aliorumque iudicio videbatur, ab illo propterea, cùm in cæteris maximi facerent, vehementer hâc in parte diſſidebant. At contrà, qui pro ſancti Auguſtini placitis cum Proſpero dimicabant, eius aduerſarios quod naturæ humanæ plùs æquo tribuere viderentur, vt Semipelagianos inſimulabant. Quâ notâ in his etiam libris ſuis Fauſtus non caruit. Nam & à Gelaſio Papa hoc nomine inter apocryphos relati ſunt, & ab Anito Viennenſi atque Fulgentio, & aliis pluribus oppugnati. Cæterùm graui ac diuturnæ contentioni, quæ ſanctiſſimos, ac doctiſſimos vtrimque viros in Galliâ centum amplius annos exercuit, finem poſteà tandem attulit Synodus Arauſicana ſecunda, quæ totam de gratiâ & libero arbitrio controuerſiam ex ſancti Auguſtini ſententiâ compoſuit.* Quo patet in Synodo Arauſicana Fauſtum causâ cecidiſſe, vt qui Auguſtino, & Gratiæ neceſſitati illudere machinatus fuiſſet.

VII. Adonis Vienn. & Lupi Ferrari.

Adde his Adonem Viennenſem in Chronico ad an. 492. *Fauſtus ex Abbate Lirinenſis monaſterij apud Regium Galliæ Epiſcopus factus, Pelagianum dogma deſtruere conatus, in errorem labitur. Vnde qui eius ſenſus in hâc parte catholicos prædicant, ſicut Gennadius de viris illuſtribus ſcribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus, quàm cæteri Catholici in Eccleſiâ Dei docent, vt illuminatio, virtus & ſalus, illi à Chriſto, & per Chriſtum, & cum Chriſto ſit. Fauſtus verò iſte ita liberum Chriſtianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio eius, virtus & ſalus, non à Chriſto ſed à naturâ ſit. Contra hunc ſcribit lucidiſſimâ fide B. Anitus Viennenſis Epiſcopus, eius redarguens errorem. Similiter & Ioannes vir eruditus, Antiochenus Presbyter.* Sic ille Ioannis Maxentij laudes

Digitized by Google

des celebrans, & verba ipſa ſuperiùs deſcripta excerpens. Lupus quoque Abbas Ferrarienſis epiſt. 111. Fauſtum *infauſtum* vocat. Et epiſt. 112. *Fauſtum poſtulani, non quem refellit Auguſtinus, ſed quem notat in decretis Gelaſius.* Et in Collect. de tribus qq. q. 3. *Taceat Fauſtus, & ſimiliter ſentientes, loquantur cum ſuis conſortibus Hieronymus & Auguſtinus. Conticeſcant ranæ, dum Cælum tonat.*

VIII. Petri Diaconi & aliorum Græcorum.

Atque vt à Græcis penè exorſus, in Græcis deſinam, ſic denique Petrus Diaconus, & alij cum eo Græci, in opuſculo de Incarn. & Grat. ad Fulgentium, & alios Africæ Epiſcopos deſtinato, paulò ante finem: *Quorum omnium ſanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cæleſtium, ſimulque etiam Iulianum Edanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt; præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, qui de Monaſterio Lirinenſi profectus eſt: quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt. In quibus non ſolùm contra horum omnium ſanctorum Patrum, verùm etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubiungit gratiæ adiutorium; atque totam omnino Chriſti euacuans gratiam, antiquos ſanctos non eâ gratiâ, quâ & nos, ſecundùm quod docet beatiſſimus Petrus Apoſtolus: ſed naturæ poſſibilitate ſaluatos impiè profitetur.*

IX. Ex quibus emicat, quid de Fauſti doctrinâ, quid de his Synodis ſit cenſendum.

Cùm ergo confixa fuerit Fauſti doctrina cenſorio mucrone tot ſummorum Pontificum, Gelaſij, Hormiſdæ, Felicis: tot ſanctiſſimorum doctiſſimorumque Antiſtitum, Auiti, Fulgentij, Facundi, Iſidori, Cæſarij, Adonis: tot aliorum gloriâ doctrinæ eccleſiaſticæ præcipuorum, Ioannis Preſbyteri Antiocheni, Petri Diaconi, & ſociorum eius: cùm Africa, Europa, Aſia: cùm Oriens, Occidenſque ad eius damnationem coniurauerit; quis Synodos aliquas ei ſuffragatas eſſe facilè conceſſerit? 2. Maximè cùm Poſſeſſor, cùm Hormiſda negent ſynodicas vllas Fauſto ſuffragari definitiones. 3. Maximè cùm Gennadius, cùm Sidonius Apollinaris in laudes Fauſti plùs nimio effuſi ambo, & doctrinæ eius admiratores, de harum Synodorum ſuffragio nec meminerint. 4. Maximè

Digitized by Google

cùm Auitus, Cæſarius, Ado eárundem regionum Epiſcopi aduersùs Fauſtum ita ſcripſerint, vt nullas à ſe Synodos vnà oppugnari exiſtimarint. 5. Maximè cùm harum Synodorum ante Hincmarum ſolus Fauſtus meminerit, cuius *profunda calliditas* ab Iſidoro notatur. 6. Maximè cum Arauſicana Synodus ſecunda nullas anteriores, & infeſtas ſano dogmati definitiones impetat, aut vel verbo commemoret: nec ſatagat eum exaggerare Epiſcoporum ſuorum numerum, qui deſtruendæ duplici retrò Synodo ſufficiat. Imò alteri harum Synodorum Epiſcopi triginta affuiſſe iactantur, & tamen Arauſicana præualuit, cui non plures quàm quatuordecim affuere.

X. Itemque de epiſtolis Fauſti, & Lucidi.

Iam quod ad epiſtolas pertinet Fauſti ad Lucidum, & Lucidi ad Fauſtum, nihil illis cum Conciliis ſuprà memoratis commune eſt. Nam ſubſcriptiones tam ipſius Lucidi, quàm decem Epiſcoporum appoſitas ad Fauſti epiſtolam, fatetur Sirmundus additas contra fidem Codicis Hincmariani, & plurium antiquorum optimorumque codicum, ſpuriaſque & alienas eſſe. In illis enim Codicibus ſola extat ipſius Fauſti ſubſcriptio, & ſola iuxta Sirmundum extare debet. Quæ cùm ita ſint, iam id ſupereſt, vt vel mera iſta ſit fabula, à Fauſto, id eſt, vt à Baronio vocatur, à verſipelli vulpeculâ confícta: vel graſſatio hæc eius fuerit in miſellum hunc Preſbyterum: vel denique vnius Fauſti hæc laus eximia fuerit, ouantis ſcilicet de ſimplicitate eius, qui, inſtar aliorum quorundam, vt infrà oſtendetur, minùs cautè, & ideo nimis durè de gratiâ Chriſti ſentiebat.

Sirmund. hiſtor. Praduſt. c. 7.

XI An fuerint reuera aliqui Prædeſtinatiani hæretici? Sapientia Arauſicanæ Synodi in huiuſmodi quæſtionibus.

An fuerint autem aliqui Prædeſtinatiani hæretici, qui fatalem impingerent prædeſtinationem, inexorabilemque in hos damnationis, in alios ſalutis neceſſitatem, inter eruditos controuertitur. Nobis Arauſicanæ Synodi ſapientia admirationi ſolet eſſe, quæ erroribus anathema illiſiſſe, ſano dogmati facem accendiſſe contenta, ſuperuacaneam iſtiuſmodi quæſtionem protelauit. Ita enim can. 25. *Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe,*

Digitized by Google

non solùm non credimus: sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Prophanum dogma proscribunt, eius quoque sectarios *si qui sint*, inurunt: an prorsus aliqui sint, minùs solliciti: imò nullos esse, magis propensi. Nam si quos esse suspicarentur, eos perscrutari, vt sanarentur, vtque ne alios suo contagio inficerent, instimularet charitas & sollicitudo episcopalis. Si qui autem istiusmodi tamen essent, non ideò vlla minùs suspicacibus Episcopis inhæreret macula. Etenim, vt ait Facundus lib. 3. cap. 3. *Aliud est ideò hæreticum excusare, quòd catholicus putetur: & aliud ipsam hæresin approbare, atque defendere. Quemadmodum aliud est, ideo accusare Catholicum, quòd hæreticus putetur: & aliud improbare ac reprehendere Catholicam fidem. Nam potest castitatis approbator atque dilector, non approbatâ fornicatione, fornicatorem, dum in personâ fallitur, approbare: & non improbatâ castitate, castum, dum in personâ similiter fallitur, improbare. Postremò quòd promptissimè concedunt, sicut non ideo Eutychiani sui dogmatis crimine defenduntur, quia putantes antiquos Patres id credidisse, quod ipsi pessimè credunt, approbant eos, quorum fidem impugnant. Ita non ideo sancto Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum est, quod Dioscorum vel putauit, vel excusauit, quasi à culpa Eutychiani dogmatis alienum: cùm ipsum dogma Eutychianum confutauerit, atque damnauerit.* Et lib. 6. cap. 1. *Aliud est, cùm de personâ falsò aliquid creditur; aliud cùm de ipso Christianæ fidei fundamento malè sentitur.* Et cap. 4. *Contingit nonnunquam inter vnius sententiæ viros, vt cùm de rebus ipsis, quæ in quæstione sunt, idem sapiunt, de se tamen inuicem aliud suspicentur; vel cùm à dicente minùs aperitur verbis, quod corde conceptum est: vel ab auditoribus minùs inspicitur dicentis intentio. Discernenda est autem impietas quâ de Deo malè creditur, ab ignorantiâ, quâ quisque aliter de suo proximo, tanquam homo de homine suspicatur. Et si forsè videtur hominis de homine culpanda suspicio, approbanda tamen est intentio, quâ veritas fidei, quam de Christo habemus, asseritur.* His argumentis exemplisque facilè

adducimur, ab hâc de factis & personis quæstione supersedere, cùm de orthodoxo dogmate suscipiendo, de portentosâ fatalis prædestinationis necessitate explodendâ omnibus hinc & inde conueniat. Illud quoque placèt Facundi, si qui vt nimium suspicioſi culpandi sint, cæteros tamen in danda illis venia clementès esse debere, & eorum etiam in fidei sinceritate tuendâ zelum approbare.

XII. Propiùs à vero abest nullos fuisse.

Obiter illud tamen addemus, procliuiores fuisse Patres Arausicanos, vt nullos esse crederent istiusmodi Prædestinatianos hæreticos, cùm ad eos vestigandos adeo non excubauerint. 2. Imò cùm eam ipsam notam quasi sibi ipsis impactam à quibusdam, sedulò absterserint, *non solùm non credimus, sed si qui sint, &c.* 3. Augustinus paucis ante obitum annis, & post eum Prosper ac Fulgentius sibimetipsis adscriptas ab aliquibus indoctis has absurditates dogmatum, quæ Prædestinatianis tribui solent, studiosè confutarunt: non vnquam autem ipsi aliquos insectati sunt Prædestinatianos hæreticos, vt in diuersam Pelagianæ dementiæ & nihilò minùs pestiferam insaniam deficientes. 4. Qui aliquas opinabantur olim cum Fausto esse fatalis & libero arbitrio exitialis necessitatis assertores, ij Augustino ipsi oblique aduersabantur, vel palam maledicebant, vt de Massilienſibus, de Gennadio, & aliis tunc non paucis compertum est. 5. Qui cum Fausto esse venditarunt Prædestinatianos hæreticos, ij ferè cum Fausto etiam videntur in eâ ipsâ de prædestinatione & gratiâ quæstione, apud multos catholicos tractatores malè audisse. Vnum refero suffragium Eccleſiæ Lugdun. aduersùs Ioannem Scotum: *Vnam ponit hæresin Pelagianorum, liberi arbitrij sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius, &c. Secunda hæresis, quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in Ecclesiâ, quæ ita prædicauerit solâ Dei gratiâ hominem saluari, vt liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium: nobis minimè compertum est, &c. Quæ est ista secunda hæresis, tam incognita, tam noua,*

Bibl. PP. Tom. 4. Part. 2. pag. 264.

Digitized by Google

& inaudita, quæ libero arbitrio denegato, ſolius gratiæ ſit prædicatrix? Niſi quia, vt nobis videtur, diſputator iſte, vel B. Auguſtinum latenter quaſi hæreticum accuſat, &c. aut certè eos qui ſecundùm eius venerabilem & Catholicam doctrinam nunc de gratiâ Dei ſentiunt, & docent, quaſi minùs illius dicta intelligentes, hæreticos vocat, &c. Hâc de causâ nobis videtur, quòd callidiſſimè omninò & verſutiſſimè velut hæreſin ſolius gratiæ poſuerit, nec tamen authorem vel ſectatores eius vllâ ſignificatione manifeſtauerit. Quod ſi ita eſt, quid aliud, quàm Eccleſiam noſtri temporis accuſat? &c. Denique non poſuit hanc hæreſin, ann. Pelagianam, ſed poſteà, id eſt, à temporibus ſancti Auguſtini vſque nunc. Nec poteſt inueniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum & nos, aliquam talem hæreſin in Eccleſiâ extitiſſe, niſi quòd vel ipſum B. Auguſtinum, vel nos qui eum ſequimur, iſtius erroris accuſat.

XIII Si qui fuerint in hoc errore, non tam hæretici, quàm ſimplices illi, & imperiti fuere.

Sed etſi fuiſſent aliqui iſtiuſmodi, cùm nuſquam accuſati palam, nuſquam confeſſi, vel conuicti: nuſquam contumaces fuerint, aut fuiſſe certò probentur: ergo non alij ij fuerunt, quàm aut ipſiſſimi vindices eccleſiaſtici dogmatis, iniquis vexati ſuſpicionibus: aut ſimpliciores aliqui, qui altitudini dogmatis Catholici impares, aliqua circa illud hallucinabantur, ſed quæ non præfractâ tamen, & hæreticâ defenſitabant contumaciâ. In horum numero ſimpliciorum erant illi, ſub Valentino Abbate Monachi, ad quos ſcripſit Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio. In exordio enim ſtatim huius operis Auguſtinus præfatur, multa ſe hactenus ſcripſiſſe aduersùs eos qui obtentu tuendi liberi arbitrij, gratiæ maieſtatem labefactatum eunt: *Sed quoniam ſunt quidam, qui ſic gratiam defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari exiſtiment liberum arbitrium: hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem, Valentine frater & ceteri qui Deo ſeruitis, compellente mutuâ charitate curaui. Nunciatum eſt enim mihi de vobis, fratres, ab aliquibus qui in veſtrâ congregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, per quos & iſta direximus, quòd de hac re diſſenſiones in vobis ſint.* Et in

Digitized by Google

epist. ad Valentinum idem Augustinus: *Venerunt ad nos duo iuuenes, Cresconius & Felix, de vestrâ congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt monasterium vestrum nonnullâ dissensione turbatum, eò quòd quidam vobis sic gratiam prædicent, vt negent hominis esse liberum arbitrium: & quod grauius est, dicant, quòd in die iudicij non sit redditurus Deus vnicuique secundùm opera eius.* Homines ergo isti minimè mali, sic gratiam prædicabant, vt libertatem perimerent. Quibus duriores illi concionatores copulari fortasse possunt, quos obiurgat Augustinus ipse, qui prædestinationem & gratiam Dei illam electorum propriam & specialem, *improbissimè*, *importunissimè*, *incongruentissimè* ita populorum auribus ingerebant, vt sine minùs mendacio, certè sæuitiâ quâdam & immanitate eloquij, infirmos quosque offenderent. Vide lib. de bono perseuer. cap. 22.

XIV. Quo animo in huiusmodi tardiores, & contumaciter obesos esse debeamus ex Augustino.

Verùm vt hos postremos sileam, quibus vt austeritatem intempestiuam mitigare, ita erroris suspicionem abigere satis egit Augustinus loco citato: ad illos redeo, qui non minùs Catholici, sed minùs acuti, ita exardebant in gratiæ defensionem, vt libero arbitrio minùs consulerent. De his quid sentire debeamus, docet nos Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 1. Nempe vsitatissimam hanc esse Catholicorum complurium simplicitatem, qui cùm non sint ferendo ponderi veritatis, multa titubant, multa imperitè & ridiculosè somniant: quibus non hæretici, sed infirmi esse produntur, & à fortioribus tolerandi sunt, donec in nido authoritatis ecclesiasticæ plumescentes, lacte fidei & bonis moribus roborentur; reueletque illis tandem Deus arcana, ad quæ priùs excutiebant. Ita Apostolus in re simili, ita ex Apostolo Augustinus. *Itaque dilectissimi, ne vos perturbet huius quæstionis obscuritas. Moneo vos primùm, vt de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quidquid est autem, quò peruenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem seruantes, à Domino, vt intelligatis, orate. Et donec vos ipse perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quò*

Digitized by Google

peruenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cùm dixisset, nondum se esse perfectum: paulò pòst ait, Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: id est, ita nos esse perfectos, vt nondum ad perfectionem, quæ nobis sufficit, venerimus. Continuòque subiunxit, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod peruenimus, & quò nondum peruenimus, peruenire poterimus: Deo nobis reuelante, si quid aliter sapimus, si ea quæ iam reuelauit, non relinquamus. Quo Apostoli & Augustini documento nihil temperatius, nihil sapientius, nihil ad charitatem inter Ecclesiæ filios impuberes & immaturos alendam opportunius dici potuit. Obserua autem illud pertinere, non ad exteriores tantùm mysticæ Theologiæ sensus, sed ad ipsa fidei vulgatissimæ capita, cuiusmodi est, quod gratia non iugulet libertatem. Qui enim hîc titubabant fratres, non vt hæretici infamantur continuò, sed vt imperiti erudiuntur, & tolerantur, donec hoc quoque Deus illis reuelet.

XV. Item ex Facundo Hermianensi.

Quibus fidem faciet Facundus Hermian. lib. 12. c. 1. *Si nunc Ecclesia, quædam Christi schola est; omnesque fideles eius, Christi dicuntur esse discipuli: nec quisquam potest veraciter dici discipulus, qui non aliquid discit: neque discitur, nisi quod ignoratur: proculdubiò aut docilis ignorantia non facit hæreticum: aut omnis Christi discipulus erit hæreticus. Et quis iam Catholicus esse dicetur, si omnis qui de Christianâ religione aliquid discit, hæreticus est dicendus? Quòd si etiam credantur aliqui, sic omnia didicisse, vt nihil iam possint habere, quod discant: quia tamen aliquid ignorabant, antè quàm discerent: ex hæreticis videbuntur facti Catholici. Atque ita colligitur, vt nullus inueniatur in Ecclesiâ Christi, qui non aut esse, aut fuisse perhibeatur hæreticus. At hoc dicere vel putare, cùm impiissimum, tum etiam nimis absurdum est. Scire igitur debemus, quòd hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est: sed potiùs obstinata defensio falsitatis.* Decerpit mox eadem, quæ suprà ex Apostolo Augustinus. Addit *Carnales* Corinthios *non potuisse capere* complura:

Digitized by Google

Christo ipsi familiares & sanctissimos viros, & mulierculas, complura de ipso sequiùs credidisse, *Cùm ipsi Apostoli aliquando fuerint in fide imperfecti, nunquam tamen haretici. Cúmque adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt spirituum immundorum, &c. Si illi qui præsentem habebant ipsam in corpore veritatem, potuerunt absque crimine secùs aliquid de illo, minusve sentire: cur hæresis crimini deputetur, si quisquam in Ecclesiâ, pietate præditus, obedientiæ devotus, subiectus & habilis ad discendum, aliter de illâ senserit, quod reprehensum corrigere sit paratus? Quocirca omnes qui in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles, & subiectos authoritati præbent Ecclesiæ; si aliter sapiant de his quorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minùs rem animaduertendo quàm opus est, impiè proculdubio tanquam hæreticos arbitrantur.* Etsi ergo hæretica sint, quæ quidam sentiunt, non hæretici tamen sunt qui ita sentiunt, quia intùs & in radice quâdam penitiori, consentiunt *Ecclesiæ authoritati*. Et quanquam *propter incapacem suam intelligentiam*, perdiu forsan obluctentur vera insusurrantibus, Catholico grege & nomine nequaquam tamen excidunt: quia non contumaci aduersùs Ecclesiæ authoritatem luctâ, sed animi hebetudine reluctantur.

XVI. Huius disciplinæ circa carnales, & tardos fundamenta.

Sunt ergo in Ecclesiâ triplicis admodum generis homines, vt idem ibidem subiicit: *Sicut ergo sunt perfectiores quidam, qui magno sapientiæ dono, prævalent mente contemplari, quæ tantummodò creduntur ab aliis in vita perfectis: ita multi sunt imperfecti in Ecclesiâ Christi, & tamen in seruandâ eius vnitate perfecti: qui cùm per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cuius se confidunt vnitate salvari, &c. Sicut ergo non ideo quorundam perfectorum in fide spernendus est inferior gradus, quòd non possunt intellectu capere veritatem, quia hoc sublimioris gradus alij possunt: ita nec ipsi spernendi sunt, qui licèt imperfecta fidei fuisse videantur, quia non in omnia, quæ tam multa & magna continet Christiana religio, sicut dignum est, animum*

potuerunt

potuerunt intendere: animo tamen vera & recta esse in Ecclesiæ fide non dubitauerunt, vt in ea perficiendi manerent. Ac per hoc ita credentes, iuxta quendam gradum & ipsi videntur in fide perfecti: qui se perficiendos ex vnitate Ecclesiæ crediderunt. Et accuratè hos gradus tres dispergens, atque consocians, *Illi ergo excellentiore gradu intelligentiæ præditi ipsam rem cuius in futurum reuelatio plena seruatur, quantùm in hac vita concessum est, ealuerunt attingere. Illi etiam tantummodò perfecti, ad eam propiùs accesserunt. Isti verò inferiores, quos tertio gradu posuimus, quanquam per aliquod longius internallum, ad idem tamen aspiciunt, & illuc habent veniendi propositum.* Et ne insolescere possint aduersùs hanc quasi fæcem simplicium, non mediocres, sed vel sublimes illi & primores: & ipsos aliquando incautos alicubi titubare docet, & solo fidei ecclesiasticæ sinu eodem suscipi, ac contineri. *Qui si hæretici iudicentur, quota pars nobis, non dicam de omni plebe, sed de ipsis Ecclesiarum præpositis relinquetur, quæ Catholica debeat iudicari? Cùm & illos excellentioris intelligentiæ, necessitate suscepti officij per ardua gradientes, nonnunquam lapsos, sinus pietatis excipiat, quâ se authoritati subdunt Ecclesiæ, cuius magistri sunt, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

XVII. Summa capita huius doctrinæ.

Quæ si summatim conglobare voles, liquebit hos de quibus agimus, etsi mendacio irretitos nefario, catholico tamen nomine & Ecclesiæ sinu nequaquam excussos esse 1. quia istiusmodi erant Apostoli ipsi ante Passionem Christi & euectionem eius in cælos, cùm tam bruti, tam duri hebescebant ad ea arcana, quæ inculcabat Christus; qui eis tamen interim, & sacramenta, & Ecclesiæ totius gubernacula committebat. 2. Istiusmodi erant carnales, infirmique, de quibus crebrò Apostolus, quibus reuelatum iri spondet multa fidei capita, si in iis ambulent quæ complexi iam sunt. 3. Istiusmodi ferè sunt turbæ populorum, Ecclesiam Catholicam toto orbe implentium, quas certum est in plerisque de Deo, & de totâ religione hebescere, & ineptire: ac si pertendas instillare fidei

ſinceritatem, reſilient: & inexpugnabili quâdam non pertinaciâ, ſed imperitiâ reluctabuntur. Quocirca ſinendi ſunt in nido fidei alas charitatis nutrire, & ita conualeſcere, vt quod tunc non poſſunt, quandoque poſſint in auras liberiores veritatis euolare. 4. Iſtiuſmodi ſunt quandoque & optimates ipſi, Antiſtiteſque Eccleſiæ, qui neceſſitate ſuſcepti officij per ardua gradientes, etſi intelligentiæ lumine fulgeant, labuntur tamen interdum, quia homines ſunt: quia ſapientes, non natura ſapientiæ ſunt: quia ſalubrius eſt in ignorantiæ, quàm in ſuperbiæ abrupta impingere. 5. Iſtiuſmodi fuit vel Anguſtinus, qui aliquando de fidei dono ſenſiſſe ſe profitetur, quod ſentientes poſteà notauit erroris. 6. Iſtiuſmodi penè neceſſariò ſunt omnes Catholici, qui vtique Eccleſiæ & Chriſti diſcipuli cùm ſint, diſcunt quæ neſciebant; aut ſi iam non diſcunt, didicere. Et tamen dum diſcunt, dum vel falſa dedocentur, vel docentur vera, non hæretici aut eſſe aut fuiſſe criminandi ſunt. 7. Tam multa & tam magna continet Chriſtiana religio, vt in omnia animum intendere, prout dignum eſt, aut ſi intenderint, capere poſſint, vel incredibiliter pauci, vel nulli penitus. Omnes ergo neceſſum eſt lapſuros alioqui & elidendos, Eccleſiæ authoritatis gremio excipi. 8. Illi ipſi in fide imperfecti, perfecti quodammodo ſunt, dum in Eccleſiâ credunt nonniſi vera credi, & eam intemeratam Eccleſiæ fidem medullitùs amplectuntur, ſuam eſſe fidem profitentur, ſuæ cuicumque opinationi anteponunt. Hac ergo communi & vniuerſali credulitate, exuunt, & eiurant ſtirpitùs priuatos errores, quos euelli eis alioqui pertinax ignorantia, aut ſtupor mentis non ſinit.

XVIII. Idem cenſendum de Fauſto & aliis, quibus Semipelagianorum nomen inuritur. Caliginem & tarditatem illam ſuiſ-

Similiter autem philoſophandum de Fauſto, de Caſſiano, de Maſſilienſibus preſbyteris, de reliquis omnibus Auguſtini & Auguſtinianæ, id eſt, Romanæ & Catholicæ de gratiâ doctrinæ obtrectatoribus, quibus nonnulli ſolent Semipelagianorum nomen, infamiamque impingere. Horum enim etſi ſenſa, ſcriptaque à fidei veritate

Digitized by Google

longè abluderent, ipſi tamen Catholici prorſus, & erant, & à Catholicis Patribus habebantur.

se, non hæresin. Vel potiùs indoctos fuisse ipsos, non hæreticos.

Et primùm quod ad Fauſtum ſpectat, quo de præſertim agitur in harum elucidatione Synodorum, penſiculatiùs reuolue elogia eius antè congeſta, vbique perſpicies, ſcripta eius inuri, perſonæ ignoſci. Catholici indubitatiſſimè ſunt compluſculi, quorum opera Gelaſius apocrypha cenſuit. Poſſeſſor in eâdem naui locat Fauſtum, ac reliquos Catholicos tractatores, quorum ſcripta ad indubiam fidei amuſſim non ſtatim adhibeantur. Idem Hormiſdæ Pontificis iudicium de Fauſto fuit. Ioannes Maxentius etſi flagrantiſſimo ſuccenſus odio, libros Fauſti contendit eſſe hæreticos, indignatur aduersùs eos, qui vt Catholicos propugnabant: de Fauſto ipſo litem ne mouet quidem. Ita Auitus, Fulgentius, Iſidorus, errores Fauſti, non Fauſtum hæreſcos inſimulant. Ado perſpicuè negat eius ſenſus eſſe Catholicos.

XIX. De Fausto id declaratur.

Sed vniuerſim ad omnes aſperitatem Auguſtinianæ doctrinæ allatrantes, quî afficiatur, afficique nos iubeat Auguſtinus ipſe, operæ pretium eſt animaduertere. Sic ergo ille lib. de prædeſt. ſanct. cap. 1. ad Proſperum & Hilarium, qui de eorum querelis ad ipſum reſcripſerant. *Videre mihi videor eos fratres, eo modo eſſe tractandos, quo tractauit Apoſtolus, quibus ait: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Adhuc quippe in quæſtione caligant de prædeſtinatione ſanctorum. Sed habent vnde ſi quid in eâ aliter ſapiunt, hoc quoque illis reuelet Deus, ſi in eo ambulent, in quod peruenerunt. Propter quod Apoſtolus cùm dixiſſet, ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Verumtamen, inquit, in quod peruenimus, in eo ambulemus. Peruenerunt autem iſti fratres noſtri, vt credant cum Eccleſiâ Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum; nec ab iſto malo, niſi per iuſtitiam ſecundi hominis, aliquem liberari. Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quenquam ſufficere poſſe conſentiant. Retenta*

XX. Idem de aliis omnibus ex Auguſtino aſtruitur, vtque in eos affici debeamus.

Digitized by Google

ergo iſta in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proinde ſi in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum: ſi quid de prædeſtinatione aliter ſapiunt, ipſe illis quoque reuelabit. Hos ergo, non aliter, quàm Adrumetinos Monachos, ab hæreſi procul eſſe, à Pelagianis plurimum diſcerni arbitratur Auguſtinus: & quanquam in aliquo caligent, quanquam in prædeſtinatione minùs ſapiant, hoc illis à Deo reuelatum iri. Et idem denique ad calcem libri de bono perſeuerantiæ: *Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent, vt eorum ille ſit doctor interior, à cuius facie eſt ſcientia & intellectus. Ego autem, cùm per eos qui meos labores legunt, non ſolùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco: & hoc per Eccleſia doctores maximè expecto, ſi & in ipſorum manus venit, digneturque noſſe quod ſcribo.* Quæ niſi ad Catholicos homines non peroraret Auguſtinus. Et lib. de bono perſeuer. cap. 17. *Neque enim Pelagiani ſunt, vt aduersùs iſtam perſpicuam veritatem durâ & hæreticâ peruerſitate contendant, &c.* Et cap. 24. *Hoc donum Pelagianis optamus, vt habeant: iſtis autem noſtris, vt pleniùs habeant. Oremus, vt Deus gratiam etiam det inimicis noſtris,* Pelagianis, *maximéque fratribus & dilectoribus noſtris, intelligere, &c.*

XXI. Item ex Hilario.

Nec ab his multùm diſſentiebat, etſi paulò acriùs exarſerat Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum, quâ prolixè narrat *quæ Maſſiliæ, & aliis etiam locis in Galliâ ventilabantur*, aduersùs longè plurima Auguſtinianæ de gratia Theologiæ capita: *Sunt ex parte tales perſonæ, vt his conſuetudine eccleſiaſticâ laïcos ſummam reuerentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita curauimus Deo iuuante ſeruare, vt cùm opus fuit, non taceremus, &c. Tuæ ſanctæ prudentiæ eſt diſpicere, quid facto opus ſit, vt talium & tantorum ſupereatur, vel temperetur intentio. Cui ego iam parum prodeſſe exiſtimo, te reddere rationem, niſi & addatur authoritas, quam tranſgredi infatigabiliter contentioſa corda non peſſint.* Et infrà: *Non ſolùm abſentiâ tuâ crucior, verùm etiam peruicaciâ querendam,*

Digitized by Google

qui non tantùm manifesta respuunt, verùm etiam non intellecta reprehendunt, &c. vt potiùs infirmitatem meam, quâ tales parum patienter fero, notabilem putem. Tales ergo doctrinæ Augustinianæ aduersarios, etsi infatigabiliter contentiosos ostendit esse, tamen patienter ferendos censet, suæque infirmitati succenset aduersùs eos feruidiùs quandoque excandescenti: summam reuerentiam illis, & à se, & à laïcis omnibus necessariò dependi declarat debere; denique etsi rationibus expugnari non possint, authoritate tamen Ecclesiæ fractum iri non dubitat, vtpote catholicæ matris filios.

XXII. Item ex Prospero.

Prosper quoque in epist. ad Augustinum, de istis imperitè, non hæreticè contumacibus, & contumaciter imperitis, ita meminit: *Multi seruorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis contrarium putant Patrum opinioni, & ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm propositum Dei disputasti. Et cùm aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, &c. recensito beatitudinis tuæ libro de Correctione & Gratiâ, auersiores, quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est; ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum studio viris, spiritus Pelagiane impietatis illudat: ne simpliciores quique apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum authoritatem sine iudicio sequuntur, asserere.* Tantâ verborum honorificentiâ non prosequeretur homines à fide alienos: timet illis, ne illudantur tandem hæresis Pelagianæ præstigiis, si ea auersari pergant ardua de prædestinatione decreta, quibus reliqua contexta sunt omnia; sed illudi iam eos non putat, id suprà negauit Augustinus. Explanato autem prolixiùs toto Massilienſium de gratiâ placito, subiicit: *Possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad authoritatem talia sentientium non sumus pares. Quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto super summo sacerdotij honore supereminent. Nec*

facilè quisquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solùm his qui eos audiunt: verùm etiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatibus creuit periculum. Dum & multos reuerentia eorum, aut inutili cohibet silentiò, aut incurioso ducit assensu: & saluberrimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur. Tanta admiratio probitatis & authoritatis in hæreticos homines non conferretur; at ne infirmitas in hæresin desciscat, neve reliquiæ Pelagianæ prauitatis ex his initiis repullulascant, periculum esse, & enixè præcauendum, nec tacet Prosper, nec nos dissimulamus. Addit: *Quia plerique non putant Christianam fidem hâc dissensione violari, quantùm periculi sit in eorum persuasione, patefacias.* Imminet enim periculum, ne infirmatis iis, quæ cum fide coniunctissima & indiuulsa sunt, fides ipsa tandem collabascat. Et infrà: *Speramus non solùm tenuitatem nostram, disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defecatissimum lumen gratiæ recepturos, &c. Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis, &c. Intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem.* Et Hilarius ergo & Prosper vrgebant tales summâ authoritate frangi, & sectionis comminatione perterrefieri. Clementior Augustinus statim respondit, tractandos istiusmodi, non aliter quàm vt infirmos illos, quibus Apostolus non mucronem intentauit resecaturum, sed spem profectûs, & diuinæ ad vlteriora reuelationis ostendit.

XXIII. Rursus ex Prospero.

Rursum idem Prosper in exordio opusculi aduersùs Collat. de iisdem Augustini, & Gratiæ per eum constitutæ calumniatoribus: *Quorum intùs interstrepens domestica malignitas non minùs spernenda esset, quàm foris latrans hæreticorum loquacitas: nisi eiectis extra ouile dominicum lupis, sub nomine ouium suffragarentur; essentque eiusmodi, vt nec ordo eorum in Ecclesiâ, nec ingenia despicienda videantur.* Vides vt domesticos hos esse agnoscat, etsi præter opinionem hæ-

Digitized by Google

reticis patrocinarentur. Et infrà minùs mirum ait, si inuideant & obtrectent Augustino, victricique per Augustinum Ecclesiæ Pelagiani, *qui exulare à veritate, quàm ciues esse Ecclesiæ maluerunt. Nostri autem concorporales & participes gratiæ Christi, cur de his armis, quibus communis fides est defensata, cansantur?* En vt concorporales & participes nostros agnoscat illos, communis fidei consortes. *An verò nouorum Censorum ita se norma exactior temperauit, &c.* Nouos & imperitos censores obiurgat, Catholicos esse non negat. Et cap. 3. relatis Cassiani verbis sic insurgit: *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relictâ serenissimæ veritatis luce deuoleris?* Et cap. 32. lacinioso textu Collatoris exscripto, exclamat: *Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet? &c. Itane à cunctis Ecclesiæ filiis spiritus scientiæ & pietatis abscessit, &c.* Sed ipsâ totius operis peroratione nihil enucleatius: *Sufficienter demonstratum est, reprehensores sancti Augustini & vana obiicere, & recta impugnare, & prana defendere. Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraternâ societate diuisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio: vt donec Dominus per Ecclesiæ Principes & legitimos iudiciorum suorum ministros hæc qua per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adiuuante sit studium, quietâ, modestâque patientiâ, odiis dilectionem reddere, & ineptorum vitare conflictus.* A fraternâ autem societate diuisos istiusmodi, quis scripsit, quis audiuit vnquam? Imò diuidendos vbi Augustinus censuit, vbi non potiùs contradixit? Etsi enim & ipsi, & doctrinæ eius Catholicæ intemperantissimè obloquerentur, & contrà statuerent oppidò multa & elaborata, docerentque & scriberent: responsionibus Augustini, non tantùm non mansuescerent, sed magis efferarentur: tolerandos tamen censuit, & habendos, vt illos, quibus Paulus diuinæ ad ampliora reuelationis spem fecit.

XXIV. Imperitis istis purgare se satagebant

Reliquis etiam idem Prosper libellis, obtrectatorum Augustini, & suorum, eorundem, nempe de quibus su-

Patres, non ipsos acculare hæreticos.

prà, sæpissime imperitiam, calumniam, inuidiam incusat, nusquam hæresin. Quin imò Augustini ea in re imitator, non tam ad eorum accusationem, quàm ad sui defensionem armatur. In præfat. ad obiect. Vincent. *Quidam Christianæ, ac fraternæ charitatis oblitι, in tantum existimationem nostram quoquomodò studeant ledere, vt suam se enervere, nocendi cupiditate, non videant, &c. Sensûs nostri, & fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis authoritate defendimus, verba ponemus: vt agnoscant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium.* Et in præf. ad Capit. Gall. *Doctrinam Augustini quibusdam visum est, aut intelligendo aut intelligi eam nolendo reprehendere.* Eam à calumniis purgaturum se suscipit. Denique in epist. ad Ruffinum: *Cui Augustino, inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, quidam nostrorum, quod de ipsis multum dolendum est, occultis sed non incognitis susurrationibus obloquuntur.* Tum accingitur ad amoliendas à sanctissimo viro has calumnias: & denique ait: *Confide ergo, quoniam hæc contradictiò, sicut in aliis mundi partibus, ita in his regionibus conquiescet.* Ita sanè contingit frequenter, vt suspecti purgent se potiùs infirmis fortes, quàm fortibus infirmi. Infirmitas enim & domi & foris cæcutiens, titubans, fastidiosa est. Fortitudo autem charitatis sibi etiam iniuriosa est, seque extenuat, vt infirmis medeatur.

XXV. Quàm pertinaces illi essent in imperitiâ suâ.

Nec Hilarius, nec Prosper, nec alij complures aduersùs criminatores Augustini obmutescebant. Etenim ibidem Prosper ait, *In ipsis his locis, in quibus aduersùs eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Euangelicæ Apostolicæque doctrinæ, saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Christi, inquantum ea ipse multiplicat, dilatantur.* Scripserat & in sui defensionem Augustinus. Augustini memoriam & doctrinam consecrauerat Cælestinus, vt infrà dicemus. Et in quibus tamen pertinax illa residebat adhuc non hæresis, sed falsitas & imperitia indomita, toleranda, non execanda

execanda ab vnitate Ecclesiæ sanctissimis Episcopis videbatur. Ita enim Africani Episcopi in synodicâ suâ ab exilio Sardiniæ scriptâ: *Vos itaque dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles, & immobiles, & tenentes veram fidem: exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem. Nec de aliquo desperetis. Quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoscit, potest cras Deo reuelante cognoscere. Oremus pro eis, vt Dominus operetur in eis, &c. Præomnibus studium gerite, libros sancti Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere.* Et mox opera Fulgentij commendantes, aiunt: *Cæterùm vnus ex nobis, illis omnibus, quæ memoratos fratres aduersùs gratiam & prædestinationem intimastis vel sentire vel dicere, tribus libris sufficienti disputatione respondit.* Vides vt fratrum nomine dignentur imperitos disputatores istos, & Deo reuelante sperent, in quod nondum peruenerunt, peruenturos.

XXVI. Arausicana Synodus eandem secuta mediocritatem.

Arausicana porro secunda Synodus nec transuersum vnguem ab illâ Patrum clementiâ deflexit. Continuò enim sic ordiuntur: *Peruenit ad nos esse aliquos, qui de gratiâ & libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm fidei catholicæ regulam sentire velint.* Tunc aiunt capitula quædam à se proponi, *ad docendos eos, qui aliter quàm oportet sentiunt, &c. vt qui hucvsque non sicut oportebat, de gratiâ & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.* Simplices & minùs cauti vocantur, qui pridem secus senserant, non hæretici; etsi non secundùm fidei catholicæ regulam senserant. Ideo nullo feriuntur anathemate, non scinduntur ab Ecclesiæ vnitate, non pœnitentiæ laïci vlli addicuntur, non Clerici gradu aut pontificio excutiuntur. Denique can. 25. & vltimo, purgant se infirmis fortes, & ferreæ necessitatis portentosam criminationem deprecantur Episcopi Synodi huius. Quod tanto admirabilius sanè est, quòd iam olim Augustinus, Prosper, Hilarius, iam Fulgentius, iam Africani synodicè Episcopi, iam Cælestinus & Hormisda Pontifices, iam Oriens, Occi-

denſque conſpirauerant aduersùs pugnaces iſtos liberi arbitrij patronos; & tamen adhuc illi bellaturientes, ſcriptis etiam commentariis, vt Fauſtus, Gennadius, Caſſianus, inepta delira promulgantes: nihilo seciùs tamen, vt fratres habentur, & *per ſimplicitatem minùs cautè*, aliter quàm oportet ſenſiſſe excuſantur. Vſquè adeo prolixa & infinita quædam diſpenſatio venturis ſæculis præmonſtrabatur, ad inexpugnabilem hanc ſimplicitatem infirmorum ferendam.

XXVII. Item Bonifacius II. Papa, & Eccleſia Lugdunenſis.

Et Bonifacius II. Pontifex in epiſtolâ ad Cæſarium, quâ Arauſicanam confirmat Synodum, paulò auſteriùs has vocat *reliquas Pelagiani erroris ineptias: vetuſti erroris reliquias*: nullâ tamen prætereà acriori cenſurâ dilancinat *aliquos Epiſcopos Galliarum, qui cùm cætera iam bona ex Dei acquieuerint gratiâ prouenire, fidem tamen, quâ in Chriſto credimus, naturæ eſſe volebant, non gratiæ.* Inſanum errorem fusè inſectatur, eius tenaces Epiſcopos nulla grauiori ſententia, aut vel comminatione perſtringit, quin de iis in poſterum meliùs ominatur: *Contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epiſtola continere, quam à quodam tibi mandaſti ſacerdote tranſmiſſam, reſpondendum non duximus: quia ſperamus de miſericordiâ diuinâ, quòd ita per miniſterium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium quos diſſentire mandaſti, dignabitur cordibus operari vt, &c.* Pontifex non aliud, quàm ſpem ſibi eſſe reſcribit, vt Deus in eorum cordibus vberiorem gratiæ ſuæ lucem, ad gratiæ ipſius intelligentiam irradiet. Et Eccleſia Lugdunenſis nono ſæculo tenax eiuſdem ſententiæ, lib. de tribus epiſtolis: *Querimoniâ & perturbatione magnorum & ſanctorum apud Gallias virorum, qui diſputationibus in tantum permoti fuerunt, & quodam tædio affecti, vt prædeſtinationis ſenſum, qui conſtanter prædicabatur, vel quaſi falſum, vel quaſi periculoſum potiùs tacendum eſſe iudicarent. Sed nec tantâ perturbatione fidelium auocari potuit Auguſtinus, &c.* Vbi ad marginem hæc adnotauit compilator Bibl. PP. to. 4. p. 2. *Ex hoc habetur Semipelagianos non fuiſſe hæreticos, ſed Catholicos.*

XXVIII. Huius indulgentiæ olim dux Cælestinus.

Sed Synodis, Pontificibusque in hanc præiuerat indulgentiam Cælestinus Papa, à Prospero & Hilario exstimulatus, epistolâ ad Gallicanos Episcopos scriptâ, qua Augustinum meritis effert laudibus, Presbyteros obiurgat, *qui indisciplinatas quæstiones* mouebant, prædicabant *aduersantia veritati*. Nihil grauius tamen, quàm illis *silentium imponi* decernit. Ita enim cum Catholicis simplicibus, etiam pertinaciter imperitis, non autem cum doctis hæreticis agitur.

XXIX. Tantæ in tam pertinaciter errantes indulgentiæ causa retegitur.

Vtque caligo rei huic offusa diligentiùs expungatur, aduerte ex Augustino suprà laudato, audaculis his censoribus duo quædam persuasissima fuisse, catholicæ fidei palmaria, ex quibus religata penderent cætera: nempe & peccato parentali obnoxios nasci omnes homines, itemque voluntates hominum Dei gratiâ præueniri, vt nec incipere quid boni, nec perficere queant, sine eius adminiculo. His duobus implicata sunt cætera rectæ fidei capita, etsi id illi minùs aduerterent. Similiter illi aduersùm quos disputat Bonifacius II. Papa, bona omnia opera Gratiæ imputabant. At inde nascebatur istud quoque, vt fides quæ bonorum operum exordium est, & palmam inter animi nostri interiora bona opera obtinet, Gratiæ adscribatur. Quod ibidem Pontifex ita arguit: *Illos qui præcedente fide, cætera volunt gratiæ deputare, sinâ professione constringimus, vt multò magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere, præter quàm nihil est boni, quod secundùm Deum quilibet valeat operari: sicut B. Apostolus dicit, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quod cùm ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur: aut si quod bonum esse dicunt de gratiâ, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda.* Postremò ij aduersùm quos Cælestinus scribit: *ea tantummodo sequi, & probare confitentur, quæ sacratissima B. Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit.* Ex hoc porro vno capite contexebatur tota fidei orthodoxæ series de gratia, etsi illi secus opinarentur. Etsi ergo priua-

tas opinatiunculas ſuas puerili, & puériliter contumaci ſimplicitate garrire ſolerent; quia tamen ſummam ipſam rectæ fidei cum tota Eccleſia complectebantur, qua continebatur opiniuncularum illarum eiuratio, quia decreta Sedis Apoſtolicæ reuerebantur; ideo infirmis fratribus, non hoſtibus fidei annumerabantur, incitabanturque duntaxat, *vt in quod peruenerant, in eo ambularent:* ita enim fore vt aliquando id quoque, in quod nondum peruenerant, aſſequerentur.

XXX. Hinc defenditur nonnullorum iſtiuſmodi ſpectata ſanctitas.

Ergo ſi de Hilario Arelatenſium Epiſcopo, ſi de Vincentio, ſi de Caſſiano, de Gennadio, de Sidonio Apollinari, ſi de Fauſto acerbius quid aliquando excidit magnis viris, id æqui bonique conſulendum eſt, & in doctrinam, in quam incautè & per ſimplicitatem incurrerant, non in perſonas refundendum. Ita fiet vt non inuideamus, non obtrectemus ſpectatæ eorum complurium ſanctitati, cui & Auguſtinus & Proſper ipſi applaudebant. Nec magnopere ſatagemus, an ante obitum acquieuerint ſaniori doctrinæ. Cùm ad Arauſicanæ ſaltem vſque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non deſierint.

XXXI. Complura alia eiuſdem rei exempla. Putà in Anthropomorphitis ex Epiphanio, & Auguſtino.

Nec nulla ſunt alibi eiuſdem exempla indulgentiæ. Nam vt author eſt Epiphanius hæreſi 70. num. 8. Audiani ſeu Anthropomorphitæ Deo humanam appingebant effigiem: ruſticitati autem eorum id, non hæreſi tribuebatur: *Illorum dogmata propoſuimus, quæ ſimpliciori quadam ratione, ac pertinaci contentionis ſtudio turpiter aſſeuerant.* Audis pugnacitatem non hæretici, ſed tardioris, & obtuſi animi. Et num. 14. *Illud de Dei imagine interpretandum putant ſimplici quidam ratione,* κατὰ τὸ ἰδιωτικὸν. Quocirca nec ea de cauſa, ſed alia longè diuerſiſſima, ait Epiphanius illos ab Eccleſia & ſciſſos eſſe primùm, & ſemet abſcidiſſe. Quin quod ſemet abſciderint, in ſchiſma potiùs, quàm in hæreſin illos cenſet impegiſſe. Vnde & Auguſtinus lib. de hæreſ. hær. 50. *Audiani quos appellat Epiphanius, & ſchiſmaticos, non hæreticos vult videri:*

aliꝰ vocant Antropomorphitas, quoniam Deum ſibi fingunt cogitatione carnali, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod ruſticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici. Eos autem ſeparaſſe ſe dicit à communione noſtrâ, culpando Epiſcopos diuites, & Paſcha cum Iudæis celebrando. Quamuis ſint; qui eos in Ægypto Eccleſiæ Catholicæ communicare aſſeuerent. Vides quid ſentiat Epiphanius, nec Auguſtinus ab eo diſſentiat.

Sed operæ pretium erit audire quid de ſanctiſſimis, & indoctiſſimis tamen monachis narret oculatus rerum omnium teſtis Caſſianus Collat. 10. cap. 2. *Theophili Alexandrini Epiſcopi ſolennes epiſtolæ commearunt, quibus cum denunciatione paſchali, contra ineptam quoque Antropomorphitarum hæreſin longâ diſputatione diſſeruit, eamque copioſo ſermone deſtruxit. Quod tanta eſt amaritudine ab vniuerſo propemodum genere monachorum, qui per totam prouinciam Ægypti morabantur, pro ſimplicitatis errore ſuſceptum: vt è contrario memoratum Pontificem, velut hæreſi grauiſſimâ depranatum pars maxima ſeniorum ab vniuerſo fraternitatis corpore decerneret deteſtandum: quòd ſcilicet impugnare Scripturæ ſanctæ ſententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compoſitione formatum, cùm ad eius imaginem creatum Adam Scriptura manifeſtiſſimè teſtaretur. Denique & ab his qui erant in Eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac ſcientiâ, omnibus qui erant in Ægypti monaſteriis præeminebant, ita eſt hæc epiſtola refutata: vt præter Abbatem Paphnutium noſtræ congregationis Presbyterum, nullus eam catterorum presbyterorum qui in eâdem Eremo aliis tribus Eccleſiis præſidebant, nec legi quidem, aut recitari in ſuis conuentibus prorsùs admitterent.* Quis autem ſanctiſſimos iſtiuſmodi monachos & alios vbique terrarum vt credere par eſt, tarditate ingenij, ſed pietatis quoque cumulo certantes, hæreticis accenſeret? Etenim illi vt c. 3. ſubditur, non errabant, niſi *imperitiæ ſolâ & ſimplicitate ruſticitatis*. Vnde mox ibidem ſenex quidam omni virtutum genere conſummatus, & ab eo tandem errore extricatus, eiulabat in hunc mo-

XXXII. Item ex Caſſiano.

Digitized by Google

dum: *Heu me miserum! Tulerunt à me Deum meum; & quem nunc teneam, non habeo, vel quem adorem, & interpellem, iam nescio.* Et sanè quotusquisque fidelium vulgi non pari hodie ludibrio vexatur interdum?

XXXIII. Item in Tertulliano.

Eódem refertur quod Augustinus hæresi 86. ait Tertullianum sensisse, animam esse *corpus effigiatum; Deum corporeum, non effigiatum.* Addit autem, *Nec tamen hinc hæreticus creditur factus.* Et rursum: *Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus.* Posset enim *quoquo modo* vt idem ibidem ait, putari, corporis vocabulo significasse, quidquid substantiuum & solidum est, non vacuum & inane. At ea est humanior Augustini interpretatio, quæ vereor vt omnibus approbetur, & vel ipsi Tertulliano; qui cùm animam nugatur corpus effigiatum, plùs satis expromit, quid corporis nomine intellexerit, quod certa effigie circumscripsit.

XXXIV. Item in Synesio, & aliis.

Quid de Corinthiis dicemus, quorum aliqui fidem & spem resurrectionis exuisse videbantur, vt tanto æstu aduersùs eos Paulus digladietur? Quid de Synesio, qui cætera callentissimus humanæ diuinæque sapientiæ, resurrectionis fidei suffragari se posse disertissimè inficiatus, ad Episcopatum nihilò seciùs abreptus est? Nempe in his, vt & in Apostolis ante Spiritûs sancti vberiorem allapsum, æquè in resurrectionis sententiâ & in aliis non paucis titubantibus, non hæresis, sed infirmitas hæcerat animi, stupentis & hebescentis ad diuinorum sublimitatem. Euagrius lib. 1. cap. 15. *Synesio persuadent, vt licèt nondum doctrinam de resurrectione carnis admisisset, neque ita censere vellet, salutari regenerationis lauacro tingeretur, & iugum susciperet sacerdotij. Rectè admodum de eo augurantes, quod hæ res alias eius virtutes sequerentur: diuinaque gratia nihil pateretur in eo desiderari. Quæ spes illos minimè frustrata est.* Vide hâc de re Synesij ipsius epistolam 105. prorsus mirabilem. Quid de illis porrò, quos tam creber exagitauit Augustinus, qui Christianos Catholicos saltem, etsi omnium scelerum colluuione contaminatissimam egis-

Digitized by Google

sent vitam, fabulabantur temporalibus tantùm pœnis subactum iri, & in die iudicij donandos sanctorum precibus, vnaque in cælestem patriam euehendos? Nunquam his sanctus Pater vel vno verbulo maculam aspersit hæreseos. Enchir. ad Laurent. c. 67. De illis censet in hunc modum: *Qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humanâ quadam benevolentiâ mihi falli videntur.*

Penè nos suffugerat Zosimus Papa, qui Cælestium, Pelagiumque Catholico agmini propemodùm reddiderat, cùm ab iis audisse se putaret, non tam quid errarent, quàm quid dubitarent, quid doceri cuperent. Vnde Augustinus lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. *Cùm hoc Cælestius in libello suo posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est: in homine acerrimi ingenij, qui profectò si corrigeretur, plurimis prosuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus eius Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit; non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, vbi ait, Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum putabatur, quando se literis beatæ memoriæ Papæ Innocentij, quibus de hâc re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.* Vbi obserua 1. religioni nobis esse & pudori, plùs sapere quàm Augustinum. Quod ergo ille Zosimo laudi vertit, id absit vt concerpamus. Cæterùm non hîc modò, sed frequentissimè Augustinus, vt suprà eluxit; imò & Patrum Senatus ingens, Apostoli Pauli legens vestigia, ei assensus est doctrinæ & indulgentiæ, quâ fretus Zosimus Cælestium excusabat interim magis, quàm purgabat. 2. His imperfectis, de quibus suprà, veniam dari, ne hæreticis immisceantur, quòd præ se id ferant, literis se & doctrinæ Pontificum subscribere, etsi eam interim minùs capiant. Eo Cælestius & Pelagius Zosimo se commendarant. Eo istiusmodi omnes superiùs Facundus iu-

XXXV. Zosimus Papa doctrinam superiorem fulcit, & eâ fulcitur ipse: vbi & tria quædam magni momenti subnotantur ad resecandos difficultatum nodos.

Digitized by Google

uabat, quòd *semetipsos rationi dociles, & subiectos authoritati præbeant Ecclesiæ:* quòd *cùm per ignorantiam in plurimis errent, in nullo tamen errare credunt Ecclesiam, cuius se confidunt vnitate saluari:* quod *licèt non in omnia, quæ tam multa & magna continet Christiana religio, sicut dignum est, animum potuerunt intendere: animo tamen vera & recta esse in Ecclesiæ fide non dubitauerunt, vt in eâ perficiendi manerent.* Nemo ergo prætextu antè disputatorium, aduersùs Ecclesiæ doctrinam contumaciùs certari posse, & absurdas foueri opinatiunculas pertimescat: cùm id tam sedulò præstructum fuerit, hanc illis vnis patere indulgentiæ ianuam, qui *in nullo errare credunt Ecclesiam.* 3. Itaque non quorumlibet est, vt sibi, sed Ecclesiæ iudicium, atque arbitrium est, vt quibus conducit, & quandiu conducit, hæc infantiæ blandimenta, hæc dispensationis lenocinia adhibeantur. Ista enim iam non simplicitas, sed calliditas: non rusticitas & hebetudo, sed simulatio & impudentia foret, simplicitatem prætendere, rusticitatem allegare, ad errandi fallendique licentiam assequendam. In exemplis suprapositis emicabat, totam dispensandi prudentiam, potestatemque non errantibus, sed vni Ecclesiæ moderandam, regendamque incubuisse. De Cælestij vafritie Zosimus ab Afris tandem admonitus, ne illâ quidem confessione deinceps contentus fuit, quâ se Innocentij literis inhærere simulauerat, nisi sigillatim suos recantaret errores. Denique quibus defensionem suprà adornauimus, illi eo omnes fuere animo, quo Augustinus, teste Facundo, lib. 11. cap. 6. ad subscribendum vel Ecclesiæ, vel cuique recta monenti promptissimus, si cubi erraret. *Sed de Augustino rectè sic audis, cuius animum professio sua declarat: de aliis autem quâ ratione sic credas? Quasi vel ipse qui contradicit, certum habeat, quod hoc alij quoque non dixerint: tanquam omnia omnium legerit, omniumque meminerint. Aut vel ipse animus Augustini ideo talis fuit, quoniam taliter est locutus: & non potiùs quoniam talis fuit, ideo est locutus: ac per hoc, etiamsi nihil tale dixisset, idem tamen esset habitus*

habitus animi, ad corrigendum, quod iustè offenderet, præparati. De quo si etiam sic bene sentiremus, & pium proculdubio esset & verum, quanquam videretur incertum. Hec igitur & de aliorum animis sentiamus, quia interim pium est, vel si videatur incertum. Quòd si & malè de illis sentiamus, hoc quoque certum non erit, sed certa impietas erit. Melius ergo est, vt de duobus illud eligamus incertum, in quo certa pietas adprobetur: quàm hoc incertum, in quo impietas certa damnetur. Hunc sapiendi modum singulis nobis delineat Facundus: at Ecclesiæ ipsius si qua in aliquos iudicia, si qua fulmina coruscauerint: præposteræ cuiusdam temeritatis ac dementiæ fuerit, Ecclesiæ ipsi errorem affingere, vt eos tueatis, qui eo vno defendi se posse scuto speraucrunt, quòd se, scriptaque sua Ecclesiæ subiecerint, quam *in nullo errare* confitebantur.

Digitized by Google

DISSERTATIO XIV.

IN CONCILIVM ROMANVM VTRVMQVE

SVB FELICE II. PAPA.

Anno Christi 483. 484.

SYNOPSIS.

Prima Sedis hoc privilegium adseritur, iudicandi de cæteris Patriarchis, etiam sine generali Synodo.

I. Prima Sedes de omnibus, & de ipsis Patriarchis iudicat.

NON potest opportuniùs vsquam alibi pertractari quæstio, quæ ad potestatem summi vnius pertinet in Ecclesiâ Pontificis, ad cæteros omnes etiam Patriarchas iudicandos, deponendosque. Ipsum enim à nullo alio Patriarchâ posse similiter iudicari, deponive, consequenter elucidabitur in commentandis mox Romanis sub Symmacho Papa Synodis. Quæ duo quidem summa capita sunt eius principatûs, quem in summo causarum ecclesiasticarum Iudice suspicimus, vt de omnibus iudicet, & à nemine iudicetur.

II. Synodi œcumenicæ non possunt cogi totics, quotics agitanda fuot de Patriarchis iudicia.

Cùm toto igitur Oriente hæresin Eutychianam summi Antistites Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Imperatores ipsi, vel clam fouerent, vel palam disseminarent, conclamata erat fidei & Ecclesiæ ipsius Christianæ incolumitas: nisi Apostolica & prima Sedes Petri eam authoritatem, eam fidei firmitatem inconcussam à Christo consecuta esset, quâ & fidei hostes

Digitized by Googl

amouerentur, & Eccleſia ab impendente eximeretur exitio. Cædibus & graſſationibus hæreticorum occurri non poterat, niſi vel per Synodum œcumenicam, vel per primam Eccleſiæ Sedem. Non poterat tunc coaleſcere Synodus œcumenica, cùm Zenon Imperator, cùm Alexandrinus, cùm Antiochenus Patriarchæ aduerſarentur rectæ fidei, cùm Acacius CP. his conniueret. Ergo ſpes vna ſalutis erat in primâ Sede, Synodi œcumenicæ vices ſupplente. Qui ergo hanc illi poteſtatem inuident, id nimirum ſupereſt, vt fidem & Eccleſiam huiuſmodi peſtibus dilaniandam, & impunè proterendam permittant.

III. Probatur ex epiſt. Felicis Papæ.

Ideo & Ioannes Alexandrinâ Sede pulſus Romano Pontifici aduersùs Acacium libellos dedit. Felix epiſt. 6. ad Acacium: *Ad libellum fratris & Coëpiſcopi mei Ioannis, qui te grauiſſimis obiectionibus impetiuit, in Apoſtolicâ Sede ſecundùm Canones reſpondere diffidens, obiecta firmaſti.* Et in libello citationis ad eundem miſſo per Vitalem & Miſenum: *Superueniens Coëpiſcopus noſter Ioannes, fugatus ab hæreticis perſuaſoribus Sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem ſanctæ memoriæ deceſſori meo parauerat, porrigendum ingeſſit. Quem morem, maioris ſui beatæ memoriæ Athanaſij exemplo, & priorum noſtrorum, non potuimus refutare. Et ideo ad hæc, quæ propoſita eſſe cognoſcis, apud beatum Petrum Apoſtolum, cui preces in nobis oblatas peruides, & quem ligandi atque ſoluendi à Domino poteſtatem ſumpſiſſe non potes diffiteri: & in conuentu fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum reſpondere feſtina.* Et in libello quem Felix idem decreto Concilij ad Zenonem miſit: *Aduersùs quem*, Acacium, *in conuentu mihi ab eo*, Ioanne Alex. Epiſcopo, *libellus oblatus eſt, vt idem Acacius, ſicut eccleſiaſticis neceſſe eſt, & veſtris legibus fieri decet, ad hæc, quæ de ſe peruidit intimari, apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum diluere obedienter procuret, nec vllo modo exiſtimet differendum. Qui ſi quemadmodum confidimus, bene conſcius eſt, Apoſtolicum non debet iudicium cum conſacerdotibus ſuis & moderationem abiicere, &c.* Vides 1. Epiſcopum ſe-

Digitized by Google

cundæ Sedis Episcopo primæ Sedis libellum porrexisse aduersùs Episcopum CP. 2. Ibi inhæsisse vestigiis, & exemplis Athanasij ad Iulium Papam confugientis. 3. *Ecclesiasticis legibus* causam Acacij à Pontifice Romano cognitam, exauthorationis sententiam in eum contortam esse. 4. Quia *Petro* ligandi soluendique potestas cælitùs collata est.

IV. Probatur idem ex epist. Gelasij Papæ. Summa fastigia probationum.

Grauiter tulerunt Acacij in Sede Constantinopolitanâ successores, extra œcumenicam Synodum ab Apostolicâ Sede damnatum illum fuisse. Ita enim Gelasius epist. 4. *Euphemium miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit: qui dicit Acacium ab vno non potuisse damnari.* Vt suæ ergo Sedis iura tueatur Gelasius, aduertamus animum. Respondet ergo 1. Acacium non nouæ hæreseos architectum fuisse, sed Entychianam refouisse, ita in Chalcedonensi Synodo damnatum fuisse, cuius executrix suo more & iure est Sedes Apostolica: nec Synodis œcumenicis opus est, vt executioni mandentur placita Synodorum œcumenicarum. 2. Appellationes toto ex orbe ad Sedem Apostolicam Canonibus concessas esse, & iam antè ipso etiam approbatore & executore Acacio solius Apostolicæ Sedis authoritate deiectos fuisse Timotheum Alexandrinum, Petrum Antiochenum, Petrum, Paulum, Ioannem, & alios. Ergo his exemplis tam salutiferis Ecclesiæ, & tam necessariis authoratam Sedis Apostolicæ potestatem, æquè in ipsum Acacium insurgere potuisse. 3. Ioannem Alexandrinum Episcopum fidei & pietatis assertorem, Sede suâ ab Imperatore pulsum, neminem queri: ab Apostolicâ Sede restitutum, Græculos conqueri. Peruersum id & præposterum. Illud lamentandum, hoc gratulandum. Si enim in Ecclesiæ perniciem potest Imperator pios eiicere Præsules, scelestos intrudere, & Synodos œcumenicas prohibere: quin possit summus Pontifex citra Synodi œcumenicæ operam pios redintegrare, impios euertere? 4. Vt inferiores à susperioribus, clericos ab Episcopis, Episcopos à Metropolitanis, hos ab Exarchis: ita cæterarum Sedium summos Antistites apud pri-

mam Sedem & examinari, & iudicari posse. Ita enim iudiciorum ordo inconuulsus postulat. 5. Reuolutis superiorum temporum monumentis, Synodi vniuersalis operâ, restitutos à sola Apostolica Sede fuisse, orthodoxis omnibus & piis gratulantibus, Athanasium, Chrysostomum, Flauianum, & alios principalium Ecclesiarum Præsules. 6. Vt Athanasij & Chrysostomi ætate, ita nunc, etsi optatissimum fuisset, non tamen potuisse vniuersalem Synodum congregari. Etenim Oriens omnis, & Imperator ipse cum Acacio in erroris defensionem conspirabat. Ergo vel actum erat de salute Ecclesiæ, vel præter œcumenicam Synodum, tot ex capitibus pendulam, tot inexpugnabilibus obiicibus interseptam, aliud à Christo compendiosius & explicatius præsidium in Sede Petri diuinitùs constitutum est. Nunc verba ipsa Gelasij ascribamus, maiestatis & virium vtique plùs habitura.

V Aduersùs priscarum hæreseon fautores nullâ nouâ opus est Synodo.

Primùm ergò ita insurgit epist. 4. *Itane non perspicit secundùm formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? &c. Acacius quippe non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua scita prodirent, sed alieno facinori suâ communione se miscuit.* Et epist. 8. *Cùm Chalcedonense Concilium damnauerit Eutychem, detestandi furoris authorem; non satis habuit, nisi vt pariter eius quoque consortem Dioscorum ceteroſque percelleret. Hoc igitur modo successores eorum Timotheum, Petrum, atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim præter singulos quosque rursus facto Concilio, sed Synodi semel acta regula consequenter elisit.* Et Epist. 13. *Maiores nostri diuinâ inspiratione præcauerunt, vt quæ contra vnamquamque hæresin coacta Synodus, pro fide, communione, ac veritate Catholicâ atque Apostolicâ promulgasset: non sinerent post hæc nouis retractationibus mutilari; nepraui occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed authore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententiâ damnationis eius esset obstrictus.* Tum Sabellium, Arium, Macedonium, Eunomium, Nestorium vna Synodo damna-

Digitized by Google

tos cum errore ſuo fuiſſe oſtendit, vt eadem ſententia poſteros omnes eodem conſtrictos errore innodaret.

VI. Sedes Apoſtolica executrix eſt Synodorum generalium.

Oecumenicarum autem Synodorum executricem eſſe præ cæteris Sedem Petri, ita mox docet: *Confidimus, quòd nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret, vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſia probauit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam: quæ & vnamquamque Synodum ſuâ authoritate confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit: pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Apoſtolus Petrus Domini voce perceptum, Eccleſiâ nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet.* Et infrà: *Quod Sedes Apoſtolica, vt decuit, antiquâ traditione cuſtodiens, non Synodum duxit iterandam, ſed in eius prænaricatore pellendo hanc eandem Synodum potiùs exequendam.* Et infrà: *Ponamus tamen, etiamſi nulla Synodus præceſſiſſet, cuius Apoſtolica Sedes rectè fieret executrix, &c.* Et paulò ante finem: *Plurimorum in Italiâ catholicorum congregatiõ ſacerdotum, non tanquam noua Synodus contra veterem, primamque cognouit; ſed potiùs ſecundùm tenorem veteris conſtituti, particeps Apoſtolica executionis effecta eſt.* Itaque executrix eſt Sedes Apoſtolica ſynodicarum generalium conſtitutionum, ob diuinitùs Petro collatum principatum, & in eius executionis ſocietatem adſciſcit ſibi Synodos, & Epiſcopos alios.

VII. Executor eſt & quilibet Epiſcopus, ſed in obnoxios ſibi.

Quapropter quòd epiſtolâ 4. Gelaſius infimis etiam Epiſcopis communicauerat hanc poteſtatem, id modeſtum deſiderat interpretem. *Quod non ſolùm Præſuli Apoſtolico facere licet, ſed cuicumque Pontifici, vt quoſlibet, & quemlibet locum, ſecundùm regulam hæreſeos ipſius antè damnatæ, à catholicâ communione diſcernant.* Eſt enim iuris & muneris Epiſcopi cuiuſcumque, obnoxios ſibi quoſque, ſi cui prædamnatæ conſenſerint hæreſi, ab Eccleſiæ communione ſequeſtrare. Nam pro eâ, quæ ſibi concredita eſt, Eccleſiæ portione, executor eſt Epiſcopus quilibet ſynodicorum decretorum. At Præſul Apoſtolicus, vt *primæ* Sedis Antiſtes, & *pro ſuo principatu*, quem Petrus

Digitized by Google

Domini vòce percepit, non oues tantùm, ſed Paſtores, & ſummos ſummarum Eccleſiarum Paſtores, ſi contagio hæreſeos afflati fuerint, ſegregare poteſt, vt Synodorum œcumenicarum vniuerſalis & ſummus executor.

VIII. Iam complures Patriarchas ante Acacium deiecerat Sedes Apoſtolica, ipſo Acacio hortatore.

Secundò idem Gelaſius ad hunc modum argumentatur epiſtolâ 4. *Nobis opponunt Canones, &c. Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen voluere deferri. Ab ipsâ vero nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt. Ac per hoc illam de totâ Eccleſiâ iudicare, ipſam ad nullius commeare iudicium, &c. In hâc ipsâ causâ Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, non ſolùm vnus, ſed plures vtique nomen ſacerdotij præferentes, ſolâ Sedis Apoſtolicæ ſunt authoritate deiecti, cuius rei teſtis etiam ipſe docetur Acacius, qui præceptionis huius extitit executor.* Et epiſt. 13. *Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipſe Alexandrinus Petrus, qui ſecundam certè Sedem quoquomodo tenuiſſe videbantur, non repetitâ Synodo, ſed authoritate tantummodò Sedis Apoſtolicæ, ipſo quoque Acacio poſtulante, vel exequente, probatur eſſe damnatus.* Vt olim ergo Cyrillo Alexandrino poſtulante, & exequente, Neſtorius Conſtantinopolitanus à Romano Antiſtite damnatus fuerat: ita viciſſim nunc Acacio Conſtantinopolitano, Timotheus, & Petrus Alexandrini: & denique Ioanne Alexandrino libellos dante, Acacius Conſtantinopolitanus, à Sede Apoſtolicâ damnati fuere. Atque ita moderante omnia ſummo Chriſto, & ad ſalutem Eccleſiæ ſuæ ſæculorum turbulentos vertices contorquente, rerum ipſa neceſſitas compulit ſecundas per orbem maieſtates, ſeu Sedes Patriarchales cæteras, dum copia Synodi œcumenicæ non paſſim datur, dum ſeſe & fidem tueri aliter non poſſunt, ad primæ Sedis Petri tribunal confugere, eius iudicium poſtulare.

IX. Aliquos nefariè Imperator deiecerat ſine Synodo. Ergo debet Pontifex & ſine Synodo poſ-

Tertiò ita ſe, maioreſque ſuos tuetur Gelaſius epiſt. 4. *Quâ ipſi Synodo, vel ſecundùm cuius Synodi formam, Alexandrinum Ioannem de Eccleſiâ, cui ordinatus fuerat, expulerunt? Qui nullis cauſis euidentibus, nec antè conuinci, nec poſtea pro-*

Digitized by Google

se restituere, vel deiicere, vt suaserit æquitas.

uocans, etiam in iudicio competenti, potuit accusari. Quòd si dicunt, Imperator hoc fecit: hoc ipsum quibus Canonibus, quibus regulis est præceptum? Cur huic tam prauo facto consensit Acacius, cùm authoritas diuina dicat, Non solùm qui faciunt prauum, reos esse, sed etiam qui consentiunt facientibus? An secundæ Sedis Antistites & tertiæ, cæterique bene sibi consij sacerdotes depelli debuere: & qui religionis extitit inimicus depelli non debuit? Et epist. 13. *Dicatur de Alexandrino & Antiocheno Episcopo, certis ex causis Principem magis illa, quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed Principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maximè cuius familiaritate & fauore fouebatur, saluam fore de eiusdem iniuriâ, contumeliaque vindictam; tantùm vt Ecclesiæ sineret Christianus Princeps regulas custodiri, &c. & sicut semper esset effectum; ac diuinæ pariter leges, humanæque censerent, vt sacerdotali Concilio de sacerdotibus iudicia prouenirent, &c.* Hic variorum subtexit exempla Pontificum, qui intrepidè retuderunt Principes legibus ecclesiasticis derogantes. *An qui in hominem Imperatorem peccasse dicebantur, nulla interueniente Synodo deiici debuerunt: & in Deum, qui summus & verus est Imperator, Acacium delinquentem, secundùm Synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli?*

X. Nam Synodum tunc cogi nec per Imperatorem licebat, nec per alios.

Non fuisse autem sibi integrum, Synodum conuocare vniuersalem, refragante Imperatore, & consentaneo ipsi penè Oriente toto. epist. 13. *Etiamsi nulla Synodus præcessisset? cuius Apostolica Sedes rectè fieret executrix: cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? Nunquid cum his qui iam participes tenebantur Acacio, & per Orientem totum, Catholicis sacerdotibus violenter exclusis, & per exilia diuersa relegatis, socij euidenter existebant: communionis externa priùs se ad hæc consortia transferentes, quàm Sedis Apostolicæ scita consulerent?* Ex quo vides & tunc & sexcenties aliàs abrumpi spem omnem Synodi vniuersalis: cúmque interim ea tamen incurrant momenta rerum, & discrimina, quibus succurrere non possit, nisi par authoritas; hanc necessariò iugem & inconuulsam in primâ Sede Petri constitui, imò constitutam

Digitized by Google

constitutam agnoscí à Christo, æternitatem Ecclesiæ suæ omnipotenter & sibi consentaneè olim præfundante.

XI. Cùm non daretur copia œcumenicæ, coacta est à Pontifice Italica Synodus.

Nam si œcumenicæ Synodi copia fuisset, illam Sedes Apostolica expetisset vtique; quæ quantùm licuit, Occidentalium Episcoporum, qui soli ferè supererant Catholicæ fidei, & libertatis consortes, Synodum congregauit, in eâque de Acacio cognouit. Ibidem: *Quia orthodoxis vbique deiectis, & hæreticis tantummodò, eorumque consortibus iam relictis in Oriente: Catholici Pontifices, aut residere omnino non essent, aut nullam gererent libertatem? plurimorum in Italia Catholicorum Sacerdotum congregatio, rationabiliter in Acacium sententiam cognouit fuisse prolatam: qua congregatio facta Pontificum, secundùm tenorem veteris constituti, particeps Apostolica executionis effecta est. Vt satis appareat Ecclesiam Catholicam & Sedem Apostolicam, quia alibi iam omnino non posset, vbi potuit, & cum quibus potuit, nihil penitùs omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata & sincera communione tractatum.* Synodorum quippe coalitione, id est, numerosiore Senatu suffragatorum, & potestatis, sententiæque suæ sequacium, non dolet, non obscuratur, sed exultat, magisque & magis rutilat Sedis Apostolicæ splendor.

XII. Constituto Sedium ordine, necessum est, vt prima de aliis iudicet.

Quartò ex Sedium ordine ita idem Pontifex pugnat, epist. 13. *Quoniam hunc Ioannes secundæ Sedis Antistes grauibus pulsaret obiectis, ad primæ Sedis audientiam cohortatus est, Romanus Præsul, vel venire debere, vel mittere. Licèt enim Synodus iteranda non esset, tamen congrueret, vt cuiuslibet ciuitatis Episcopus primæ Sedis iudicium non vitaret, ad quod conuenerat secundæ Sedis Antistes, qui nisi à primâ Sede non posset audiri. Præcipuè qui præiudicatis animis nullâ Synodo à Græcis fuisset exclusus: etiam apud eos causam suam nec posset omnino dicere, nec deberet. Quia ab inferioribus Episcopis potior, nisi à primâ Sede, sicut dictum est, vel discuti potuisset, &c.* Et infrà: *Cur ipse Ioannem, quem suis literis impetebat, qualemcumque secundæ Sedis Episcopum, in primæ Sedis B. Petri Apostoli iudicio confutare despexit, &c. ad quod secundæ Sedis*

cerneret venisse Pontificem; quod Anatolius Constantinopolitanus Episcopus missis legationibus pro suâ personâ feciſſe monſtratur? His accommodatiſſimè philoſophabatur ſuprà Cyrillus, & Synodus cum ipſo Epheſina, & pro Sedium ordine iudicia inſtruenda eſſe decernebat.

XIII. Iam olim abſque Synodo plures à Rom. Pontifice reſtituti vel deiecti ſunt ſummarum Sedium Epiſcopi.

Quintò ſuperiorum tractu temporum perſæpe non ſuæ magnitudinis cupidine, ſed alienæ ſalutis charitate vrgente, extorquente neceſſitate, & ita Deo magis quàm homine explicante principatum Petri, abſque Synodis reſtitutos, vel deiectos excipit Gelaſius à Romanis Pontificibus ſummos Epiſcoporum apices. Epiſt. 13. *Sed nec illa praterimus, quòd Apoſtolica Sedes frequenter more maiorum, etiam ſine vllâ Synodo precedente, & abſoluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Tum Athanaſij, Chryſoſtomi, Flauiani exempla profert, quos Apoſtolica Sedes, quia *non conſenſit* Synodis Græcorum, eos damnantibus, *abſolvit:* Dioſcorum ſecundæ Sedis Antiſtitem, *ſua authoritate damnauit:* Epheſinam ſecundam Synodum, *non conſentiendo ſubmouit.* Et cùm deiiciendi perſæpe ſint ij ipſi, qui Synodum conuocari prohibent, & ideo prohibent ne deiiciantur: malè conſultum eſſet Eccleſiæ Chriſti, niſi conſtans & perpetua regnaret in Eccleſiâ poteſtas primæ Sedis, Synodi vices & vires ſuppletura.

XIV. In maioribus iſtiuſmodi cauſis fruſtrà conati Romani Pontifices Concilia generalia congregare, eorum vicem ſupplcuere.

Sextæ reſponſionis teſtimonia ſuperioribus ſunt inſerta, conſtatque ſuperiorum documentis ætatum, in poteſtate non fuiſſe Pontificum Romanorum Reipublicæ Chriſtianæ conſulentium, vt œcumenica Synodus in causâ Athanaſij conflueret; aduerſantibus nimirum Orientalibus, & ſecedentibus. In causâ ſimiliter Chryſoſtomi, lapidem omnem mouit Innocentius, vt œcumenicum coïret Concilium; ſed irritus cecidit conatus; cùm Orientales Epiſcopi, qui Chryſoſtomum damnauerant, & Imperator ipſe Arcadius reluctaretur. In causâ perinde Flauiani, ad illius reuocandam damnationem, & totam prædatoriæ Synodi tragœdiam ſoluendam, om-

Digitized by Goo

ni ope enisus est Leo Papa, vt Theodosius Iunior Synodum generalem in Italiâ cogi pateretur, nec tum impetrauit. In causâ ergo similiter complurium Pontificum seu Alexandrinæ, seu Antiochenæ, seu Constantinopolitanæ Ecclesiæ, seu fidem oppugnantium, & deponendorum, seu pro fide certantium & restituendorum, cùm cogi œcumenicam Synodum per eos quorum intererat, non liceret: Sedes Apostolica in Italicæ, seu Occidentalis Synodi conuentu, in vicem Synodi œcumenicæ, innocentes restituit, reos damnauit; applausere omnes vbique boni, applausit Catholica vbique tum & pòst Ecclesia, consensuque suo vniuersalis Synodi instar effecit.

XV. Summa & concordia doctrinæ Gelasii.

Vides vt iura iuribus accumulet Gelasius, & responsionum aliarum aliis substructarum quasi molibus quibusdam congestis opprimat aduersarios. Ad deiiciendos enim gradu suo Patriarchas, Sedi Apostolicæ, vt opus sit Synodo, sed negat nouâ opus esse. Veteris enim Synodi executor Romanus Pontifex, non nouam hæresin, sed nouum veteris hæresis sectarium, vel fautorem iure deponet. 2. Etsi opus esset noua Synodo, negat tum cogi potuisse. 3. Conuocatam ait tunc fuisse Synodum, qualis potuit per tempora, ex Episcopis Italiæ. 4. Negat omnino opus fuisse, vel tunc; vel aliàs Synodo generali, vt Sedes prima de secunda, vel aliis Sedibus cognosceret. Idque probat 1. exemplis superiorum ætatum in causa Athanasij, Chrysostomi, Flauiani, & aliorum complurium. 2. Quia Canones Sedi Apostolicæ concesserunt apellationes ex omni Ecclesia. 3. Quia secundæ Sedis iudex non potest esse, nisi prima. 4. Quia non semper potest, imò plerumque non potest omnino congregari Concilium vniuersale. 5. Quia Acacius, Cyrillus, Athanasius, Cæcilianus, aliique Episcoporum vertices agnouere sæpissime, minimè necessariam esse Sedi Apostolicæ congregationem Synodi, vt ab ea restituerentur, vel defensarentur, vel ex aduerso discingerentur, ac eiicerent-

Digitized by Google

tur ſummarum Sedium inſeſſores. Concinunt hæ reſponſiones, nec prioribus poſteriores diſſonant; etſi quod in prioribus quaſi vltrò donabatur, cautiùs in poſterioribus retractetur, vt moris eſt diſputantibus.

XVI. Rurſus de neceſſario Sediũ ordine, & de neceſſitate Capitis conſtituendi.

Sed quod erat palmare in hac cauſa, principum nempe Sedium ordo, & primæ in cæteras omnes imperium, vide rurſum, vt iterum ab eodem Gelaſio confirmetur, in tract. quem Sirmundus edidit, in append. Cod. Theodoſ. p. 182. *Secunda enim Sedis Antiſtitem nec expellere quiſquam, nec reuocare, ſine primæ Sedis aſſenſu, vel potuit, vel debuit. Niſi fortè confuſo iam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec ſecunda, nec tertia Sedes debeat obſeruari, vel ſuſcipi, ſecundùm antiqua ſtatuta maiorum: & ſublato capite, vt videmus, omnia membra vario inter ſe compugnent certamine: fiatque illud, quod de populo ſcriptum eſt Iſraël: In illo tempore non erat dux in Iſraël: vnuſquiſque, quod placitum erat in oculis ſuis, faciebat. Qua enim ratione vel conſequentia aliis Sedibus defendendum eſt, ſi primæ beatiſſimi Petri Sedi antiqua & vetuſta reuerentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata: trecentorumque decem & octo Patrum inuicto & ſingulari iudicio vetuſtiſſimus iudicatus eſt honor? Vtpote qui Domini recordabantur ſententiam, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c.* Fœdiſſima rerum colluuies, & inteſtina rixa identidem corpus Eccleſiæ deformabit, *ſublato capite, & ordine turbato* Sedium. Præſulibus enim ſummarum Eccleſiarum aliis alios exturbantibus, hæreticis Catholicos eiicientibus, Catholicis ſupinitate ſua Eccleſiam prodentibus, Imperatoribus fidem & Chalcedonenſem Synodum oblitterare ſtudentibus: in hac perturbatiſſima rerum omnium iactatione, vna ſalutis anchora fuit Sedes Petri. Hæc temerè eiectos reſtituit, populatores alienarum Sedium hæc damnauit, hæc territauit Principes Eccleſiam infeſtantes, hæc pacem tandem reuexit Eccleſiis. Qui huius principatui inuidet, quid niſi de Eccleſiæ ſoſpitate dolet? Nec aliter vel Athanaſij, vel Chryſoſtomi, vel Flauiani, vel Aca-

cij, Petri, & aliorum eiuſmodi tempore, conſtare potuit ſalus reipublicæ Chriſtianæ, quàm vt epiſcopalibus Sedibus aliis alias, maioribus minores regentibus, & iudicantibus, omnibus vna emineret Sedes Petri prima, quam ſingulari patrocinio tuiturum ſe Chriſtus ſuſcepit, cæteras conſequenter tuituram.

XVII. Primatum Romanæ Sedis antiquitati tribuere, perinde eſt, ac diuinæ inſtitutioni.

Sed illud obſerua, quòd Gelaſius indiſcriminatim coniunctimque principatum primæ Sedis, & ſummi in Eccleſia Iudicis acceptum fert *antiquitati*, item *inuicto & ſingulari iudicio* Nicænorum Patrum: & *Chriſti ſententiæ*, Petro Eccleſiam ſuam ſuperſtruentis. Nempe *antiquitas* illa à Chriſto ipſo initium ducit, cuius oraculo Nicæni, & aliarum Synodorum Patres obſecuti ſunt in primæ Sedis priuilegio amplificando. Sublato quippe Capite exiſtit rixa, interituſque membrorum. Non capite truncam, non ſemineccm Chriſtus peperit Eccleſiam ſuam. Ibidem ergo mox idem: *Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini ſermo dirigitur? Nunquid nam reliqui ſancti, & beati Apoſtoli non erant ſimili virtute ſuccincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed vt Capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio, & vna monſtraretur compago corporis Chriſti, quæ ad vnum caput glorioſiſſimâ dilectionis ſocietate concurreret, & vna eſſet Eccleſia, vnaque domus vnius Domini & Redemptoris, in quâ de vno pane, & de vno calice nutriremur.* A Chriſto ergo ipſo Caput conſtitutum eſt in Petri Sede, à Chriſto ſublata ſchiſmatis occaſio, ea antiquitas eſt huius priuilegij, huic antiquitati diuinæ inſtitutionis canonicæ leges obſecundarunt.

XVIII. Si Caput Eccleſiæ diuinitus inſtitutũ eſt, ſummi quoque Iudicis poteſtas diuinitus ei conceſſa eſt.

Nam quòd caput Eccleſiæ ſit Chriſtus, quòd caput humanæ reipublicæ ſit Deus, ſed inconſpicuum, & ab aſpectu refugum: non id ad abigendum, præuertendumve ſchiſma ſatis eſt. Proteruus enim quiſque capiti ſe conſentire iactabit, & tumultuabitur interim, ſuſdeque verſet omnia. Ergo præterea opus eſt Caput conſpicuum conſtitui in vnaquaque domo, prouinciâ, regno; in vnaquâque, in vniuersâ denique Eccleſiâ. Quo iure enim maio-

res imperitabunt minoribus, nisi & ipsi maiori alicui, & tandem maximo, seu primo morigerentur? Caput est Christus singularium Ecclesiarum, suo tamen conspicabili capite, & iudice illis est opus Episcopo. Ita & vniuersæ Caput est Christus Ecclesiæ, & Iudex; at quia subductus ille in cælos est, vicarium & aspectabile caput ab ipso constitutum est. Ibidem Gelasius: *Postremò æquum est, vt qui alios libenter, & competenter vultis habere subiectos, cedatis & ipsi antiquo more maioribus, vt confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certè fuere Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cúmque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, vnum tamen Principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, vt in præcipuâ vrbe, vel primâ primum & præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosâ effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit; præstans Sedi, quam ipse benedixit, vt à portis Inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omninmque sit fluctuantium tutissimus portus.* Paribus meritis, pari quodammodo dignitate, æqualiter spiritali luce fulgentes annuit fuisse Apostolos, esse Episcopos; sed à Christo tamen constitutum vnum ex illis *principem, primum, præcipuum*, & in primâ ac præcipuâ vrbe Cathedram illi fixam, vt sicut maiores de minoribus, ita de maioribus hic omnium primus iudicaret. Quo nihil simplicius, nihil inuictius. Nam capite sublato, quod refugiunt, in idem incurrent, imò in discrimen longè deterius, vt non vnus, sed plures sint summi, plures sint primi, plures summi iudices, plura capita; ex quo quanta tumultuatio consequatur, nemo non videt. Ergo *antiquo more*, id est, vt ipse apertè interpretatur, Christi instituto mos gerendus est, vt de summis Sedibus iudex sedeat Petrus, in suâ adhuc conquiescens, adhuc viuens Sede, præstansque ei, *vt à portis Inferi nunquam vincatur*, ideoque cæteris fluctuantibus, ne demergantur penitùs, portus sit tutissimus. Quòd si refugiant fateri, singulis ergo cathedris

Digitized by Google

episcopalibus annuant, quod vni negant: aut totam Ecclesiam à portis Inferi perfringi posse contra Christi promissionem fateantur.

Cuiusdam autem summæ potestatis & iurisdictionis argumentum istud fuisse, quâ prima Sedes cæteras antecelleret, & iudicaret, etsi cauillationibus suis fucum facere nitatur nuperus, idemque doctissimus Nouatorum: meridiana ipsa luce euidentius est. Nam 1. vt *minoribus & subiectis* imperant suis Episcopi: ita arguit Gelasius Acacium, cæterosque, *maioribus*, hoc est, Sedi Petri esse debere subiectos. 2. Nonnisi *Capite constituto* tolli posse schisma cum Hieronymo argumentatur, & caput constitutum à Christo esse Petrum: Petrique successores: at Capitis in membra summa potestas & iurisdictio est. 3. Ordinem Sedium seruandum docet, vt primæ assurgat secunda, huic tertia, & sic deinceps; alioqui ima summis permixtum iri. Ordo hic autem ad iudicia pertinet, & de iudiciis hîc agebatur. 4. Querebantur Græci sine Synodo deiectum Acacium. Respondet Gelasius *pro principatu* suo Sedem Petri executricem fuisse Synodi Chalcedonensis. Quod vtique iurisdictionis est. Episcopus enim quisque in obnoxios sibi synodalia exequitur decreta. 5. Respondet rursum in Italicâ Synodo deiectum esse Acacium, quia tunc non alia potuit congregari. Ergo synodica authoritas tota in illa residebat Synodo, quæ tunc cogi potuit. 6. Respondet idem sæpius Synodo nulla habita Pontifices Romanos & nocentibus ademisse, & insontibus restituisse proprias Sedes. Id palàm est iurisdictionem sonare. 7. Pessimè cum Ecclesia comparatum est, si vt tunc contigit, Episcopis patriarchalium propè omnium Sedium à fide desciscentibus, Imperatoribus duces se in eam defectionem præbentibus, vtrisque spem omnem Synodi generalis suffocantibus, nulla superstit vsquam potestas aut iurisdictio, quæ tantis Ecclesiæ vulneribus mederi queat. 8. Denique idem Gelasius epist. ad Episc. Orientales, de maiorum Sedium Episcopis agens:

XIX. Ex damnatione Acacii summa potestas primæ Sedis inuictissimè arguitur.

Digitized by Google

Append. Cod. Theod. p. 198.

Cùm conſtet ſemper, aut Sedis Apoſtolicæ authoritate huiuſmodi perſonas, aut diſcuſſas, vel eſſe purgatas, aut ſic ab aliis quibus competebat Epiſcopis abſolutas, vt tamen abſolutio earum à Sedis Apoſtolicæ conſenſione penderet. Aperta hîc iuriſdi&tio, cui omnis alia iuriſdictio famulatur.

XX. Idem colligitur ex aliorum Pontificum epiſtolis.

Nunc ſtrictim aliqua carpam ex aliorum Pontificum epiſtolis in eandem ſententiam. Simplicius epiſt. 4. ad Zenonem aduersùs Timotheum Alexandrinæ Sedis peruaſorem, & cruentum contaminatorem: *Perſtat in ſucceſſoribus ſuis hæc eadem Apoſtolicæ normæ doctrinæ, cui Dominus totius curam onilis iniunxit, cui ſe vſque in finem ſæculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam prænalituras eſſe promiſit; cuius ſententiâ, quæ ligarentur in terris, ſolui non poſſe teſtatus eſt, nec in cælo.* Ita ſpem reſecare nititur reſtituendi per Concilium vniuerſale Timothei. Et epiſt. 5. ad Acacium, inſtans vt prohibeatur œcumenica Synodus, qua ſe reſtituendum Timotheus comminabatur: *Miſericordia Dei, cuius eſt cauſa, non defuit, vt Timotheus, qui ab vniuerſali Eccleſiâ ſacerdotalibus ſententiis, & imperialibus conſtitutis iuſtè fuerat ſegregatus, ad Eccleſiam tuæ dilectionis, vel ad fidelium domorum limina non permitteretur accedere. Quem conuentus nouos pro ſe didicimus comminari, reſolui exiſtimantem, quod de ſe vniuerſalis decreuit authoritas, &c. Vocem faciendæ Synodi fac reſpui, &c. Hortor vt modis omnibus faciendæ Synodi pernerſorum conatibus reſiſtatur, &c.* Vbi perſpicis quàm non conduceret in cauſa Acacij Synodum cogi generalem, quæ in Timothei negotio tam enixè deprecanda fuit; ſed vtrobique executricem Synodi Chalcedonenſis Sedem Apoſtolicam, vices ſuppleſſe nouarum Synodorum. Cùm autem Catholicum Alexandrinis Epiſcopum Zenon reſtituiſſet, grates agit Simplicius ep. 10. nempe *ſecundùm beatum Paulum Apoſtolum, Eccleſiarum omnium curam ſuſtinens, &c.* Epiſtola vero 11. ait Timotheum Catholicum Alexandrinæ Sedi redditum, quòd metu percitus antè recitaſſet inter altaria nomen Dioſcori, ſcriptis ad ſe literis, *remiſſionem ipſius erroris expetiſſe.* Sed &

Idem

Digitized by

Idem Timotheus exemplum libelli ſatisfactionis eorum, quos à Catholicæ fidei veritate Timotheus & Petrus vtrique damnati, damnationis errore traduxerant, veniam poſtulantes, ad nos pariter deſtinauit, ſacerdotali pietate lapſis ſubuenire deſiderans, quod diuinæ miſerationis intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putamus. Hîc Petri ſucceſſorem patet, vt cui totius ouilis cura iniuncta ſit, vt qui gerat ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, vt cui ſe promiſerit Dominus non defuturum vſque in finem ſæculi, omnium etiam ſummarum Sedium curam obiſſe, arbitrum fuiſſe remiſſionis & veniæ, ſummis Epiſcopis & quibuſlibet à fide lapſis annuendæ. Nec huic poteſtati ſubſcripſit tantùm Alexandrinus Timotheus, ſed & Acacius CP. ita ad Simplicium ſcribens: *Sollicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum circumferentes, nos indeſinenter hortamini, quamuis ſponte vigilantes ac præcurrentes. Sed vos diuinum zelum ſolitò demonſtratis, ſtatum Alexandrinæ Eccleſiæ certiùs requirentes, vt pro paternis Canonibus ſuſcipiatis laborem, ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper eſt approbatum.*

Quibus concinens Felix III. Papa Simplicij ſucceſſor, in primâ ad Acacium epiſt. ſic orditur: *Poſtquàm miniſterij quod regebat Simplicius, ad meæ humilitatis officium gubernacula peruenerunt, in diuerſas generalis Eccleſiæ curas, quas vbique terrarum cunctis populis Chriſtianis ſummi Paſtoris voce delegante, beatiſſimus Petrus Apoſtolus peruigili moderatione diſpenſat, continuò me ſolicitudo maxima, quæ & prædeceſſorem meum inceſſanter vrgebat, tam Alexandrinæ vrbis, quàm ſtatus fidei totius Orientalis regionis excepit.* Vniuerſalem prorsùs Petro vendicat iuriſdictionem. Idem epiſt. 6. pronunciat Acacium *ſancti Spiritûs iudicio, & Apoſtolicâ authoritate damnatum.* Et in epiſt. ad Zenonem Imp. *Hæc ego, reuerendiſſime Princeps, beati Petri qualiſcumque vicarius, non authoritate velut Apoſtolicæ poteſtatis extorqueo, ſed tanquam ſollicitus Pater fidenter imploro, &c.* Et in epiſt. ad Flauitam Epiſcopum Conſtantinopolit. *Dum ad Apoſtolicam Sedem regulariter deſtinatur tui honoris exordium, per quam largiente*

XXI. De eodem.

Append. Cod. Theod. p. 143.

Digitized by Google

Christo omnium solidatur dignitas sacerdotum. Quod ipse dilectionis tuæ litere Apostolorum summum, Petramque fidei & cælestis dispensatorem mysterij creditis sibi clauibus beatum Petrum Apostolum confitentur. Cúmque Acacianæ communionis contagia eradi præcepisset, subdit: *Non hoc velut imperiosus impono, sed vt conscientiam meam conuenienter expediam, ne commisse vobis diuinitùs oues, non sine vestro discrimine, quod absit, perire sinantur.* Sublucet & Imperatorem & Episcopum CP. de imperiosâ Sedis Apostolicæ authoritate inuidiam ipsi feciſſe. Sed quis non intelligit vtris assentiendum sit, fidem euertere molientibus, an defendentibus? licentiam grassandi amplificantibus, an cohibentibus? Obicem inexpugnabilem summæ authoritatis, quo fides & Ecclesia sospitatur, disiicere molientibus, an propugnantibus? Conspirant sanè Nouatores nostrorum temporum inopini cum Eutychianis, & Eutychianæ communionis tenacibus, quando vno cum ipsis impetu & consilio arcem illam Apostolici principatûs lacessunt, quâ vnâ Eutychianæ reliquiæ fractæ, dissipatæque sunt. Quanquam autem premerent, & humanitate plurimâ temperarent tunc Romani Episcopi, suum, hoc est, Petri principatum, non tamen vnquam dissimularunt.

XXII Idem efficitur ex Liberato & aliis historicis.

Conueniendi nunc nobis, qui rerum tunc temporis gestarum monumentis literarum memoriam ad nos propagarunt. Liberatus in breuiario Nestorianæ & Eutychianæ causæ, cap. 18. de Ioanne illo eodem Episcopo Alexandrino, qualicumque, sed Catholico tamen agens: *Ioannes Talaia electus de Sede Alexandrinâ propter Petrum Moggum, ingressus est ad Calendionem Patriarcham Antiochenum. Et sumptis ab eo intercessionis synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, sicut & beatus fecit Athanasius: & suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano Episcopo. Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit.* Ergo ad Iulium appellauerat olim Athanasius, seu quod in idem recidit, ad eum vt ad summum causarum ecclesiasticarum iudicem, & Canonum defenso-

ed by Google

rem confugerat. Ergo conſultu & ope tertiæ Sedis, ſecunda Sedes primam appellat. Num hæc iuriſdictio non eſt? Pergit ille: *Acacius ſuſceptis epiſtolis Simplicij, reſcripſit ei, quia Ioannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum, Petrum verò Moggum ſuſcepiſſet in communionem, in Zenonis Principis Vnitiuo: & quod hoc citra eius geſiſſet ſententiam, propter vnitatem Eccleſiarum, Principis iuſſione. Simplicius verò ſuſcipiens huiuſmodi literas, contriſtatur aduersùs Acacium; eique reſcribit, quòd non bene fecerat, præter ſententiam Apoſtolicæ Sedis, ad communionem hæreticum hominem ſuſcipiens.* Summam fidei & communionis Catholicæ adminiſtrationem vendicauit ſibi ſemper, vt vides, Sedes Apoſtolica. Quod obſcurius ſi ſit in priori tumultuatione Orientalis Eccleſiæ, in causâ fuit tempeſtas acerbiſſima, & perturbatio rerum omnium deſperatiſſima. Functo interim Simplicio ſuccedit Felix. *Ioannes verò Talaia habens Epiſcopi dignitatem remanſit Romæ, cui Papa Nolanam dedit Eccleſiam*, &c. *Abſceſſerunt quidam à Petri Moggi communione, & Romam nunciauerunt Papæ Romano, vnde reſcriptum eſt Acacio, & obedire noluit*, &c. Et infrà: *Cùm per quinque annos ſæpius fuiſſet admonitus Acacius, vt de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ ſollicitudinem ſancti Papæ releuaret, nihil vnquam reſpondere dignatus eſt.* Et tandem: *Vbi ad plenum detectus eſt Acacius hæreticus, Papa Felix in literis ſuis ſynodicis ad Acacium, ſic poſuit: Peccaſti, ne adiicias & de prioribus ſupplica. Suſceptis his Acacius literis perſeuerat, neque recedens à communione Petri, neque ſuadens ei palam ſuſcipere Chalcedonenſe Concilium, & tomum Papæ Leonis. Hæc cognoſcens Papa Felix, damnationem ſcriptam miſit Acacio*, &c. *Qui tamen vſque ad mortem patrocinante Imperatore remanſit ſacrificans.* Caligat in meridie, quiſquis hîc non videt vniuerſalem, & in omnes orbis Eccleſias iure ſuo ſe porrigentem iuriſdictionem, idque in ſalutem Eccleſiæ alioqui labaſcentis. Nec potuiſſe declinari vim, & pondus huius iuriſdictionis, niſi patrocinante Imperatore, qui tunc & fidem dilapidabat, & hæreſin perſpicuè tuebatur.

XXIII. Deeodem ex Euagrio.

Euagrius lib. 3. cap. 18. *Cùm libelli Felici à Ioanne contra Acacium, quòd contra Ecclesiæ ritum cum Petro communicauerat, deque aliis facinoribus ab eo contra Canones admissis, dati erant: mittuntur à Felice ad Zenonem Vitalis & Misenus Episcopi, vt eius authoritate tum Concilium Chalcedonense confirmaretur: tum Petrus vt hæreticus Episcopatu pelleretur: tum denique Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Ioannes ei obiectasset, redditurus.* Et mox: *Cyrillus, qui Acoëmetis præerat, mittit ad Felicem, quò eum, cùm tam grauia peccata contra veram fidem admissa essent, insimularet tarditatis.* Et iterum: *Extant epistola tum à Cyrillo, tum ab aliis Monasteriorum Constantinopolis præpositis, tum ab Episcopis & Clericis Ægypti contra Petrum, vtpote hæreticum, & eos qui cum eo communicabant.* Et cap. 21. *Creuere res ista sermone Symeonis monachi Acoëmetæ, missi à Cyrillo ad Felicem. Nam Misenus & Vitalis ab eo facre reprehensi, propterea quòd cum hæreticis communicarant, idque cùm nomen Petri palàm in sacris tabulis recitaretur. Quòdque eâ ratione multi simplices homines in errorem ab hæreticis inducerentur, qui affirmare non dubitarunt, Petrum ab Episcopo Romano in communionem admissum esse.* Subiicitur sententia Concilij Romani in Misenum & Vitalem vibrata, item in Petrum *hæreticum, iam pridem sacræ cathedræ sententiâ condemnatum*, denique in Acacium. Prominent & hîc vestigia legitimæ iurisdictionis, 1. cùm libelli porrigantur à secundæ Sedis Episcopo aduersùs Acacium. 2. Cùm citetur Acacius, vt rationem reddat de obiectis criminibus. 3. Cùm à clericis monachisque Constantinopolitanis culpetur tarditatis Felix Papa, vt qui contator sit, & legitimâ potestate vti, necessarioque summi Iúdicis munere fungi tandiu cesset. 4. Cùm Episcopi Ægyptij aduersùs populatorem secundæ Sedis ad primæ Sedis confugiant Antistitem. 5. Cùm denique causam fidei inclinatam incumbere Romano Episcopo vni, intelligant fideles omnes tum Constantinopoli, tum in Ægypto; & didito in vulgus falso rumore, Romanam Ecclesiam Petro communicare, creduli

Digitized by Google

huic famæ ſimpliciores quique, ſtatim ei communicare incipiant, quos in id flagitium non inflexerat Sedium omnium Orientalium authoritas.

XXIV. Ex breuiculo hiſtoriæ Eutychianorum.

Iam prodeat Breuiculus hiſtoriæ Eutychianiſtarum à Simundo editus, ſeu Geſta de nomine Acacij. Concinunt omnia cum ſuprà decerptis ex Breuiario Liberati. *Defuncto Timotheo Epiſcopo Ioannes œconomus, Catholicus à Catholicis ordinatur Epiſcopus. Qui cùm de conſuetudine maiorum ad Apoſtolicam Sedem ſynodica ſcripta miſiſſet: ſuperueniente Vranio ſubadiuuâ, & contra Iaannem iam Epiſcopum ſacra Principis deferente, ab Epiſcopatûs illius confirmatione Papa ſuſpenſus eſt. Et quia in iiſdem ſacris de reſtituendo Petro, quem ipſe damnauit, fecerat mentionem, hæc pars omnino eſt abnegata. Vnde videtur clementiſſimus Imperator aſſenſus. Cùm ergo ſanctæ memoriæ Papæ Simplicy nihil totiens ad Acacium directa, propter Alexandrinæ Eccleſiæ quietem & Catholicæ fidei integritatem ſcripta proficerent, ſuperuenit idem ſanctus Ioannes Epiſcopus, qui ſicut decebat, ab Apoſtolica Sede ſuſceptus eſt. Nam & priores eius ſimiliter Romanæ Eccleſiæ tempore perſecutionis ſuffugium popoſcerunt.* Et infrà memorat miſſos à Felice Conſtantinopolim legatos, *ſub hâc inſtructione, vt Petrus de Alexandrinâ pelleretur Eccleſiâ, & vt libello ſancti Ioannis Epiſcopi Alexandrini reſponderet Acacius.* Denique *habitâ Synodo Felix Vitalem & Miſenum ab officio & communione ſuſpendit, Acaciumque damnauit.* Cuius damnationis executionem non proceſſuram renitente Imperatore facilè coniectans, illam ita concluſit, *ſancto Spiritu exequente.* Iuriſdictionis argumenta nec obſcura hæc ſunt. Nam 1. electus in Epiſcopum Alexandrinum *confirmari ab Apoſtolica Sede* ambit ipſe, intercedit Imperator; ſententiam aliquandiu librat Sedes Apoſtolica. 2. Iam inuaſerat inſidebatque Sedem Alexandrinam Petrus, & tamen adhuc Acacius, adhuc Imperator de eo *reſtituendo* apud Romanum Pontificem inſtabat. Nempe donec ab Apoſtolicâ Sede confirmaretur, adulter, non ſponſus erat Eccleſiæ. 3. Ioannes more maiorum ſuorum, more Athanaſij ad

Romanam Ecclesiam confugit, quod idem est acsi cum Liberato dictum esset, *Appellauit.* 4. Citatur, damnaturque Acacius in eâdem Synodo cum Vitali & Misseno. Vbi iurisdictio vna & indiscreta patentissimè cernitur.

XXV. Ex libro Pontificum.

Liber Pontificum Romanorum in Simplicio: *Sub huius Episcopatu venit relatio de Græciâ, ab Acacio Constantinopolitano Episcopo, & affirmauit Petrum Alexandrinæ vrbis Eutychianistam hæreticum, factâ petitione ab Acacio Episcopo, chirographo eius constructâ. Eodem tempore fuit Ecclesia prima, hoc est, Sedis Apostolicæ executrix. Tunc Simplicius hoc audiens damnauit Petrum Alexandrinum, eò quòd Acacius innumerabilia mala affirmabat, ita tamen, vt pœnitentiæ reseruaret tempus.* In Felice & Gelasio synodicè damnatum Acacium perhibet. Quæ etsi temporum ordini non satis constent, Apostolicæ tamen Sedis iurisdictionem apertè produnt. Nec te moueat, si antè perdiu fluctuati sunt Orientales Catholici, quàm ad Romanam confugerent Sedem. Nam Eutychianis & Episcopis & Principibus vbique furiantibus, in tanta rerum omnium vertigine minùs mirum est, si consilij inopes diu vacillarint. Sed tum demum & sibi & Concilio Chalcedonensi consuluere, cùm in tutissimum se recepere portum Romanæ Ecclesiæ. Vnde Anastasius historiæ Græcæ interpres: *At verò, qui erant ex regia vrbe, necnon & de Oriente, deprecati sunt Felicem Romanum Episcopum, significantes Acacium esse malorum authorem. Inter quos & Ioannes Alexandrinus eadem dicens, Romam profectus est.*

XXVI. Refellitur exceptio Nouatorum, Acacium retinuisse Sedem post damnationem.

Perinsulsum est autem, quod regerunt Nouatores, nec Acacium à munere suo & Sede depulsum esse, nec Ioannem Alexandrinæ Cathedræ compotem factum, nec iurisdictioni huic Romani Episcopi, vel Principem, vel Episcopos Orientis paruisse. Iamdudum cespitant in eo Sectarij, quòd facta & iura non dispescunt, exitialia & salubria Ecclesiæ consilia nihil discriminant: imò quæcumque fidei orthodoxæ, & Ecclesiæ, & Synodorum œcumenicarum aduersarij ausi, molitique sunt, aduer-

Digitized by Google

sùs vindices earundem & patronos, ea ipsi lambunt, ea suspiciunt & amplexantur. Contempsere Sedis Apostolicæ authoritatem Petrus Alexandrinus, Acacius Constantinopolitanus, Zenon, Anastasius, aliique: sed iidem fidei Catholicæ & Synodo Chalcedonensi terga vertêre; vtque impunè hoc possent, illud ausi sunt; qui si Sedi Romanæ obsecuti essent, à fide & Synodo œcumenicâ vtique non defecissent.

XXVII. De eodem ex Facundo Hermian. Victore Tununensi, & Theophane.

Ad hæc, non metienda sunt ex improborum iudicio vel contumaciâ, potestatum ecclesiasticarum iura: sed ex fidelium, ex proborum sensu, ex Ecclesiæ ipsius vniuersalis consensu, ex posteritatis limpidiore censurâ post enubilatas intestinorum dissidiorum tenebras. Itaque accipe quæ de his differat Facundus Hermian. aduersùs Mocianum: *Nam & cùm Acacius Constantinopolitanus Episcopus aliquid aduersùs authoritatem Synodi Chalcedonensis auderet, solâ inimicis ipsius Synodi communione permissâ; præuidens Apostolica Sedes, quòd sicut exitus docuit, hæc remissio ad destructionem Concilij memorati pertenderet, (postea quippe Zeno Imperator, qui eis communionem præberi mandauerat, à minoribus ad maiora prosiliens, ipsum Concilium promulgato spreuit edicto:) eundem Acacium quamuis prædicto Zenone resistente, damnauit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Episcoporum nunc vsque damnatus est.* Subdit à communione Apostolicæ Sedis alienos fuisse Orientales omnes, *quia Zeno Sedis Apostolicæ decreta contemnens, Acacio communicabat*, itemque Anastasius Imperator, *donec principis Iustini temporibus, Acacij damnationi subscriberent.* Subiicit rursum, *Ecclesiam Romanam reconciliasse Orientis Ecclesias, & eas in communionem sub debita satisfactione recepisse: non autem Ecclesias Orientis Romanam Ecclesiam reconciliasse.* Item Apostolicam Sedem, *non ipsam pro facto schismate fuisse culpabilem, non schismaticos fuisse Occidentales:* Sed ex aduerso *Apostolicam Sedem aliis culpam dimisisse:* Et infrà rursus eximiè commendat, *in Chalcedonensis Concilij causâ, dudum nobis præbitum in Acacio à tantis Præsulibus Apostolicæ Sedis*

exemplum: vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione firmatum. Vbi vides non id ponderandum, quòd Acacium damnante Apoſtolicâ Sede tueatur Zeno; ſed quòd reſiſtente Zenone damnet Acacium Sedes Apoſtolica. 2. Non id quod Zenon, Anaſtaſius, & alij iſtiuſmodi ab Acacij damnati communione non ſe abrumpant; ſed quòd mortuus quoque Acacius per libellos ordinandorum poſt centum ferè annos adhuc damnabatur. 3. Non id quod Orientis Eccleſiæ annis quadraginta extorres fuerint à Romanæ Eccleſiæ communione, ſed quòd cogentibus nefariis Principibus fuerint ad id compulſæ; quòd eam communionem ſæpe ambierint, nec impetrarint: quòd eam tandem annitente Iuſtino conſecutæ ſint ſubſcribendo damnationi Acacij: quòd non ipſis Romana Eccleſia, ſed ipſi Romanæ Eccleſiæ reconciliati ſint: quòd nonniſi ſub debita ſatisfactione in communionem recepti ſint: quòd interim ſchiſmatici fuiſſe agnoſcantur. 4. Non id denique ſpectandum quod alicubi, aliquandiu, ab aliquibus vituperandis hominibus ſpreta ſint decreta Sedis Apoſtolicæ; ſed quòd ab orthodoxis interim etiam in Oriente in pretio, Occidentalibus ſemper omnibus in honore fuerint, ſerenatâ denique Repub. Chriſtianâ, *vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione firmata ſint.* His accedat Victor Tununenſis in Chronico: *Felix Romanæ Eccleſiæ Præſul Monachis & Clericis per Orientem, Ægyptum, & Bithyniam commorantibus ſcribit, vt Petrum Alexandrinum Epiſcopum Chalcedonenſis Synodi obtrectatorem, & eius communicatores tanquam hæreticos vitent.* Et rurſum mox: *Orientales Epiſcopi præter paucos per Henoticum Zenonis, communione atque conſenſu polluti, Petri Alexandrini, Petri Antiocheni, & Acacij Conſtantinopolitani Epiſcoporum, Synodo Chalcedonenſi renuntiant.* Et rurſum: *Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus literis Felicis Romanæ Eccleſiæ Præſulis admonitus, vt à damnatorum Synodi Chalcedonenſis communione atque ſocietate abſtineat, legatos eius cuſtodiæ mancipat.* Et mox: *Acacius Conſtantinopolitanus, Petrus Alexandrinus, Petrus Antiochenus Epiſcopi, Chalcedonenſis*

Chalcedonenſis Synodi inimici, à Felice Romanæ Eccleſiæ Præſule & Synodo in Italiâ factâ, damnantur: & ipſâ damnatio Acacio Conſtantinopolin legatis miſſis per monachos monaſteriorum Achimitenſium, Baſiani, atque Pÿ ingeritur. Et denique: *Petrus Antiochenus ſub damnatione moritur, &c. Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſub damnatione moritur, &c. Petrus Alexandrinæ incubator Eccleſiæ ſub damnatione moritur.* Coniuratas vides in excidium Chalcedonenſis Synodi cum ipſo Imperatore peſtes, poſt damnationis ſententiam Romanâ ex arce intortam, incubare quidem adhuc Orientalibus ſedibus, ſed omnes tamen *ſub damnatione mori.* Itaque Victori Epiſcopo ne in mentem quidem venit, dolere aut ſentire contemptam ſententiam Apoſtolicæ Sedis: ſed illam perſuaſiſſimus ratam, & nullâ humanâ vi infirmandam, fidenter pronunciat, omnes eâ perculſos, *ſub damnatione* obiiſſe. Quibus & hæc ex Theophanis Chronographiâ quadrant præclariſſimè: *Orientis Epiſcopi cum Acacio per literas conqueſti ſunt, quod Mongo communionis conſortium impertiiſſet. Ille ſpretis eorum monitis, Mongum eundem in communionem admittere impudentiſſimè cunctos compulit. Cives autem regiæ vrbis & cuncti Orientales Felicem, qui poſt Simplicij obitum Romanam Sedem tenebat, ſupplices adierunt, & malorum omnium authorem incuſauerunt Acacium. Interea Ioannes Antiochiæ Præſul hæc eadem denuncians, Romam ingreditur. Felix itaque Synodo in Coryphai Apoſtolorum Petri templo coactâ, Zenoni & Acacio literis ſignificat, vt Petrum Mongum ceu hæreticum Alexandriâ eiiciant.* Narratâque mox legatorum Felicis defectione, addit: *Felix cognitis legatorum ſuorum geſtis, Eccleſiæ dignitate eos deiecit, Acacioque parem depoſitionis ſententiam ſcripſit.*

Si paucos enim nebulones, ſi præſentia tempora, ſi nubila procellarum perpendas tantùm; & inde ſuſpendas iudicium; in eandem calumniarum voraginem præcipitabis indubiè œcumenica omnia penè Concilia, & ipſam Eccleſiam Chriſtianam. Quanti enim & quandiu XXVIII. De eodem.

illuſere Nicænæ Synodo, & Epheſinæ primæ & Chalcedonenſi? Imò in contemptum Sedis Apoſtolicæ, nec Acacius, nec Petrus Epiſcopi, nec Zenon, nec Anaſtaſius Imperatores efferbuerunt, niſi vt impuniùs Chalcedonenſem Synodum deteſtarentur. Exordia ipſa Chriſtiani nominis quanto, & quàm diuturno habita ſunt ludibrio? Sed perfregit tandem portas Inferi Eccleſia, ſæculorum decurſu crebreſcens & conualeſcens; victrices de mendacio triumphauere plaudentibus poſteris Synodi œcumenicæ; vlta eſt iniurias Apoſtolicæ Sedis religioſa poſteritas, ſuamque illi etiam in anteceſſum refudit authoritatem *vniuerſalis Eccleſiæ conſenſio.* Non ad has ergo temporis & loci tantas anguſtias coartandus eſt animus noſter, oculuſque de fide luminatus: ſed in vniuerſalis Eccleſiæ æternitatem infinitatemque quandam latiſſimè explicandus eſt. Ita Nicolaus I. cùm in exemplo conſimili iactaret Michaël Imperator nequiquam damnatum ab eo Photium, reſtitutum Ignatium, epiſt. 9. *Sed dicis, ô Imperator, etiam ſine conſenſu noſtro, Photium & Eccleſiam retenturum, & Eccleſiæ communionem habiturum: Ignatium verò nihil per nos meliorationis adepturum. At nos è diuerſo credimus, quòd Eccleſia Chriſti ſacros Canones & præcipuè Nicænos, non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, vt hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. Credimus etiam, quòd diu membrum incolume non ſubſiſtat, hærens membris Capiti non hærentibus. Poſtremò credimus quod cætera membra, ſi tamen affectant viuere, Caput quandoque ſequantur.* Et infrà: *Quotquot autem in ipſa communione Sedes Apoſtolica tenuit, aut dum viuerent, ab Eccleſiâ ſunt vniuerſâli recepti, aut poſtmodum ab eâ ſummâ celebritate retenti. Præterea illos in quorum damnatione non conſenſit, ſingulari prærogatiuâ diſſoluit.* Petrum à Simone Mago contemptum, Victorem ab Aſianis interſerit. *Felix quoque Papa Conſtantinopolitanum Acacium non ſolùm depoſuit, verùm & inſolubilibus anathematis vinculis innodauit. Sed adeo eſt contemptus, vt idem Acacius, mundi Rectorum tuitione protectus, etiam nonnullis Re-*

Digitized by Google

manis Pontificibus decedentibus, & officio ſacerdotali iuxta præcedentem conſuetudinem fungeretur: & exceptis paucis, omnium Orientalium communione frueretur. Contemptum hunc ſuæ Sedis non diſſimulat, non extenuat, ſed vltro etiam exaggerat Nicolaus, nempe vt redundaturum ad incrementum gloriæ. Nam *licèt ſerò, licèt poſt multos ſudores, mundus totus tamen quandocumque ea defendit, quæ Petrus contra Simonem defendiſſe dignoſcitur: ea damnat, quæ illum damnaſſe deſcribitur.* Similiter quod ad Victorem attinet, *Eccleſia tota nunc cum illo ſapit, & quod fecit, laude prædicat dignum.* Et denique quod ad Acacium pertinet, *Propitio Chriſto, Sedis Apoſtolicæ Pontificibus indefeſſè certantibus, à Catholicis iugi fatigatione remotâ, tandem aliquando ad B. Felicis ſententiam eſt Eccleſia tota conuerſa. Et quia prædictus Acacius non eſt inuentus ſuperſtes, conſequenter nomen eius in Eccleſiâ taceri ſancitum eſt. Sed & tu, Imperator Orthodoxe, de ipſo nunc cum Sede Apoſtolicâ ſapis, qui ſi illo tempore fuiſſes repertus, pro eo contra eam, vt & in hâc causâ, fuiſſes fortaſſe accenſus.* Vniuerſim enim Chriſtus, Eccleſia, Synodus œcumenica, Sedes Apoſtolica, fides, veritas ipſa denique oppugnari poteſt, expugnari non poteſt: obnubilari poteſt aliquandiu, non extingui. Imò tantò ſplendidior tandem diradiat, quò denſioribus nebulis aliquandiu ſe circumfundentibus delituit. *Sed quia veritas tegi funditus humanis non poteſt conatibus, &c. Idcirco Sol iuſtitiæ radios ſuos fortaſſe mittens, & nebulam diſſipauit erroris, & veritatis paulatim lumen oſtendit. Sicque demum quantùm illi defenſores Eccleſiæ rectè ſapuerint, & iſti nequiter oberrauerint, tandem euidenter innotuit.* Et epiſt. 10. idem: *Ita vt contra ſingulos errores in Eccleſia exortos prior hæc Eccleſia ſecundùm primatûs ſui authoritatem ſententiæ terminum dederit. Et ita demum vniuerſalis Eccleſia, licèt aliquando per aliquantulum temporis in quibuſdam reluctata ſit, quæ illa tamen probauit, quandoque probauerit: & quæ illa refutauit, ipſa refutauerit.* Plura inferiùs in huius rei confirmationem coaceruabimus, vbi ſub Hormiſdâ Pontifice, & Iuſtino Principe

exequemur Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ cum Romanâ reſartam concordiam.

XXIX. Eadem Papæ poteſtas in iudicandis Patriarcharum cauſis arguitur ex Gregorio Magno.

Nunc pauca libet ex Gregorio Papâ addere, vt ex ipſo liqueat, quî Romano Pontifici Antiſtites ſummarum, ſeu patriarchalium Sedium, & quodammodò adæquentur, & tamen ſubiiciantur. In his enim verbis Gregorij lib. 7. epiſt. 65. ingens ſibi præſidium Nouatores ſui erroris imaginantur, quibus reapſe potiùs eorum pertinax inſcitia nudatur. Sic enim Gregorius de Primate Byzaceno in Africâ: *Nam quod ſe dicit, Sedi Apoſtolicæ ſubiici, ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubiectus non ſit. Cùm verò culpa non exigit, omnes ſecundùm rationem humilitatis æquales ſunt.* Et rurſus idem lib. 7. epiſt. 30. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum: *Indicare veſtra beatitudo ſtuduit, iam ſe quibuſdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur, dicens, Sicut inſiſtis. Quod verbum Iuſſionis, peto, à meo auditu remouete; quia ſcio, quis ſum, qui eſtis. Loco enim, mihi Fratres eſtis: moribus, Patres. Non ergo iuſſi, ſed quæ vtilia viſa ſunt, indicare curaui. Non tamen inuenio veſtram beatitudinem, hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intuli, perfectè retinere voluiſſe. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere; & ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto, dulciſſima mihi ſanctitas veſtra vltrò non faciat. Quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plusquàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt, honor vniuerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt, fratrum meorum ſolidus vigor.* An ergo dum exæquat ſibi Gregorius cæteros Patriarchas, imò Epiſcopos, Sedis ſuæ principatum & ſummi Iudicis poteſtatem ſibi abrogat? Minimè gentium.

XXX. Summa doctrinæ Gregorij.

Nam 1. Eulogij ipſius Alexandrini nequaquam aſpernanda ſententia eſt, cuius præclara eruditionis & pon-

tificiæ fortitudinis monumenta neminem prætereunt. Ille enim à Gregorio iussum se interpretatus est, ne vniuersalis Patriarchæ nomine decoraret, vel inflaret potiùs Episcopum CP. & veluti iussus morem gessit, & iubenti se paruisse professus est; & ipsum denique vniuersalis Papæ nomen Constantinopolitano Episcopo abiudicatum, Gregorio vendicauit. Ita officij sui numeros implere se arbitratus est Eulogius, intercessit autem Gregorius, vt ne vllos ipse humilitatis numeros præteriret. 2. Fratres sibi ait Gregorius, & æquales esse Patriarchas cæteros, sicut nimirum Cyprianus, Leo, Ambrosius, Gelasius, Hieronymus, reliquos Apostolos Petro exæquarunt. At iidem tamen ipsi ibidem continuò, vt antecerteretur schismatis occasio, Caput necessariò constitutum à Christo fuisse definiunt. Ergo illa æqualitas ita temperanda, vt Caput membris emineat; nec solo nomine, sed eâ omni, quam nomen Capitis insinuat, potestate muniatur ad schisma amoliendum, quod sola vtique nominis vel confessûs gloria non propulsaret. Nam summis inter se quandoque concertantibus Episcopis, Athanasio & Eusebio, Cæciliano & Maiorino, Chrysostomo & Theophilo, Flauiano & Dioscoro, Ioanne Talaida & Acacio: intestinam hanc & internecinam membrorum suorum conflictationem componere nequaquam poris erit Petrus Petrique Sedes, nisi totâ capitis maiestate, & iurisdictione cumuletur. 3. In prælaudatis verbis ambitionem solam nominum deprecatur Gregorius, non potestatem. *Iustinus* verba, *vniuersalis* nomen repudiat. Non iubet, sed vtilia indicare curat. Negat vniuersalis nomen sibi præscribendum, at supremos Antistitum totius orbis apices admonet officij sui, peccantes obiurgat, territat. Gloriolam ergo vocum inanem spernit, retinentissimus interim potestatis suæ. 4. Cumque *superba vocabula* retentaret Ioannes CP. Episcopus, videsis complures ad eum Gregorij eâ de causâ increpatorias, & comminatorias epistolas. Inde plùs satis intelliges, quantùm sibi potestatis

in omnes orbis Episcopos iure suo vendicaret. Itaque vt Africani Patres in Archiepiscopi, ita Gregorius in Vniuersalis vocabulo, solam nominis insolentiam, nouitatem, arrogantiamque detestabatur, non legitimam potestatem. Quanquam vtriusque vocis adhærentem tunc ex nouitate inuidiam, & superbiæ speciem, consuetudo tandem & vetustas absterserit. 5. Disertissimè Gregorius l. 7. epist. 64. *Nam de Constantinopolitanâ Ecclesiâ quod dicunt, Quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.* Hæc ille iis respondet, qui querebantur, quasi *Ecclesiam Constantinopolitanam dispone ret comprimere.* 6. Vbi culpa non exigit, ait Gregorius æquales esse, sed *omnes* Episcopos, sed *secundùm rationem humilitatis.* Ergo non Patriarchæ tantùm exæquantur Romano Antistiti, sed omnes prorsus Episcopi & Metropolitanis, & Primatibus & Patriarchis. Illa porrò æqualitas nihil officit iurisdictioni metropoliticæ aliorum in alios. Nam quis tantum scelus affingat Gregorio? Quis ab eo ordinem ecclesiasticæ disciplinæ, ab Apostolis, à Synodis constitutum labefactari deliret? Ergo nec Patriarcharum cum Romano Præsule æqualitas, huius in illos iurisdictionem & metropoliticum ius infirmabit. 7. Ideo cautè Gregorius æquales pronunciauit omnes Episcopos, non secundùm potestatis, sed secundùm humilitatis rationem. Etsi ergo potestate dispares, humilitate pares sint. Et ea est humilitatis indoles, vt exæquet inæquales, non maiorum potestatem præfocando, sed premendo gloriam, & vbi nihil opus est, authoritatem dissimulando. Ita Christus secundùm humilitatis rationem, non venit ministrari, sed ministrare: & in medio Apostolorum erat, sicut qui ministrabat. Potestate tamen immaniter eminebat. Ita Magistros & Patres vocitari vetuit, nempe quò fastum deiiceret, non quò salubrimum, & his nominibus coniunctum amputaret imperium. Vnde abrogato fastu, & resecto supercilio,

XXXI. Quo sensu dicat Gregorius, æquales esse omnes Episcopos, vbi culpa non exigit.

non imperium tantùm, sed & nomen ipsum Patris & Magistri in Ecclesiâ retentatur, sicut & Iussionis & Vniuersalis. Vbique enim id valet, vt præcepti non sonus, sed sensus: non cortex, sed medulla teneatur. 8. Tum æquales ait Gregorius omnes esse Episcopos, *quando culpa non exigit.* Ergo quando culpa exigit, tunc inæquales necessariò sunt, vt peccantes à maioribus corripiantur; & ni resipiscant, animaduertantur. At quando in culpam prolabitur quis, non tunc ista demum emergit inæqualitas. Nec enim quo facinore alteri illinitur culpa, alteri authoritas culpæ vltrix paratur. Sed quæ, cùm culpâ nullâ prouocaretur, latitabat, & humilitatis nubilo splendorem suum premebat potestas superior: ea emicat tum demum, & prosilit, cùm sceleri obluctandum est. Denique non tantùm opprimenda est culpa, superioris manu iurisdictionis, postquam ebulliit: sed & eiusdem metu occupanda, & præuertenda est. 9. Ideo scitè Gregorius, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ subiectus non est? Omnes ergo orbis Episcopi, infimi, perinde & summi, dum in culpâ sunt, tunc ei subiiciuntur. An ergo tunc subiici incipiunt? Nihil insulsius fingi potest. Sed vt Paulus ait, Iustis non esse legem positam, sed iniustis, cùm vtrisque lex immineat, & iustitiæ præceptrix, præmiatrixque: & iniustitiæ dehortatrix, vltrixque. Et idem Paulus: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causâ gladium portat.* Quanquam ergo bonis peræquè & malis dominetur Lex æterna, Lex humana, Deus, Princeps; iustus tamen quodammodò sub lege non est, nec timore agitur, sed ipse sibi lex est, & vltro ad bonum sese agit. Si quando autem peccet, tunc sub lege, & sub legis executore magistratu est, nempe terrente, sæuiente, puniente. 10. Cùm Christus dominationis inuidiosum supercilium ab Ecclesiâ suâ sustulit, cùm dominari in Cleris Episcopos ve-

tuere Apostoli, cum Clericorum in laïcos regimen humilitas Christiana temperat: non tamen ordo & disciplina proteritur, non maiorum in minores sollicitudo & potestas strangulatur. Itaque incolumi & intaminata humilitatis norma, quàm clerici de laïcis, Episcopi de Clericis, Metropolitæ de Episcopis, de Metropolitis Patriarchæ: tam de Patriarchis ipsis Romanæ Sedis Pontifex, pro sua potestate & legitima iurisdictione iudicabit. Vna in his omnibus vel valet, vel infringitur regula. Ideoque Gelasius opusculo de anathemate sapienter prorsùs pronunciat, *Cùm de secundæ Sedis ageretur Antistite, nec ab inferiore qualibet, sed à primâ Sede, iurè posset absolui. Inferior quippe potiorem absoluere non potest. Sola ergo potior inferiorem conuenienter absoluit. Proinde inferioris loci Pontifices, quia nullatenùs se nouerant potiorem sibi sine primâ Sede se posse resoluere, præcipuè quem eius sententia nouerant obligatum: præuaricatoriâ absolutione, non illum penitus exuerunt, sed se præuaricatione potiùs nexuerunt.*

XXXII. Superiora ex Gregorii ipso egregiè illustrantur.

Diluceſcet rursum mens Gregorij, ex Ioanne Diacono, qui l. 4. vitæ eius cap. 29. verbis circa quæ desudamus, hæc præloquitur: *Authoritatem quorumlibet summorum Pontificum Gregorius authoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potiùs multipliciter roborabat. Et quamuis inter culpabiles authoritatem sui prioratûs agnoſceret, tamen inter insontes Episcopos se præbebat prorsùs æqualem.* Quæ mox illustrat Ioannes doctrinâ Gregorij ipsius in lib. curæ pastoralis. *Liquet quod omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diuersitas, quæ accesſit ex vitio, diuino iudicio dispensatur, vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero.* Et infrà idem Gregorius: *Potestatem rectè dispensat, qui sollicitè nouerit, & æqualem se cum illâ cæteris cernere, & tamen se peccantibus zelo vitionis anteferre. Petrus authore Deo, Ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio immoderatiùs se venerari recusauit, dicens, Ego ipse homo sum. Sed cùm Ananiæ & Sapphiræ culpam reperit, mox quan-*

tâ

tâ potentiâ ſuper cæteros excreuiſſet, oſtendit. Quibus ſuperior noſtra commentatio mirificè confirmatur. Non Romani enim Pontificis modò, ſed omnium prorsùs Antiſtitum, imò & publicorum Magiſtratuum, Regumque, & Imperatorum principatum complectitur illa Gregorij regula: *omnes homines naturâ æquales genitos, alios aliis culpâ poſtpoſitos eſſe: hanc diuerſitatem, quæ ex vitio acceſſit, diuino iudicio diſpenſari, vt alij regantur ab aliis.* Itaque quiſquis piè imperat, citra compugnantiam, & *æqualem* ſe cogitat cæteris, & tamen *peccantibus anteferre ſe zelo vlticnis nouit.* Nec hinc ſubruuntur fundamenta politicæ poteſtatis, quæ *diuino iudicio* & nutu conſtituta eſt ad ordinandas peccantium ruinas: nedum epiſcopalis, nedum primæ Sedis, quæ *authore Deo, Eccleſiæ principatum tenet;* & vbi culpam reperit, (quam non cuiuſlibet eſt vlciſci, ne aliorum in alios hæc non prouida poteſtas ſit, ſed tumultuaria graſſatio) tunc non adipiſcitur, ſed *oſtendit quantâ potentiâ ſuper cæteros excreuerit.* Vides vt hebeſcant aduerſarij Eccleſiæ, tum maximè cùm acutuli ſibi videntur in doctrinâ Gregorij; cuius ne corticem quidem lambere, nedum medullam guſtare & ſapere potuerunt.

XXXIII. Anteriorum Patriarcharum, Cæciliani, Dionyſii, Athanaſii, Petri, Chryſoſtomi, Neſtorii, Flauiani, Ioannis exempla obiter replicantur.

Non libuit hîc autem priorum memoriam temporum reuoluere, quòd ſuis ſigillatim locis oſtenſum ſit, nuſquam ritè ſuis Sedibus maiorum gentium Epiſcopos vel excuti potuiſſe, vel reſtitui, niſi Sedis Apoſtolicæ iudicio. Quod vt ſummatim perſtringam, ita perſpicuè Auguſtinus de Cæciliano Carthaginenſi Pontifice, epiſt. 48. *Cùm apud Imperatorem vltro Cæcilianum accuſaſſent Donatiſtæ, quem primò vtique apud collegas tranſmarinos conuincere debuerant, &c.* Et lib. de vnit. Eccleſ. c. 2. *Reſtabat vtique vt Epiſcopi tranſmarini, quâ pars maxima diffundebatur Eccleſiæ Catholicæ, de Afrorum Collegarum diſſenſionibus iudicarent.* Tranſmarinos Epiſcopos nemo, niſi valde hoſpes in Auguſtini libris, & veteris diſciplinæ rudis, aliud quàm Romani Pontificis Synodum interpretabitur. Sed ſuam ipſe

Digitized by Google

sententiam elucidat Augustinus, epist. 162. *Cùm posset Cæcilianus non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in quâ semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Et mox: *De collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reseruare.* Et in Psalm. 86. Cæciliani accusatorem obiurgans: *Noluit Cæcilianus exire ad maiores tuos, & sic seruauit causam suam orbi terrarum: quomodò tu seruasti Concilio Numidiarum. Si innocentem te reddidit Sedes Bagaitana: quantò potiùs illum Sedes Apostolica?* Et infrà: *Tu purgasti te apud Bagai? Purgauit se ille in transmarino iudicio. Consensit huic iudicio vniuersus orbis terrarum.* Quibus ex omnibus id nimirum eniteſcit, orbis terrarum, Transmarinum, Sedis Apostolicæ iudicium, vnum idemque esse, cui causam suam reseruauit, à quo purgatus est Cæcilianus. Quibus gemella sunt ista de Athanasio & Petro Alexandrinis Episcopis, Sedi suæ similiter Apostolicæ Sedis, Italiæ & Occidentis iudicio assertis, ex epistolâ Ambrosij & cæterorum Episcoporum Italicæ Synodi ad Theodosium Imper. *Sicut & sanctæ memoriæ Athanasius & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse iudicium viderentur.* Vbi & mox censent de controuersiâ duorum CP. Episcoporum, esse debere *in vrbe Româ nostrûm, Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, &c.* Vtrique nimirum exploratissimum erat, Athanasio inquam, & Petro, quod ipsemet prodidit Athanasius, Dionysium prædecessorem suum apud cognominem Romanum Pontificem, & accusatum fuisse, & causam suam scriptâ apologiâ prosecutum esse. Parco refricare, quæ superioribus dissertationibus vberiùs sunt disceptata, Chry-

Append. Cod. Theod. ep. 5.

L. de decret. Nicæn. Synodi Et de sent. Dionysii.

Digitized by Google

ſoſtomum Concilio œcumenico & Innocentio cauſam ſuam reſeruaſſe, & ab iſto reſtitutum eſſe: Neſtorium & ante Synodum, & per Synodum ipſam Epheſinam vna potiſſimum Cæleſtini Papæ authoritate diſcinctum eſſe: Ioannem Antiochenum Romani Præſulis iudicio in eadem Synodo eſſe reſeruatum: Flauianum CP. Epiſcopum ab Epheſina ſecunda Synodo ad Leonem Papam prouocaſſe, & ab eodem reſtitutum eſſe ante Synodum Chalcedonenſem. Et ne longum faciam, neve exemplorum ſerie faſtidium creem, regulam ipſam de Conſtantinopolitano Epiſcopo iudicando repetam ex Theodoro Studitâ, qui eo ſcribebat æuo, quo reliquos Patriarchas Orientales longo poſt ſe Conſtantinopolitanus reliquerat interuallo. Sic ergo ille l. 2. ep. 129. *Fieri nullâ ratione poteſt, vt coaleſcat hac Eccleſia, non conſentientibus quinque Patriarchis. Quòd ſi roget quiſpiam, quo pacto id fieri poſſit? Si excedant, inquam, Eccleſiis Dei heterodoxi, & propriam Sedem recipiat Nicephorus ſacer Patriarcha. Qui cacto eorum conuentu, cum quibus certamen ſuſtinuit; ſi fieri non poteſt, vt ab aliis Patriarchis adſint vicarij; (quod certè fieri poteſt, ſi velit Imperator Occidentalem intereſſe, cui & poteſtas ſumma defertur Synodi œcumenicæ) attamen pacem conficit & coniunctionem, Synodicas ſuas ad primæ Sedis Præſulem mittendo. Quòd ſi hoc minimè probet Imperator, deflexitque, vt ipſe ait, à veritate Nicephorus Antiſtes: mittenda eſt ad Romanum ex vtraque parte legatio, & inde fidei accipienda certitudo.* Vbi vides conuenienter noſtris ſuprà placitis, vbi Patriarcharum cauſa ventilatur, in votis eſſe Synodum œcumenicam, quinque Patriarcharum præſentiâ, vel legatis nobilitandam. Si eius non fiat copia, vnum primæ Sedis Præſulem vices eius & munia implere, fidem dictare, de Patriarchis decernere. Quippe vt ait Hincmarus Rhemenſis Præſul Concil. Duziac. 1. part. 2. cap. 26. *Apoſtolica Sedes omnium eſt Eccleſiarum in toto orbe terrarum mater & magiſtra; cuius Pontifex Patriarcha eſt Patriarcharum, & Primas Primatum.*

DISSERTATIO XV.

IN

CONCILIA ROMANA

SVB SYMMACHO PAPA,

Anno Christi 500. 501. 502. 503.

SYNOPSIS.

Astruitur illud Primæ Sedis priuilegium, vt à nemine iudicetur: congestis argumentis ex his primùm Synodis, itemque ex Apologetico Ennodij. Num. I. II. III. IV. Ex Auito Viennensi Episcopo, & Ecclesiæ Gallicanæ consensu. Num. V. VI. In œcumenicâ Synodo parem vim habent ea argumenta. Num. VII. Diuini iuris ex fontibus scatet hæc prærogatiua. Num. VIII. Idem euincitur exemplo aliorum Pontificum, Damasi, Sixti, Pelagij, Leonis, Paschalis, Hadriani, vsque ad num. XIII. Alia argumenta ex Nicolao I. Hadriano II. Synodo octauæ. Num. XIV. XV. XVI. Cassa Synodus in Ioannem XII. Num. XVII. Rursus Gallicanæ consensus Ecclesiæ & Germanicæ. Num. XVIII. XIX. In causâ Schismatis & Hæreseos paulò aliter sentiendum. Num. XX. XXI. Tenetur Pontifex suspiciones diluere, & se purgare. Num. XXII. XXIII. Sententia Gersonis & Nicolai de Cusa expenditur. Num. XXIV. XXV. Antedictorum omnium confirmatio ex Gregorio Papa I. Num. XXVI.

I. Primam Sedem à nemine iudicari, probatur primò ex Synodo Romana sub Symmacho.

SVPERIVS disputatis de summi Pontificis iudiciariâ in omnes, & in summos maximè Episcopos potestate, coniuncta est hæc quæstio, an à quoquam ipse possit iudicari. Primam autem Sedem à

nemine iudicari, ſtatim profitentur Synodi tertiæ Romanæ ſub Symmacho Patres. Cauſante enim Theodorico Rege, *ad ſe de Papæ Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata; & in Synodi oportere, ſi vera eſſet inimicorum eius obiectio, indicatione conſtare:* Excipiunt Epiſcopi, *Ipſum qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum conuocare, &c. Nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubiacuiſſe iudicio, in propoſitione ſimili, facilè forma aliqua teſtaretur.* Reſpondit Princeps, *Ipſum quoque Papam in colligendâ Synodo voluntatem ſuam literis demonſtraſſe:* quod & Symmachus ipſe mox confirmauit, & *authoritatem ordinis corrigendi, ſicut poſcebant eccleſiaſtica ſtatuta, in omnium, qui ibidem conuenerant, Epiſcoporum præſentiâ ſe dare profeſſus eſt.* Quanquam autem præſto eſſet Symmachus *cauſam dicere* in Synodo, *affectu purgationis ſuum culmen humilians*, ſæuitiâ & cædibus aduerſariorum prohibitus eſt. Quocirca Epiſcopi, reſpondente Rege, *In ſynodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reuerentiam de eccleſiaſticis negotiis pertinere;* totam cauſam *Dei iudicio reſeruarunt, arbitrio diuino dimiſerunt*, Symmachum Eccleſiæ reſtituerunt.

II. Probatur item ex Apologetico Ennodii.

Verùm cùm in Synodos iſtas, & in illud Primæ Sedis priuilegium, vt à nemine iudicetur, inuidia & maledicentia conflagraſſet, Apologeticum ſcripſit Ennodius Ticinenſis poſteà Epiſcopus, è quo carpere hæc breuiter non pigebit. *Faceſſat, qui in vobis eſt, pruritus iſte linguarum. Non nos B. Petrum, ſicut dicitis, à Domino cum Sedis priuilegiis, vel ſucceſſores eius, peccandi iudicamus licentiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem, cum hereditate innocentiæ miſit ad poſteros. Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conuerſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ à loci decceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat. Præneſcit enim, quid Eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quem ipſa moles innititur.* Illa itaque iudicij ſuperioris expers impatienſque

Digitized by Google

ſummitas, non impunitatem ſcelerum, ſed innocentiam conciliat. Nam *Petri ſucceſſor, fundamentum Eccleſiæ, is ſuper quem ipſa moles inniti tur*, vt præclarus & innocuus, vel eligatur, vel electus euadat, intereſt ad Prouidentiam Chriſti, pro Eccleſiâ ſuâ excubantis. Et rurſus aduersùs eos, qui muſſitabant in hunc modum: *Si vera eſt Epiſcoporum aſſertio, Sedis Apoſtolicæ Præſulem minorum nunquam ſubiacuiſſe ſententiæ, cur ad iudicium diſtricta conuentione productus eſt?* Reſpondet annoſam cauillatorum iſtorum infantiam vel hoc vno Scripturæ verbo retundi poſſe: *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in eâ? &c.* Addit & Chriſtum, & in Chriſti ſectatoribus præcipuos quoſque, maximè Athanaſium, etſi innocentiæ ſuæ ſibi conſcios, iudicio ſe tamen humano vltrò inclinaſſe: *Redemptor noſter iudicium, quod inter ſe & vineam ſuam optat euenire, magis implorat. Sanctus Athanaſius ad coronæ pretium iunxit, quod de dignitate ſubmiſit: & ante cæleſtem de abſolutione ſententiam, perſonam rei innocentiæ bonus æſtimator impleuit. Sic enim Chriſti milites ſudore ſuo honorum ſibi incrementa parturiunt, dum conceſſa faſtigia celſiore humilitate caſtigant. Sed quamuis beatum Athanaſium Romano Antiſtiti, quantum noſſe datur, imparem locus oſtendat, factò tamen in negotio comparantur. Ille præſto fuit iudicibus: iſte quantum & vos dicitis, aduocauit. Ille intentatam diſcuſſionem, vt Dei famulus, non refugit: iſte triumphi ſui ſpem in diſcuſſorum collectione conſtituit. Sed quid his longiùs collationibus immoremur? Iudicia & iſte voluit, armauit, attraxit, ingreſſus eſt: & quod poſſet fidelia corda doloris iuſti aculeis excitare, venerando Concilio authoritatem etiam contra ſe, ſi mereretur, indulſit.* Ergo vt Athanaſius innocentiæ præſidio fretus, minorum aliquando ſe ſponte ſubiecit iudicio: vt Petrus & Paulus, imò vt Chriſtus, vt Deus, etſi & innocentiâ, & authoritate ſupra omnem humani iudicij aleam collocatus, ſponte tamen ſuâ iudiciariam in ſe prouocauit examinationem: ita Symmachus Athanaſio loco maior, Petri & Pauli ſucceſſor, Chriſti optimi maximi vicem gerens,

Digitized by Google

authoritatem etiam contra se Concilio indulsit.

III. Rursus ex eodem.

Cauillantibus rursum: *Quare Papa Synodum conuocauit, vt de criminum eius obiectione cognosceret? Quomodò de causâ primitus tractabatur, cùm necdum haberet Synodus firmitatem?* Respondet Ennodius: *Hinc eramus nempe dubij, quia non habebat Synodus firmitatem. Transibat negotij qualitas auditu-rum. Et plus adhuc remanserat in reuerentiâ pulsati, quàm esset in nostri integritate collegij.* Denique ne pergant huic Primæ Sedis priuilegio succensere, ita illud munire satagit diuinæ patrocinio institutionis. *Dico latorem iuris, definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi. Et nisi Princeps fastigij summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, ius vocatur. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cælo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitionibus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum vtitur teste, quo iudice. Dices forsitan, omnium animarum talis erit in illâ disceptatione conditio. Respondebo, vni dictum, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et, Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Et rursum sanctorum voce Pontificum, dignitatem Sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, vbique submittitur: dum totius corporis Caput esse designatur. De quâ mihi videtur dictum per Prophetam, Si hæc humiliatur, ad cuius fugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram?* Denique quasi ex ipso Petri ore hæc personat: *Filij hominum vsquequò graues corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus capitis fundamenta subruere? Quid canum possessionis genium, illius qui per culpas iuuenescit, ariete pulsatis: & diuisione ecclesiastici gregis, nouis me & post carnem passionibus subingatis? &c.*

by Google

IV. Summa rationum Ennodii.

Vbi aduerte 1. prærogatiuæ huius, vt nullius nisi Dei iudicio subsit Prima Sedes, originem deriuari à Christi voce, à Petri merito, à Capitis dignitâte. Christus enim illis verbis, *Tu es Petrus, &c. Quæcumque ligaueris, &c.* omnem Petro superstruendo Ecclesiam subiecit, non præfecit: eique indulsit, vt ligaret, non vt ligaretur. Petri item dignitas innocentiæ comes propagata in successores eius est, in quibus ipse quasi superstes viuit vsque, iudex vtique, non iudicandus. Denique Capitis est, suo membra, non se membrorum iudicio subiugare. 2. Canum possessionis genium, sanctorum voces Pontificum obtendi ab Ennodio, vel à Synodis potiùs Romanis, quibus constet nullum vnquam Romanorum Pontificum Synodi vllius examine subactum fuisse. Itaque priuilegio diuinitùs concesso, præscriptio etiam accedit. 3. Cùm nulla rata sit, & germana Synodus, nisi à Romano Præsule conuocetur, confirmeturque; quâ demum in Synodo legitimè in ipsum inquiretur? An mendicata enim ab ipso authoritas, in ipsummet retorquebitur? An per Synodum à se collectam & authoratam, iudex ipse erit idem, qui reus? 4. Quæ leges ecclesiasticæ, qui Canones depromentur in disceptandâ Romani Præsulis causâ, cùm cassi & inutiles sint, nisi ab ipso sanciantur, vel confirmentur? At frustrà Princeps ad illud, quod dedit, ius vocatur: nec lator legis lege constringitur, nisi volens lubensque. 5. Etsi de summo Pontificatu certamen esset, etsi & argumentis & telis densissimis impeteretur Symmachus, etsi iniquissimo vteretur arbitrio Principis. Catholicâ ab Ecclesiâ alieni: causam tamen obtinuit, consensitque Synodo Theodoricus, primæ Sedis causas Deo iudici reseruandas. 6. Aut quibuslibet in quoslibet permittenda est iudicandi potestas, & ita mox intestino cæcoque tumultu collidentur ima summis: aut obtinebit, quod hactenus vbique gentium per leges à naturâ magistrâ hominibus informatas obtinuit, vt minores maiorum iudicio subiaceant, non vicissim. At inde

Digitized by Goog

inde illud naſcitur, vt maiores tandem ipſi iudices vni ſummo iudici conſpicuo ſiſtantur, cui denique immineat inconſpicuus iudex Deus. Hoc poſtremum conſultius ſanè eſt, & ad diſſidia cohibenda opportunius. 7. Quòd iudicio Dei reſeruantur Petri hæredes, non ad ſcelerum licentiam inultam pertinet. An impunè enim peccare ſuſpicabimur eum, qui Deo vtitur factorum & teſte & iudice? Quin perpendimus quantò formidoloſius ſit humano iudicio diuinum? 8. Peccanti Pontifici non venia datur iudicij, ſed mora. Non arcetur diſtrictio, ſed differtur. Paci autem Eccleſiarum moras donare quis abnuat? Et has moras penſabit vtique diuini acerbitas iudicij. 9. Hæc Capitis noſtri gloria in corpus omne redundat. Nam ſi qualibet Synodo poſſit Princeps exauthorare ſummum Eccleſiæ Pontificem, quantam hinc vniuerſali Eccleſiæ ominabimur ſeruitutem? Quantam canonicæ libertatis ſtragem? Perſtrinximus id iam alicubi, quod alibi copioſiùs ediſſeremus, Omnium Eccleſiarum priuilegia & libertates aduersùs ſæcularis iuriſdictionis torrentem, non alio ferè præſidio niti & conſtare, quàm inconcuſſo Sedis Apoſtolicæ priuilegio. Ergo ſi hæc Sedes humiliatur, ad cuius fugietis auxilium?

V. Idem oſtenditur ex epiſtolâ Auiti, & Eccleſiæ Gallicanæ conſenſu.

Ne Ennodij autem, vel Synodi Romanæ eam fuiſſe ſententiam tibi fingas, aſſentiebatur Chriſtianus orbis vniuerſus; imò inclinatiore in Sedem Apoſtolicam deuotione ſuperabat. Id de Gallicana Eccleſia docebit nos Auitus Viennenſis Epiſcopus, & inde ductâ coniecturâ cæterarum Eccleſiarum conſenſionem facilè aſſequemur. Ad Senatores ergo Vrbis ſcribens epiſt. 31. ſe nomine vniuerſæ Gallicanæ Eccleſiæ ſcribere ita præfatur: *A cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipſum non minùs per mandata, quàm per literas oneratus, quæcumque à vobis omnes ambimus, vnus ſuggerenda ſuſcepi.* Tum cauſam ipſam aggreditur, *Dum de cauſâ Romanæ Eccleſiæ anxianimi ac trepidi eſſemus, vtpote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes: quos omnes vna criminatio vtique ſine inuidiâ mùl-*

ttudinis percuſſerat, ſi ſtatum Principis obruiſſet : perlata eſt ſollicitudini noſtræ ab Italiâ in exemplaribus ſacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud Vrbem collecti Italiæ Antiſtites ediderunt. Quam conſtitutionem licèt obſeruabilem numeroſi reuerendique Concily reddat aſſenſus, intelligimus tamen ſanctum Symmachum Papam, ſi ſæculo primùm fuerat accuſatus, Conſacerdotum ſuorum ſolatium potiùs aſciſcere, quàm recipere debuiſſe iudicium. Quòd ſicut ſubditos nos eſſe terrenis poteſtatibus iubet arbiter cæli, Staturos nos ante Reges & Principes in quacumque accuſatione prædicens : ita non facilè datur intelligi, quâ vel ratione, vel lege, ab inferioribus eminentior iudicetur. Conquerantur ergo alij de Romanæ Synodi propenſione, & reuerentiâ in Symmachum, & in Apoſtolicum priuilegium : expoſtulat ex aduerſo Eccleſia Gallicana de nimiâ penè Synodi Romanæ licentiâ : & profitetur 1. in *vertice* ſuo *ſtatum* omnium Epiſcoporum laceſſi, & nutare : ſtatu & criminatione *Principis* multitudinem omnem Epiſcoporum implicari. 2. Principe ſæculi in iudicium vocante Symmachum, parere quidem debuiſſe Pontificem, cùm Chriſtus, cùm Apoſtolus ſæuituros in Eccleſiam Reges prædixerit : at Epiſcopos Pontifici ad ſolatium, non ad iudicium accurrere debuiſſe. 3. Præter rationem, præter leges eſſe, ab inferioribus eminentiorem iudicari.

VI. Rurſus indidem.

Et confeſtim ibidem Auitus : *Nam cùm Apoſtolus clamet accuſationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in præcipuum generalis Eccleſiæ, criminationibus licere cenſendum eſt? Quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens, cauſam quam, quod ſaluâ eius reuerentiâ dictum ſit, penè temerè ſuſceperat inquirendam, diuino potiùs ſeruauit examini : perſtringens tamen prout breuiter potuit, nihil vel ſibi, vel glorioſiſſimo viro Theodorico Regi, de his quæ Papæ dicebantur obiecta, patuiſſe. Quibus cognitis, quaſi ſenator ipſe Romanus, quaſi Chriſtianus Epiſcopus obteſtor, &c. ne minùs diligatis in Eccleſiâ veſtrâ Sedem Petri, quàm in ciuitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus veſtri conſilio rem vide-*

tis, non ea tantummodo, quæ Romæ geritur, causa cogitanda est. Sed in sacerdotibus cæteris potest si quid fortè vacauerit, reformari. At si Papa Vrbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare. Vbi cernis 1. Synodum Romanam non debuisse tantùm causam Romani Episcopi Deo reseruare, sed ne illam quidem suscipere inquirendam. 2. Si Paulus suis quoque presbyteros muniuit priuilegiis, num Episcopus, num *præcipuus generalis Ecclesiæ* nullis gaudebit supra Presbyteros, supra etiam Episcopos? Peruersum id fuerit, summos priuilegiis destitui, à quibus & infimi ea extorquent. 3. Sedes Petri in Ecclesia eo est loco, quo apex mundi in Vrbe. Vtrobique de Principe nemo iudicat. Quanquam enim Ambrosius scribat Imp. Valentiniano epist. 32. *Cùm præscripsisti alijs, præscripsisti & tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Idem tamen in Psal. 40. sic ait: *Ipse etsi legibus quasi Rex, non teneretur humanis, Deo tamen obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit.* Et in Psal. 118. Oct. 16. *Etsi Rex leges in potestate habet, vt impune delinquat; Deo tamen subditus est, qui nulli debet. Imò plus ipse debet, cui plus commissum est.* 4. Cùm exordium & origo Episcopatûs sit Petrus, Petrique sedes, in Symmacho *non Episcopus, sed Episcopatus* periclitabatur. Nam vacillante capite, corpus totum labascit. 5. Denique vt idem subdit, *Reddet rationem, qui ouili dominico præest, quâ commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: cæterùm non est gregis Pastorem proprium terrere, sed indicis.* Decretum porro illud Romanæ Synodi quod ab Auito perstringitur, istud est: *Decernimus vt Symmachus Papa Sedis Apostolicæ Præsul, quantum ad homines respicit, quia totum constat diuino arbitrio fuisse dimissum, sit immunis & liber, &c.* quod & adhuc in ea Synodo legitur, quæ quarta & Palmaris inscribi debet.

Porro illud in antedictis effulgebat, ne in vniuersali quidem, siue œcumenicâ Synodo Symmachum iudicari potuisse. Quæcumque enim vel ab Ennodio, vel ab A-

VII. Nec in œcumenicâ Synodo de primâ Sede iudicium ferri potest.

Digitized by Google

uito, vel à Concilio ipso Romano dicta sunt, ea parem vim habent aduersùs Synodi œcumenicæ iudicium. Nam 1. Synodus Romana non suam excusauit infrequentiam, non Episcoporum paucitatem, non vniuersalis Synodi congregatione opus esse dixit, sed absolutè rem Deo reseruauit. 2. Et qui de Synodi Romanæ decreto mussabant, non illis in mentem veniebat, saltem vniuersalis Synodi coalitionem implorare. 3. Quòd impunè peccaturos causarentur, qui nullo humano coërcerentur iudicio, id peræquè amoliebatur Synodi vniuersalis sententiam. 4. Quod Ennodius ait, Petri, eiusque successorum id esse priuilegium, vt innocentiam cælo tantùm debeant, non debebunt ergo vel œcumenicæ Synodo. 5. Non inultum fore idem pollicetur, si quid peccet Romanus Antistes. An quòd iudex futura sit Synodus œcumenica? An potiùs quòd Deo teste, eodemque iudice peccet? 6. Non auferri ait, sed differri de peccante Pontifice iudicium. An ad œcumenicam vsque Synodum? Imò ad diuinum vsque examen. 7. Æquè œcumenica Synodus à Pontifice conuocanda & confirmanda est. Quare nec in ipsum, nisi ab ipso impartitam distringet authoritatem. 8. Æquè œcumenica Synodus membrorum collectio est, etsi longè plurium. Quorum non est de suo vertice iudicare. 9. Æquè œcumenica Synodus ouile & grex est, etsi numerosior. Nec gregis est de Pastore iudicare, sed iudicis. 10. Nihilò seciùs in generali ac in particulari Synodo, ab inferioribus eminentior iudicabitur. 11. Nihilò minùs non Episcopus, sed Episcopatus ipse vacillabit: & in laceſito vertice status episcopalis in discrimen vocabitur. 12. Æquè in œcumenicâ Synodo frustra Princeps in ius vocabitur quod ipse dederit; nec legi suæ, nisi lubens subiicietur. 13. Æquè in œcumenicâ Synodo, si primæ Sedis vanescant priuilegia, cæterarum prærogatiuæ Sedium, quæ ab illâ proficiscuntur & conseruantur, pariter inanescent. 14. Denique si diuini iuris est, quod cùm cæ-

Digitized by Google

serorum hominum causæ per homines terminentur: Sedis istius Præsulem Deus suo sine quæstione reseruauit iudicio: aduersùs iuris diuini sanctionem nec œcumenica Synodus dimicabit.

VIII. Et hoc diuini iuris priuilegium est.

Quod autem non cano tantùm possessionis genio, non Canonum constituto, sed iure diuino fultum inconcussumque stet istud primæ Sedis priuilegium, iisdem ferè authoribus & testimoniis liquet. Nam 1. non Romana Synodus, non Ennodius, non Auitus Canones vllos, vel Synodos promit huius authores prærogatiuæ. Et Ennodius quidem in operosissimo Synodi Apologetico Canones profert, ad alia quædam iuris ecclesiastici capita roboranda. Auito quoque Canonum peritiam defuisse nemo cordatus facilè suspicabitur. Cùm ergo ne Sinuessanam quidem Synodum in causâ Marcellini Papæ tam accommodatam, tam peremptoriam vsquam hîc laudari videamus: nondum fortè ea fabula tunc quidem excusa fuerat. 2. Vix aut nec vix potest istiusmodi priuilegium cuiquam, à Synodo vel Canone vllo indulgeri. An potest enim Ecclesia suum ipsa ius eiurare? An potest potestatem suam obruere? An potest non posse, quod potest? An potest antiquitas posteritati, hoc est, Ecclesia sibi ipsi derogare? Saltem reuocare posset, quod concessisset antè: & diffingere opus ipsa suum. Atque ita etsi non iudicaretur fortè, iudicari tamen posset ab inferioribus eminentior. 3. Vt diuino iure prima est Sedes, ita diuino iure id obtinet, vt ne inferioribus subiiciatur. Diuinâ enim, & naturaliter nostris mentibus anticipatâ lege cautum est, vt regantur & iudicentur à minoribus maiores, non vicissim. 4. Quòd non sit gregis pastorem proprium terrere, sed iudicis: quòd qui ouili dominico præest, rationem reddat Domino, non gregi: diuini id instituti est. 5. Quòd vertex sit Sedes Petri, in quo statuis ipse Episcoporum lacessatur: quòd Princeps sit, in quo non Episcopus, sed Episcopatus impetatur: diuinæ id quoque originis est. 6. Vbi hæc quasi ex Petri ore in-

tonat Ennodius: *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subuertere?* His satis apertè Christi institutionem significat. 7. Vbi idem rursum gannientibus diuino iudicio sistendos omnes aliquando Episcopos, & eosdem tamen interim ecclesiasticum examen subire: excipit *Vnū dictum, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Quæcumque solueris, &c.* Satis dilucidè diuino ex fonte hanc dotem primæ Sedis haurit. 8. Hoc Ennodius vult Petri fuisse priuilegium, & ab eo in hæredes transfusum. Et garrientibus aduersariis, ergo peccandi licentiam effrænem à Domino indultam Petro, negat ille indultam peccandi licentiam à Domino, indultam astruit innocentiam, vel innocentiæ reuerentiam.

IX Idem rursus probatur ex Synodo Romanâ, in causa Damasi.

Nunc ad alia festinemus eiusdem speciei exempla. Vrsicini accusationibus impetitum olim fuerat caput Damasi Papæ: subornâti accusatores, impacta crimina, *ea fraude videlicet, vt dum causam dicit, qui in omnibus iudex fuerat constitutus, nemo esset, qui de lapsis, vel certè de factiosis posset Episcopatus inuasoribus iudicare;* vt ad Gratianum Imperatorem scribit Synodus Romæ in eam rem collecta. Et ibidem infrà: *Memoratus frater noster Damasus, quoniam in suâ causâ vestri tenet insigne iudicij, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogatiuâ tamen Apostolicæ Sedis excellit, vt iudiciis publicis videantur esse subiecti: quibus sacerdotale caput lex vestra submouit, &c. Ad prædicandam Episcopi conscientiam seueritoribus se dedit ipse iudiciis sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, &c. Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestra magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat; nec derogare cuiquam, sed principibus arrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum; vt Episcopus Romanus, si Concilio eius causa non creditur, apud Concilium se imperiale defendat. Nam & Siluester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Et de Scripturis similia exempla suppeditant, quod cùm à Præ-*

Append. Cod. Theodos.

ſide Paulus Apoſtolus vim pateretur, Cæſarem appellauit, & ad Cæſarem miſſus eſt. Ergo ex Ambroſij, ex totius Romanæ Synodi ſententiâ, peruerſum id erat, & aduerſariorum fraude expugnatum, *vt cauſam diceret, qui in omnibus iudex fuerat conſtitutus.* Eo non obſcurè innuitur hoc primæ Sedis ius. 2. Idem non dubitandum eſtrui circumſpectis his infrà vocibus, vbi dicitur Damaſus *ſenerioribus ſe deduſſe ipſam iudicis Sacerdotum:* nempe ad diluendas vel leuiſſimas ſuſpicionum nubeculas. 3. Si autem Concilio non creditur epiſcopali cauſa Epiſcopi Romani, id orant vt ſaltem ne apud Præſides vel Magiſtratus, ſed apud Imperiale Concilium ea examinetur. Quod diſpenſatiuè dici indubium eſt. Suboffenduntur enim, quòd eius cauſa Concilio epiſcopali non credatur. Deinde aiunt expreſsè Damaſum id petentem, non ſibi præſtare, ſed Principi: Principi id arrogare. Ad hæc iudiciis publicis Gratianus exemerat ſacerdotale caput. At Concilium Imperiale ſeu Conſiſtorium numerari vtique debet non inter ſacra & eccleſiaſtica, ſed inter ciuilia & publica iudicia. Adde quod Paulus non appellauit ad Cæſarem, niſi cùm vim pateretur à Præſide. Ne in iuris ergo regulam rapiatur illico, quod vis expreſſit. In diſcrimina enim ſe grauia non rarò demergunt, qui fugitant grauiora. Denique ſuprà ediſſeruit in pari negotio Auitus Viennenſis, quomodo Apoſtoli & Epiſcopi ſtarent ante Reges & Præſides, ab illis iudicandi. Nimirum quod & Ennodius docuit, iure remiſſo, & rationibus temporum accommodato, vti Chriſtus ad ſæculare tribunal vocatus eſt. 4. Denique aiunt Romanæ vrbis Epiſcopum, cæteris Epiſcopis etſi æqualem munere, ſed *prærogatiuâ Sedis Apoſtolicæ* excellentiorem, vberioribus gaudere debere priuilegiis.

X. Item ex Synodo Romana in cauſa Sixti Papæ.

Ex Synodo quoque, quâ non diiudicatio, ſed purgatio Sixti III. Papæ facta eſt, aliqua delibanda. Impacto enim illi per calumniam ſtupro Chryſogonitis conſecratæ, *Auguſtus & mater eius ſuſpenderunt ſe à communione, &c. Sixtus ſciens, quòd ab eius communione multus populus ſe*

ſegregaret, venit in baſilicam beati Petri Apoſtoli, dicens, Si delicta mea contra me ſunt ſemper, probatio quare non fit. Et cœpit omnis vrbana plebs clamare, vt dicta eius Auguſtus & Clerus vrbis Romæ probarent examine. Et congregauit Valentinianus vniuerſum Senatum vrbis Romæ. Et Sixtus congregauit Presbyteros vrbis Romæ & Clerum, nec non & monaſteria ſeruorum Dei, &c. Introiuit Epiphanius Presbyter, & dixit cum lacrymis, Fiat probatio, vt Eccleſia non maculetur. Reſpondit Maximus Exconſul, & dixit: Non licet aduersùs Pontificem dare ſententiam. Reſpondit Sixtus, & dixit: Quanquam in meo arbitrio ſit, iudicer; an non iudicer: tamen meo iudicio non abſcondatur veritas. Tandem ſurrexit Auguſtus, *Et dedit in arbitrio Sixti Epiſcopi, vt iudicaret iudicium ſuum. Et diſceſſerunt cum Auguſto omnes.* Hîc aduertis 1. præcurrere ipſum Pontificem, vt ſui purgandi ſibi fiat copia, non ad id ab Auguſto, non à populo cogi. 2. Synodum ſeu Cleri cœtum ab ipſo conuocari, non ab Auguſto. 3. Vna ab Auguſto congregari Senatum, vt purgatio hæc intelligatur eſſe, non iudicium. 4. Id totum eò ſpectare, vt iniquis ſuſpicionibus *non maculetur Eccleſia:* non vt legitimæ iuriſdictioni campus aperiatur. 5. Primum proſilire Exconſulem & conteſtari, quod *non liceat aduersùs Pontificem dare ſententiam.* 6. Profiteri Sixtum ipſum, in ſuo arbitrio eſſe, iudicetur, aut non iudicetur. 7. Auguſtum & Senatum omnem ſuffragari. 8. Id totum confirmat epiſtola Sixti III. *Scitote me criminari à quodam Baſſo, & iniuſtè proſequi. Quod audiens Valentinianus Auguſtus, noſtrâ authoritate Synodum congregari iuſſit. Et facto Concilio cum magnâ examinatione ſatisfaciens omnibus, licèt euadere ſatis potuiſſem, ſuſpicionem tamen fugiens, coram omnibus me purgaui.* Cuius tamen epiſtolæ fides nutat.

XI Item ex ſpontanea purgatione Pelagii.

Et hæc quidem ante Symmachi Papæ tempora. Poſteà autem rurſus Pelagius Papa primus, cùm velut mortis Vigilij Papæ reus obliquis rumoribus laceraretur, ita ſe purgauit, vt narrat liber vitæ Pontificum. *Et monaſteria, & multitudo religioſorum & ſapientum nobilium ſubduxerunt*

ſe

se à communione eius, dicentes, quia in morte Vigilij Papæ se immiscuit, vt tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses & Pelagius Papa consilio inito, datâ litaniâ, à sancto Pancratio, cum hymnis & canticis spiritalibus, venerunt ad sanctum Petrum Apostolum. Qui Pelagius tenens Euangelia, & crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium. Ita ergo ille sine figurâ iudicij infamiam effricuit iniquissimè sibi illisam.

Eodem penè ritu innocentiam & maiestatem suam tuitus est Leo III. de quo hæc narrat Anastasius in eius vitâ. *Fecit Rex Carolus congregari in Ecclesiam Petri Apostoli Archiepiscopos seu Episcopos, Abbates, & omnem nobilitatem Francorum atque Romanorum, &c. vt crimina, quæ aduersùs Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui vniuersi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates vnanimiter audientes, dixerunt, Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsâ nos omnes, & Vicario suo iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonicè obediemus. Venerabilis verò Præsul inquit: Prædecessorum meorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.* Alia verò die in eâdem Ecclesiâ & eodem cœtu, *amplexus sacra Christi quatuor Euangelia coram omnibus ascendit in ambonem, & sub iureiurando clara voce dixit, Quia de istis falsis criminibus quæ super me imposuerunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto omnes Archiepiscopi, Episcopi, &c. dederunt laudem Deo.* Nec absimilis fuit Paschalis I. purgatio, qui geminæ cædis suspicione aspersus, coram legatis Ludouici Pij, *se ab huius pacti communione, cum magno Episcoporum numero, iureiurando purgauit*, vt loquitur Eginhardus.

XII. Item ex Synodo Romanorum & Gallorum, in quâ se Leo III. purgauit: itemque Paschalis.

Minùs pompatica, præclarissima tamen fuit ea ratio, quâ se Hadrianus II. apud eundem Anastasium purgauit, cùm suspectus esset quibusdam, quasi acta Nicolai Papæ

XIII. Item ex purgatione Hadriani II.

Digitized by Google

reuocaret. Eâ enim de causâ *ſuſpenderant ſe ab eo per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum Gentium ſeruorum Dei, per id tempus Romæ commorantium.* Quibus ille ad refectionem vocatis, & poſt epulas in faciem procidens, ita velut *Patribus, Fratribus, Filiis* ſatisfecit, vt *cuncti famuli Domini, videlicet Hieroſolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Conſtantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi Principum fungebantur, diutino ſtupore attoniti*, ad agendas Deo gratias proruperint.

XIV. Idem multipliciter à Nicolao Papa I. probatur.

Prolixè verſatus eſt in hac cauſa Nicolaus Papa I. ep. 8. ad Michaël. Imp. vbi iſtud velut à Syluestro ſancitum refert: *Neque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo, iudex iudicabitur.* Refert & illud Synodi Sinueſſanæ ad Marcellinum Pontificem, vltro ſcelus confeſſum: *Tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio, &c. Prima Sedes non iudicabitur à quoquam.* Refert & alia his indubitatiora. Nempe illud Pelagij Papæ ad Regem Francorum, obiurgantis, *quod Sabaudum Arelatenſem Epiſcopum, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis Primatûs privilegio & Sedis Apoſtolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati, in iudicium ſequentis ciuitatis Epiſcopi, quod nullâ eccleſiaſticâ lege vel ratione conceditur, iudicandum inſiſſet occurrere.* Illud quoque Gregorij Papæ I. Clero Mediolanenſis Eccleſiæ, *Iudicari a vobis vltrà non debet Prælatus. Sed tanto nunc ſubtiliter iudicandus eſt, (dum eligitur) quantò poſtmodùm iudicandus non eſt.* Illud etiam Dionyſij Areopagitæ ad Demophilum, *qui etiam in cauſa pietatis delinquentem ſacerdotem, nefas ſancit à minoribus vel ab inferioribus iudicari.* Illud item, quod de Sixto Papa iam retulimus. Illud præterea, quod alibi ex Cyrillo, Synodoque Epheſina exſcripſimus, de Ioanne Antiocheno expoſtulantibus, quod in maiorem Sedem, nempe ſecunda in tertiam iudicium arripuiſſet. Illud quoque in Synodo Chalcedonenſi relatum de Dioſcoro ſecundæ Sedis Epiſcopo, qui in primæ Præſulem Leonem aggreſſus eſſet anathema iaculari. Illud item moris eccleſiaſtici

Digitized by Google

inde ſcaturientis, *Hodieque in Eccleſiâ Romanâ, quæ magiſtra eſt omnium Eccleſiarum, impretermiſsè id ſeruatur, vt nullus ſacerdos, maiore ſuo non innuente conſacerdote, cuilibet rei benedicere nitatur. Sed & anterior ſtans ad pronunciandum aliquam lectionem, benedictionem quidem poſtulat, ſed ei quilibet inferior non audet penitùs benedicere.* Illud item de Symmachi impetitione, *cùm Theodoricus hæreſeos Arianæ fœce pollutus Papam Symmachum vſque ad damnationem multis hunc accuſantibus impetere voluiſſet, & quotquot potuit ex Liguriâ, Æmiliâ, Valeriâ, & ex diuerſis regionibus, atque de Siciliâ inſulâ Epiſcopos Romam colligi præcepiſſet.* Epiſcopos ſubdit totum Deo reſeruaſſe, & his verbis ſingulos ſubſcripſiſſe: *Ego huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſam Dei iudicio commiſimus, ſubſcripſi.* Quæ ille omnia eo conſilio coaceruat, vt Ignatij CP. depoſitionem infirmet, in obnoxiorum eius poteſtati Epiſcoporum Synodo decretam. De quo rurſus epiſt. 12. *Quid nequius aut periculoſius, quàm vt diſcipuli manus in magiſtrum iniiciant? Filij viperas imitantes, parentem proprium quantum in ipſis eſt, interficiant? eique maledicere, à quo benedicti ſunt: eum proiicere, à quo ad ſingulorum graduum honorem prouecti ſunt?*

XV. Item ex Synodo Romanâ ſub Hadriano II. aduersùs Photium.

At cùm in Nicolaum ipſum Papam Photius CP. anathema & fulmen ſtupeum vibrare tentaſſet, eâ de re in Synodo Romanâ conqueſtus eſt ſucceſſor eius Hadrianus II. vbi & hæc pronunciauit, quæ cum totâ Synodo relecta ſunt in octaui Concilij œcumenici ſeſſ. ſeptimâ. *Si quidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus iudicaſſe legimus: de eo verò quemquam iudicaſſe non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum: ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus maiorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel prauos ſenſus liberè reſpuendi. Quamuis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quemlibet fas fuerit proferendi ſententiam: niſi eiuſdem primæ Sedis Pontificis conſensûs præceſſiſſet authoritas.* Quibus ea ſubiicit, quæ ſuprà de Symmacho: item de Ioanne Antio-

cheno, *idcirco damnato, quia Cyrillum anterioris, id est, Alexandrinæ Sedis Antistitem damnare non metuit.* His subnectitur Concilij suggestio, in qua hæc habentur: *Dominus dicit, Non est discipulus super magistrum. Præcipit Apostolus, vt omnia secundùm ordinem fiant. Quomodo ergo temeratores isti non sunt facti supra magistrum, quando aduersùs Apostolicam Sedem, quæ caterarum quoque Sedium magistra est, etiam os iniurias euomens aperuisse probantur? Quomodo secundùm ordinem omnia facta sunt, quandoquidem ordine præpostero, de primo secundi, & de antelato posteriores quique conuicia potiùs, quàm iudicia composuisse narrantur?* Tum Ioannis Antiocheni referunt exemplum, itemque Dioscori, sine restitutione damnati, *quod cùm esset posterior, se anteriori prætulit.*

XVI. Item ex octaua Synodo œcumenica.

His octaua ipsa Synodus succinuit, quæ act. 10. Photium damnat, quia *anathematizare præsumpsit beatum Papam Nicolaum, & omnes communicatores eius: ita vt ex hoc etiam vniuersos, qui sub cælo erant, Pontifices & sacerdotes, id est, & cateras Patriarchales Sedes, & omnem sacrum catalogum, qui sub ipsis degit, sub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certissimè communicatores prælati Pontificis.* Et in epist. encyclicâ eiusdem Synodi: *Præsumpsit synodale imaginari iudicium, &c. deposuit inuerecundè, & anathemati submisit beatum Papam Nicolaum, & omnes illi communicantes: neque summitati eius, neque quod magis est, Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad finem constat, vllo modo parcens, quæ videlicet illi magno Pontifici proculdubiò communicabat.* Sed nihil magnificentius Canone ipso Synodi huius octauæ vigesimo primo. *Sed nec alium quemcumque oportet conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romæ, & verba complicare & componere, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum, quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioscorus. Quisquis autem tantâ iactantiâ & audaciâ vsus fuerit, vt secundùm Photium vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis, iniurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moueat, æqualem & eandem, quàm illis, condemnationem recipiat. Porro si Synodus*

vniuerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſanctâ Romanorum Eccleſiâ quanis ambiguitas & controuerſia : oportet venerabiliter & cum conuenienti reuerentiâ de propoſitâ quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audaciter ſententiam dicere contra ſummos Senioris Romæ Pontifices. Obſerua hîc 1. in œcumenicâ Synodo legi, eiuſque actis acta inſeri Synodi Romanæ ſub Hadriano, eoque illam confirmari, quæ ad hoc vnum collimabat, vt prima Sedes à nemine iudicari poſſe intelligeretur. 2. Non poſſe excommunicari ferè Romanum Pontificem, quin Eccleſia vniuerſa, quæ illi, vt capiti ſuo membrorum compago, communicat, & indiuulsè conglutinatur, eidem pœnæ mancipetur. At nihil ſceleſtius, nihil alienius, quàm Eccleſiam catholicam excommunicari, id eſt, ſui ipſius communione ipſam interdici. Vt excommunicari ergo non poteſt Eccleſia, quæ communio ipſa eſt, ita nec communionis centrum. Et in Leone, ac Nicolao patuit, quem exitum habeat excommunicatio aduersùs communionis fontes ipſos vibrata. 3. Ait Synodus temperare debuiſſe Photium, à bruto fulmine in Nicolaum eiaculando, vt parceret tum Eccleſiæ vniuerſæ, tum *ſummitati eius.* Eſt enim Petrus, *Apoſtolorum principaliſſima ſummitas*, vt in eâdem Encyclicâ legitur: tenet *Sedem Petri* Romanus Præſul, vt in Canone dicitur vigeſimo primo. Ergo propter ſummitatem, ſeu quia prima Sedes eſt, nullius ſubeſt iudicio. 4. In Canone iſto cùm Patriarchalium quinque Sedium ordo & priuilegium ſanciatur, ſolius Romanæ Sedis hæc adſeritur prærogatiua, vt non à Dioſcoro, non à Photio, non à quoquam alio examinari poſſit. 5. Ibidem nonniſi in œcumenicâ Synodo diſceptari ſinitur ambiguitas quælibet exorta circa primam Sedem, nempe vbi ipſa per vicarios ſaltem ſuos aderit, & præerit, adeoque authoritatem ipſa aduersùm ſe dabit. Nequaquam autem cæteris patriarchalibus thronis id condonatur, vt in eos non inquiratur niſi in œcumenica Synodo. Præluxerat autem

Hadrianus II. vbi monuerat Honorium Papam in sexta Synodo fuisse damnatum, sed tum demum, cùm eiusdem primæ Sedis Pontificum consensus & authoritas præcessisset. 6. Denique in œcumenica etiam Synodo, si qua nascatur de primâ Sede controuersia, *Oportet venerabiliter & cum conuenienti reuerentiâ scisciari, & solutionem accipere, & proficere, non audacter sententiam proferre contra primam Sedem.* Quod, oro te, quid aliud est, quàm vt prima Sedes purget se & satisfaciat, non iudicetur: vt factitatum est à Sixto, Symmacho, Pelagio, Leone, Hadriano II.

XVII. Irrita Synodus Romana, quæ Ioannem XII. Papam exauthorauit.

Quocirca Illustrissimus Petrus de Marca Ecclesiasticæ disciplinæ penetralia omnia altissimè perscrutatus, non immeritò lib. de Concord. pag. 114. consensit Baronio, Ioannis XII. exauthorationem ab Otthone Imperatore & Synodo Romana tentatam an. 963. cuius acta extant apud Luitprandum, nullius omnino esse momenti. Atque adeo inter dicta Gregorij Papæ VII. hoc circumfertur, *Quòd à nemine iudicari debeat* Romanus Pontifex. Et Petrus Damiani in disput. adu. Reg. & defens. Eccl. Rom. suggillat Synodum Germanorum, quæ Papam damnarat: additque: *Damnatio Papæ tam grauis & inexplicabilis est, vt non humano, sed diuino dumtaxat sit tractanda iudicio.*

XVIII. Ex Ivone idem fusè disputatur.

Denique Iuo Carnutensis Episcopus luculentissimè prorsus epist. 235. de Paschali Papa, qui in laïcorum inuestituras extorto priuilegio consenserat, ita sermonem sententiamque temperat. *Eorum sententiam, qui inuestituras laïcorum defendere volunt, schismaticam iudico, &c. Et quia verenda Patris debemus potiùs velare, quàm nudare, familiaribus & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur Papa, vt se iudicet, aut factum suum retractet. Quòd si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ grauiter languet, dum caput eius laborat, tantâ debilitatum molestiâ. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotauerit, non est nostrum iudicare de summo Pontifice. Habe-*

Digitized by Google

mus enim Euangelicam ſententiam, quæ ſecuros nos facit, Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, Quæ dicunt, ſeruate & facite. Secundùm verò opera eorum nolite facere. Vult enim hæc ſententia, præcepta præſidentium ad cathedram pertinentia, obedienter impleri: etiamſi tales ſint, quales erant Phariſæi: non eos factiosâ conſpiratione à ſuis Sedibus remoueri. Si verò ea præcipiant, quæ ſint contra doctrinam Euangelicam, vel Apoſtolicam, ibi non eſſe eis obediendum exemplo docemur Pauli Apoſtoli, qui Petro ſibi prælato, non rectè incedenti ad veritatem Euangelij, in faciem reſtitit, non tamen eum abiecit. Vbi enim ſuccumbunt humana iudicia, diuina eſt expetenda miſericordia. Et epiſt. 238. idem Iuo, nec non & Vualo Pariſienſis, Ioannes Aurelianenſis, aliique prouinciæ Senonenſis Epiſcopi ad Ioannem Lugdunenſem Archiepiſcopum, à quo inuitati fuerant ad Synodum, qua factum Paſchalis Papæ diſcuteretur; reſcribunt in eandem ſententiam. *Sic Petrus trinam negationem trinâ confeſſione purgauit, & Apoſtolus manſit. Sic Marcellinus Papa deceptus à prophanis thuriſicauit; & tamen à fratribus minimè iudicatus, poſt paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in eremo moram faciente Moyſe in monte propter importabilem populi ſeditionem, vitulum fuſilem fieri permiſit, quem populus inſipiens adorauit, cùm tamen non eſſet ſeductus à populo, vt Dominum eſſe crederet, vel diuinæ culturæ reuerentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus exceſſus, & Domino iubente per manum Moyſi ad ſummum ſacerdotium eſt ſublimatus. Sic Moyſes ipſe Dominum offendit, &c.* Et infrà: *Ad hæc non videtur nobis vtile conſilium, ad ea Concilia conuenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare, vel iudicare. Quia nec noſtro, nec vllius hominum probantur ſubiacere iudicio, &c. Excuſamus innocentiam noſtram, quâ & principales Eccleſiæ claues nolumus poteſtate ſuâ priuare, quacumque perſona vices Petri habeat, niſi manifeſtè ab Euangelicâ veritate diſcedat.* Callentiſſimus iuris canonici, nec non & Gallicanæ diſciplinæ Iuo, cum Coëpiſcopis ſuis enucleatiſſimè depromit, quid hac de cauſa iam olim ab A-

uito & à cæteris anteceſſoribus ſuis hauſiſſent Galliæ Epiſcopi, quid in poſteros de hoc Romanæ Sedis priuilegio deriuaſſent. Peropportuna ſunt autem quæ ab eo conſtipantur exempla: Moyſis, qui etſi in Deum peccarit, nullius tamen quam Dei iudicium expertus eſt, nec excidit ſacro principatu: Aarohis, qui in vituli propudium conſenſit, & nihilo ſequius ſacerdotio inauguratus eſt: Petri, quem Paulus increpuit, non abiecit: Scribarum & Phariſæorum, quos Chriſtus docentes audiri, peccantes contemni iuſſit, cathedrâ eiici vetuit. Diuino denique, humanoque iure cautum inſinuant, vt de ſuperioribus ne inuadant inferiores authoritatem iudicandi; adeoque nemo iudicet de Sede Petri, quæ *principales habet Eccleſiæ claues.*

XIX. Conſenſus denique Eccleſiæ Gallicanæ in Comitiis Bituricenſibus ſub Carolo VII. itemque Germanorum.

Pet. de Marca lib. de Concord. Sac. & Imp. pag. 115.

Sed illuſtriori teſtimonio non poteſt Eccleſiæ Gallicanæ in hoc negotio ſenſus conſtantiſſimus declarari, quàm iudicio Comitiorum Bituricenſium ſub Carolo VII. Francorum Rege. Etſi enim decreta cætera Baſileenſis Concilij ferè amplexi eſſent Galli, exauthorationi tamen Eugenij Papæ non vnquam conſenſere: & hâc velut ambiguâ reſponſione Baſileenſem Synodum non tam mitigarunt, quàm eluſerunt. *Nempe apud viros graues dubitari, num illa depoſitio & ſubſequens electio ſint ritè, inſtè, & canonicè, & legitimè celebratæ. Et an congregatio Baſileenſis tunc ſufficienter repræſentauerit Eccleſiam vniuerſalem, ad tam arduos actus exercendos. Ideo Rex, quia non eſt ſufficienter informatus ſuper prædictis, perſeuerat, & manet in obedientiâ domini Eugenij, in quâ nunc ſtat.* Adde quæ narrat Bertoldus in Append. ad Hermannum ad annum 1085. de Synodo Quintilineburgenſi aduersùs Henricum à Pontifice excommunicatum habitâ: *Quidam Babembergenſis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens, Romanos Pontifices hunc ſibi primatum aſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hereditaſſe, videlicet vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio ſubiaceant. Qui cùm apertè à totâ Synodo*

Digitized by Google

modo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laïco conuictus est, per illud Euangelicum, Non est discipulus supra Magistrum. Cùm enim hoc generaliter in omnibus ecclesiasticis ordinibus obseruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur: quis hoc Vicario sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magistro veneranur? Adde & ista ex Philippi de Imperio cum Otthone certantis epistolâ ad Innocentium Papam III. scriptâ apud Rainaldum an. 1206. num. 16. *Si nos in aliquo vos, vel Romanam Ecclesiam offendisse videmur, nos pro honore Domini nostri Iesu Christi, cuius vicem in terris geritis, & ob reuerentiam B. Petri Principis Apostolorum, cuius vicarius estis, & ob salutem nostram, nos ad satisfaciendum vobis supponimus. Si verò vos in aliquo nos, vel imperium læsisse videmini, conscientiæ vestræ super iis vos relinquimus. Cùm enim nos piè credamus, & ante passionem, & post passionem D. N. Iesum Christum B. Petro claues regni cælorum contulisse, & tradidisse ius ligandi, atque soluendi; scimus, & protestamur, quòd vos qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandus, sed iudicium vestrum soli Deo reseruatur, cuius iudicium & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus vsurpare.* Ex his abundè claret Francorum in Germaniâ consensus.

XX. In causâ Schismatis, de dubio Pontifice longè alia ratio est.

Qui ergo aduersùs ista cristas erigere posteriores conati sunt scholæ doctores, illi à constantissimâ, & ab ipsis vsque incunabulis coalitâ Ecclesiæ Gallicanæ doctrinâ, & pronissimâ in Sedem Apostolicam reuerentiâ, immane quantùm deuiarunt. Danda tamen venia est, si antiquitatis incuriosiores, vt ea ferebat ætas, & diutini inter binos ternosque Pontifices schismatis tædio affecti, nec pacem Ecclesiæ, nisi à Concilij suprà Pontifices authoritate & iudicio decretorio efflorescere posse persuasi, in has Apostolico priuilegio infestas electi potiùs, quàm appulsi sunt opinationes. Et quidem, cùm inter duos aliquos, aut plures de Pontificatu altercantes dubia nutat Ecclesia, consentaneum est, vt Synodico ipsa

Digitized by Google

iudicio iſtis ſeſe expediat ambagibus ; & non de Apoſtolica, ac prima Sede, ſed de eius inuaſoribus ſententiam ferat. Quod tunc autem extundit neceſſitas, non debet licentioſiùs effundi. Sed ea de re copioſiùs alibi, vbi nempe in Concilio Conſtantienſi commentando euincemus, illos ipſos qui ſynodico iudicio Pontifices ſubſternere enixi ſunt, etſi quándoque contentionis æſtu longiùs ſint abrepti, in has tamen ſe tandem recepiſſe priſcæ modeſtiæ lineas, vt ſchiſmatis tempore tantum cogerentur dubij nimirum Pontifices Concilij iudicium experiri.

XXI. In cauſa item hæreſeos.

Præterea autem in cauſa hæreſeos publicè profeſſæ, poſſe de Pontifice ferri iudicium, in confeſſo eſt apud omnes Catholicos doctores. Id paulò ſuprà confeſſus eſt Hadrianus Papa in Romana Synodo, vbi agnoſcit iure ab Orientalibus anathema dictum eſſe Honorio Papæ, quia *fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus maiorum ſuorum motibus reſiſtendi: vel prauos ſenſus liberè reſpuendi.* Id confeſſus eſt & Iuo ſuprà : *Principales Eccleſiæ claues nolumus poteſtate ſuâ priuare, quæcumque perſonæ vices Petri habeat, niſi manifeſtè ab Euangelica veritate diſcedat.* Id confeſſus ante iſtos eſt Bonifacius martyr, ex cuius dictis hæc refert Gratianus d. 40. *Si Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehenditur, inutilis & remiſſus in ſuis operibus, &c. innumerabiles populos caternatim ſecum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturos. Huius culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nemo, quia cunctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus: niſi deprehendatur à fide denius.*

XXII. Tenetur tamen Pontifex ſeſe purgare in Synodo.

Spontanea tamen purgatione teneri Pontifices amoliri ſuſpiciones calumniaſque ſibi impactas, ſuperioribus exemplis abundè patefactum eſt. Vbi illud obſeruatum, non populum, non clerum, non Epiſcopos Eccleſiæ catholicæ hanc neceſſitatem inflixiſſe primæ Sedis Præſulibus, ſed ipſos ſua ſponte occupaſſe, & Synodi populique conuentum vel poſtulaſſe priores, vel indixiſſe, vt

Digitized by Google

infamiam temerè ſibi aſperſam eluerent. Ita Marcellinus Synodum Sinueſſanam congregauit. Sixtus & poſtulauit Senatum colligi, & Synodum ipſe conuocauit. Symmachus, vt coiret Concilium, aſſenſus eſt Theodorico, & illi in ſeipſum authoritatem dedit. Pelagius & Hadrianus vltro ipſi ſeſe purgare præuerterunt. Leo Gallos Romanoſque ad ſuæ purgationis pompam frequentiſſimos collegit.

XXIII. Si contaretur Pontifex infamiam ab Eccleſia detergere, moneri & vrgeri poſſet.

Si ignominiam porro non ſibi tantùm, ſed vniuerſæ Eccleſiæ affricatam contaretur aut aſpernaretur Pontifex expiare canonica purgatione: enimuero tunc moneri ipſum, & ad id impelli poſſe indubium eſt. Ita innuit Synodus 8. can. 21. ſuprà laudato, vbi traditur in exorta de Romano Pontifice controuerſia, oportere, *ſciſcitari, & ſolutionem accipere.* Ita Sixtus, Pelagius, Hadrianus ad ſeſe purgandos quodammodo compulſi ſunt, Imperatorum, Nobilium, Vulgi receſſione, & eorum communionis detrectatione. Ita Iuo ſuperiùs epiſt. 235. *Familiaribus & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur Papa, vt ſe indicet, aut factum ſuum retractet.* Ita Petrus Damiani Gregorij Magni veſtigiis inſiſtens, in tractatu quem de Correptione Epiſcopi & Papæ inſcripſit: Petri exemplo rem conficit: *Si igitur iſte cum à diſcipulis culparetur, authoritatem quam in ſanctâ ſortitus fuerat Eccleſiâ, voluiſſet obtendere, reſpondere potuerat, vt Paſtorem ſuum oues quæ ſibi commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querelâ fidelium poteſtatis ſuæ titulum obiecciſſet, profectò Doctor manſuetudinis non fuiſſet. Non ergo eos Priuilegij ſui authoritate repreſſit, ſed humili potiùs ſatisfactione placauit. Et tanquam ſolus ipſe ad faciendam fidem non ſufficeret, etiam teſtes adhibuit, Venerunt, inquit, mecum & ſex fratres iſti.*

XXIV. Sententia Gerſonis non multum ab his abludent.

Quibus & iſta addes ſi voles ex Gerſone, paulò auſteriora, & ad ſuperiorum ingenium humaniùs emollienda. *Iudaïzabat olim Petrus per diſſimulationem: Paulus ei reſtitit in faciem. Introducebat Petrus rem nouam in Eccleſiâ Dei, cum ad Centurionem gentilem intrauit. Subortum eſt mur-*

Lib. de Auferib. Papæ cap. 12.

Digitized by Google

mur in Ecclesiâ, ita vt compulsus sit Petrus doctrinam insequi, quam tradidit scriptis, vt scilicet paratus esset coram totâ Ecclesiâ rationem reddere de eâ, quæ in ipso erat, fide & spe, aliequi non sibi credidisset Ecclesia. Quantò fortiùs & rationabiliùs possunt duo contendentes diffamati apud bonos & graues de schismate, de periurio, de hæresis suspicione, compelli rationem reddere, si se cognouerint innocentes. Sic Symmachus, sic B. Marcellinus, sic ipse Gregorius, sic alij plures iudicium subiere Concilij; nequaquam ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito & obligatione. Quorum multos, quia Concilium non reperit conuictos de crimine, reliquit causam eorum, examine iudicis Dei terminandam. Aduerte 1. exasperatum fuisse Gersonis animum, calamumque absurditate suorum temporum, & dubiorum Pontificum schismatisque pertinacis importunitate; atque ideo plurimum degenerasse illum à clementia & reuerentia tot congestis suprà testimoniis adprobata Damiani, Iuonis, Præsulumque omnium Senonensis Prouinciæ: Antistitum Gallicanorum, qui cum Leone & Carolo affuere Romanæ Synodo: Auiti, & Episcoporum ea ætate Gallicanam Ecclesiam administrantium. Antiquitas ergo horum & diuturnitas & numerus anteponi sanè debet nouitati, & paucitati, per abrupta molienti sese extricare à schismate implicatissimo. 2. Gersonem de ea specie verba facere, cùm duo contendentes diffamati præterea sunt de schismate & hæresi. 3. Debitum & obligationem sese purgandi proficisci posse, non tantum ex iuris & Canonum regulis, sed ex humilitatis, & charitatis legibus, quibus sine piaculo obluctari nemo potest. 4. Reseruatos esse diuino iudicio eos Pontifices, quos Synodus de crimine non potuerat conuincere, nimirum quia, vt suprà demonstratum, authoritatem ipsimet in seipsos Synodo permiserant.

XXV. Itemque Nicolai de Cusa.

Adde his si voles Cusanum, qui lib. 2. Concord, cap. 20. circa finem: *Hodie autem quia vniuersalis Ecclesia, eheu, ad solum Patriarchatum Romanum redacta est, & quod quondam*

Digitized by Google

Patriarchale generale tantum, & ſubiectum Romano Pontifici fuit Concilium, hodie eſt vniuerſale, vniuerſam Eccleſiam repræſentâns: hinc, cùm hoc nouum ſit, dubitatio exorta eſt. Quare hoc ſacrum Concilium abſque paſſione cum ſummâ manſuetudine ſe habere debet in ordine ad Romanum Pontificem: non ſe ex priuilegio vniuerſalis Concilij in tantum erigat, de quo potiùs dolendum eſſet, quod obliniſcatur ſubiectionis patriarchalis, in quâ ſemper fuit, ſecundùm quam in Papam fidelem nihil poſſet. Præclarè hîc multa, non omnia. Nam ſi Concilium Patriarchale in Patriarcham fidelem nihil poteſt, perinde nihil poterit in Præſidem ſuum Synodus œcumenica. Ecquid enim cauſæ erit quamobrem nec Epiſcopus, nec Metropolita, nec Primas, nec Patriarcha fidelis deponi poſſit, niſi in Synodo ſuperiore & à maiore iudice: nec idem priuilegij competat primæ Sedi?

XXVII. Antedictorum confirmatio, ex Gregorio Papâ primo.

Antedicta omnia egregiè illuminabit Gregorius Magnus epiſt. 39. lib. 9. ab exemplo Petri: *Certè Petrus poteſtatem regni cæleſtis acceperat: vt quæque in terra ligaret, &c. Et quia ex admonitione Spiritûs ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio à fidelibus facta eſt, &c. Et tamen idem Apoſtolorum primus querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit: cauſam per ordinem expoſuit, &c. Si enim cùm à fidelibus culparetur, authoritatem quam in ſanctâ Eccleſiâ acceperat, attendiſſet; reſpondere poterat, vt Paſtorem ſuum oues, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non anderent. Sed ſi in querelâ fidelium, aliquid de ſuâ poteſtate diceret, profectò doctor manſuetudinis non fuiſſet.* Audis querelam, non accuſationem in Petrum. Audis poteſtate cælitus conceſsâ, à ſubeundo ouium iudicio paſtorem immunem. Audis manſuetudine inclinari poteſtatem: nec impleri numeros officij, niſi impleantur & humilitatis.

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.

IN SYNODOS CP. ET ROMANAM

Anno Christi 518. 520.

SYNOPSIS.

Romanum Pontificem communionis Catholicæ cardinem esse probatur ex his Synodis, & toto schismate Acaciano. Ex epistolis Romanorum Pontificum, Orientalium Episcoporum, & Archimandritarum, usque ad num. XI. Ex gestis Constantinopoli in reconciliatione Græcorum, ex epistolis Iustini & Iustiniani, num. XII. XIII. XIV. Consensus Ecclesiæ Gallicanæ, Hispanicæ, Africanæ cum Romanâ in negotio isto schismatis Acaciani, usque ad num. XIX. Alia ad idem argumenta ex legibus Principum. XX. XXI. Eadem Romanæ communionis necessitas ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Prospero, Optato, Gregorio, Alcuino, Ratramno, Hincmaro, Lanfranco, usque ad num. XXVII. Argumenta alia ex Nicolao de Cusâ. XXVIII. De Meletio Antiocheno Episcopo, circa quem magis tricantur adversarij, inquiritur operosiùs: & conglobatim quanti Orientales semper fecerint Romanæ Ecclesiæ communionem ex Synodis œcumenicis, ex Irenæo, Cyrillo, &c. usque ad num. XXXIII.

I. Romanum Pontificem centrum esse, & cardinem Catholicæ communionis, probatur ex

NVSQVAM alibi tempestiuiùs ea ventilabitur quæstio percelebris, de Catholicæ communionis cardine & centro, in Ecclesiæ Romanæ Pontifice collocando. Cùm enim Acacio & superstiti &

Digitized by Google

extincto, post Romanæ arcis fulmina in eum vibrata, & Imperator & Oriens penè vniuersus communicare non destitisset, sesequeadeo eodem, quo ille, contaminasset Eutychianæ non hæreseos, sed communionis contagio: intemeratæ Catholicæ communionis custos vnus, & inexpugnabilis defensor fuit Romanus Pontifex; ad quem adeo reliquæ omnes Ecclesiæ recolligere se tandem compulsæ sunt; & à pestiferi schismatis baratro ad eum, velut ad inuictissimum ecclesiasticæ vnitatis & intaminatæ communionis verticem se reuocare. his Synodis, & toto schismate Acaciano.

Id efficiemus primùm ex literis Gelasij, qui Euphemio Constantinopolitano Episcopo Catholicæ fidei vindici acerrimo, sed Acacij memoriæ communicatori, condescensione quadam iactanti tolerandam Acacij memoriam, ne pax Ecclesiæ scinderetur, ita rescribit epist. 1. *Condescensibilem me, & optimâ dispositione reuocare posse concordiam consequenter adnectis. Optima illa est Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ dispositio, ad meliora proficiendo conscendere, non ad inferiora descendendo deficere. Cùm dicis condescendere nos debere vobiscum, interim iam vos aut descendere aut descendisse monstraris. Vnde à Catholicâ Apostolicâque communione ad hæreticam damnatamque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: & non solùm vos in infimis iacere delectat, sed etiam in superiore manentes Sede vultis impelli.* Et infrà: *Hoc non est condescendere ad subueniendum, sed euidenter ad inferna demergi, &c. In hæc abrupta deduci nec possumus, nec debemus, qui præstante Deo nostro sinceram puramque paternæ traditionis fidem communionemque retinere, & ab omni prævaricatorum contagione discretam, etiam intentato periculo mortis, optamus; eligentes, si Deus velit, quælibet alia perpeti, quàm causas incidere damnationis æternæ, &c. Sed Acacius, inquis, nihil contra fidem, &c. Quasi non sit deterius, & non ignorasse veritatem, & tamen communicasse veritatis inimicis.* Quod denique causaretur Acacij nomine abolito tumultuaturas plebes Euphemius: *Quisnam hoc in Ecclesiâ Dei possit audire? Cùm vtique pastorem sequi grex debeat ad pascua salu-* II Ex epistolis Gelasii Papæ argumenta eruuntur.

Digitized by Google

taria reuocantem, non per deuia gregem pastor errantem. Dic mihi, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Certè si vobis hoc placet, multo magis nobis est causa instior, qui populum Romanum à fide illâ suâ, laudabili maiorum traditione perceptâ declinare non sinentem, nos penitus libenter audiuimus: si vos Constantinopolitanam plebem ab hæreticâ communione discedere recusantem non vultis offendere. Vides hîc 1. in vnâ Romanâ & Occidentali consequenter Ecclesiâ Catholicam communionem superfuisse illibatam. 2. Eius cardinem, eius arbitrum fuisse Romanum Pontificem. 3. Condescensionem ab aliis Ecclesiis venditatam, ab illo vno exsufflari. 4. Salutis æternæ iacturam incurrisse, qui à Catholica Romanæ Ecclesiæ communione secedebant.

III. Ex epistolis Episcoporũ Dardaniæ ad eundem.

Episcopi autem Dardaniæ in suo ad Gelasium rescripto, *Saluberrima Apostolatûs vestri præcepta, quâ oportuit deuotione suscepimus, &c. beatissime Pater Patrum. Desiderij enim & voti nostri est, iussionibus vestris in omnibus obedire, &c. Eutychetis, & Petri, Acaciique, & omnium sectatorum eius atque consortium, velut quædam pestifera contagia, ante vestram quoque vitauimus iussionem, & multo magis nunc post admonitionem Sedis Apostolicæ, &c. Et si qui fortè praua intentione, quod neque arbitramur, neque optamus, à Sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inuiolabilia sacrosanctorum Canonum instituta sectantes, Apostolicæ & singulari illi Sedi vestræ, communi fide & deuotione parere contendimus.* Non in fidei ergo tantùm sed communionis etiam disceptatione, *iussionibus* Sedis Apostolicæ pareant omnes Episcopi, necessum est. 2. *Apostolicæ & singulari illi Sedi* parere iubent Patrum Canonumque instituta. 3. Refugienda eorum omnium communio, qui se *ab Apostolica Sede crediderint segregandos*. Vertex ergo & moderator Catholicæ communionis est vnus præ cæteris Romanis Præsul. Vnde ad eosdem Gelasius ep. 3. *Quia errorem quidem fatentur, sed eâ sibi putant communionem Catholicam conditione laxandam, vt nomina eorum qui*

præuaricati

Digitized by Google

prænaricati sunt, illis in Ecclesia recitare sit licitum, &c. dilectionem vestram non desistimus admonere, vt tales modis omnibus excludantur: vobisque cum Sede beati Apostoli Petri, sicut à Patribus nostris est tradita illibata communio, atque ex omni parte inconcussa perduret. Fons ergo in omnem orbem illibatæ communionis, & ex omni parte inconcussæ Sedes est Petri.

IV. Rursum ex Gelasio.

Idem Gelasius epist. 4. *Si quod nunc prætendunt à Romana Ecclesia se sunt diuisuri, id tamdudum feciſſe monstrantur.* Quippe vbi primùm defecere ad hæreticam communionem, illico & eâdem operâ defecere à communione Catholicâ, atque adeo ab eius defensatrice Romanâ Ecclesiâ. Et infrà: *Ineptias suas sibi seruent, nisi resipiscant potiùs, cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni beati Apostoli Petri inferni portas nunquam prænalituras asserit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resoluatur, quam & vox Christi, & maiorum traditio, & Canonum fulsit authoritas, vt totam potiùs Ecclesiam ipsa diiudicet.* Interminabatur Oriens secessionem ab Ecclesiâ Romanâ vniuersalem, atque adeo sententiæ in Acacium latæ vacuationem. Ridet cassos impetus inconcussa Pontificis fiducia, freti voce Christi, Petro principatum & victoriam fidei olim polliciti.

V. Ex eodem rursus ostenditur non soli causæ æquitati, sed & Sedis authoritati, & vtriusque cognationi victoriam tribuendam.

Non ergo causæ soli victoriam, sed & Sedis suæ priuilegio vendicat Gelasius. Vtrimque ergo inuicta ea Sedes est, & quòd fidei communionisque Catholicæ inuictissimam causam tueatur: & quòd ipsa Petri Sedes sit, cui victoriam de portis Inferi Christus despondit. Concatenata hæc sibi inuicem sunt, & indiuulsis nexibus cohærentia, causæ æquitas, & Sedis inuicta authoritas. Nec enim Christus inuictam illi Sedi tribuerit virtutem, quæ errori & perfidiæ seruire posset. Nec fidem idem suam, quam inexpugnabilem esse decreuerat, nisi inexpugnabili defensori potuit committere. Itaque insuperabiles hæ geminæ arces, præsidio sibi sunt vicissim, & inaniter insultissimeque à Nouatoribus colliduntur. Vincit enim

Digitized by Google

veritas, quia vltro inuicta est, & quia inuicto vtitur defensore. Vincit inuictissimè Prima Sedes, & quia ipsi desponsa victoria est, & quia causam tuetur Inuictam. Idem Gelasius epist. 8. ad Anastas. Imp. *Et si cunctis generaliter Sacerdotibus rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit corda submitti: quantò potiùs Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis ingiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet pœnitùs humano consilio eleuare se quenquam posse illius priuilegio vel confessioni, quem Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est & habet Primatem. Impeti possunt humanis præsumptionibus, quæ diuino sunt constituta iudicio, vinci autem quorumlibet potestate non possunt.* Non solam, vt vides, causæ æquitatem, sed eius defensatricis Sedis Apostolicæ firmamentum, etiam Christi promissione suffultum, prætendit. Et ibidem infrà: *Hoc est, quod Sedes Apostolica magnoperè cauet, vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nullâ rimâ prauitatis, nullâ prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori? vel vnde correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua vnius ciuitatis populum negat posse pace componi: quid nos de totius orbis terrarum summus vniuersitate facturi, si quod absit, nostrâ fuerit prænaricatione deceptus?* Si in Apostolica ergo Sede fidei & communionis fax extingueretur, non esset vnde rursum accendi posset, atque adeo toto ex orbe euanesceret. Ideo, vt fieri istud posterius non potest, ita nec illud prius, ex quo istud nascebatur. Itaque & inuicta regnat veritas, & inuictissimo incumbit, inspiratque diuinam suam vim propugnatori. Refellit mox susurros *Orientalium Episcoporum*, non ista ad eos scripta à Sede Apostolicâ fuisse, superbam illam esse, & arrogantem. Etenim per Acacium rescriptum esse omnibus: *Apostolica verò Sedis authoritas, quod cunctis seculis Christianis Ecclesiæ prælata sit vniuersæ, & Canonum serie pa-*

Digitized by Googl

ternorum, & multiplici traditione firmatur, &c. Habet hoc qualitas ſæpe languentium, vt ipſi accuſent magis medicos, &c. Si nos ſuperbi ſtmus, quia animarum remedia conuenientia miniſtramus: quid vocandi ſunt, qui reſultant? Itaque & æquitati cauſæ, & primæ Sedis authoritati infractæ victoriam adrogari, & Gelaſius profitebatur, & aduerſarij ipſi, etſi reniterentur, ſentiebant.

VI. Item ex epiſtolis Felicis III. Papæ. *Append. Cod. Theod.*

Exprimi idem poterat ex epiſtola 1. Felicis III. ad Zenonem Imp. *Quoniam adhortationem meam dyxiſtis onerоſam, in veſtro relinquo deliberationis arbitrio, vtrum beati Apoſtoli Petri, an Alexandrini Petri cuiquam ſit eligenda communio.* Vbi non cauſam cauſæ, ſed perſonam perſonæ, & Sedem Sedi, in negotio communionis præponit. Et epiſt. 4. ad eundem, de recens creato Conſtantinopoli Epiſcopo: *Eum ipſum, de cuius Pontificio gloriamini, dum ad beati Petri Apoſtoli Sedem ſuæ refert dignitatis exordium, iam ſuæ dediſſe gaudeo moderationis indicium, &c. Et qui in ſacerdotij perhibetur prouectus officium, optat inde fulciri, vnde Chriſto cupiente profluit cunctorum gratia plena Pontificum. Cuius etiam literarum me refouet intentio, quâ & ſummum Apoſtolorum beatum Petrum Petram fidei eſſe non tacuit, & eidem myſteriorum claues traditas fuiſſe cæleſtium prudenter ſtruxit; vtque nobiſcum circa orthodoxam fidem conſentientem haberet aſſenſum; quò amplius vnanimis redderetur, expetiit.* Ambiebat ergo Epiſcopus, ambiebat Imperator Conſtantinopolitanus communionem Apoſtolicæ Sedis, quod ea Sedes eſſet Petri, vnde iubente Chriſto manat Epiſcopatûs exordium. Neuter impetrabat, niſi Acacij & Petri Alex. nomina delerentur. Eadem Felix inculcat epiſt. 5. ad Flauitam ipſum Epiſc. CP. illud ingeminans, *non eſſe præferendam beati Apoſtoli Petri conſortio Alexandrini Petri ſocietatem.* Et ep. 6. ad Thalaſſium Archimandr. CP. *Sicut per profeſſionem Catholicam Sedis Apoſtolicæ formam ſecutus es, vt te à damnatâ communione ſuſpenderes: ita beati Petri ſequi debes exemplum, vt quando eius authoritate fuerit relata communio, tunc eis etiam tuum noueris miſcendum eſſe conſortium,*

Digitized by Google

&c. Expectet ergo dilectio tua Sedis Apostolicæ institionem, & sic Ecclesiæ Constantinopolitanæ sacrâ se communione coniungat, si in participatione beati Petri, & Catholicæ veritatis desiderat permanere. Igitur vbique Apostolica, vbique Petri Sedes ostentatur, vt regula inerrabilis fidei & communionis Catholicæ. 2. Id ipsos malè habebat Episcopos & Principes nouæ Romæ, quod Sedis Apostolicæ communione carerent, etsi conscij sibi satis superque essent fidei orthodoxæ: ideo communionem illam vel eblandiri, vel extorquere omni ope moliebantur. 3. Vel ciues ipsi & monachi Constantinopolitani non tam de Episcopi sui, quàm de Romani Pontificis communione satagere debebant, & præ hac illam contemnere. 4. Et in hoc Ecclesiarum dissidio, cùm Romana summum iuris rigorem sectaretur, Orientales aliter iura interpretarentur, vel dispensatione vtendum censerent; non Synodus œcumenica, sed Sedes ipsa Romana inconcussæ authoritatis pondere rem confecit, & cæteras omnes ad se tandem reuocauit Ecclesias.

VII. Rursum ex epist. Gelasii. *Append. Cod. Theod. p. 184. 203.*

Et rursum Gelasius: *Quâ ratione maiores nostri venerendi illi Ecclesiarum Magistri, clarissimaque illa populi Christiani lumina, quos merita virtutum suarum vsque ad confessionis glorioſissimas palmas, & martyrij fulgentes extulere coronas, ad illam Sedem, quam Princeps Apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotij sumpta principia repleti Christi charitate mittebant; sua inde soliditatis grauissima firmitatis roboramenta poscentes. Vt per hanc speciem omnibus appareat, verè vnam esse per omnia & indissolubilem Christi Ecclesiam.* En vtad Petri Sedem religet, religatamque semper fuisse ostendat Catholicæ communionis vnitatem: suffragante ipso martyrum sanguine. Cùm autem Orientalium aliqui cauillatoriâ exceptione abuterentur, non innotuisse sibi, quid Sedes Apostolica de Acacio Petroque decreuisset, ita illis obstruit os: *Ecce tanti Catholici sacerdotes in hoc ipso se indicant, quid Apostolica Sedes censuerit cognouisse, constanterque probasse retinendum, quod communionem Catholicam seruantes, & eos*

Digitized by Google

qui Apostolicæ Sedi communicarent, elegere consortes: & illos quibus Sedes Apostolica decreuerat minimè communicare, vsque ad persecutionis incursus, renuere consortes. Certè quæ Sedes Apostolica decreuerat, Orientalibus Episcopis non innotuisse iactatur. Vnde ergo tot tantique Pontifices vnum idemque cum Sede Apostolicâ sentientes, eamque probantes apta religioni sacrosanctæ veraque sanxisse, quæ non solùm sequenda sibi iudicauerunt, sed etiam vsque ad persecutionem viriliter exerenda? Non pauci ergo ex Orientalibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ communioni indiuiduè inhæserant, nec ab eâ, vel persecutionem sæuitiâ, potuerant diuelli.

VIII. Rursum ex epist. Symmachi ad Anast. Imp.

Veniamus ad Symmachum, eiusque epist. 7. ad Anastasium Imp. missam, infractæque eiusdem constantiæ testem: *Dicis quod mecum conspirante Senatu, excommunicauerim te, &c. Nos non te excommunicauimus, Imperator, sed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miscere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Si te misces, non à nobis, sed à teipso excommunicatus es.* Itaque sentiebat ipsemet Anastasius, excommunicationem illam veram esse, quòd Romanæ Ecclesiæ communio ei cæterisque Acacij communicatoribus denegabatur. Tum queritur quod *militari manu eos qui se à contagione perfidorum multis temporibus abstinere delegerint, in præuaricatæ communionis consortia detestanda compelleret: quodque in illis regionibus cuncta prorsus hæreses opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi: sola Catholicæ communionis libertas putetur ab iis, qui se religiosos existimant, subruenda.* Itaque sanguis etiam impendebatur Catholicæ communioni tuendæ, quam Romana Sedes profitebatur. Denique vt centro communionis Catholicæ se consentire testarentur, *Omnes Catholici Principes, siue cùm imperij gubernacula susceperunt, siue cùm Apostolicæ Sedi nouos agnouerunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, vt se docerent eius esse consortes.* Scribitur & epistola 8. eiusdem Symmachi ad Episcopos *Confessores* Orientis, nempe pro Apostolica communione certantes. Et epist. 9. ad

Digitized by Google

Orient. *Si quis ſalutem propriam cogitans, ſervare cupit Apoſtolica iudicia, cùm à Prafatorum ſe labe ſeiunxerit, noſtræ communionis ſe nouerit ſine dubitatione participem. Quia ſi ab eorum, quos Apoſtolica Sedes damnauit, non ſe ſocietate remouerit, ſciat nullo colore, nullo figmento, nullâque calliditate eccleſiaſtica ſe cuſtodia poſſe ſubrepere.*

IX. Ex epiſtola Orientalium Epiſcoporum ad Symmachum.

Sed huic contexta Orientalium ad Symmachum epiſtola, euidentiſſimè prodet, quanto in ſalutis exitio, quantâ in ſchiſmatis ruinâ ſe iacere intelligerent, quandiu à Romanæ communionis beneficio alienati erant: *Hæc diximus, ſanctiſſime, auſi ſupplicare, non pro perditione vnius ouis, neque pro perditione vnius drachmæ, ſed pro amicâ nobis ſalute, non Orientalium partium tantùm, ſed trium propè plagarum habitabilis mundi, redemptarum pretioſo ſanguine agni Dei, ſicut docuit beatus glorioſorum Apoſtolorum Princeps, cuius Cathedram beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus Paſtor; quem imitatus feſtina ad adiuuandum nos, &c. Quia non in ligando tantùm poteſtas eſt tibi data, ſed in ſoluendo quoque diu vinctos ad imitationem magiſtri, &c. Ne maiori triſtitiâ abſorptis nobis à Satana videamini pertuliſſe diſpendium. Non enim ignoratis eius ingenium, qui quotidie à ſacro doctore tuo Petro doceris oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere, non vi, ſed ſponte coactas: qui cum Paulo clamas nobis ſubiectis, & dicis: Non enim dominamur vobis in fide, ſed cooperamur in gaudio.* Et ſtatim ibidem: *Quare deprecamur diſrumpi nouum chirographum noſtrum, ſicut Chriſtus vetus illud in cruce diſrupit, &c. Si vnus homo peccauit, quare toti Synagogæ, aut magis toti habitabili mundo per anathema diuinus furor incumbit? &c. Quare nos à vobis æſtimamur hæretici, & in anathemate ſumus nos, qui amplectimur illam epiſtolam Leonis, & Synodum Chalced. &c. Per illum qui cunctam iudicat terram, ne perdas iuſtum cum impio, nec æqualiter iudicentur à te orthodoxi & hæretici.* Teſtantur mox aliquos ſtatuiſſe ab Acacianâ communione ſecedere, & in exilia potiùs proficiſci, ſed ne Eccleſiæ confeſtim ſuæ hæreticis proderentur, ſubſtitiſſe & diſſimulare. *Omnino autem*

Digitized by Google

& qui videntur communicare orthodoxi, & qui se à communione abstinent, omnes post Deum tuæ lumen visitationis & assumptionis operimur. Quare festina iuuare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum & Paulum ad illuminationem totius mundi Saluator direxit. Denique ita deploratissimum Ecclesiæ suæ morbum dolent: *Non est vlcus, aut macula, neque plaga tumens, sed totum vlcus est à pedibus vsque ad caput, &c. Vos iam boni medici, festinate ad curam resolutorum ecclesiastici corporis membrorum.* Agnoscunt Orientales se diro anathemate implicatos, non alio, quàm quòd exortes essent communionis Apostolicæ Sedis. 2. In vniuersum orbem posse Pontificem primæ Sedis iactare hæc anathematum iacula, vel reuocare. 3. Hanc potestatis amplitudinem à Petri primatu & successione efflorescere. 4. Desperatissimæ Orientis Ecclesiæ mederi vnum posse Apostolicum Præsulem. 5. Non Synodum flagitant, non de æquitate sententiæ eius, non de potestate ambigunt, sed indulgentiæ & veniæ plusculum eblandiri laborant.

X. Ex epist. Archimandritarum Orient. ad Hormisdam Papam.

Iam Hormisda Pontificales infulas indepto, nihil intentatum reliquit Anastasius Imperator, & cum eo Oriens vniuersus, vt ab eo pacem suis Ecclesiis exprimeret, interpositâ etiam Romani Senatûs authoritate. Suis in Orientem legatis Pontifex mandauit, ne sacram, ne ciuilem etiam cum Græcis mensam communicarent, ante erasa infausta nomina. Ad eundem Archimandritæ & Monachi pene innumeri secundæ Syriæ ab hæreticis diuexati, rescribunt in hunc modum: *Quoniam Christus Deus noster Principem Pastorum, & doctorem, & medicum animarum constituit vos, &c. deprecamur condoleatis iustè pro corpore laniato, nam Caput estis omnium, & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, &c. Imitatores estote Domini, qui de cælo super terram aduenit quærere ouem errantem, Petrum illum Principem Apostolorum, cuius Sedem ornatis: & Paulum, qui est Vas electionis, qui circumeuntes orbem terrarum illuminauerunt, &c. Mercenarij Pastores, videntes*

Post Epist. 11. Hormisd.

lupos aduenientes, dimittunt oues dissipari. Vobis autem veris Pastoribus & Doctoribus, quibus cura pro salute ouium commissa est, occurrit ipse grex cognoscere suum Pastorem, &c. Anathematizamus omnes proiectos & excommunicatos à vestrâ Apostolicâ Sede: Nestorium, &c. Eutychen, Dioscorum, &c. nihilominus & Acacium eorum communicatorem, & omnes qui vnum illorum hæreticorum defendunt. Nihil magnificentius excogitari potuit, vt Caput, & Pastor vniuersæ per orbem Ecclesiæ significetur esse Romanæ Ecclesiæ Antistes, vertexque fidei, & ecclesiasticæ cardo vnitatis.

XI Ex epistolis Græcorum Antistitum, & Hormisdæ Papæ mutuis.

Euecto autem postea ad Imperiùm Iustino Catholico Principe, haud mora Orientales Episcopi, & in primis Ioannes Constantinopolitanus ad pacem ab Hormisdâ impetrandam erupere. Ioannes quidem ad Hormisdam

Post Epist. 28. Hormisdæ.

scribit, *Scribere igitur, Apostolice, & rescripta suscipere dignemini, &c. Tuam sanctitatem, & orthodoxas Ecclesias animo amplector, vnà tecum in veritate sentiens, & vnà tecum sperans, &c. Quoniam pacem vestram amplectimur, & de vnitate sanctarum Dei Ecclesiarum curamus, rogamus vos pacificos viros destinare, & vestræ dignos Apostolicæ Sedis, qui debeant satisfacere, & satisfactionem nostram suscipere.* Rescribit inter

Epist. 29.

alia Pontifex, *Quid restat, nisi vt Sedis Apostolicæ, cuius fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine trepidatione iudicia.* Et mox: *Libellum, cuius continentia subter annexa est, à charitate tua subscriptum ad nos dirige, vt sine conscientiæ formidine vnam communionem habere possimus.* Eadem legatis mandauit in commonitorio; vt nemini communicent,

Post Epist. 31.

nisi Acacio damnato: eorum autem Episcoporum regiæ vrbis, *qui ob defensionem Chalcedonensis Synodi exilio deportati sunt*, saltem abrasis nominibus de diptychis. Quid præstitum sit, declarat Ioannes ipse Episcopus Constantinopolitanus in suo ad Hormisdam inscripto libello: *Vnà tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos, renuo & ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio, illam Sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam*

d by Google

vniam esse definio. Tum Synodos amplectitur, damnatos damnat, subiungitque, *Quia non potest prætermitti Domini sententia dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolicâ inuiolabilis semper Catholica custoditur religio.* Et infrà: *Quapropter sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicans omnia, quæ ab ipsâ decreta sunt: propterea spero in vnâ communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum; in quâ est integra Christiana religionis & perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* Vides suæ dignitatis retinentissimum Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, primæ tamen Sedis authoritate fractum succumbere, & eius iussis obtemperare. 2. Libello fidei & communionis Catholicæ, quem prima Sedes dictauerat, subscribere diu renisum Orientem, & iugum subire. 3. Profiteri Orientales non dogmata tantùm, sed iudicia Sedis Apostolicæ incontanter sibi subeunda, & in eâ Sede centrum regulamque & fidei & communionis residere. 4. In Apostolicâ Sede inuiolabilem semper custodiri Catholicam religionem, perfectamque eius soliditatem. 5. Id priuilegij efflorescere ex eo Christi ad Petrum verbo, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* 6. A communione Ecclesiæ Catholicæ alienos esse, qui non consentiunt in omnibus Sedi Apostolicæ. De causis enim quibuslibet infinitæ quædam & seri & protrahi poterant lites. Paci ergo firmandæ necessum fuit, fidei & communionis amussim vni alicui eminentissimæ Sedi alligari, & omnium maximè conspicuæ.

XII. Ex rebus gestis Constantinopoli, in reconciliatione Græcorum.

Et rursus in Suggestione Germani & Ioannis Episcoporum, aliorumque Hormisdæ in Orientem legatorum: *Quis explicet, quas voces, vel in laudem Principis, vel in Sedis vestræ totius populi cœtus, & Cleri fauor emisit?* Erasa narrantur nomina Acacij & sequacium eius, Anastasij item

Digitized by Google

Post Epist. 40. Hormisdæ.

& Zenonis, vt *cunctis in Apostolicam partibus communionem fidemque conuenientibus perfectè, sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia.* Et mox in suggestione Dioscori; *Episcopus Constantinopolitanus in Palatio consuscepit à nobis libellum, & in primis quasi tentauit epistolam potiùs facere, quàm libellum. Sed non post multa certamina hoc conuenit, proœmium modicum facere, & subiungere mox libellum, quemadmodum vestra beatitudo dictauit. Subscriptio ab eodem facta est libello conueniens, &c. Episcopi diuersarum ciuitatum, quanti inuenti sunt, libellum similiter obtulerunt, &c. Pari modo & omnes Archimandritæ fecerunt. Apud quos Archimandritas & certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis, sufficit quia Archiepiscopus noster fecit, nos factum eius sequimur. Quid amplius? Post multa certamina ipsi quoque connicti, libellos modis omnibus obtulerunt.* Sequitur Iustini Imp. ad Hormisdam epistola, subscriptum nuncians à Ioanne libellum, Sacerdotes *Vnitatem Trinitatis ipsos quoque vnitate colere mentium:* erasa diptychis nomina Sacerdotum omnium, *qui primi contra constituta venerant Apostolica: vel successores erroris facti sunt.* Item quidquid Hormisda *per beatissimos suos sacerdotes annuit peragendum, propitiâ diuinitate, effectui cuncta sociata sunt.* Ex his & superioribus testimoniis abundè patescit, omnibus tum orthodoxis persuasissimum fuisse, omnes per orbem Ecclesias tam latè disseminatas, in vnum tamen corpus, in vnamque communionem conuenire debere. Alioqui quid tantoperè vel Imperator, vel Ioannes, vel Clerus Populusque Constantinopolitanus, vel Oriens satagebat de suâ cum Romano Præsule concordiâ, eiusque communione adipiscendâ? At vnum non potest ex omnibus Ecclesiis compaginari corpus, nisi Capite constituto: non potest vna constare omnium membrorum communio, nisi fons eius & radix in Capite collocetur. Vt enim præmonui, quâlibet exortâ controuersiâ implacatæ feruebunt lites, nec vnquam inducent in animum alij aliis concedere: dispensatione vtendum illi contendent,

Digitized by Google

contrà hj dicent: donec capitis authoritas inteſtinam diſcordiam componat.

Cùm porro Ciuitates Orientis aliquæ pertinaciùs nomina retentarent Epiſcoporum ſuorum, non eorum, quos nominatim Hormiſda expunxerat, ſed aliorum eodem conſortio attaminatorum: nec viderentur, niſi cruentiſſimis prælijs poſſe ab hâc contumaciâ dimoueri: vtendum hîc veniâ & diſpenſatione apud eundem Hormiſdam inſtantiſſimè proſequuntur Iuſtinus Princeps, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Iuſtinianus tum Comes, pòſt Imperator. Vt communionis Catholicæ cuſtodem arbitrumque, & adhibendæ vel protelandæ circa eâm diſpenſationis moderatorem fuiſſe Romanum Antiſtitem hinc rurſum indubitatiſſimè conſtet. Iuſtini epiſt. ſic habet: *Cætera clementiore quodam indigent moderamine, in neminibus Antiſtitum, non eorum, qui ſpecialiter enumerati ſunt in epiſtolâ, quam ſanctitudo tua nobis deſtinaſſe noſcitur, ſed aliorum, quorum memoriam maximæ ciuitates diligunt, in quibus floruiſſe noſcuntur ſuperſtites. Quapropter legatis quidem tuæ ſanctitatis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi ſunt. Omnis autem finis negotij veſtro iam tantum pendet arbitrio. Vt ſolus pacem concludere debeat, qui prima rei commouit exordia.* Et Iuſtinianus: *Pars Orientalium non exilijs, nec ferro, flammiſque compelli poteſt, vt Epiſcoporum nomina poſt Acacium defunctorum condemnet. Quæ difficultas generalis concordiæ moras innectit. Sanctitas itaque veſtra celitùs inſpirata, temporum, rerumque qualitatem conſideret, &c. Ne perſecutionibus ac cruore, ſed patientiâ ſacerdotali populum Domino noſtro concilietis. Ne dum volumus animas lucrari, & animas multorum perdamus & corpora. Errores etiam diuturnos lenitate, clementiaque conuenit emendari, &c.* Vide eâdem de re & Epiphanij Conſtantinopolitani Epiſcopi relationem ad Hormiſdam, itemque aliam de electione ſuâ, in quâ hæc habet: *Eſt mihi oratio magnopere vniri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex beatis & ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis Dei, præcipuè ſummi Petri Apoſtolorum,*

XIII. Ex epiſtolis Iuſtini & Iuſtiniani.

Poſt Epiſt. 67. Hormiſdæ.

Digitized by Google

Sedi ſanctæ veſtræ ſunt traditæ, & nihil eis pretioſius æſtimare, &c. Et infrà: *Eccleſiis ſub me hæc prædico, feſtinans per omnia eas mihi & veſtræ beatitudini vinculo charitatis adunari. Quas omnino oportet eſſe vnitas, & inuiolabiles, & corpus vnum communis Apoſtolicæ Eccleſiæ perpetuò cuſtodire, &c. Quos veſtra Apoſtolica Sedes condemnans in ſacris diptychis recitare non iuſſit, eos nec ego inter ſacra facio nominari myſteria.* Vides & hîc non ſingulatim quaſque Eccleſias poſſe ſibi de orthodoxa ſua fide ſupplaudere, ſed neceſſariò in vnam cum aliis per orbem omnibus communionem conſentire, & huius Catholicæ communionis vinculum, & adminiſtrum eſſe primæ Sedis Antiſtitem. Ideo enim quos ille communione ſacra mouet, vbique terrarum eiiciuntur. Ideo Epiſcopi alij omnes non ſibi ipſis tantùm ſuas particulares vincire ſatagunt Eccleſias, ſed Romano quoque Præſuli, vt vertici totius corporis. Ideo, vt infrà dicemus, vbique terrarum in diptychis nomen Papæ coruſcat.

XIV. Quid ſentiendum de Eccleſiis, quæ contumaciùs omiſſa ſuorũ Epiſcoporum retinuere.

Porro quod Orientis Eccleſiæ aliquæ præfractiùs reluctatæ ſint, patet exinde non ſtatim facta quælibet in iuris legem trahi poſſe. Nam Iuſtinus, Epiphanius, Iuſtiniánus confitentur errare illas Eccleſias; nihil intentatum ſe reliquiſſe, vt illas ad ſalubriora reuocarent conſilia; venia tamen ſibi potiùs, quàm ferro vtendum videri. Ergo iura ſancienda ſunt vt hîc, ita & paſſim alibi, non ex quorundam contumacium obſtinatione inſuperabili, non ex conniuentia piorum, ſed ex eorum exemplis, ſententiiſque, quibus eccleſiaſtica omnis applauſit poſteritas, quorum pietate fidei & communionis Catholicæ cauſa defenſata & propagata eſt. Quorum enim oblitterati nomina non patiebantur, eorum vt ſummum eadem erat cauſa, atque Euphemij, Macedoniique Epiſcoporum vrbis regiæ, qui pro Eccleſiæ Catholicæ fide certauerant, exiliaque fortiter pertulerant. At horum quoque obducta ſunt nomina, Romanæ & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Synodique conſenſu. Ergo hinc

Digitized by Google

potiùs iuris regulæ ſunt exprimendæ. Vbi exertiſſimè elucet, quantum momenti ſit in communione Eccleſiæ Romanæ, quantum in eius iactura diſpendij, cùm nec exiliis pro fide & præliis fortiter exantlatis elui poſſit macula eius contemptæ.

XV. Idem confirmatur ex conſenſione Eccleſiæ Gallicanæ in hoc negotio ſchiſmatis Acaciani.

Quid maioribus interim noſtris viſum ſit, ſeu Gallicanis Epiſcopis, de hoc Romanæ cum Orientali Eccleſiâ certamine, indagare operæ pretium eſt. Ita ergo Auitus Viennenſis Epiſcopus epiſt. 87. ad Hormiſdam Papam, ſuo & Gallicanorum Epiſcoporum nomine percontabundus, ſcribit, illo præmiſſo: *Eutychetis igitur, Neſtoriique damnatio, quos iamdudum per beatiſſimos deceſſores ſanctæ Sedis veſtræ exclamit authoritas, ad notitiam iampridem neſtram, Apoſtolicæ ad nos diligentiæ prouiſione perlata eſt.* Reliqua enim inde nectuntur. Si riuuli fidei Catholicæ à Romano fonte ad nos defluant, vt & leges communionis indidem manent. *Solâ hâc causâ ſeruos veſtros, filios meos, Alexium Presbyterum, & Venantium Diaconum, totius prouinciæ Viennenſis nomine, quæ Eccleſiæ ad me pertinenti ab vniuerſis deceſſoribus veſtris & Apoſtolicâ Sede commiſſa eſt, cum præſentis famulatûs paginâ deſtinaui. Per quos oraculo beatiſſimæ reſponſionis agnoſcam, vtrum feruor ſchiſmatum præſurorum, qui intra Conſtantinopolitanam vrbem vitio perniciosa obſtinationis exarſerat, cuique, quod magis dolendum eſt, Alexandrinam vel Antiochenam Eccleſias dicitis illigatas, vobis Chriſto fauente docentibus, dignâ fuerit correctione reſtinctus.* Addit præterea: *Diuerſorum fidâ relatione comperimus, de reconciliatione vel concordiâ Romanæ Eccleſiæ iactare ſe Græciam. Quod ſicut amplectendum, ſi veraciter dicitur: ita metuendum eſt, ne callidè ſimuletur.* Denique quàm ſuſpenſi omnes Galliarum Epiſcopi eſſent ad inclinationes Sedis Apoſtolicæ, ita docet: *Quæſumus ergo ſeruitio meo cuncti, vt quid filiis veſtris, fratribus meis, id eſt, Gallicanis, ſi conſular, reſpondere debeam inſtructis. Et quia ſecurus, non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ deuotione polliceor, omnes ſuper ſtatu fidei veſtram captare ſententiam.* Vides in fidei &

communionis disceptatione Gallicanam vniuersam Ecclesiam incubuisse authoritati primæ Sedis, illi absolutissimè & incontanter acquieuisse. 2. Etsi Alexandrina, & Antiochena, & Constantinopolitana Ecclesia aduersùs Romanam coniurata insurgeret: fidenter tamen ab Episcopis Gallis pronunciari, fœdum illud esse schisma, & ab Ecclesiâ Catholicâ deuiare, quicumque à Romanâ dissentiant. 3. Quàm curiosi, & appetentes essent Orientales communionis Romanæ, inde liquidum, quòd suam cum Hormisdâ concordiam iactarent; & vererentur Galli, ne callida esset ea simulatio, quâ fuam communionem suffurarentur. 4. Vno docente Pontifice, restinguendum schisma sperabat cum Gallis Auitus. 5. Super statu fidei tota pendebat Gallia à sententia Pontificis, & oppressas à Synodis duabus œcumenicis hæreses geminas, authoritate eius prædecessorum oppressas sentiebat.

XVI. Rursus indidem.

Quàm securus autem de Gallicanæ Ecclesiæ in Romanam deuotione ageret Hormisda, ita ad Auitum rescribens ipse significat. *Breuiter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non sæpius nostra admonitio vos frequentat, de conscientiæ vestræ & fidei stabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubiis, satis est vitanda indicasse perfectis.* Deinde circumsitarum Constantinopoli ipsi Ecclesiarum reditum in Romanæ Sedis communionem annunciat: *Vt autem quæ sint partium earum studia possitis agnoscere: plures Thracum, licèt prosequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per aduersa clariorem. Dardania & Illyricus vicina Pannoniæ, à nobis, vt sibi Episcopi ordinarentur, expetiit. In tantum se à consortio perditorum separare gaudentes, vt remedia quærerent, dummodò commune cum transgressoribus nihil haberent. Epiri Metropolitanus, hoc est, Nicopolitanus Episcopus cum Synodo suâ nuper segregatus ab impiis, ad Apostolicam communionem deprompta, quæ efficeret, professione se contulit.* Vide & epist. Gelasij ad Rusticum Lugd. Episc. Spicileg. tom. 5. pag. 581.

Digitized by Google

Nec dispar fuit Hispaniensis Ecclesiæ in Petri Sedem veneratio. Ita enim epist. 51. scribit Hormisda ad omnes Hispaniæ Episcopos. *Inter ea quæ notitiæ nostræ Ioannes frater & Cōepiscopus noster, studio ecclesiastice utilitatis, ingessit; hoc quoque pro affectu Catholicæ fidei, & Apostolicæ Sedis veneratione consuluit; quo ordine ex Clero Græcorum venientibus tribui deberet sancta communio. Propter causam scilicet Acacij à prædecessoribus nostris pro hæreticorum communione damnati; in quâ qui se ab eius contagione non diuidunt, à nostrâ communione habeantur excepti. Laudo propositum viri, hoc zelo circa fidem & Apostolica instituta feruentis, vt nec per ignorantiam quidem quenquam cœno alieni erroris pateretur immergi. Ipsa est enim fidei innocentia, vt prauideat, ne vel casu possit errare.* Et paucis interiectis: *Nos autem libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis poposcerit, ad eam posset admitti, secundùm quam & de Thraciæ, & Scythiæ, Illyricique partibus, vel Epiri veteris, sed & secundùm quod de Syria multos iam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere, & deuia declinare.* His subtexit libellum illum ipsum, quem per legatos Constantinopolin misit, cui Ioannem CP. Episcopum subscripsisse paulò antè recitauimus. XVII. Item ex consensione Ecclesiæ Hispaniensis.

Liberatus in Breuiario cap. 18. damnatum narrat à Felice Acacium, *Patrocinante Imperatore vsque ad mortem remansisse sacrificantem.* Tunc *separauit se Sedes Apostolica à Constantinopolitanâ.* Interea autem, *Calendion Archiepiscopus Antiochenus deponitur. Accusatur in aperto, tanquam indenotus Principi, mittens populum in rebellionem cum Ello, latenter autem, quia se non suspenderet à Felicis Papæ, & Ioannis communione.* Moritur interim Acacius, & *ordinatur post eum Flauitas presbyter, qui non consensit sine Romano Episcopo inthronizari. Sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici.* Tum pertexit seriem Episcoporum, qui Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam Sedem occupauere vsque ad Iustinum Principem, eosque propemodum omnes Eutychianâ fuligine imbutos fuisse XVIII. Item ex consensione Actorum.

demonſtrat. Vtpote à capite ſuo diſſidentes, & à fidei communioniſque principatu, in erroris auia facilè dilabebantur. Et Victor Tunon. in Chron. *Iuſtinus Imperator Orientales, propter prauos Pontifices, Acacium quondam CP. Petrum Antiochenum, & Petrum Alexandrinum Epiſcopos, priſtino errore implicitos, Occidentalibus Antiſtitibus ſub digna ſatisfactione coniungit; rediuiuaque facit Synodi Chalced. decreta, Zenonis & Anaſtaſij Principum temporibus abdicata.* Diſertiùs autem Africanæ ſententiam Eccleſiæ propalabit Facundus Hermian. Epiſc. aduerſ. Mocianum: *Cùm Acacius CP. aliquid aduersùs autheritatem Synodi Chalcedonenſis auderet, non equidem decreto cum anathemate conſtituto, ſed ſolâ inimicis ipſius Synodi communione permiſsâ: Præuidens Apoſtolica Sedes, quod ſicut exitus docuit, hac remiſsio ad deſtructionem Concilij memorati pertenderet, (poſteà quippe Zeno Imperator, qui eù communionem præberi mandauerat, à minoribus ad maiora proſiliens, ipſum Concilium promulgato ſpreuit edicto) eundem Acacium, quamuis predicto Zenone reſiſtente, damnauit. Qui mortuus quoque per libellos ordinandorum Epiſcoporum nunc vſque damnatus eſt, &c. Quia igitur ſupradictus Zeno, Sedis Apoſtolica decreta contemnens, predicto Acacio communicabat, & omnes Eccleſias in ſui regni finibus conſtitutas idem facere compellebat; Anaſtaſio deinde in Imperium & in præſumptionem ſimilem ſuccedente, omnis Oriens præter admodum paucos, qui in illâ multitudine occulti latebant, à communione Sedis Apoſtolica, per 40. ferme annos vſque ad tempora Iuſtini remotus permanſit. Et cùm quidam per iſtud tempus eiuſdem partis Epiſcopi, communionem Sedis Apoſtolica ſibi & ſuis Eccleſiis poſtularent, non impetrauerunt, donec Principis Iuſtini temporibus Acacij damnationi ſubſcriberent.* Et mox: *Quid igitur? Nunquid per tot annorum ſpatia non eſt inuentus quiſquam in Romanis ſacerdotibus, à Felice Acacij damnatore vſque ad Hormiſdam, qui Orientis reconciliauit Eccleſias, inter quos fuerat etiam beatus Gelaſius, in ſanctitate vitæ atque ſcientiâ per vniuerſum mundum celebrioris fame gloriâ prædicatus, non eſt inuentus velin Romano Clero, Chriſtianâ plebe inibi conſiſtente,*

ſiſtente, vel in cunctis Occidentalibus Eccleſiis, &c. Denique quod alibi retuli, ſubdit Romanam Eccleſiam *reconciliaſſe ſibi alias Eccleſias, eas in communionem ſub debitâ ſatisfactione recepiſſe, aliis pro facto ſchiſmate culpabilibus culpam dimiſiſſe, &c.* Hîc elucet 1. Africanam Eccleſiam perinde vt reliquas omnes Occidentales pro Eccleſiâ Romanâ aduersùs Orientales militaſſe. 2. Exitiale authoribus hoc ſchiſma fuiſſe, quo per annos 40. Orientales caruere Sedis Apoſtolicæ, & conſequenter Occidentalium omnium communione. 3. Non magni ſanè faciendum eſſe, ſi perdiu, ſi multi, ſi Orientalium omnium Eccleſiarum Præſules ſummi & ipſi Principes contemnant Sedis Apoſtolicæ iudicia, & communionem. Sed id perpendendum, inde iura & exempla ſancienda eſſe, quod poſt quadraginta annos reſipiſcunt, errores ſuos recantant, ſub libelli ſatisfactione matrici Eccleſiæ Petri recolliguntur. Quod argumenti genus iam ſæpius adhibitum eſt, ſæpius poſthac adhibendum erit, quod eâdem vertigine rotentur ſemper hæretici, errantibus, quàm palinodiam canentibus plùs fidei adiicientes. 4. Et illo annorum quadraginta ſchiſmate graſſante, Eutychiana lues Eccleſias & Sedes Orientales pene omnes populata eſt; vt indo pateſcat, quàm prouidè Romani Antiſtites à communione hæreticorum ad eorum perfidiam lubricum fore & præcipitem lapſum præſenſerint: quamque neceſſaria ſingulis etiam remotiſſimis foret Eccleſiis communio cum Sede Petri, cuius alieni hæreticis ſtatim deliramentis implicabantur. 5. In illo rerum æſtu ſi qui ſe in bonam frugem reciperent, & quicumque demum omnes ſub Iuſtino reſipuerunt, illis id vnum ante omnia cordi erat, id omni contentione ambibant, vt Sedis Apoſtolicæ communionem reciperent. Nam vt Acacij, vt ſequacium eius maculosâ ſe communione abluerent, illud ſanè ipſi refugiebant potiùs, id deprecabantur, id penè inuictis extortum eſt; ſed tanti communionem Sedis Romanæ fecere, tanti eam momenti duxere ad æternam ſalutem

Digitized by Google

ſuam, vt eam damnatione etiam charorum ſibi capitum redimerent. Non ergo ſola damnati Acacij æquitas, ſed communionis cum Capite Eccleſiarum cupiditas, & conſcia neceſſitas ad hanc concordiam Orientales tandiu reluctatos artauit. 6. Nec aliam in cauſam refundi poteſt tam contumax Orientalis Eccleſiæ defectio à Romanâ, quàm in Zenonis, Baſiliſci, Anaſtaſij Principum perfidiam. Id ex omnibus eorum temporum ſcriptoribus nitet. Ideo ſtatim Iuſtino ad imperij gubernacula prouecto, hoc eſt, obice amoto tyrannorum, ſtatim reuixit, reſpirauitque in Apoſtolicæ Sedis communionem Eccleſia Conſtantinopolitana, quaſi ipſa ſibi, indolique ſuæ reſtituta. Ex comparatione autem Zenonis & Anaſtaſij cum Iuſtino, liquidum eſt, vtris exemplis vtendum ſit ad contemnendam, vel ad omnibus anteferendam Petri Sedis communionem. 7. Denique ne tempeſtate quidem illâ hæreticorum Principum Eccleſias Orientales perpopulante, adrepere Romanæ communioni deſtitere Epiſcopi Acaciani. De Flauita audiuimus ſuprà Liberatum. De reliquis compluribus fidem faciunt annales ſacri, & epiſtolæ ipſæ Pontificum. Macedonius vrgente in damnationem Chalced. Synodi Imperatore, dixit, *nihil ſe facturum ſine vniuerſali Synodo, cui Magnæ Romæ Epiſcopus præſideret:* vt docet Theodorus Lector l. 2. Denique vt ſcribit Euagrius lib. 3. cap. 21. cùm Vitalis & Miſenus Conſtantinopoli communicaſſent memoriæ Petri Alexandrini damnatæ, *eâ ratione multi ſimplices homines in errorem ab hæreticis inducti ſunt, affirmantibus Petrum in communionem ab Epiſcopo Romano receptum eſſe.* Vſque adeo vel populo ipſi Conſtantinopolitano præiudicatum erat, Catholicos eſſe, quibus Pontifex Romanus communicaret. Quod & ex lætitiæ æſtu proditur, quo efferbuit in occurſum Legatorum Hormiſdæ plebs Cleruſque Conſtantinopolitanus.

XIX. Item ex aliis argumentis.

Accedamus iam ad alia huius doctrinæ præſidia, ſtrictim tantùm attingenda. Gratianus & Theodoſius Magnus hoc edicto quæ regula, quæ ſcatebra ſit Catholicæ

XX. Alia ad idem argumenta, ex lege olim Gratiani & Theodo-

Digitized by Google

communionis declarant. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum.* Hos *Christianos Catholicos* dici iubent, reliquorum conciliabula *Ecclesias* appellari vetant. Vides quo ex centro communionem & fidem Catholicam deriuent? Nempe ex fide & Sede Romanâ Petri Apostoli, & Damasi eius successoris: cui & Petrus Alexandrinus subiungitur, vt Marci successor, & Petri discipulus, & Damasi consentaneus, ad quem confugerat, à quo & restitutus fuerat, denique Orientalibus proximior, quorum fides propiori hac amussi erat expendenda. Cùm mox ergo lege sequenti Ecclesiæ tradi iubentur iis, qui communione fruuntur Nectarij CP. Timothei Alexandr. Pelagij Laodicensis, Diodori Tarsensis, & aliorum complurium, qui ibi singulis è Diœcesibus nuncupantur: non id eò pertinet, vt tam multi cardines ecclesiasticæ communionis constituantur, sed vt propè esset, nec longè requirendus, cuius arbitrio vel consensu Ecclesiæ concederentur. Distat enim inter vtramque hanc legem 1. quod priori inconcussum substernitur fundamentum, *Petri Apostoli religio Romanis tradita, & vsque nunc ab ipso insinuata.* Secunda arbitraria est, nullo diuino, nullo Apostolico documento fulta. 2. Prior latissimè patet, & vniuersalem complectitur Ecclesiam, primam in Occidente, secundam in Oriente Sedem designans. Posterior solius Orientalis Ecclesiæ curam agit. 3. Vt in quolibet Episcopatu, in qualibet prouincia constitui centrum vnitatis conducit, nec satis est tamen, sed in qualibet etiam diœcesi necessum est: ita necesse est & in vniuersa Ecclesia. Ergo cùm antè ex Gratiani lege, de qua infrà copiosiùs agetur, traditæ essent iis Ecclesiæ, qui fide & communione Damasi gauderent: posteriori lege complures potuere Episcopi indigitari, vt fidei & communionis Catholicæ censores, vtpote qui antè ipsi Ro-

sii in causâ Arianorum. *Cod. Theod. l. 16. t. 1. l. 2.*

Cod. Iustin. l. 1. t. 1. l. 2.

Ibid. l. 3.

manæ se vnitati Ecclesiæ conglutinatos approbassent.

4. Ad Gratianum Imperatorem scripserat Synodus Aquileiensis, & in ea Ambrosius, aduersùs Vrsicinum Romanæ Ecclesiæ se intrudentem; Arianorum communione maculatum illum fuisse, & *quomodo fieri potest, vt eum quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ iudicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes venerandæ commonitionis iura dimanant. Et ideo petimus & rogamus, vt obripiendi ei adimere dignemini facultatem.* Et hîc quoque fides & Sedes Petri, totius videlicet orbis Romani Caput, & ex qua ad omnes iura dimanant, declaratur, quàm inaccessa sit hæreticorum communione sorditatis.

Iuò lege, communionis.

XXI. Ex Iustiniani sacrâ ad Ioannem Papam. *Cod. l. 1. Tit. 1. l. 8.*

Nihil in hanc rem luculentius edicto Iustiniani ad Ioannem Papam: *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vt decet Patrem, honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Quoniam nobis semper fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenùs obtinet & incommotè permanet, nullâ intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes vniuersi Orientis tractûs & subiicere & vnire Sedi vestræ sanctitatis properauimus, &c. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubitatum sit, quod moueatur; vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.* Hæc Iustinianus tum Imperator, adunationi Ecclesiarum colophonem imponere laborans, cui Comes idem antè fundandæ & promouendæ insudauerat. Spectas hîc autem Apostolicam Sedem Caput esse Ecclesiarum omnium: ideo cæteras ei omnes etiam Orientis Ecclesias & vniendas & subiiciendas esse: nec quidquam in Ecclesia citra eius conscientiam esse mouendum. Ioannes sanè Papa Iustiniano rescribit: *Charitatis studio edocti ecclesiasticis di-*

Digitized by Google

ſciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conſeruatis, & ei cuncta ſubiicitis, & ad eius deducitis vnitatem: ad cuius authorem, hoc eſt, Apoſtolorum primum, Domino loquente præceptum eſt, Paſce oues meas. Quam eſſe omnium verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant. Declarant, non conſtituunt, quod Domini voce conſtitutum ſuprà dixit.

XXII. Idem euincitur ex Hieronymo.

Iam audiendus Hieronymus ad Damaſum: *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit, &c. Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam, &c. Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arcâ Noë non fuerit, peribit regnante diluuio, &c. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt, &c. Dignare ſcripta tranſmittere: ſimul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, ſignifices. Quia Campenſes cum Tharſenſibus copulati, nihil aliud ambiunt, quàm vt authoritate communionis veſtræ fulti, tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent.* Et epiſtolâ ſequenti ad eundem: *Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit authoritas. Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obteſtor beatitudinem tuam, per crucem Domini, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito, &c. vt mihi literis tuis apud quem in Syriâ debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro quâ Chriſtus mortuus eſt.* Cùm duplici Oriens diſſidio ſcinderetur, cui ex tribus Antiochiæ Epiſcopis communicandum eſſet, & treſne in Deo hypoſtaſes, an vna hypoſtaſis & tres perſonæ dicendæ eſſent: ad Cathedram Petri, ad Damaſum confugit Hieronymus, nempe vt ad fidei & communionis Catholicæ fontem il-

Digitized by Google

limem. Primùm ergo etsi in vtroque illo vado æstuare se, & alternare professus, Catholicum se tamen clamitat, quia Damaso iungitur fide & communione. 2. Doceri se à Damaso flagitat, cui è tribus Antiochenis Episcopis communicandum sit. Moderator ergo & regula catholicæ communionis erat Damasus, vt & dubij docerentur, quibus communicandum; & quandiu dubitarent, in eius communione conquiescerent. 3. Tres ipsi Antiocheni Episcopi certatim se iactabant cum Damaso communicare. Intelligebant nempe ipsi momentum victoriæ in eo pendere. Et de vno eorum id si constitisset, ab hoc ambiguo absolutus fuisset Hieronymus. 4. Similiter & trium hypostaseon assertores, *nihil aliud ambirent*, quàm vt Damasi *communionis authoritate fulti*, sententiæ suæ publicandæ licentiùs indulgerent. 5. Totius prærogatiuæ huius origo ex Cathedra Petri, ex fide Apostolico ore laudata: hæc enim arca Noë est; hæc domus vna, intra quam agnus comeditur; hæc Petra, supra quam ædificatur Ecclesia. Qui in tanta luce cæcutiunt, næ sua illos exoculauit obstinatio. Nam complures alij passim erant Episcopi, extra schismatis suspicionem, suâ singuli in vrbe Cathedram soli assecuti, & eo sensu Cathedram Petri obtinentes; & nullum horum, tametsi loco proximiorem, nec tantâ precum ambitione conueniendum, compellat Hieronymus; sed solum Damasum, cum quo de Cathedra contenderat Vrsicinus: vt quem solum intelligat, plenè Cathedram Petri tenere, & fidem Apostolico ore laudatam, nempe Romanam: solum certatim ambiri à Vitali, Meletio, & Paulino: solum ab vnius vel trium hypostaseon Patronis prehensari, vt eius nutu inclinetur victoria. Et rursus idem Hieronymus aduersùs Ioannem Episcopum Hierosolymitanum ad Theophilum: *Præterea quòd scribit nos pergere tecum Romam, & Ecclesiæ communicare ei, à quâ videmur communione separati: non est necesse ire tam longè, & hîc in Palæstinâ eodem modo ei iungimur.* Et infrà in aliâ rursus ad Theophilum epist.

Digitized by Google

Scito nobis nihil esse antiquius, quàm Christi iura seruare, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur. Et in epistolâ ad Marcum Presbyterum Celedensem aduersùs eosdem trium hypostaseon confessionem extorquere importuniùs imminentes, *Aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.* Et in lib. de Script. Eccl. de Marcello Ancyrano Episcopo differens, illum præfatus accusatum hæreseos à multis, ait, *Porro ille defendit se non esse dogmatis, cuius accusatur, sed communione Iulij & Athanasij Romanæ & Alexandrinæ vrbis Pontificum se esse munitum.* Vbi vides etiam ex suâ cum Petro Alexandrino Episcopo communione, fidem Catholicam sibi vendicare, & approbare aduersariis: sed nimirum quia Romanæ conueniebat Alexandrina, & Romanam Apostolico ore laudatam fidem sectabatur, seu Arianis, seu Origenistis inimicam.

XXIII. Ex Augustino, & Ambrosio.

Augustini sententia æquè expedita est. Nam epist. 162. ait Cæcilianum, *potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret, & Romanæ Ecclesiæ in quâ semper Apostolica Cathedra viguit principatus, & ceteris terris vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum: vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Viden, vt Cæciliano suffragetur aduersùs conspirantes Donatistarum cateruas communio cum Ecclesiis transmarinis, & ante alias cum Romana Ecclesia, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus? Quia enim illi Ecclesiæ communicabat Cæcilianus, non communicabant Donatistæ, ille vicit, hi causa ceciderunt. Porro vt præsidio erat Cæciliano communio cum aliis Ecclesiis, & maximè cum Romana: ita singulis orbis Episcopis aduersùs schismatum procellas subsidio semper esse debuit communio eius Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus. Ex quo nænias Nouatorum ridebis prolixiùs. Num enim & hîc A-

Digitized by Google

postolicam Petri Cathedram omnibus Ecclesiis principantem, ita vt in Hieronymi verbis, audebunt detorquere ad alienissimos sensus? Idem contra Lit. Petil. l. 2. c. 51. *Cathedra ubi quid facit Romanæ Ecclesiæ, in quâ sedit Petrus, & in quâ hodie Anastasius sedet? Vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in quâ Iacobus sedit, & in quâ hodie Ioannes sedet, quibus nos in Cathol. cà vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? &c. Ait Dominus, Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, &c. Hæc si cogitaretis, non propter homines quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis.* Et hîc vides, quàm constanter obiectet hæreticis suam secessionem à Cathedris Ecclesiæ principalibus, quarum communione carent; maximè autem & ante alias etiam Apostolicas, à Romanâ, nempe in quâ *sedit Petrus.* Cypriani mentem elucidauimus suprà. Prodeat hîc Ambrosius in Serm. de obitu fratris. Baptismi cupidus Satyrus, *aduocauit ad se Episcopum, nec vllam putauit nisi vera fidei gratiam: percontatusque ex eo est, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romanâ Ecclesiâ conueniret. Et fortè ad id locorum in schismate erat regionis illius Ecclesia. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione seiunxerat.* Hîc perspicis, cum Catholicis Episcopis communicare, non aliud esse, quàm cum Ecclesiâ Romanâ.

XXIV. Ex Prosper.

Et Prosper lib. de Dimidio temporis cap. 5. *Ab Apostolorum consortio alieni inueniuntur omnes hæretici, qui relictâ pace communionis, & Panis vnius Dei, & Apostolorum, in suis non Ecclesiis, sed plateis prædicant; & eorum memoriis non communicant; separati à toto, Catholicum sibi nomen adsciscunt. Cùm in ipsâ Hierusalem Iacobus & Stephanus primus martyr, Ioannes apud Ephesum, Andreas & cæteri per totam Asiam, Petrus & Paulus Apostoli in vrbe Româ gentium Ecclesiam (in quâ Christi Domini doctrinam erudierunt,) pacatam, vnamque posteris tradentes, sanguine, memoriisque suis, ex dominicâ passione sacrarunt. Huic generali Ecclesiæ communicans, Christianus est Catholicus. Ab hac segregatus, hæreticus est.* Ecclesias complures Apostolicas enumerat, sed vnam cæteris eminentem,

Digitized by Google

eminentem, quam primus Apoſtolorum; quam alter ſecundùm illum primus; quam Gentium Eccleſiam, quaſi cæteri Apoſtoli Iudaïcas tantùm fundaſſent: quam non fundarunt ſolùm Apoſtoli, ſed ſuo ſanguine conſecrarunt: quam ſuis memoriis adhuc illuſtrant. Cùm ergo communicandum ſit *generali Eccleſiæ*, vt Chriſtianus quis ſit *Catholicus*, accommodatiſſimum eſt, vt ne per ſingulas diſcurrat, vel Eccleſiarum vertici communicet, vel cuilibet cum vertice communicanti. Idem Proſper iuxtà ac Auguſtinus debellati Pelagiani dogmatis laudem vni præ cæteris vendicat Apoſtolicæ Sedi, abſciſſoſque ab Eccleſiæ corpore eius defenſores. Ex aduerſo autem Cæleſtini Papæ verba & authoritatem depromit idem Proſper ad propulſandos Auguſtini obtrectatores. *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vitâ ſuâ atque pro meritis, in noſtrâ ſemper communione habuimus.* Quibus in verbis Cæleſtini ſatis eſt præſidij ad ſiniſtræ ſuſpicionis rumores omnes ab Auguſtino, eiuſque libris ſummouendos.

XXV. Ex Optato, & Gregorio Magno.

Optatus alibi laudatus, qui lib. 2. ait: *Negare non potes ſcire te, in vrbe Româ Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, &c. In quâ vnâ Cathedrâ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, &c. Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens, &c. Damaſo Siriçius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vnâ communionis ſocietate concordat.* Quid his apertius? Etiam Apoſtoli in vna Petri, nempe Capitis ſui cathedra vnitatem ſeruare debebant, ne ſingulas ſibi quiſque defenderent Eccleſias; vnde & Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi Petri Succeſſori Romano Epiſcopo per totum orbem communionis ſocietate concordant. Denique apud Gregorium Magnum lib. 10. epiſt. 31. hæc eiurandæ hæreſeos formula præſcribitur Epiſcopo redeunti: *Prona voluntate ad vnitatem Sedis Apoſtolicæ diuinâ gratiâ duce reuerſus ſum, &c. Sub ordinis mei caſu & anathematis obligatione, promitto ſemper me in vnitate ſanctæ Catholicæ Ec-*

cleſia & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum.

XXVI. Ex medij ævi Scriptoribus maximè Gallicanis, Alcuino, Ratramno, Hincmaro, Carolini item voluminis compilatoribus.

Medio æuo Alcuinus lib. de diuinis Officiis cap. 40. *Quòd verò poſt generalem Eccleſiæ commemorationem adiungitur: Vnà cum famulo tuo Papa noſtro, ipſius eccleſiaſtici corporis vnitas fortiùs commendatur. Quia religionis cultum ſic Dominus inſtituit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret: atque ab illo, quaſi quodam capite, dona ſua vellet in corpus omne manare. Vnde conſtat ab vniuerſi orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut B. Pelagius docet, qui qualibet diſſenſione, inter ſacra myſteria, Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem non frequentant. Et Antiſtite noſtro. Sicut enim vniuerſalis Eccleſiæ commemoratio propter vnitatem ſocietatis & pacis coniungitur commemorationi Apoſtolici Pontificis: ita dignum & religioſum eſt, vt ſingulæ Eccleſiæ commemorationem ſubiungant Antiſtitum, probantes ſe per illam orationem ſeruare cum eis vnitatem ſpiritûs in vinculo pacis.* Igitur ex ipſa prece Sacerdotum ad altare, quâ nihil magis ſacroſanctum, conſtat cuique fideli enitendum eſſe, vt non ſolùm cum Epiſcopo ſuo, ſed & cum Eccleſia Catholica, adeoque cum Romano Pontifice communicet, capite vniuerſæ Eccleſiæ, & ſucceſſore Petri, *in quo religionis cultum Chriſtus principaliter collocauit, & ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua in corpus omne manare* iuſſit. Verùm iuuabit Gallorum longè plurium Antiſtitum ſententiam ediſcere ex voluminis Carolini lib. 1. cap. 5. *B. Hieronymus vir diuinis legibus, & multarum linguarum peritiâ eruditus, dum Bethlehemiticis moraretur in aruis, & à B. Papâ Damaſo Romæ poſito de difficilibus conſuleretur quæſtionibus; eum pro cauſâ fidei verſa vice conſuluiſſe dignoſcitur: & ſiue tacendarum ſiue dicendarum hypoſtaſeon, & quibus in Orientalibus partibus communicare debeat humillimis apicibus, vt apices accipiat, deprecatur. Mira res. Interrogat, à quo interrogatur: conſulit, à quo conſulitur: qui magiſtrum ſe in interpretandis diuinis Scripturis ſentit, in cauſis fidei venerandi Pontificis ſe diſcipulum minimè erubeſcit: & cui ſacræ legis quæſtionum ne-*

Digitized by Google

xus enodat, vtrum hypoſtaſes dicere debeat, & quibus in Oriente communicare, efflagitat. Vnde datur intelligi, ſanctos & eruditos viros, per diuerſas mundi partes, prædicationis & ſcientiæ lampade coruſcantes, non ſolùm à ſancta Romana Eccleſia non receſſiſſe: ſed etiam tempore neceſſitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium imploraſſe. Quod regulariter omnes Catholica debent obſeruare Eccleſiæ, vt ab ea poſt Chriſtum ad muniendam fidem adiutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentoſa hæreſum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. A cuius ſancta & veneranda communione multis recedentibus, noſtræ tamen partis nunquam receſſit Eccleſia. Vbi vides fidei & communionis cognationem. Vides Hieronymum etſi eccleſiaſticæ totius ſapientiæ penu quoddam inexhauſtum, & ab ipſo Romano Pontifice in cæteris quæſtionum nexibus conſuli ſolitum: *in cauſis fidei* tamen, & *quibus communicare* oporteat, viciſſim ſe diſcipulum profiteri Romani Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ, vt *quæ non habet maculam, neque rugam:* vt quæ *poſt Chriſtum* ad muniendam fidem adeunda eſt. Vides in Hieronymo, & Auguſtino, quem Romanæ ipſum etiam Eccleſiæ communio aduersùs poſthumas calumniatorum inimicitias tutata eſt: in vtroque inquam iſto Eccleſiæ ſydere explenduiſſe, quid inter apicem eruditionis & apicem authoritatis interſit. Vides denique nuſquam Gallicanam Eccleſiam à Romanæ Eccleſiæ communione receſſiſſe. Et Ratrannus contra Græcorum oppoſita lib. 1. cap. 1. *Quod culpare nituntur Græci, non ſolum Romanam, verùm omnem Latinam Eccleſiam, &c. Nonne ſe hæreſeos pravitate condemnant, & ab Eccleſiæ communione remouent?* Et lib. 2. cap. vlt. *Cur à communione ſe dividunt Græci, quam ſemper tenuere maiores? &c. Sciant quia cum Romanis ſuos quoque iudicent maiores: & dum Romanos ſua cupiunt communione priuare, ſe pariter excommunicent à ſuorum ſocietate maiorum: & nulli probentur Eccleſiæ communicare Catholicæ, dum Romana communione ſeſe faciunt alienos. Hoc factum cuius ſit mali, citò conſiderent, & errorem corrigere ſuum non differant;*

ne ſi Romanis communicare nolnerint, ab vniverſa Eccleſia Catholica ſe paveant excommunicandos. Quid explanatius dici potuit? Adde his Hincmarum, quo nullus iuris eccleſiaſtici arcana penetralia altiùs rimatus eſt. Is ad Nicolaum Papam ſcribens ſibi ſubiratum: *Modis omnibus quantùm Deus donaverit, providere ſtudebo, ne à communione Sedis Apoſtolicæ, quod abſit, quolibet modo exterrem me vltimus dies, qui mihi incertus eſt, & ſubitò venire poteſt, inveniat.* Et paulò pòſt: *Qui quare Dominus in Evangelio Centurionis fidem laudet, dicentis, Dic verbo, & ſanabitur puer meus: intelligit, quàm operatorium ſit Epiſcopi, imò ſicut in Paulo, in ſe loquentis Chriſti: quantò magis Pontificis Apoſtolicæ Sedis verbum, & quàm obedienda ſit ipſius præceptio, etiam ſine vlla admirationis adiectione cognoſcit.* Idem ad Hadrianum Nicolai ſucceſſorem ſcribit ſummopere ſe exhorruiſſe, quod in ſe vnum *tantam comminationem intentarit*, nempe de abſcindenda *participatione communionis ſuæ*, niſi ſequeſtraret ſe à communione & conſortio Caroli Regis in obſtinatione ſuâ perſiſtentis: cùm reliquos Epiſcopos in eâdem causâ poſitos Pontifex *tantum monuerit, increpuerit, redarguerit, inſtruxerit.*

To. 2. Opuſc. 17. pag. 258. 259. & Opuſc. 41. p 693. 698.

XXVII. Ex Lanfranco vt Eccleſia Romana ſit totum, & membrum eadem Eccleſiæ Catholicæ.

Denique Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Concilio an. 1072. ex Guillelmo Malmeſbur. lib. 1. de Geſtis Pontificum Anglorum, hæc peroravit, ad huius rei, quam verſamus, elucidationem accommodatiſſima. *Præterea quod valet in toto, valet in parte. Quod valet in maiori, valet in minori. Romana Eccleſia quaſi totum eſt omnium, cætera Eccleſiæ quaſi eius partes. Sicut enim quodam intuitu homo eſt genus individuorum ſuorum, & tamen in vnoquoque individuo ineſt totius hominis tota proprietas: ita quodam reſpectu Sedes Romana eſt genus, & totum omnium Eccleſiarum: & tamen in vnaquâque Eccleſiâ totius Chriſtianæ fidei tota regnat integritas. Ipſa eſt maior omnium Eccleſiarum, & quod in ea valet, debet & valere in minoribus.* Ita ille longè alium in ſcopum collimans. Sed eo conſtituto, quod Sedes Romana ſit quaſi genus & totum omnium Eccleſiarum:

Digitized by Google

non secùs quàm Caput, membrum cùm sit, membrorum tamen omnium quodammodo totum est, & totius instar ac vice est: inde dilucidum fit, quî vniuersæ Ecclesiæ communione vel frustretur, vel potiatur, quisquis Ecclesiæ Romanæ pace vel gaudet, vel spoliatur.

XXVIII. Argumenta ex Nicolao de Cusa ad eandem Romanæ communionis necessitatem.

Nec ab his abludit Nicolaus de Cusa epist. 1. *Sensibilem Ecclesiam sensibile Caput habere conuenit, & ob hoc Caput huius Ecclesiæ sensibile est Pontifex, qui ex hominibus assumitur, in quo est hæc ipsa Ecclesia complicatiuè, vt in primo vno Confessore Christi. Petrum autem primum Christi Confessorem scimus inter homines, & ob hoc Petrus à confessione Petræ quæ Christus est, nomen accipiens, complicatam in se Ecclesiam explicauit, verbo doctrinæ, primò omnium.* Ita ergo totum Ecclesiarum est Sedes Petri, quà caput omnium, omnes complicans in sese, omnes ex se explicans: atque ita in consortium suæ communionis omnes pertrahens. Et epist. 2. ad Bohemos: *Iubet Augustinus si scire velis, an in Ecclesiâ existas, hâc vestiges ratione, si cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas successiones in Petrum continuatur, &c. Cùm populus adhærens Pontifici, particularem constituat Ecclesiam, & cum vnus sit per orbem principatus, qui suo priori adhærere debeat: Romanæ scilicet Sedi: erit necessariò Catholica Ecclesia illa, quæ primæ Sedi Petri adhæret. Et licèt sæpe multi schismatica diuisione ab illâ Romanâ Ecclesiâ recesserint; nunquam tamen fuit, quin maior fidelium numerus in vnitate illius Romanæ Ecclesiæ, ex fidelibus & primo Episcopo compacta, perseueraret. Quare in eâ nostræ saluti necessaria remansit hactenus & remanebit veritatis columna. Huius stabilis veritatis exempla plura legimus, quoties aliæ Ecclesiæ, maximè Constantinopolitana à fide errauerit; & ab ipsâ Romanâ, fatuâ præsumptione se abscideriť; & demum ad vnitatem ipsius & obedientiam reducta sit. Ita de Alexandriâ & aliis Patriarchalibus Sedibus paria plura inueniet. Nullum tamen eorum de Romanâ Ecclesiâ, aut quòd ipsa vnquam à fide errauerit, aut per quamcumque Sedem fuerit reducta, comperiet. Sed sicut aliæ ab ipsâ aliquoties recesserunt, in erroremque ceciderunt: ita per princi-*

Digitized by Google

patum fortissimum Petri, debiles demum confortati in fide, ad eius vnionem reducti sumi. Vnde infallibilitatis refugium est, in vnione esse cum Principe in Ecclesiâ, qui omnis principatûs spiritualis, tam Petri inter Apostolos & Indæos, quàm Pauli inter gentes successor, vtrinsque potestatem habet. Vbi perspicis totum hoc à Petro priuilegium in eius Sedem redundare, seu à verbo Christi Petro principatum largientis inter Apostolos. 2. Sæpe & Constantinopolitanam & Alexandrinam, & alias Sedes, Ecclesiasque illis adunatas, à Romana Ecclesia secessisse; sed & ipsas tunc plerumque à fidei orbitâ deflexisse, & tandem ad vnionem cum Romana matrice Sede resipiscentes properasse. 3. Nunquam Romanam, ceu à fide, vel ab vnitatis ecclesiasticæ compage diuulsam, ab aliis Sedibus reuocatam emendatamque fuisse. 4. Quamuis quatuor aliæ Sedes aliquando à Romana desciuerint, vt in Acaciano furore, multò maiorem tamen fidelium multitudinem toto in orbe in consensione Romanæ Ecclesiæ permansisse, atque ita eandem semper extitisse Catholicam Ecclesiam ac Romanam. Nam Occidens solidus Romanæ Sedi indiuulsis nexibus semper adhæresceba. Orientis autem complusculi semper Episcopi, Clerici, Monachi, fideles, antiquæ fidei & communionis tenaciores, ab Orientalibus ipsis Exarchis & Patriarchis suis, quàm à Romano Pontifice malebant diuelli: eaque in causa, nec sanguini aut vitæ parcebant. 5. Et ita alibi ex Gelasio & Nicolao Pontificibus ostensum, solo Romanæ Sedis dissensu vel consensu, seu Romanæ communionis concessione vel abscissione, Synodos sententiasque Orientalium olim vel ratas, vel irritas habitas esse. Cæcilianus, Athanasius, Chrysostomus, Flauianus, Africæ atque Asiæ communione exturbati, Sedibusque eiecti, intra suæ illos communionis gremium Romana vsque fouente Ecclesia, & Catholici semper & Episcopi habiti sunt; idque vel ipsæ etiam, quæ eos damnauerant, Sedes tamdem confiteri sunt compulsæ. Ex aduerso Acacius, Petrus, Euphemius, Timo-

Digitized by Google

theus, Macedonius Romanæ communionis gratia expoliati, tametsi tota illis Orientalis Ecclesia communicare pertinacissimè contenderet, expuncti tandem vbique terrarum fuere sacris fastis. Nec aliter fides æquitasque seu per Orientem, seu per Occidentem, nisi hoc Romanæ communionis vinculo, potuit contineri. 6. Ideo Cusanus rectè ait, *infallibilitatis refugium* esse, vt in vnione sit quis cum Petri & Pauli successore, hoc est, cum vniuersâ ex Iudæis & Gentibus sociatâ Ecclesiâ. Quod vt maioris adminiculo authoritatis fulciatur, & à recentioribus ad antiquos scriptores, abs Latinis ad Græcos, nos referamus, vnus huic disputationi in cumulum accedat Irenæus, & Gallos suos antiquissimo & sinceriſſimo illo Apostolicorum temporum lacte imbuat. Ita ille l. 3. c. 3. *Quoniam valde longum est in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, à glorioſissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in quâ semper ab his qui sunt vndique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Omnem Ecclesiam conuenire, hoc est, communicare necesse est Romanæ Ecclesiæ, ob potentiorem principalitatem, quia videlicet fundata est à glorioſissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, ideoque maxima est, antiquissima & omnibus cognita: & omnes hetcrodoxi, ex eo quod huic Ecclesiæ dissentiant, confunduntur.

XXIX. Superiora omnia ex Irenæo confirmantur.

Vnum video à Nouatoribus prætentari maximè Meletium Antiochenum Episcopum, qui cùm exors Romanæ communionis excessisse viuis iactetur, non Catholici tantùm nominis gloriâ, sed & sanctitatis eximiâ laude floruit tamen, & vel ipsius Ecclesiæ Romanæ suffragio

XXX Obiicitur à Nouatoribus Meletius Antiochenus Episcopus.

Digitized by Google

celebratur. Ex aduerſo autem Paulinum Meletij in eâdem Sede æmulum, & Græci Patres conuitiis proſcidere, & Romana Eccleſia nullo defunctum honeſtauit encomio, etſi dum in viuis ageret, ſuæ communionis conſortem. Gregorius Nyſſenus orat. in funere Meletij habita in Synodo II. œcumenica, memorata charitate Eccleſiæ Antiochenæ in ſponſum ſuum Meletium, & mox, in exilium eo acto, viduitate: ſubdit, *tam multum temporis interceſſerat, cùm quidam adulterandi animo, immaculatum lectum coniugalem aggreditur. Sed ſponſa non poterat corrumpi.* Vbi ſponſum Meletium, adulterum Paulinum vocat. Chryſoſtomus autem hom. de anathemate: *Putatiſne rem parui momenti eſſe, ante iudicem, ante iudicij tempus aliquem condemnare? Anathema enim omnibus modis à Chriſto ſeparat. Ad hæc quid reſpondent illi malitiâ potentes? Hereticus, aiunt, ille factus eſt, inhabitantem habet Diabolum, aduersùs Deum iniuſtitiam loquitur, multos in profundam perditionis abdoſſit eloquentiæ ſuæ efficaci ſuadela & deceptione, & propter hoc à Patribus eiectus eſt, maximè huius magiſter, qui partem Eccleſiæ abſcidit, Paulinum vel Apollinarem deſignantes.* Quantis ex aduerſo præconiis cumularit Meletium Chryſoſtomus, nulli incompertum eſt. Cùm vel maxime Martyrologio Romano memorentur Nyſſenus & Chryſoſtomus, Meletium eximiis & meritis laudibus exornaſſe.

Tom. 1. pag. 911.

XXXI Quid de eo referat Theodoretus?

Illud ergo accuratiùs hîc perſcrutandum, an Romanæ communionis Eccleſiæ expers fuerit Meletius. Et Theodoreto primùm accommodandæ aures, qui lib. 5. hiſt. c. 2. de Gratiano hæc ſcribit. *Imperij quaſi primitias omnium gubernatori Deo obtulit. Nam conſcripſit legem, quâ iubebat tum Paſtores eiectos in exilium redire, ſuiſque gregibus reſtitui; tum ſanctas Eccleſias tradi his, qui Damaſi communionem amplexarentur. Hic Damaſus Epiſcopus Romanus fuit, &c. qui quoad eius fieri poterat, doctrinam Apoſtolicam aſſiduè tutatus eſt, &c. Vt autem ea lex maiorem haberet authoritatem, miſit ducem Saporem, &c.* Et cap. 3. *Quanquam verò iſtud mandatum apud ſingulas gentes ſine contentione conficiebatur; tamen*

Digitized by Google

tamen Antiochiæ, discordiæ flamma incensa est. Doctrinæ Apostolicæ propugnatores erant in duas partes diuisi. Quarum una statim post insidias contra Eustathium magnum comparatas, Arianam nequitiam detestata, conuentus separatim egit, Paulinumque habuit Antistitem. Altera post Enzoium ordinatum Episcopum, ab impijs Arianis se vnà cum Meletio viro insigni segregans, sapientissimâ Meletij doctrinâ gubernata est. Porro Apollinaris Laodicensis alteri iam parti se ducem præbuit, qui tametsi pietatis personam induebat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere videbatur: paulò pòst tamen se eiusdem aduersarium esse palam prodidit. Et infrà: *Aduentante Antiochiam Sapore, cùm legem Gratiani ostendisset, Paulinus se à partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoque affirmat morbo erroris sui occultato Apollinaris. At diuinus ille Meletius se & quietè gessit, & ab eorum contentione continuit. At Flauianus qui tunc ex numero adhuc presbyterorum erat, duce Sapore audiente, ad Paulinum sic verba facit; Si Damasi communionem, ô amice, amplecteris, nobis tuæ & illius doctrinæ consensum manifestè commonstra. Nam ille vnam Trinitatis vsiam confitetur, tresque hypostases palam predicat: at tu hypostaseon trinitatem tollis. Deinde ad Apollinarem: Demirer te tam manifestè veritati repugnare, cùm certò scias, Damasum virum sanè admirabilem, affirmare perfectam nostram naturam à Deo Verbo assumptam esse, &c. Denique Meletius Paulinum compellat his verbis, Quoniam & mihi istarum ouium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum suscepisti curam, ipsæque oues inter ipsas veræ pietatis communione consentiunt: greges, ô amice, concordiæ vinculis coniungamus, & contentionem de primatu dirimamus, &c. Ponamus in Sede librum Euangelij, & vtrimque nos sedeamus. Quòd si ipse priùs è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis. Sin autem tibi illud contigerit, ergo rursus curam ouium pro virili geram, &c. Paulinus non acquieuit, &c. Dux Sapores eorum quæ vtrimque dicta erant, index constitutus, magno Meletio Ecclesias tradidit, Paulinus autem ouium quas ab initio à reliquis segregauerat, Antistes permansit.* His addenda quæ ex epist. Hieronymi ad Damasum suprà descripsimus.

celebratur. Ex aduerſo autem Paulinum Meletij in eâdem Sede æmulum, & Græci Patres conuitiis proſcidere, & Romana Eccleſia nullo defunctum honeſtauit encomio, etſi dum in viuis ageret, ſuæ communionis conſortem. Gregorius Nyſſenus orat. in funere Meletij habita in Synodo II. œcumenica, memorata charitate Eccleſiæ Antiochenæ in ſponſum ſuum Meletium, & mox, in exilium eo acto, viduitate: ſubdit, *Iam multum temporis interceſſerat, cùm quidam adulterandi animo, immaculatum lectum coniugalem aggrediuntur. Sed ſponſa non poterat corrumpi.* Vbi ſponſum Meletium, adulterum Paulinum vocat. Chryſoſtomus autem hom. de anathemate: *Putatiſne rem parui momenti eſſe, ante Iudicem, ante iudicij tempus aliquem condemnare? Anathema enim omnibus modis à Chriſto ſeparat. Ad hæc quid reſpondent illi malitiâ potentes? Hereticus, aiunt, ille factus eſt, inhabitantem habet Diabolum, aduersùs Deum iniuſtitiam loquitur, multos in profundum perditionis abduxit eloquentiæ ſuæ efficaci ſuadela & deceptione, & propter hoc à Patribus eiectus eſt, maximè huius magiſter, qui partem Eccleſiæ abſcidit, Paulinum vel Apollinarem deſignantes.* Quantis ex aduerſo præconiis cumularit Meletium Chryſoſtomus, nulli incompertum eſt. Cùm vel maxime Martyrologio Romano memorentur Nyſſenus & Chryſoſtomus, Meletium eximiis & meritis laudibus exornaſſe.

Tom. 1. pag. 911.

XXXI Quid de eo referat Theodoretus?

Illud ergo accuratiùs hîc perſcrutandum, an Romanæ communionis Eccleſiæ expers fuerit Meletius. Et Theodoreto primùm accommodandæ aures, qui lib. 5. hiſt. c. 2. de Gratiano hæc ſcribit. *Imperij quaſi primitias omnium gubernatori Deo obtulit. Nam conſcripſit legem, quâ iubebat tum Paſtores eiectos in exilium redire, ſuiſque gregibus reſtitui; tum ſanctas Eccleſias tradi his, qui Damaſi communionem amplexarentur. Hic Damaſus Epiſcopus Romanus fuit, &c. qui quoad eius fieri poterat, doctrinam Apoſtolicam aſſiduè tutatus eſt, &c. Vt autem ea lex maiorem haberet authoritatem, miſit ducem Saporem, &c.* Et cap. 3. *Quanquam verò iſtud mandatum apud ſingulas gentes ſine contentione conficiebatur; tamen*

Digitized by Google

tamen Antiochiæ, discordiæ flamma intensa est. Doctrinæ Apostolicæ propugnatores erant in duas partes diuisi. Quarum una statim post insidias contra Eustathium magnum comparatas, Arianam nequitiam detestata, conuentus separatim egit, Paulinumque habuit Antistitem. Altera post Enzoium ordinatum Episcopum, ab impiis Arianis se vnà cum Meletio viro insigni segregans, sapientissimâ Meletij doctrinâ gubernata est. Porro Apollinaris Laodicensis alteri tam parti se ducem præbuit, qui tametsi pietatis personam induebat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere videbatur: paulò pòst tamen se eiusdem aduersarium esse palam prodidit. Et infrà: *Aduentante Antiochiam Sapore, cùm legem Gratiani ostendissent, Paulinus se à partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoque affirmat morbo erroris sui occultato Apollinaris. At diuinus ille Meletius se & quietè gessit, & ab eorum contentione continuit. At Flauianus qui tunc ex numero adhuc presbyterorum erat, duce Sapore audiente, ad Paulinum sic verba facit; Si Damasi communionem, ô amice, amplecteris, nobis tua & illius doctrina consensum manifestè commonstra. Nam ille vnam Trinitatis vsiam confitetur, tresque hypostases palam predicat: at tu hypostaseon trinitatem tollis. Deinde ad Apollinarem: Demiror te tam manifestè veritati repugnare, cùm certò scias, Damasum virum sanè admirabilem, affirmare perfectam nostram naturam à Deo Verbo assumptam esse, &c. Denique Meletius Paulinum compellat his verbis, Quoniam & mihi istarum ouium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum sustepisti curam, ipsæque oues inter ipsas veræ pietatis communione consentiunt: greges, ô amice, concordiæ vinculis coniungamus, & contentionem de primatu dirimamus, &c. Ponamus in Sede librum Euangelij, & vtrimque nos sedeamus. Quòd si ipse priùs è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis. Sin autem tibi illud contigerit, ergo rursus curam ouium pro virili geram, &c. Paulinus non acquieuit, &c. Dux Sapores eorum quæ vtrimque dicta erant, index constitutus, magno Meletio Ecclesiæ tradidit, Paulinus autem ouium quas ab initio à reliquis segregauerat, Antistes permansit.* His addenda quæ ex epist. Hieronymi ad Damasum suprà descripsimus.

XXXII. In causa Meletij splenduit Ecclesiæ Romanæ principatus & communionis eius necessitas, cuius error non fuit Meletius.

Palam est ergo 1. quamuis lex Gratiani superiùs relata, Ecclesias dari iubeat communicatoribus Damasi Romani, & Petri Alexandrini Episcopi: solius tamen Damasi meminisse Theodoretum, & toto Oriente solius Damasi communionem in laude & dignitate fuisse. Vsque adeo Petri Apostoli quàm Petri Alexandrini dignitas & Sedes venerabilior omnibus orthodoxis erat, quod & Gratiani lex insinuauerat. 2. Inane est, quod garriunt regiæ vrbis suæ Episcopum à Gratiano cæteris antelatum. Nam disertè ipse in suâ lege Petri Apostoli rationem à se haberi memorat, & Theodoretus, Flauianus, Meletius in ea re suprà Damasi laudes celebrant, non regnatricis vrbium Romæ. 3. Peræquè insulsum est, quod iidem blatterant, ideo Damasi communionem hoc honestatam priuilegio, quòd eum constaret euidentiùs de fide Trinitatis rectè sentire. Nam primò quidem illud ipsum est summum Romanæ Sedis decus, quòd eius fides intaminatior & splendidior toto orbe radiaret, non sub Damaso tantùm, sed iam inde à Synodi Nicænæ æuo, & postèà similiter aduersùs Macedonij, Nestorij, Eutychetis nouitates; cùm cæteras omnes Sedes suo subinde contagio varia hæresum monstra afflauerint. Deinde cùm de fide Trinitatis digladiarentur omnes Orbis Episcopi, & in sectas tam diformes secarentur: quî constabat limpidiores fidei lances manare ab ore Damasi, nisi ex præiudicio Sedis eius? Ad hæc erant & alij complures in Oriente etiam orthodoxi Episcopi. Adde quod nec Damasus vsquequaque arrideret omnibus Orientalibus orthodoxis, vt qui tres hypostases in Deo confiteri, vel respueret, vel contaretur; tres malens personas affirmare, hypostasis autem nomine essentiam significare vnam. 4. At quoniam post Synodum Alexandrinam constabat, eam nominum magis quàm sententiarum rixam esse, ideo toto Oriente *sine contentione* Damasi se communioni adhærescere profetli sunt Catholici omnes Episcopi. Vbi autem inuenies, Orientalis alicuius Episcopi communionem, Occidenta-

Digitized by Google

libus & ipſi Romanæ Sedi oſtenſam, præſcriptamque fuiſſe, veluti amuſſim, ad quam eorum fides recta expenderetur? 5. Communicare ſe cum Damaſo Meletius ipſe profeſſus eſt, cùm eius fidei ſe ſubſcribere, cùm Paulini eius communicatoris fidei ſe ſuaſque oues conſentire dixit, cum denique Eccleſias à Sapore recepit, ex vi vtique legis, Damaſi communicatoribus tradi eas ſancientis. 6. Idem Hieronymus in epiſt. ad Damaſum perhibet: *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt, poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.* Et in epiſt. priori ad eundem: *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Vſque adeo enim de Damaſi communione confidebat, ſeſeque venditabat Meletius, vt illum à Paulino nil diſcernere poſſet Hieronymus, etſi illis ipſis in regionibus iamdiu degeret, & eo ſcrupulo pungeretur iam olim. 7. His quæ à Theodoreto narrata ſunt, aſſuenda ſunt hæc ex lib. 5. cap. 5. *Diximus antea Paulinum Antiochiæ Epiſcopum propter eximiam pietatem in exilium minimè eiectum eſſe. Meletium primùm à Iuliano in patriam accerſitum, deinde cum à Valente denuo eſſet relegatus, regnante Gratiano reuocatum. Qui cùm rediret Antiochiam, Paulinum reperit iam ſenio propè confectum. Confeſtim itaque omnes qui fauebant Meletio, operam dedêre, vt cum Paulino Sedis Epiſcopalis particeps fieret. Cùm autem Paulinus diceret contra Eccleſiæ Canones eſſe, vt quiſquam ab Arianis ordinatus ad Sedem Epiſcopalem participandam admitteretur; populus vi rem conficere ſtatuit. Atque in Eccleſiâ quâdam in ſuburbiis ſitâ illum in Sede Epiſcopali collocant.* Subiicit tandem vtriſque conueniſſe, vt candidati Sedis Antiochenæ ſex omnino, inter quos Flauianus erat, *iureiurando aſtringerentur, vt nemo illorum Epiſcopatûs adminiſtrationem tum capeſſeret, cùm alteruter ex his duobus, Meletium dico & Paulinum, è viuis exiret: ſed ei ſoli qui ſupereſſet, demortui locum obtinendi faceret poteſtatem.* Ita pacata ea diſcordia eſt. *Ob quam cauſam qui à Lucifero ſtabant, ab Ec-*

cleſiâ receſſere, quòd Meletius ab Arianis ordinatus, ad Epiſcopatum admiſſus eſſet. Et infrà cap. 9. *Meletius deceſſit è vita. Qui addicti ei erant, à Paulino gubernari noluere: ſed in locum eius Flavianum conſtituêre. Vnde populus de integro diſſidere cepit. Et propterea Eccleſia Antiochena demùm non propter fidem, ſed propter Epiſcopos diuiſa fuit.* Manifeſtum ex his eſt, Meletio & Paulino, & vtriuſque gregi reſartam fuiſſe tandem concordiam, reuectamque pacem eâ lege, vt alteri præmortuo vnus ſuccederet alter ſuperſtes. Ergo cùm per illud pacis ſerenum Meletius ex hâc mortali vitâ migrarit, communione vtique Damaſi Eccleſiæque Romanæ ad mortem vſque gauiſus eſt. 8. Eadem ferè verbis deſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 3. At cap. 10. Meletij morte & ſepulturâ memoratâ: *Elegitur in illius locum Flavianus præter datum iuſiurandum. Adhuc enim Paulinus in vinis erat. Ex eo igitur maxima rurſus perturbatio Antiochenam Eccleſiam corripuit. Ac plurimi ſe à Flaviani communione abſtraxerunt, & priuatim ſub Paulino conuentum egerunt. Quin & ipſi inter ſeſe ſacerdotes ob hanc rem contendebant. Atque Ægyptij quidem, & Arabici, & Cyprij velut ob Paulinum iniuriâ affectum ſtomachabantur. Syri verò Paleſtini, ac Phœnices, tum etiam ex Armeniis, ex Cappadocibus, ex Galatis, ex Ponticis plurimi pro Flauiano ſtabant. Non minimè autem indignatus fuit Epiſcopus Romanus, & cum eo cuncti ſacerdotes Occidentales, & Paulino quidem cum Epiſcopo Antiochiæ conſuetas ſcribebant epiſtolas, quas Synodales appellant, ad Flavianum verò ſilentium agebant.* Et hinc vides Damaſum Meletio communicaſſe, ſaltem poſt illam cum Paulino iniram concordiam, legemquè de reciprocâ ſucceſſione: nec niſi poſt Meletij mortem ſublecto Flauiano recaluiſſe ſopitas diſſenſiones: & ne tum quidem Flauiano ademptam funditùs Eccleſiæ Romanæ communionem; ſed eius præuaricationem ſilentio ſolo, & literarum ſynodicarum denegatione tum vindicatam. Si Flauiano autem, qui nefariè ſucceſſerat, communicabatur: multò magis antè Meletio, qui iure ſucceſſurus admittebatur. 9. Et

Digitized by Google

Theodoretus quidem Meletio, Flauianoque inclinatior, quàm par esset, pacem illam Meletij Paulinique silet, & iuramentum à Flauiano ipso interpositum, & violatum: & idem tamen lib. 5. cap. 23. prodit placatos tandem Occidentis Episcopos, *promisisse se simultatem deposituros; & legatos, qui à Flauiano mitterentur, admissuros. Quâ re intellectâ, Flauianus Episcopos quosdam illustrissimos, Presbyteros etiam Antiochiæ & Diaconos Romam misit. In quâ legatione principem locum tenebat Acacius Episcopus Berrhœæ oppidi Syriæ, vir omnium ore ac sermone passim celebratus. Qui vnà cum cæteris Romam aduentans, inimicitias ad decem & septem annos continuatas extinxit, Ecclesiisque pacem restituit. Quâ re auditâ, Ægyptij quoque odia sedato, sunt concordiam amplexati.* Ergo quod suprà ex Facundo Hermianensi adnotatum est, non Romana Ecclesia Antiochenæ, sed Antiochena Romanæ pacem pleniorem ambiit, impetrauit, missâque legatione amplexata est: & tenuissimum illud excommunicationis vestigium, quod literarum & legatorum interruptione constabat solâ, cùm in reliquis omnibus illæsa perpetuaretur communio, ambitiosè expunxit. 10. Ad fidem nihil hæc certamina attinuisse aduerterunt Scriptores suprà laudati, & nemini non exploratissimum est. Nullâ Romanæ Sedis Synodive sententiâ impetitum esse vel Meletium vel Flauianum, perinde ex iisdem certum est. Nusquam ergo abrupta ab his est ecclesiastica Romanæ Sedis communio. Quin imò in Capuanâ Synodo an. 489. id decretum est, *vt omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam confitentibus fidem*: vt ait Ambrosius epist. 78. de causâ autem inter Flauianum & Euagrium Paulini successorem cognosceret Theophilus Episcopus Alexandrinus. Eâdem etiam epistolâ Ambrosius *Fratrem* Flauianum identidem appellat, idque vnum maximè Theophilo commendatum esse vult, vt *seruetur impetita pacis gratia inter vniuersos*. Adde legem Gratiani suprà laudatam de solâ Damasi fide omnibus amplexandâ meminisse, cui quoniam coniunctissi-

ma communio est, eam de communione Damasi interpretatus est Theodoretus. Nec iniuriâ. Cùm Patres Concilij Chalcedonensis in Prosphonetico ad Marcianum hæc confirment: *Damasus quoque Romanæ vrbis decus ad iustitiam, litteris ad Paulinum datis, dispensationis sacramenta patefecit; admonens, vt his quæ bene sunt decreta, si qui communionis suæ participes velint esse, consentiant.* 11. Minùs ergo mirandum, si Orientales Episcopi sanctissimi quique Meletio communicarent, cùm & ille præ se ferret communionem cum Damaso suam, & nihil de fide ambigeretur, & possent satis bellè in eadem vrbe duplicis gregis curam gerere duo Episcopi; quod alioqui præter Canones est, necessitate dispensari cogente. Porro, si non facta tantùm, sed iura trutinari libeat, constat Meletium ab Arianis ordinatum in initiis Episcopatûs sui claudicasse. Constat Eustathianos qui Paulino obaudiebant, longè inculpatissimum fuisse Ecclesiæ Catholicæ Antiochenæ agmen. Constat denique Flauianum infracti Sacramenti culpam nunquam satis eluere potuisse. Ideo Athanasius, cuius iudicio assentiendum vtique est, Paulino semper communicauit, vt apud Facundum Hermian. lib. 2. cap. 2. monachi Nitriæ testantur, in epistolâ aduersùs Apollinarem scriptâ: *In tantum nos contempsit, vt auderet suis literis accusare irreprehensibilem & religiosissimum Archiepiscopum Antiochiæ Paulinum, qui semper communicauit ter beato Papæ nostro Athanasio, & omnibus in Occidente orthodoxis Episcopis.* Qui idem Facundus lib. 8. cap. 5. ex Domni Antiocheni Episcopi epistolâ refert, & approbat dici *sanctum Meletium, à cuius nomine Ariani nos Meletianos appellant.* Domni autem verba hæc sunt: *Dei autem homo sanctus Meletius, à quo appellationem habent apud nos Apostolicorum custodes dogmatum: Meletianos enim nos vocant Arij sectatores.* Itaque & Paulino & Meletio perinde fauet Facundus, fauebat Athanasius, fauit Oriens, Occidensque: etsi ob illam de Episcopatu concertationem, legati & literæ formatæ non ab vtroque vbique admit-

Digitized by Google

terentur : quod ſaluo fidei & communionis Catholicæ vinculo vtcumque fieri poſſe nemo non videt, & diſertè ex Ambroſio docuit Synodi Capuanæ decretum. Quod autem Theophilus nec Euagrio, nec Flauiano *communionem ſociaſſet*, vt Ambroſius eadem epiſtola 78. teſtatur: id contigerat quia & Euagrij cauſa vacillabat, vtpote qui ab vno Paulino eſſet ordinatus, vnde ibidem ait Ambroſius, *vtrumque alienæ magis ordinationis vitiis, quàm ſuis bonis fretum faiſſe.* 12. Quin & Baſilius ipſe omnium Princeps in cauſa Meletij aduersùs Paulinum tuenda, non tamen à Paulino abhorruit, vbi illum Damaſi literis munitum intellexit ; illum autem Meletio aduerſari ita interpretatus eſt, quod eius cauſam, vtpote tam procul, minùs exploratam haberet. Epiſt. ad Terentium: "*Non admiror iſtud. Quidam enim omnimodò ignorant ea, quæ in iſtis ſunt partibus. Quidam autem etſi videntur ſcire, concertando magis, quàm veritatem dicendo, eis referunt, &c. Verumtamen quia nullum accuſamus, oramus autem magis ad omnes habere charitatem, & maximè ad domeſticos fidei, congratulamur iis, qui apportauerunt de Româ literas : & ſi magnam aliquam & venerabilem habent eorum teſtificationem, & oramus illam veram eſſe, & ex operibus ipſis confirmari. Non autem propter hoc poſſumus nobiſmetipſis aliquando ſuadere, quia Meletium ignoremus, vt eam, quæ ſub ipſo eſt, Eccleſiam obliuiſcamur, &c.* Vtrique ergo, etſi Meletio impenſiùs, bene ſe velle docet Baſilius: quodque Meletio minùs ſtudeat Damaſus, id tribuit mendacio rumorum ad eum perlatorum, & ſurreptioni partium. 13. Ita & Nazianzenus vtriſque partibus ſe communicare non obſcurè demonſtrat orat. 32. quæ Conſtantinopoli eſt habita coram 150. Patribus: *Quomodo ſacrum hoc bellum feram? Quomodo hos aduerſis thronis inſidentes, atque aduerſus in paſcendo grege partes fouentes connectam, populumque cum ipſis abruptum, &c. Nec populum ſolùm, ſed etiam orbis terræ ſegmenta, eodem cum diſſidentibus affectu commota, ita vt iam in duas contrarias partes Oriens, Occidenſque ſecreti atque diuiſi ſint; nec*

iam minùs animorum & voluntatum, quàm fictum ſegmentum eſſe videantur? &c. Senectutis me pudet, cùm aliorum nemine cenſeor, qui à Chriſto ſalutem accepi. Et paulò ante finem, *Vale Oriens & Occidens, pro quibus & à quibus oppugnamur; teſtis ille eſt, qui pacatos nos reddet, ſi nonnulli ſeceſſionem meam imitentur. Non enim Dei quoque tacturam facient, ſi thronis ceſſerint: ſed ſupernam cathedram habebunt, his multo ſublimiorem, & tutiorem.* Quibus adde quæ in carmine de vita ſua proſequitur, quantum ſtudij ſcilicet poſuerit, vt functo Meletio ſucceſſor ne daretur: ſed Paulinus iam grandæuus ſineretur Antiochenam ſolus Eccleſiam adminiſtrare. Palàm hinc eſt concordiæ illum ſtuduiſſe, Meletianorum & Euſthatianorum nomina perinde abhorruiſſe ac diſſidia, atque ab Oriente Occidenteque oppugnatum eſſe, quod pro vtroque ipſe pugnaret. Ita enim vſuuenit, vt qui vtrique fauet parti, vtramque aduerſam experiatur.

XXXIII. Rurſus de Meletio, & Paulino, & conglobatim, quanti fecerint Orientales Romanæ communionem Eccleſiæ.

Quæ cùm ita habeant, fruſtra ſunt Nouatores, cùm exemplo vnico Melétij feroçiunt aduersùs Romanam Eccleſiam, vt eius communionis exortes probent ſanctitatis nihilò ſeciùs laudem aſſecutos eſſe. Conſtat enim ex antedictis Meletio ſuperſtiti communicaſſe Romanam Eccleſiam, & Romanæ fautores Eccleſiæ in Oriente. Quod autem Gregorius Nyſſenus adulterum appellet eum qui exulantis pro fide Meletij Sedi incubabat, nequaquam id ad Paulinum pertinet; ſed vel ad Euzoium, qui Arianorum, vel Apollinarem, aut potiùs Vitalem, qui ſuorum & ipſe gregalium Antiochiæ Epiſcopatum gerebat. Statim quippe Nyſſenus hæreticæ perfidiæ meminit, quæ Meletio reluctabatur. Chryſoſtomus autem non ſuis ille verbis Paulinum exagitat, ſed eorum quos ipſemet acerbiſſimè obiurgat, vt malitiâ potentes, vt anathema paſſim in quemlibet illidentes, quos ab hâc petulantiâ laborat toto hoc tractatu deterrere. Denique cùm Damaſi communionem ita Meletius, & Vitalis, Paulinuſque

linuſque iactarent, vt vel Hieronymus ipſe ambiguus in eâ re eſſet: eâdem in rerum caligine, poterant & alij viri ſancti vel obtrectare Paulino, vel Meletio impenſiùs ſuffragari. Cordatiſſimi autem quique ita paci ſtudebant, vt vtrique interim in fidem Catholicam conſentienti communicarent. Ita videtur affectus fuiſſe Nazianzenus, ita Epiphanius hæreſi 73. & 77. ita denique Athanaſius epiſtola ad Antiochenſes: *Omnes igitur qui vobiſcum pacificè agere volunt, in primis autem illos qui in veteri Eccleſia congregantur, & qui ab Arianis redierunt, elicite ad vos; & veluti patres, filios aſſumite; vt Magiſtri & tutores recipite: coaptantes vos interim dilecto noſtro Paulino, eiuſque ſociis, nihilque ab illis exigatis, quàm vt execrentur Arianorum hæreſin.* Vide & inter epiſtolas Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, epiſtolam Acacij Berrhœæ Epiſcopi ad Cyrillum ipſum: *Beatus Paulinus etſi tres Hypoſtaſes dicere recuſaret palàm, verè tamen & virtute eadem ſapiebat, eadem ſentiebat.* Et omnino quanti fecerint Orientales Romanæ communionem Eccleſiæ, patuit ex Cyrillo Alexandrino ſcribente damnatum à Cæleſtino & Romana Synodo Neſtorium, *horum itaque decreto modis omnibus parendum eſt illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint:* ſcribente, *quæ illi iudicauerunt, ſi qui omnino conſtituimus. Veremur namque, ne à tantorum virorum communione excidamus.* Patuit ex ipſa Epheſinâ Synodo, ſcribente, Cæleſtini ſententiâ in abdicationem Neſtorij *ſe cogi.* Patuit ex Chalcedonenſi Synodo Damaſum laudante, quòd fidei ſuæ adglutinari iuberet, *ſi qui communionis ſuæ participes eſſe vellent:* Dioſcorum execrante, quòd vltra omnem ſuam nequitiam, excommunicationem Leoni Papæ intorſiſſet, cui Chriſtus *cuſtodiam vineæ* mandauerat. Patuit in cæteris Synodis, Sexta, Septima, Octaua, vbi non recto tantùm fidei dogmati à quo deuiauerant, ſed Romanæ etiam Eccleſiæ communioni ſe reſtitui

Græci laborauerunt. Patuit in Octaua maximè Synodo, vbi nugantes Photiani Episcopi, multos Sede Romana damnante absolutos, absoluente damnatos fuisse, à Metrophane Orientalium Episcoporum longè doctissimo refutati sunt. Patuit in Athanasij denique, Petri, Chrysostomi, Flauiani causa, & complurium istiusmodi, quos præter fas damnatos, Romana Sedes restituit, vel vno maximè communionis suæ beneficio, vt superiùs demonstratum est.

DISSERTATIO XVII.

IN CONCILIVM ARAVSICANVM II.

Anno Christi 529.

SYNOPSIS.

Sedis Apostolicæ authoritas in fidei disceptationibus apud Gallos. Decreta huius Synodi ex Augustini sententiis & penè verbis ipsis contexta, Patribus tamen promiscuè vendicantur. Mira quoque in rebus fidei definiendis sobrietas. Quàm multa Theologicæ opulentiæ supellex, etsi à fide defluat, etsi cum fide cohæreat, in fidei tamen formulas non est intrudenda. Hæc definiendi parcitas, hæc Patrum prorsùs omnium concordia, veluti gemina stabiliendæ inter Theologos pacis in quæstionibus de Gratiâ Christi fibula, prolixiùs pertractatur, illustraturque maximè ex Cælestini Papæ olim epistolâ ad Gallos, & ex Florentino nuper Concilio.

I. Synodi huius authoritas quanta.

RECVRRE ad ea, quæ commentati sumus in Synodos Arelat. & Lugdun. an. 475. Reuolue & in Carthaginensem, Milouitanamque Synodum aduersùs Pelagianos notata. Hinc enim patescet, quantæ in authoritatis arcem euadat Synodus etiam prouincialis, cui Sedes Apostolica inuictum robur addit. Illinc autem aperitur clementia huius Synodi Patrum, qui secus dè gratiâ & libero arbitrio sentientes, quàm castigata fidei amussis iubeat; nullâ inurunt gra-

uioris cauterij cenſurâ, quàm vt *per ſimplicitatem minùs cautè* ſenſiſſe dicantur: & pene plus laborant ſeipſos iniquioribus ſuſpicionibus laceſſitos excuſare, quàm accuſare aduerſarios.

II. Sedis Apoſtolicæ quanta authoritas in fidei diſceptationibus apud Gallos.

Quod autem *ſecundùm admonitionem, & authoritatem Sedis Apoſtolicæ, capitula ab Apoſtolicâ Sede tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de ſanctarum Scripturarum voluminibus in hâc præcipuè causâ collecta ſunt, ab omnibus obſeruanda proferuntur, & ſubſcribenda.* Vides 1. quantùm tribuatur in causâ fidei oraculis Sedis Apoſtolicæ, à quâ *capitula tranſmittuntur* vetuſtiſſimam litem peremptura, ſtatim Epiſcopi *ab omnibus obſeruanda* proponunt, *manibus ſuis ſubſcribunt*; illis omnes *animum inclinare* nè differant, edicunt. 2. Cæſarius, Eucherius, aliique non pietate tantùm, ſed eruditionis famâ ſpectatiſſimi ita obſecundant definitionibus primæ Sedis, Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam vtique non neſcientes. 3. Nec pura putaque Sedis Apoſtolicæ verba, ſed ſuas etiam Epiſcopi ſanctiſſimi explanationes, ſibi, Cleroque, & laïcis etiam amplexandas ſubſcribendaſque repræſentant. Vnde paulò ante calcem cap. vlt. *Quia definitionem antiquorum Patrum, noſtramque, quæ ſuprà ſcripta eſt, non ſolùm religioſis, ſed etiam laïcis medicamentum eſſe, & deſideramus, & cupimus: Placuit, vt eam etiam illuſtres & magnifici viri, qui nobiſcum ad præfatam feſtinitatem conuenerunt, propriâ manu ſubſcriberent.* Et Bonifacius II. in epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem huius Synodi confirmatrice: *Fraternitatem tuam habitâ conlatione, cum quibuſdam Sacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus ſenſiſſe Catholicam. In his ſcilicet, in quibus vno, ſicut indicaſti, conſenſu definierunt, fidem quâ in Chriſto credimus, gratiâ diuinitatis præueniente conferri. Adiicientes etiam, &c. Quapropter ſupra ſcriptam confeſſionem veſtram conſentaneam Catholicis Patrum regulis adprobamus.* Vbi ſingulis penè vocibus ſignificatur, non abſolutiſſimè & ieiunè capitulis Româ miſſis ſubſcriptum eſſe, ſed ipſos Galliæ Epiſcopos *conlationem habuiſſe, definiſſe, confeſſionem ſcripſiſſe*, quam Sedes Apo-

Digitized by Google

ſtolica confirmarit; quæ vtique non ſua ipſius verba Epiſcoporum manibus ſubſcripta ſollicitaretur confirmare. 4. Sed quia tamen doctrinæ ſummam dictauerat Sedes antè Apoſtolica, quia definitioni epiſcopali authoritatem eadem adcumulauit, hinc gloria in primarium tota refunditur fontem. Æquè alibi notauimus Africanarum Synodorum aduersùs eaſdem Pelagianas peſtes iacula, à Sede Petri intorta fuiſſe, Patribus iiſdem de cauſis viſum eſſe. 5. Ita demum conquieuere certamina, centum iam annis in Gallicanæ Eccleſiæ gremio certata. 6. Laïci ipſi ſubſcribere adacti, vt verbis ſuprà relatis liqueſcit: nempe vt *laïcis etiam medicamentum* iſtud adhiberetur. 7. Nemini in mentem venit, eorum qui causâ cadebant, muſſare de paucitate Epiſcoporum huius Synodi, vel de Sedis Apoſtolicæ authoritate ineluctabili in fidei quæſtionibus terminandis: aut ad Synodum œcumenicam prouoçare. Si quem tam dira libido inceſſit, aut caſtigauit ipſe ſemetipſum, aut tam fruſtrà fuit, quàm cùm olim in Synodis particularibus, & Romæ damnati Pelagiani, generales Orientis Occidentiſque Synodos incaſſum ſuſpirarent. 8. Cùm *antiquos Patres*, vt authores ſuæ huius doctrinæ, venditat ſemel iterumque hæc Synodus, Auguſtinum præ cæteris ſuſpicit. Ex quo & pleraque deeerpit verbis totidem, omnia certè eius ſententiis conſonantiſſima canit. Nec aduerſarij ipſi infenſum ſibi pugnare Auguſtinum diſſimulabant. Ergo non ſolo doctrinæ pondere, aut doctiſſimorum Patrum nomine opprimendi ſunt viſi, qui à rectâ delirabant ſemitâ; ſed ineluctabili primæ Sedis maieſtate. Quid enim Auguſtino doctius, cæleſtius, inuictius? Sed ita vel ſponte ſuâ, vel infelicitate ſuâ cæcutiunt homines, vt de doctrinâ diſputandi finem nullum faciant. Ergo pondere authoritatis alicuius inexpugnabilis conterendi ſunt.

Synodo porro iſti Arauſicanæ per Sedem Apoſtolicam confirmatæ, quam incontanter deinceps aſſurrexerint 111. Quantum poſteri huic Sy-

nodo arrogarint ex Hincmaro.

omnes orthodoxi, declarat Hincmarus Rhemenſis l. de prædeſt. pag. 48. *Ideo dicuntur electi, quia de maſſâ perditionis ſunt gratiâ electi, nullum habentes meritum antequam eligantur, quorum electio ipſa eſt Dei miſericordia, ſicut in Arauſicanâ Synodo, cui beatus Cæſarius ex delegatione Sedis Apoſtolicæ præſedit, & capitula ab Apoſtolicâ Sede directa, ſubſcribenda & tenenda omnibus protulit.* Et pag. 134. *Nunc ſi à ſanctâ Arauſicâ Synodo, cui ſanctus Cæſarius ex delegatione Sedis Apoſtolicæ præſedit, diſcrepemus in aliquo, videamus.* Tum viginti quinque capitula Synodi huius compendioſiùs ſubſtringit, ac profitetur ſe *à venerandâ & venerandâ atque Catholicâ prolixitate tantorum doctorum, nec in aliquo deuiaſſe* Et pag. 145. *Videat ſi in aliquo à Catholicâ fide, & expoſitione Synodi Arauſicæ diſcordauimus.* Et in epiſt. ad Karolum Regem præfixa huic operi, de Sycophantis conqueritur, qui eius doctrinam ita traducerent, *quaſi contra ſanctorum Patrum ſenſa in Africanâ & Arauſicâ Synodo ſenſiſſet.* Nec omitti ſine piaculo poteſt, quod pag. 142. rurſus idem tradit, *Benè ſanctus nouerat Cæſarius, qui ex delegatione Sedis Apoſtolicæ, huic Synodo præſedit Arauſicæ, quid ſanctus Auguſtinus de libero arbitrio primo homini dato in lib. de Correp. & Grat. dixerat, quemque in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ ad prædeceſſorem ſuum Hilarium ſcriptis commemorat. Quem etiam librum compar, & ſocius illius ſanctus Proſper ſe habuiſſe non tacet, in epiſtolâ ad Auguſtinum, dicens: Librum de correptione & gratiâ plenum diuinæ authoritatis emitteres, quo in notitiam noſtram delato. Et credendum eſt, quia ſanctus Proſper, Hilario, eundem librum, quem ſe habere dixit, coniuncto & familiari ſuo non negauerit. Vnde & beatus Cæſarius quæ hinc ſanctus Auguſtinus dixerat, ſuccedens in ordine ſuo ſancto Hilario, non ignoranit.* Ergo Auguſtini de gratiâ doctrinam ſinceriſſimam, & illam maximè climatiſſimam, quam poſterioribus ſuis lucubrationibus ediſſeruit, Cæſarius Arelatenſis à prædeceſſore ſuo Hilario ad ſe tranſmiſſam: & velut hæreditariam hac in Synodo propalauit. Ideo hanc Africanis Conciliis æqui-

parat Hincmarus, & ab eâ deuiantem non aliter, quàm à fide Catholica deficientem deteſtatur. Similiter Valentina Synodus eodem tempore, can. 6. *Fide plenâ fatemur, quod ſanctiſſimi Patres, authoritate ſanctarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt: quod Africana, quod Arauſica Synodus profeſſa eſt: quod beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis Catholicâ fide tenuerunt.*

IV. Canones eius plerique ex poſtremis & elimatioribus Auguſtini ſcriptis.

Et non abs re Hincmarus ex illis maximè poſterioribus, iiſdemque vehementioribus Auguſtini libris Arauſicanos Canones expromptos affirmat. Superſtite enim ipſo Auguſtino emerſerant iſti aſperioris eius doctrinæ criminatores, ab eoque fuerant his opuſculis confutati. Sed vſque adeo inermis ſapientia contemnitur à peruicacibus, vt centum annorum curriculo totam illam Auguſtinianæ Theologiæ lucem auerſati fuerint, donec authoritate Synodi, & Sedis Apoſtolicæ deterriti, quod intelligentiâ non poterant, fide complecterentur. Mirari porro ſubit, quod Auguſtini verba ipſiſſima, & ſenſa vbique ſequatur Synodus, nominis eius nec ſemel meminerit. Sed ſemel & iterum *antiquorum Patrum* hanc eſſe doctrinam affirmat, itemque *Sedis Apoſtolicæ*. An ergo inuidiam quæ in Auguſtinum nominatim ebullierat, eo modo propulſant? An ſuo exemplo ſanciunt, nunquam vnius alicuius ſeorſi● ſenſum, ſed omnium vbique Patrum conſenſionem ab Eccleſia magnifieri? An Auguſtinum antiquis Patribus conſentire, ab iiſque quod hauſerat, poſteris infudiſſe ſignificant; ideoque etſi eius verba magis, cæterorum tamen peræquè placita à ſe renouari?

V. Quàm modeſta hoc æuo fidelium curioſitas, poſtea effuderit ſe effrænius.

Illud denique non piguerit fortaſſe obſeruare, etſi acumine præpollerent, etſi peruicaci & diutiſſima decertatione omnes de gratia & libero arbitrio quæſtiones vexaſſent Gallicani ea tempeſtate doctores: hæſiſſe tamen illos intra quoſdam limites, vltra quos longè & effuſiſſimè ſpatiata eſt poſterorum, nempe ſcholæ doctorum, curioſitas. Omnes perpende articulos, ad popularem etiam intelligentiam omnes ſunt accommodati. Nimirum

Digitized by Google

peccatum Adæ in nepotes traiici & animæ quoque officere: non voluntate gratiam, ſed gratiâ voluntatem anteueniri: initium fidei à gratia proficiſci: cogitationis bonæ fontem à gratia deriuari, & id genus alia. Nuſquam ibi autem ſubtiliores illæ quæſtiones, quæ iuniorem ſcholam occuparunt; voluntatis per gratiam adiutæ conſenſio in bonum, voluntati adſignanda ſit, vt efficaciter ſeſe: an gratiæ, vt voluntatem inuictiſſimè determinanti? Priùs ad bona opera Deus, & ita ad gloriam: an antè ad gloriam prædeſtinet, & tum ad bona merita? His & aliis innumeris ſuperſedetur, etſi copioſiùs de gratia definiatur, quàm vſquam alibi. Et *inuictiſſimè* quidem à gratia agi voluntatem dixerat Auguſtinus, non id tamen hîc inculcatur. Quo magis patet, multa ſubtilioribus ſcholæ indagationibus permittenda eſſe, quæ in fidei normam, & in ſynodicas definitiones non ſint inducenda. In his enim ſpinoſioribus quæſtionibus quàm implacata iamdiu prælia? At in Arauſicana hæc placita omnes conſpirant. Ita enim par eſt, vnitatis vinculo omnes fideles conſtringi.

VI. Eandem definiendi ſobrietatem olim Cæleſtinus Papa præmonſtrarat.

Non aliter Cæleſtinus olim Papa Gallorum Presbyterorum iurgia, & efferueſcentes aduersùs reconditiorem Auguſtini doctrinam concertationes ſedare adgreſſus: capitula quædam eius nunc epiſtolæ annexa deſ[illegible]auit, aut approbauit certè; quæ breuem quidem, & expeditam, dilucidamque complectantur Catholicæ de Gratiâ ſententiæ ſummam: ad intimiores autem illas, & minutiores quæſtionum calliditates haudquaquam deſcendunt, quæ iam tunc cœperant ventilari. Perpende ex epiſtolis Proſperi & Hilarij ad Auguſtinum: ex eiuſdem etiam Proſperi reſponſionibus ad capitula Gallorum, ad obiectiones Vincentianas, ad Collatorem, quanta & copia, & moles diſputationum aduersùs Auguſtinum efferbuiſſet: tumque refer te ad Cæleſtini capitula, & paucula attingi, eaque enodatiſſima, vulgique ferè viribus coaptata comperies; reliqua intacta præteriri, aut his paucis velut

Digitized by Google

velut principiis alligata insinuari. Non ista, vt quibusdam in consimili specie improbè quandoque suspicari libet: non istâ, inquam, Sedis Apostolicæ indiligentia est, non affectata caligo: non lucis penuria, aut parcitas, seu inuidia est: sed Ecclesiasticæ Theologiæ sapientia, sui semper similis, & in omnibus œcumenicis Synodis constantissimè vsurpata fidei sobrietas. Quid enim quatuor œcumenicæ priores Synodi, nisi consubstantialitatem Verbi & Spiritûs sancti cum Patre, vnamque in duabus naturis Christi hypostasin definierunt? Nihil vberius hac sobrietate, nihil hac parcitate locupletius. Tractatores ecclesiasticos latiùs luxuriare consentaneum est, fidei formulas succincta decet breuitas & popularis penè perspicuitas.

VII. An Cælestini sint, quæ eius nomine circumferuntur Capitula de gratia.

Nec me clam est, vix ac ne vix quidem ea capitula à Cælestino conscripta dici posse. In ipsâ Conciliorum editione, hæc prænotantur: *Non videtur dubitandum, quin sequentia sint Prosperi: tam sunt similia & argumento & stylo eius scriptis: libro certè contra Collatorem capita quædam attingit, non dissimiliter atque hîc leguntur.* In antiquioribus editionibus Cælestino similiter abiudicabantur his verbis: *Sequentia vndecim capita videntur potiùs ab alio quodam interposita, quàm esse ipsius Cælestini Papæ.* Sanè huius capitum compilationis in epistolâ ipsâ Cælestinus non meminit. Item creber hîc Innocentius, creber Zosimus allegatur, nusquam prædecessores appellantur, quod solent tamen Romani Pontifices, & quod ipse in epistolâ suâ Cælestinus vsurpat. Denique ipsamet verba fidem faciunt, ab alio quàm à Romano Pontifice exaratam esse hanc formulam: *Magistris nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur: eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissima beati Apostoli Sedes Petri per ministerium Præsulum sacrorum sanxit, & docuit. Necessarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicauerint, &c. ita vt etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas*

Digitized by Google

vtique suas fecerunt Apostolici Antistites, cùm probarunt. Quæ tota præfatio sapit prorsùs alium quemuis Scriptorem, non Romanum Antistitem. Idem produnt hæc ad calcem verba: *Quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.*

VIII. Eius nomine iam olim insigniebantur.

Cælestini tamen nomine iam olim insigniebantur hæc capita: & quidem iam tùm, cùm Petrus Diaconus ex Oriente Romam cum sociis missus, lib. de Incarnatione & Gratia ad Fulgentium scripto cap. 8. post relata quædam Innocentij Papæ verba, subdebat: *His congruè beatissimus Cælestinus in epistolâ ad Gallos datâ: Cùm enim, inquit, sanctarum plebium, &c.* tum tria vltima horum capitum exscribit. Quin Hormisda Pontifex in epist. ad Possessorem missa ad ea videtur alludere, *De arbitrio libero & gratiâ Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & seruet Ecclesia, licèt ex variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum abundè possit agnosci: tamen & in scriniis ecclesiasticis expressè capitula continentur, quæ si ibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus.* Quæ alia enim coniectabimus Capitula in scriniis ecclesiasticis Romanis de gratiâ & libero arbitrio? Denique exhinc Ecclesia Lugdunensis, Hincmarus, aliique scriptores ecclesiastici indubitanter Cælestini nomine scriptum illud induêre. Nec mirum, cùm in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ, inter decreta Cælestini Papæ, Capitulis illis, præfixæque Cælestini epistolæ primus vendicetur locus. Vide Hincmarum de prædest. cap. 22. & alibi.

IX. An à sancto Prospero scripta sint.

Tom. p. 442.

At à Prospero conscripta fuisse illa Capitula, vt coniectura sit: vereor, vt authoritas adsit. Hincmarus videri posset ita sensisse lib. de non trina Deitate, *Contra decreta Cælestini Papæ, ex cuius delegatione beatus Prosper hinc exortam hæresin per authoritatem Scripturarum, & doctrinam beati Augustini reuicit, & compressit in Galliis.* Decreta hîc dicuntur Cælestini ea capitula, de quibus hîc agitur, nempe in Codice Canonum Decretis eius intertexta. At delegatio Prosperi à Sede Apostolica quò pertinuerit, explo-

Digitized by Google

ratum facit alibi Hincmarus: *Prædeſtinatianorum hæreſis auctoritate Papæ Cæleſtini, ex delegatione ipſius, per ſanctum Proſperum in Galliis eſt reuicta.* Et lib. de prædeſt. cap. 3. *Alius quàm beatus Proſper ex delegatione Sedis Apoſtolicæ, iuſſu ſancti Cæleſtini definiuit.* Et paulò ſuprà: *Legatus Romanæ Eccleſiæ, fideliſque eius interpres beatus Proſper.* Quæ magis trahenda videntur ad ea, quæ Proſper variis reſpondit obiectionibus; vbi Prædeſtinatianos Hincmari tum explosit, cùm auſteritatem illam, & fæuitiam vel detrectauit, vel emolliuit, quam ex Auguſtini ſcriptis nonnulli exprimebant. Nec inficiandum tamen eſt, *Legatum Romanæ Eccleſiæ, legatione Cæleſtini* toties ornatum Proſperum, conuenientiùs quàm quenquam alium, hac gloria cohoneſtari, vt ea ſcriberet, quæ Cæleſtini nomine authorarentur. Pag. 432. Pag. 24.

X Quanta in his ſiue Proſperi, ſiue Cæleſtini ſobrietas.

Quæ ſi ita habeant, tantò maior inceſſet admiratio Theologicæ huius ſobrietatis. Quàm abſtruſas enim, & intricatas Proſper quæſtiones diſceptauerit in variis aduersùs Auguſtini æmulos opuſculis, nemo neſcit: de prædeſtinatione, de reprobatione, de voluntate Dei in omnium ſalutem beneficâ, de Chriſti ſanguine omnium redemptioni impenſo, de prædicatione & gratia omnibus oblata, & de ſexcentis id genus aliis. Et idem tamen, vbi à liberiore illo Theologicarum diſputationum campo in breuiorem fidei gyrum ſe recipit, vbi Pontificis Romani nomine & vice ſacra, fidei formulam ſcribit: tùm verò illo perpauca, haud abſtruſa, ſed penè obuia, & Chriſtianæ pietati familiaria ſancit; ſequeſtratâ, vel his tantùm, ceu principiis, inuiſceratâ omni illâ Auguſtinianæ Theologiæ opulentiâ, quæ niſi longo anfractu, & per ſpineta ac ſalebras adiri non poteſt. Nec fas tamen cuiquam eſt à doctrina Proſperi prolixiùs diſputata deuiare: cùm & hanc ex Cæleſtini delegatione, ſi fides Hincmaro, conſcripſerit: ſed longè aliud eſt, Theologicum ſtadium percurrere, aliud à fidei ſymbolo ſeu breuiario non diſcedere. Denique augeſcet etiam hæc ad-

Digitized by Google

miratio, si pristinam eius animo refricaueris asperitatem aduersùs Augustinianæ doctrinæ allatratores. Ita enim ad Augustinum ipsemet aduersùs illos scripserat: *Adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis, &c. Intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem.* Et cont. Collat. c. vlt. *Huiusmodi hominum prauitati, non tam disputationum studio, quàm authoritatum priuilegio est resistendum: vt de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere.* Confidit mox fore, vt sicut anteriores Ecclesiæ Romanæ Pontifices, *lupos abegere manifestos, ita Sixtus depellat occultos.* Ita ille & inter & post Cælestini tempora fæuiebat priuatim; at cùm Cælestini sustinebat nomen & personam, mansuescebat vtique, neminem abscindebat, facilem fidei regulam temperabat.

XI Rursus de eadem moderatione; & de discrimine fidei capitum, atque Theologicarum disceptationum.

Sed siue Prosper, siue quicumque demum alius vicarium Cælestino Pontifici calamum commodabat: erat ille indubiè Augustiniani & nominis & dogmatis tam studiosus, quàm qui maximè. Circumgestabat etiam ille totam Apostolicæ Sedis authoritatem, hoc est, summam & inuictissimam. Atque adeo in potestate habebat aduersarios, suæque de illis victoriæ arbiter ipse erat, quò illam vsque vellet effundere. At vide, quàm pauca, quàm plana, & explicata ad fidei necessitatem vocet. Reliqua huic regulæ subiiciat: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt: sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil subtrahendum est: satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: vt prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrariam.* Catholicæ ergo fidei vinculum, ad has regulas duntaxat astringitur. Quod ea *satis sufficiant.* Sunt præterea *profundiores & difficiliores* quæ incurrunt, quæstiones. Circa eas hæc nobis præfigitur regula: *ne audeamus contemnere, non necesse habeamus astruere.* Etenim veluti ex latere *incurrunt*, & ex occasione tan-

Digitized by Google

tùm pertractantur, nec à Synodis, vel ſummis Pontificibus definiuntur, ſed *latiùs pertractantur* ab iis, qui hæreticis reſtiterunt: ideo in fidei breuiario *non neceſſe* eſt eas aſtrui. Si quis tamen eas *contemnit*, multò magis ſi quis infamat, ſi quis exagitat & refellit, huius vituperatur *audacia*. Nam præter fidei regulam, ſunt & alij officiorum fines, quibus circumſcribenda eſt ſapiendi cupiditas. Et incidentium harum quæſtionum paternis tractationibus ſuus etiam honoris & obſequij modus tribuendus eſt; ſeu propter earum cum ipſis fidei regulis cognationem: ſeu ne eorum *qui hæreticis reſtiterunt*, merita laudeſque temerè minuantur.

XII. Par moderatio poſtea fuit ſancti Remigii, & Eccleſiæ Lugdunenſis.

Huic Cæleſtini clementiæ applauſit S. Remigius, & Eccleſia Lugdun. in lib. de tenenda veritate Scripturæ, cap. 12. prolato etiam teſtimonio alterius libelli, de tribus epiſtolis, ab eadem Eccleſia editi: *Cùm ergo hæ duæ opiniones in præfato libello, de hac re propoſitæ & expoſitæ fuiſſent: ſubiunctum eſt protinus valde vtiliter & dictum; Quolibet quis acquieſcat modo, non eſt hæreticum, niſi contentione hæreticum fiat. Similem quoque ſententiam B. Papa Cæleſtinus, de quibuſdam profundioribus quæſtionibus in decretis ſuis poſuit, dicens de eis: Quæ ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere.* Auguſtinianæ de gratia ſententiæ auſteritatem toto hauſerat pectore Remigius cum ſua Eccleſia: vt omnibus eſt compertiſſimum, qui eius ſcripta vtcumque attigere. Nequaquam tamen abhorrebat ab hac Cæleſtini humanitate, imò & Auguſtini; qui vt alibi perſtrinximus, haud paſſus eſt reſecari eos, quorum imbecillitas ab eius aliquot dogmatum aſperitate reſiliebat: haud vnquam ita, ſuam toto animo combibi voluit, vt aliorum Eccleſiæ Patrum doctrina faſtidiretur. Sed quando huc delati ſumus, pergamus porro hanc & Arauſicæ Synodi, & Cæleſtinianæ definitionis modeſtiam, eiuſdem Remigij, & Eccleſiæ Lugdunenſis ſuffragio, & exemplo illuſtrare. Cùm ergo de voluntate Dei omnes homines ad ſalutem prouehente ſermo eſſet, quæ non

postrema est profundiorum illarum & difficilium quæstionum: atque circa eam aliæ & aliæ Patrum sententiæ essent in medium prolatæ, illæ austeriùs, hæ clementiùs voluntatem Dei interpretantes; sic Remigius hortatur: *Sit ergo inter nos etiam de hâc re istiusmodi pia cautela & moderatio, quatenùs & sanctis Patribus debitus seruetur honos: & quilibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hâc sententiâ ab eis positi sunt, non iudicemus esse hæreticum. Sed potiùs vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione: vt nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare conemur: memores semper illius Apostolicæ sententiæ, Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Et antè Carolus Magnus in Capitul. lib. 7. cap. 28. 29. *Non debere quenquam ad iniuriam Doctorum vindicare doctrinam, &c. Profundiores quæstiones nec contemnendæ sunt, nec penitus asserendæ.*

XIII. Ex iisdem ostenditur, vt contentione quid hæreticum fiat: & quàm non deceat pro aliis Patribus, Patrumve sententiis aduersùs alias vel alios litigare.

Astruendæ sanè huic sobrietati accommodatissima ista sunt, sed vereor, vt eorum ponderi ferendo simus. Quò enim euadent tam familiares contentiones, quibus & Patres & sensus alios aliorum authoritate ac mole obruere æstuamus, si *per contentionis malum, etiam de pacificis & ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit?* Itane potest quis ecclesiasticos sensus tueri, adeoque verissimos: & eos tamen ita exasperare diuersorum, non tamen vero aduersorum sensuum, Patrumque his suffragantium, repudiatione, vt hæreticum efficiat, quod sentit? Ita mihi quidem sonant verba Remigij. Hæreticum est enim, non tantùm falsa astruere, sed etiam vera destruere. Itaque qui vera sic astruit, vt vera etiam destruat: ille hæreticus non iniuriâ audit. Et quanquam non capiat, vt hæc vera sibi clam consentiant: etsi eorum compugnantiam videre sibi videatur, veniæ tamen exortem facit contentionis malum.

Digitized by Google

Idem rurſus ibidem mox rationem aliam ſuppeditat rei eiuſdem, permagni & ipſam momenti. *Legamus ergo pacificè; & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata eccleſiaſticorum virorum; nec pro aliis doctoribus aduersùs alios litigemus. Quia & ipſi inter ſe pacifici, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundauerunt, alius quidem ſic, alius verò ſic: expectantes fideliter atque humiliter, quod Apoſtolus promittit dicens: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Nam qui non tranquillè & pacificè moderatur quod ſentit, ſed ſtatim paratus eſt ad contentiones, diſſenſiones, & ſcandala: etiamſi non habeat hæreticum ſenſum, certiſſimè habet hæreticum animum.* Viden vt quamquam abſit hæreticus ſenſus, ſubeſt tamen quandoque hæreticus animus, nempe ad diſſenſiones & ſcandala præceps; & veritatem quidem, ſed inimicâ veritati pugnacitate, & eâ qua hæreſis ſolet, impotentiâ atque inſaniâ defendens? Exemplo ſtatim res elucidatur. Cùm enim dicat Apoſtolus, velle Deum *omnes homines ſaluos fieri:* hîc Patrum aliqui volunt, *omnes* intelligi *omnia genera hominum, omnium ſcilicet ſexuum, conditionum, ordinum, dignitatum.* Ait autem Remigius, *Quid habet hæc intelligentia inconſequens, aut contrarium veritati?* Alij *omnes de vniuerſo genere humano generaliter & indifferenter* intelligunt. Et ibi Remigius, *Quid habet*, inquit, *mali, aut periculi etiam iſta intelligentia?* Quanquam enim ſpecie tenùs hæc collidantur, in receſſu tamen conſentiunt. *Et ambo ſibi, & iſte videlicet, & ille, licèt diuerſa ſentientes, fideliter atque vnanimiter concordant.* Et rurſum eadem Lugdunenſis Eccleſia lib. de tribus epiſtolis cap. 13. duplici ſimiliter præmiſſa ſententia, alia duriore, alia humaniore, de voluntate Dei omnium hominum ſaluti aſpirante: ſubdit: *Quæ omnia cùm tam obſcura ſint, & tam profunda atque perplexa, nollemus inter fratres & chariſſimos nostros aliquid de his contentiosè ventilari, vel temerè definiri: ſed potiùs quod in eis certum eſt, ſine dubitatione defendi: quod autem etiam inter magnos diuerſo modo, ſed non diuersâ pietate ſentientes, ambiguum atque incertum remanſit, etiam apud*

nos & reuerenter honorari; quia neutrum eorum videtur esse falsum, vel fidei contrarium. Et magis in talibus inquietos & contentiosos ad tranquillitatis & sobrietatis modestiam prouocari: quàm pro inusitatis & minùs elucentibus rebus aliquem immoderatâ austeritate ac seueritate damnari. His non oscitanter perlectis, impensiùs, vt opinor, miraberis, & Cœlestini & Arausicanæ Synodi sapientiam, quibus in fidei definitione visum est supersedendum his quæstionibus *tam profundis, atque perplexis*, in quibus Theologi & olim & postea sensere *diuerso modo, sed non diuersa pietate*, adeoque nihil sensere *falsum, vel fidei contrarium*. Adeoque qui in his *immoderatâ seueritate, atque austeritate damnandi* abutitur, is non immeritò ipse damnabitur, vt qui *per contentionis malum, etiam de pacificis & ecclesiasticis sensibus, hæreticum efficere potuerit, quod sentiebat*: aut vt qui etiamsi fortè *non habuerit hæreticum sensum, certissimè habuerit hæreticum animum.*

XIV. Et mitioribus & durioribus Patrum sententiis assentiendum esse: idque exemplis declaratur.

Et idem Remigius iterum cum Ecclesia Lugdunensi lib. de tribus epist. cap. 14. disputationem adgreditur de morte Christi pro omnibus adita, & præmissis cæteris ea de re Augustini, aliorumque Patrum sententiis, ita tandem concludit; *Quod si inueniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in suâ impietate permansuris Dominum crucifixum dicant, &c. Si placet, sicut & nobis multùm placet, vt etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur: nullâ ergo contentione pro aliis aduersùs alios litigetur: non vna sententia pro alterâ damnetur. Et quia verè fieri potest, vt ignorantiam, vel imperitiam nostram in hâc re aliquid lateat; nihil temerè definiatur: vt quolibet quis acquiescat modo, non sit hæreticus, nisi contentione hæreticum fiat.* Et rursum cap. 24. de Deo volente omnes homines saluos fieri, commendata Augustini interpretatione, subiicit: *Et licèt alij quidam sancti & venerabiles Patres simpliciter illa Apostoli verba accepisse inueniantur; vtrorumque tamen sententia fuerat honoranda: nec, vt iam superiùs dictum est, vna pro alterâ damnanda. Quia & illa*

Digitized by Google

la ex diuinâ authoritate vera esse monstratur: & ista quâdam piâ ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur. Tum reflectitur iterum sermo ad pretium Christi sanguinis pro omnibus fusi; *Iam illud de domi..i sanguinis pretio, quòd pro his tantùm qui credere voluerint, datum sit, manifestum est, sicut suprà satis ostendimus eorundem beatorum Patrum sententiâ. Vnde etsi inuenti sunt alij aequè Patres, qui illud glorioſum pretium, etiam pro nunquam credituris, & in suâ impietate perituris datum esse non abnuant; melius, vt credimus, vtrique honorarentur, nec pro aliis alij damnarentur. Quia & illud manifestè diuinâ authoritate firmatum est: & istud, si piè sentitur, non est abnuendum.* Et cap. 25. rursum de Dei voluntate saluifica, & mitiori, & imminitiori Patrum sensu perstricto, ait: *Ne propter istum ille damnetur, sed potius vtrique sensui propter veracem & piam Patrum authoritatem fideliter obediatur.* Et denique cap. 27. denuò de morte Christi: *Quòd si & aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus Dominum passum intellexerunt; honoretur & iste velut pius sensus: dummodo ille prior qui est certissimus, & diuinâ veritate firmatus, nullâ præsumptione contemnatur: vel, quod est grauius, damnetur.*

XV. Græcorum de Gratiâ Scriptorum clementia cum Augustino non pugnat.

Atque vt ne diutiùs ambigas, quinam ex Patrum Senatu mitioribus his suffragentur sententiis, illam dubitationem expunget, atque antedictis noua adminicula adiiciet Lupus Seruatus, præclarus eiusdem æui scriptor, & Augustinianæ ipse quoque doctrinæ præcipuus admirator. Sic ergo ille quæst. 3. seu de redemptione sanguinis Christi: *Quidam velut blasphemum vehementer execrantur & damnant, quod derogetur plurimum Redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem saluâ fide cansam ita in medio relinquamus, vt si quilibet eundem sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare; non solùm resistamus nihil, verùm etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si Sol cæcos non illuminet, tamen fouet: Cur non potentior Sol, tametsi non saluat suo merito excæcatos atque damnatos: tanti pretij merito puniat mitiùs?* Et

paucis interpositis: *Verùm ne me irridendum, & respuendum pronuncient, quibus placet omnes sive bonos, sive malos indifferenter à Christo redemptos: ponam vnum, quod cùm eis faciat testimonium, & eos omnes, vt opinor, in gratiam reduxero. Ioannes Constantinopolitanus doctrinâ & sanctitate iuxtà insignis Episcopus: Vt gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, sic exposuit: Qualiter gratia pro omnibus gustauerit mortem non pro fidelibus tantùm, sed pro vniuerso mundo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credant? Id quod suum erat, impleuit.* Vbi & mediocritati aureæ vehementer nobiscum fauet, & illas clementiores de voluntate Dei omnium saluificâ, de Christi morte omnium saluti dicata, de gratia denique diuina sententias, Chrysostomi esse docet, adeoque Græcorum, Chrysostomi ferè sequacium; vt Latinos sileam eos saltem, qui Augustini ævum antecessere.

XVI. Antedictorum conclusio, Pacis & veritatis vias expeditiores indigitans.

Ex quibus illud manifestè eluescit, peruersum esse, quòd quidam Patres Patribus collidunt, Orientalibus Occidentales, Græcis Latinos, Augustino Chrysostomum, Augustino posteriores Latinos anterioribus: quasi intestino inter se & implacato sententiarum dissidio belligerentur; ac necesse sit, optare, quorum transfuga, quorum commilito esse velis. Quo nihil in re Theologicâ insolentius. Eccubi enim in tam spatioso ecclesiasticæ fidei ac doctrinæ campo, ita Patres inter se confligantur? Aduersùs cæteras hæreses vna omnium conspiratio, vna acies est. Quin ergo & aduersùs Pelagianas insanias consentire sibi omnes existimantur? Quæcumque supersunt acta Synodorum, maximè generalium, ea peruolue; vbique Patrum concentum præ se fert Ecclesia, nusquam rixam aut dissidia. Cælestinus maximè & Arausicana hæc Synodus indiscriminatim non alicuius aut aliquorum seorsim, sed *Patrum* sententiæ inhærendum, nempe vt nusquam dissonanti, tradunt. Incurrentium quoque extra fidei substantiam quæstionum elucidationem, nec contemnendam, nec necessariò astruen-

Digitized by Google

dam, Cæleſtinus vniuerſim peti monet ab iis, *qui hæreticis reſtiterunt*. Ita & Remigius aiebat, *ſanctis Patribus ſeruandum honorem*, & ſicubi illi diuerſa ſentiant, *ſalubri vtendum moderatione*, vt nec *contemnere audeamus, nec quaſi neceſſariò affirmare*. Nec enim *pro aliis doctoribus aduersùs alios litigandum*, quippe & ipſos eſſe *inter ſe pacifices*: vbi maximè hinc & hinc videntur conflictari, *ambos ſibi licèt diuerſa ſentientes, fideliter atque vnanimiter concordare*. Si quid inter *magnos* Patres *diuerſo modo, ſed non diuersâ pietate* ſentiatur, *ambiguum id remanere* debere, & *reuerenter honorari*. Etiam vbi alij plurimâ eruditionis copiâ, alij *ſimpliciter, quadam piâ ratione*, vel *pietate*, diuerſum quid ſentiunt, *vtrorumque ſententiam honorandam*: Etenim *melius vtrique honorantur; nec pro aliis alij damnantur*: item *vtrique ſenſui proper veracem, & piam Patrum authoritatem obediendum*. Hic modus eſt, hæc via explicatiſſima, non fouendæ tantùm pacis & charitatis, ſed fruendæ etiam veritatis, ad quam per charitatem intratur. Sæpe enim quid *contentione hæreticum fit*: ſæpe *per contentionis malum etiam de pacificis & eccleſiaſticis ſenſibus hæreticum quid efficitur*. Illud quoque etiam atque etiam penſiculandum, *quia verè fieri poteſt, vt ignorantiam vel imperitiam noſtram in hac re aliquid lateat*, ideo *nihil temerè definiendum*, nempe à priuatis tractatoribus. Nam Sedis Apoſtolicæ definitionibus quantum & hæc Synodus & Remigius cum ſuâ Eccleſiâ venerationis impenderit, in aperto eſt. Poſtremo huc Concilia, huc Pontifices, huc Patres noſtra ſtudia impellunt, vt induſtriam, operamque omnem non in diſcordiâ Patres inter ſe tendâ, ſed in eorum mutuâ inter ſe pace rimandâ ponamus. Si fallat nos autem clandeſtina eorum inter ſe concordia, hebeſcere potiùs acumen noſtrum intelligamus, quàm totam hallucinari eccleſiaſticam antiquitatem, huius concordiæ teſtem & admiratricem. Hoc ſaltem argumento reuincamus iſtos fabuloſæ diſcordiæ authores, quod non Græcos tantùm Latinis, Chryſoſtomum Au-

guſtino, Latinos anteriores poſterioribus; ſed ipſum ſibi Auguſtinum iuuenem ſeni, imò ſenem ſeni committunt, & ipſius aduersùs ipſum armis libriſque dimicant. Nimirum recti tramite ſemel omiſſo, per auia iam aguntur præcipites; & quo ipſi intùs laborant diſſidio, eo orbem omnem æſtuare ſibi fingunt.

XVII. Pacis via tutiſſima, Patrum concordia; ex Concilio Florentino.

Vtque pulcherrimo res iſta finiatur exemplo, aliqua hîc decerpam ex Georgij Scholarij orat. 3. ad Concilium Florentinum, quibus aperitur ea ratio, quæ in eâ Synodo ad Græcos Latinæ Eccleſiæ conciliandos neceſſariò tandem inita eſt. Cùm enim Græcorum contumacia ſuæ tantùm gentis Patribus aſſurgeret, qui proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio, quia ſubobſcuriùs docent, refellere eis videbantur: Latinorum autem Patrum id enucleatiſſimè docentium authoritatem detrectaret: non alio ferè potuit conſilio pax, fideique vnitas conſtitui, quàm pace retro Patribus ipſis vtriuſque gentis redditâ, & pari vtriſque reuerentia, vt à ſe mutuò nihil diſcrepantibus, adſignata: *Non erunt porrò Scripturæ quidem pronunciata conciliandæ inter ſe, vt maximè oportet; eorum verò interpretes, aut vbi ea elucidant, aut vbi de illis diſputant, in oppoſitas ſententias diſtrahendi: Sed par in illos quoque nauanda benenolentia, nullique deneganda illa obſeruantia, quæ omnibus debetur. Nam ſi hos quidem recipiendos atque in honore habendos, alios verò cenſebimus reiiciendos: putantes inter ſe illos pugnare; nihil frui nobis licebit reuerentiâ, quâ Scripturas honoramus: interturbatâ pace Scripturarum per apparentem pugnam Doctorum, &c. Diſcrepantiæ crimen ab eis ad Scripturas vel inuiti transferemus, & Spiritui ſancto adſcribemus, à quo Scripturæ manarunt; & illos quidem examinaſſe omnia rectè atque prudenter, Scripturam verò illis dediſſe cauſas pugnæ arbitrabimur. Ad hæc ſapientiores nos, ſanctioreſque illis oſtendemus, ſi veritatem quidem Scripturarum nos aſſequi poſſumus, & cum aliis Doctoribus concordare: ipſi verò neutrum ſunt aſſecuti, & opinati ſunt quæ non oportebat, & bellum cum fratribus perpetuum ſuſceperunt.* Quæ tanta pernicies vt ab ipſis fidei cer-

uicibus propulsetur, subdit: *Etsi viderentur Sancti digladiari interse, aut certè sermonibus oppositis de rebus propositis uterentur: ne sic quidem esset difficile eos inter se conciliare, verborumque pugnam tollere per conuenientiam sensûs. Non enim deessent nobis ad hoc viæ quædam & præclara inuenta, quæ subministrat ubertas Philosophica, si vellemus apparentes oppositiones diluere cum adminiculo veritatis. Nunc autem non ita se habere sanctorum scripta omnes videmus: sed multa illis tranquillitas est, & emittunt nobis eminus concordiæ radios. Quòd si quid etiam in illis discrepantiæ mixtum est, superficie tenùs illud est, atque in speciem.* Et paulò infrà longè præstantissimè: *Mihi videtur nihil posse tutius contingere hominibus, qui se existimant reddituros rationem vitæ pariter ac opinionis. Quamuis enim ita futurum esset, vt à veritate aberrauerimus; idonea tamen nobis esset apud Deum excusatio: quod pacem habere voluerimus post longa dissidia, depositisque controuersiis in vnam omnes ire sententiam. Cùm verò nobis ipsis non confideremus, ad Scripturas accurrerimus, & Doctores. Apparente verò in iis etiam discrepantiâ quâdam: considerauerimus nullum esse posse vestigium pugnæ & erroris in illis, qui sunt Spiritûs Dei afflatu edocti: volentesque omnibus æquè conseruare opinionem sanctitatis, conciliatores potiùs, quàm iudices ipsorum sederimus: & illi quidem à nobis, quoad eius fieri potuit, in vnam redacti concordiam, posteà verò & nos vniti fuerimus: delectaque à nobis hac pacis via, vti tutior aliis, multa & manifesta habentibus coniuncta pericula.* Tempero mihi, ne plura accumulem. Et hîc porrò agitur de Græcorum, Latinorumque Patrum concordia, nostraque inde religata pace. Quæ ego hactenus attigi, quà ad disciplinam pertinent. Dogmata enim ipsa enucleare non huius quidem est opusculi institutum.

DISSERTATIO XVIII.

IN

SYNODVM ROMANAM

Anno Christi 532.

SYNOPSIS.

In dubiis fidei quæstionibus, consulenda Sedes Petri, eique assentiendum est. Ostenditur id primùm exemplo Orientalium, Romanos Pontifices percontantium, an Vnus de Trinitate passus: An Maria propriè & veraciter Dei mater dici deberet. Hormisdæ Papæ in his dispensatio, & consensus cum Ioanne successore aduersùs Heterodoxorum calumnias declaratur. Vsque ad num. XVII.

Tum vniuersim demonstratur ex sanctis Patribus, consulendam in fidei disceptationibus maximè Sedem Apostolicam, eiusque iudicio standum esse. Vsque ad num. XXIX.

Longè plures hæreses authoritate Romani Pontificis principaliter contritas esse, prolixâ enumeratione euincitur, vsque ad num. XXXV.

Græcorum consensus in hoc primæ Sedis priuilegio constituendo, vsque ad num. XLIII.

Gallicanorum Conciliorum, Pontificum, Scriptorumque vnanimis ad idem consensus: tum antiquissimorum, tum medij æui, tum denique iuniorum, vsque ad Constantiensis Synodi tempus: cùm eorum pauci quidam secùs sentire cœperunt; nec suam ipsi tamen dissimularunt, & nouitatem, & paucitatem. Vsque ad num. LXXVI.

Etiamnunc & iam olim vnam apud Occidentales maximè om-

Digitized by Google

nes, & Gallos ipſos Antiſtites haberi, Romani Pontificis, atque Eccleſiæ vniuerſæ, hoc eſt, Capitis & Corporis vim, ſententiam, authoritatem. Vſque ad num. CI.

Occurſantes quidam ſcrupuli amouentur; tota hac doctrina ad ſummum quædam religatur faſtigia: denique ne defenſoribus quidem ipſis ſeu priuilegiorum ſeu libertatum quarumcumque refugiendam eſſe hanc ſententiam oſtenditur. Vſque ad calcem.

IN ambiguis circa fidem quæſtionibus, relatum eſſe toto ex orbe ad Sedem Apoſtolicam: & quod illa definiſſet, etiam ante Synodum œcumenicam, inconcuſſâ fide in Catholicum dogma receptum eſſe, hoc manifeſtiſſimè exemplo patefiet. Cùm enim in Oriente diſceptaretur, an vnus de Trinitate paſſus dici deberet: eâ de re ad Hormiſdam relatio miſſa eſt à Iuſtino Imperatore, Iuſtiniano Comite, & Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano.

I. In dubiis circa fidem conſulenda Sedes Petri, eique auſcultandum.

Et primò quidem ita conſulitur Pontifex, vt in eam, quam ille amplexus fuerit partem, omnes conſenſuros indubium ſit. Ita enim Iuſtinianus ad Hormiſdam: *Illud etiam magis magiſque depoſcimus, vt tua ſanctitas concepta gratia cæleſti, quæ pretendunt Orientales Epiſcopi, tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere conſenſum. Nobis enim videtur, &c.* Sibi videri ait, vnum de Trinitate paſſum: & mox; *Rogamus igitur reuerendiſſimè ſalutantes, vt iudicij futuri memores, cauſam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in poſterum.* Et rurſus idem ad eundem, eadem ſolui dubia flagitans, de nominibus quorumdam Acacianæ communionis Epiſcoporum, & de vno in Trinitate paſſo: *Oſtendat tuus Apoſtolatus, quod Petro ſucceſſit Apoſtolo, quoniam Dominus à vobis vtpote ſummis paſtoribus exacturus eſt vniuerſorum ſalutem, qui poterant eſſe ſalui firmatâ concordiâ. Nos enim finitis capitulis, de quibus ſcripta ſuſcepiſtis, vltrà non patiemur à quoquam controuerſiam religionis in republicâ noſtrâ moueri: nec veſtram ſanctitatem conuenit audire ſuperflua concertantes.* Et idem Iuſtinianus ad eundem

II. Probatur id primùm exemplo Orientalium Hormiſdam Pontificem conſulentium. *Poſt epiſt. Horm. 71. 76. 65.*

Poſt. ep. 76.

Horm. *Quidam prædicant Christum pro nostra salute crucifixum vnum de Trinitate debere prædicari. Quòd si suscipiendum sit, paterna prouisione reuerentia vestra cautissimo suo rescripto quid sequi, quidve super hoc enitare debeamus, nos certiorare dignetur. Quoniam verba videntur facere dissensionem. Nam sensus inter catholicos omnes vnus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes: & de hac intentione liberos nos properatè reddere & securos. Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.* Et Hormisda ipse ep. 79. ad Iustinum Imp. quâ incarnationis arcanum prolixè referat, ita orditur, *Inter ea quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinentia, in literas contulistis: hæc quoque cura fidei, cui multipliciter vos studere declaratis, adiecit, vt aliquorum preces porrigendæ ad humilitatis meæ notitiam iungerentur, quibus vel quid quæstionis oriretur agnoscerem: vel ad summouendum propositæ consultationis ambiguum responsum à me religiosæ scientiæ conueniens redderetur.* Decretorium vt vides iudicium, cui omnes deinceps acquiescerent, expectabatur à Sede Petri.

III. Rursus de eodem ex epist. Iustiniani Imperatoris.

Et rursus idem Iustinianus ad imperium iam prouectus, ad Ioannem II. Papam ita eadem de re scribit: *Manifestum facimus sanctitati vestræ, quod pauci quidam infideles & alieni, sanctæ Dei Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ contradicere iudaïcè atque apostolicè ausi sunt; aduersùs ea quæ ab omnibus Sacerdotibus secundùm vestram doctrinam rectè tenentur, &c. negantes Christum incarnatum atque crucifixum, vnum esse sanctæ Trinitatis, &c. Omnes verò sacerdotes sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, & reuerendissimi Archimandritæ sanctorum sequentes vestram sanctitatem, & custodientes statum & vnitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolicâ vestræ sanctitatis Sede, &c. vno consensu confitentur vnum esse sanctæ Trinitatis, &c. Omnes sacerdotes sequentes doctrinam Apostolicæ Sedis vestræ ita credunt, & confitentur & prædicant, &c. Petimus ergo vestrum paternum affectum, vt vestras ad nos destinetis literas; & ad sanctum almæ huius verbis Patriarcham fratrem vestrum, quoniam & ipse scripsit ad vestram sanctitatem,*

Digitized by Google

ctitatem, festinans in omnibus sequi Sedem Apostolicam beatitudinis vestræ; manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta rectè confitentur, suscipit vestra sanctitas: & eorum qui Iudaicè ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plùs enim ita & circa vos omnium amor, & vestræ Sedis crescet authoritas: & quæ ad vos est vnitas sanctarum Ecclesiarum, inturbata seruabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi, eorum quæ ad vos relata sunt, sinceram vestræ sanctitatis doctrinam. Hæc ille cum sui quidem prærogatiuâ suffragij, & ex præiudicio communis fidei, omniumque Orientis Episcoporum consensionis: sed consultabundus tamen refert ad Romanam Sedem, vt ad caput Ecclesiarum, ab eius responso pendet, & pendere omnes Orientis Ecclesias significat: ei omnes assensuros: eius doctrinæ, quidquid hactenùs senserint, consensisse profitetur.

IV. Item ex responsione Ioannis Papæ.

Responsione suâ Ioannes edictum Iustiniani eâ de causâ promulgatum confirmat: *Comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei pro submouendâ hæreticorum intentione secundùm Apostolicam doctrinam, fratrum & Coëpiscoporum nostrorum interueniente consensu; quod quia Apostolicæ doctrinæ conuenit, nostrâ authoritate confirmamus, &c. Hæc est vera nostra fides, hæc certa religio, hoc beatæ recordationis Patres omnes, Præsulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc Sedes Apostolica & inconcussè custodiuit. Huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum sanè à communione, alienum seipsum ab Ecclesiâ indicauit esse Catholicâ.* Addit Cyrum & alios Acoëmetas Romæ deprehensos, in errore suo pertinaciter hærentes: *Se obseruantem ea, quæ ab ipsorum sunt statuta Pontifice, minimè eos in suâ communione recepisse, & ab omni Ecclesiâ Catholicâ esse iussisse alienos.* Auitæ ergo fidei præiudicio, imò & consensionis suæ decreto frui interim potuerant Orientales Episcopi, eorumque instinctu potuerat Imperator edictum fidei promulgare; id enim totum laudat Pontifex: dum supremum tamen ad tribunal Petri omnia referrentur, & eius decretoria expectaretur sententia. Quo-

Digitized by Googl

circa rursus idem Ioannes epist. 3. *Iustinianus Imperator filius noster, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significauit, Vtrum vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit. An Deus Christus carne pertulerit, impassibili Deitate. An propriè & veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria semper virgo debeat appellari. Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem, & ita esse Propheticis & Apostolicis, & Patrum exemplis euidenter ostendimus.* Tum syluam testimoniorum constipat.

V. Vnum de Trinitate passum dici, nunquam damnauit Hormisda.

Quod autem repudiasse primum illam propositionem de vno in Trinitate passo, & eius defensores Monachos Scythas auersatus esse Hormisda Pontifex visus fuerit: ideoque à Ioanne Maxentio exagitatus sit, & à nuperis Sectariis passim traducatur: id quoque vt excutiatur, retro flectenda tantisper vestigia sunt. Igitur & à Possessore Episcopo Africano Constantinopoli agente, & à Monachis Scythis Romam profectis, eâ de re Hormisda consulebatur. Rescripsit verò ille Possessori ea, quibus non falsam, sed nouam propositionem auersabatur; eiusque vindices non vt errori, sed vt curiositati, & rixandi libidini implicatos obiurgabat. *Nunquam apud eos charitas, nunquam pax, vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere. Contemptores authoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum*, & alia in eum sensum. Et in epist. 79. ad Iustinum Imp. *Quid est, quod emergentibus Nestorij & Eutychetis venenis paterna omisit instructio? &c. Reuoluantur decreta synodica, & beati Papæ Leonis conuenientia sacræ fidei constituta. Quid ergo post illum fontem fidelium statutorum, quid amplius, si tamen fidei terminum seruat, quamlibet curiosus scrutator inquirat? Nisi fortè manuls quisquam dubitare, quàm credere: certare, quàm nosse: sequi dubia, quàm seruare decreta.* Et mox de incarnatione ea copiosè disputat, ex quibus illius propositionis emicat veritas; quâ tamen, quia nouitatis ergo tumultuationes excibat, abstentum esse, curiositatique frænos iniici mallet.

VI. Ex Ioanne

Et ipse Ioannes Maxentius confitetur, circa eam pro-

Digitized by Google

positionem nihil responsi dedisse: eius authores, vt litium nouarum fatores abhorruisse. Nam contra præfatam Hormisdæ epistolam sic disputat; quam Hormisdæ esse, vel falsus, vel fallens negat: *Ambigo quomodo illæ sacerdotales literæ approbandæ sint, quæ nullâ luce radiant veritatis: nec aliquam in se doctrinæ continent rationem. Nam qui quemlibet quasi errantem obiurgat, nec instruit quid sequatur, non benenolus lector ostenditur, sed criminator inuidus denotatur.* Et paucis interpositis: *Quod monachis responsum quærentibus Romanus Episcopus dare omnino distulerit, eosdemque post multa pericula maris longique itineris vexationem, nec non etiam prolixi temporis afflictionem, quo eos apud se detinuit, vacuos & sine vllo effectu, ad has partes venire compulerit, quod omnibus penè Catholicis notum est, nec ipsi queunt hæretici denegare, &c.* Et mox: *Si vt dicit, rationi congruit respondere consultos, cur ipse nullatenus acquieuit dare responsum interrogatus? &c. Si vt sequens adiunxit, nihil est aptius studioso religionis, quàm inquisitio veritatis: quomodo inferiùs nouarum cupidos quæstionum accusat, veritatis inquisitores? Cur denia vitare volentes, iter per quod graderentur, noluit edocere?* Ergo nec literarum, nec viuæ vocis oraculo, responsum vllum aut definitionem protulit Hormisda, solam insatiabilem & nouarum in dies propositionum litiumque seminatricem insectatus est curiositatem; quo nihil tum erat consultius, cùm illam propositionem alij in alios raperent sensus; & ita illam vel inurerent, vel absoluerent; & in vna fide starent quidem, sed verborum ambiguo illuderentur.

Maxentio ipso id ostenditur.

Quanti autem facerent Sedis Apostolicæ oraculum isti ipsi Monachi, declarat idem mox Maxentius: *Pro hâc solâ sententiâ Scytharum monachos constat ad Romanum fuisse profectos Episcopum, sicut omnibus Catholicis notum est, non solùm in hac regiâ vrbe, verùm etiam in vniversâ Italiâ. Nam & ipsi hæretici, ad hoc vbique hanc ipsam, cui respondimus epistolam, proferunt, quatenus & sæpedictis monachis inuidiam concitent, & omnes quasi ex authoritate eiusdem Romani Episcopi prohibeantur Christum Filium Dei vnum confiteri ex Trinitate.*

VII. Maxentius & Scythæ Monachi quanto in pretio habuerint oraculum primæ Sedis.

Digitized by Google

Sed quis hanc ſententiam Catholicam non eſſe auſus eſt profiteri, quam vniuerſa veneratur & amplectitur Dei Eccleſia? Confidenter enim dicere audeo, non quod ſi per epiſtolam, ſed quod ſi viuâ voce hîc in præſenti poſitus idem Romanus probiberet Epiſcopus, Chriſtum Filium Dei confiteri, vnum ex ſanctâ & indiuiduâ Trinitate, nunquam eidem Dei Eccleſia acquieſceret. Nunquam vt Epiſcopum Catholicum veneraretur: ſed omnino vt hæreticum penitus execraretur, &c. Sed abſit vt ex qualibet parte, Catholicæ profeſſioni Romanus Epiſcopus contradicat. Ergo Conſtantinopolin Romæ poſtpoſuerant, & tam longi itineris mariſque tædia pertulerant Monachi, Romæ quatuordecim menſes ſuſtinuerant, opperientes reſponſum Sedis Apoſtolicæ, vtique vt illi cederent. Quo illic enim alioqui labor? 2. Vtrimque ambiebatur conſenſio Romani Præſulis, vt *omnes quaſi ex authoritate Romani Epiſcopi* frangerentur. 3. Ea indubiè ſententia Catholica eſt, quam vniuerſa amplectitur Dei Eccleſia: ſed *abſit vt ex qualibet parte Catholicæ profeſſioni Romanus Epiſcopus contradicat.* Quâ vtrâque propoſitione nihil video certius, nihil conſtantius dici. Primò id Catholicum eſſe dogma, quod vniuerſa amplexatur Eccleſia. Secundò nunquam contigiſſe, nunquam fore vt contingat, Romanum Epiſcopum à ſententiâ vniuerſæ Eccleſiæ deuiare. Chriſto nempe ita Eccleſiam ſuam ſoſpitante, vt concinat caput corpori, corpus capiti. 4. Si quid præter fidem doceret Romanus Pontifex, non acquieſceret illi Eccleſia. Adeoque vbi vniuerſa illi acquieſcit Eccleſia, indubium eſt Catholica docuiſſe; & ita hæreſeos ſe immergit profundo, ſi qua paucitas non conſentiat Pontifici docenti & conſentaneam habenti Eccleſiam Catholicam, extra etiam œcumenicæ Synodi congregationem. Et ne quis diſſentire poſſe Romanam Eccleſiarum magiſtram ab orthodoxâ fide inde arguetur, quod ſi diſſentiret, tum illi non conſenſura dicitur Eccleſia vniuerſa: aduerte quid Paulus, quid ex Paulo doceat nos Vincentius Lirinenſis. Commonit. I. c. 12. *Licèt aut nos, inquit, aut Angelus de*

Digitized by Google

celo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Quid est, quod ait, Sed licet nos? Cur non potiùs, Sed licet ego? Hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus, anathema sit. Parum est. Etiamsi Angelus, inquit, &c. Non quia Sancti, cælestesque Angeli peccare iam possint: sed hoc est, quod dicit: Si etiam, inquit, fiat, quod non potest fieri: quisquis ille traditam semel fidem mutare tentauerit, anathema sit. Non infrequens est ea disputandi ratio, quæ largitur id fieri, *quod non potest fieri.*

VIII. Rursus de eodem.

Et quanquam maledicentissimo scripto Maxentius Hormisdam Pontificem, eiusque epistolam proscindat, suæ tamen illum sententiæ astipulatorem esse euincit. Non aliter enim victoriam sibi constare posse sentit, nisi consensu Sedis Petri illam assequatur. *Absit vt ex qualibet parte Catholicæ professioni Romanus Episcopus contradicat. Nunquam enim Scytharum monachos, quos non simplici sermone, sed etiam scriptis Christum Filium Dei vnum ex Trinitate nouerat confiteri: per quatuordecim penè menses, quandiu eos ibi detinuit, communicare sibi permisisset, si vt hæretici volunt, hanc prædicationem Catholicæ fidei contrariam iudicaret. Qui etiam, vt se à pranitate propriȳ legati purificaret, multis idoneis viris præsentibus, Romanum virum glorios. mag. mil. deprecatus est, quatenus sua verba piissimo Imperatori insinuaret, quæ huiusmodi fuere: Nisi Christum Filium Dei, qui pro nobis passus est in carne, vnum esse ex sanctâ & indiuiduâ Trinitate fuerit confessus Dioscorus, pelago demergatur.* Valde multis igitur & prævalidis argumentis euincit Maxentius fidei Monachorum Scytharum consensisse Hormisdam.

IX. Assensus et propositioni Hormisda declaratur. Et de variis eius sensibus.

Quin & Dioscorum ipsum, quem legatum Constantinopolin eâ de re miserat Hormisda, quemque vt aduersatum iis, qui vnum ex indiuiduâ Trinitate dicerent Christum, effrænatissimâ maledicendi licentiâ insectatur Maxentius: fatetur idem ipse tamen assensum esse, vt vna persona Christus ex Trinitate diceretur. Eccur autem

Digitized by Google

qui vnam ex Trinitate perſonam confitebatur Chriſtum, vnum ex Trinitate dicere pigritaretur Dioſcorus: non id erat cauſæ vt calumniatur putidiſſimè Maxentius, quòd perſonam ſuſtineret & ageret Dei Verbi, velut in mimo, cùm Deus Verbum non eſſet: ſed audienda à Ferrando Diacono veriſſima rei eius cauſa. Sic enim ille in epiſt. ad Seuerum Scholaſticum, feruente harum concertationum æſtu, ſcripſit num. 9. *Videndum reor diligentiùs, cur Dominus Ieſus Chriſtus vnus eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate nimis cautè à quibuſdam negetur. Tribus enim modis, quantùm mea fert opinio, ſententiæ huius ſuſpecta redditur propoſitio. Primus modus eſt, ne ideo Chriſtus vnus de Trinitate prædicari putetur, vt alius ipſe, alia Trinitas de quâ vnus eſſe dicitur, inculcetur. Velut cum de Patre eſſe Filium credimus, alius eſt proculdubiò Filius, alius Pater de quo eſt Filius. Secundus modus eſt, ne fortaſſe vnus de Trinitate fraudulenter intimetur, propter hoc videlicet, vt non eius humanitas, ſed diuinitas prædicetur eſſe paſſibilis. Tertius modus eſt, ne quæratur, quid vnus?* Vt ſi Gabrielem vnum ex Angelis, Petrum vnum ex hominibus eſſe dixeris: & rogeris, quid vnus? reſpondebis vtique, vnus Angelus, vnus homo: *Cùm verò dixerimus Chriſtum vnum de Trinitate, interrogati, Quid vnus? non poſſumus dicere, vnus Deus, quia Trinitas illa non eſt Deorum, &c. Non poſſumus reſpondere, vnus Filius: quia Trinitas illa non eſt Filiorum.* Hos ergo ſcopulos reformidabant, qui vnum de Trinitate Chriſtum grauabantur dicere, adeoque nullâ grauiori cenſurâ notandi erant, quàm quod *nimis cautè* verba trutinarentur, vt hæreticorum doloſos caſſes declinarent.

Quibus autem placebat vnam de Trinitate perſonam potiùs, quàm vnum de Trinitate dici Chriſtum, poſtremæ huic difficultati occurrere illi geſtiebant. Nec enim ſalebroſâ illâ poterant illaqueari interrogatione, Quid vnus? cùm vnam perſonam dicere præcepiſſent. His ergo conſequenter Ferrandus fauet: *Et ſi dicitur ita dici, vnus Dominus Ieſus Chriſtus de ſanctâ Trinitate, tanquam ſi*

Digitized by Google

dicatur vna persona : rectissimè hoc dicitur; sed conuenientiùs modò, si hoc ita videtur, vna persona, quàm vnus dicitur: ne parum intelligentibus aut malè suspicantibus scandalum procuretur. Nemo cordatus Ferrando, quàm Maxentio plus fidei commodandum negabit in hoc negotio.

X. Sapientissima Hormisdæ dispensatio in tanto conflictu Catholicorum super aliis & aliis sensibus eius propositionis.

Porro hinc quoque Hormisdæ sapientia admiranda impensiùs venit, qui solam nouitatem & iurgiorum sementem in hac propositione & eius architectis auersatus erat. Ex Maxentio enim, Ferrando, aliisque eius ævi scriptoribus explorata sunt prælia, tunc inter Catholicos super hac re decertata; vtrisque hinc & inde alias ex aliis distinctiunculas, sensuumque minutias comminiscentibus, & implacata ferentibus iurgia. Nam vt Ferrandus mox docet, quidam eorum qui vnum de Trinitate Christum pernegabant, confitebantur vnum esse ex sancta Trinitate. Vsque adeo acumen ingenij humani, vbi plùs æquo indulget sibi, inaudita subtilitatum monstra quædam parturit; vt plerumque longè satiùs sit, quod Hormisda cupiebat, in totum ab his temperari. Cui dispensationi suffragatur ad calcem eius epist. Ferrandus: *Vnde desistendum à contentionibus reor, expectandum potiùs persuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam; donec vniuersalis Ecclesiæ authoritate vel pronuncietur suscipienda, vel prodatur abiicienda. Nec enim fides vera, si de hâc sententiâ taceatur, minùs prædicabitur; aut nisi per hanc sententiam roboretur, minùs firma existimabitur. Cùm etiamsi ita esset, sequi nos Apostolica verba plùs deceret, vbi nobis dicitur, verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Et, si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Ad hoc peruenimus, scire Dominum Iesum Christum ex duabus, atque in duabus substantiis, vel naturis vnam habere personam. Hoc teneamus, hoc sapiamus, hoc prædicemus. Et si quædam verba minùs cautè proferamus, vel plùs fortè solliciti taceamus, velut si quid aliter sapiemus, hoc quoque Deus nobis reuelabit.* Quo sapientiæ temperamento nihil pulcrius. Obserua hîc autem hanc inter Catholicos hinc & inde homines exarsisse controuer-

Digitized by Google

ſiam, peccaſſe Maxentium, & ſi qui cum eo alij diuerſas partes ſectantibus illinebant hæreſeos infamiam. 2. Superſederi in totum potuiſſe hac propoſitione, nec ex eius ſilentio vllum in fidei incolumitatem imminere potuiſſe periculum. 3. Probos omnes Ferrandi ſimiles, ita alternaſſe, vel ita ſe vni parti addixiſſe, vt tamen dubitationem illam patienter ferendam ſcirent, & Eccleſiæ vniuerſalis definitionem opperiendam. 4. Catholicè vtroſque de Verbi inhumanatione ſenſiſſe, de verbis altercatos eſſe; cùm huic propoſitioni alij ſenſus Catholicos illigarent, alij hæreticos ſubeſſe ſuſpicarentur; vtriſque conueniret de ſenſibus Catholicis vel hæreticis, de eorum ad hæc verba alligatione diſconueniret. Itaque vt ſummum culpari non poterant vtrimlibet, niſi quod *illi nimis cautè, nimis ſollicitè* tacerent, hi *minùs cautè* prædicarent quædam *verba*.

XI. Ex Ferrando Sedis Apoſtolicæ præ cæteris fuit definire in fidei causâ.

Sed vt ſtandum in his fuiſſe iudicio Sedis Apoſtolicæ intelligas, idem Ferrandus initio eius epiſtolæ: *Loquantur & prædicent, quibus honor ſacerdotij docendi authoritatem tribuit, nos diſcere parati ſumus, docere alios non præſumimus. Interroga igitur, ſiquid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem; cuius ſana doctrina conſtat iudicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis. Interroga plurimos per diuerſa loca terrarum Pontifices.* Conſulendi ſunt vtique omnes Epiſcopi de fide, vtpote à Deo conſtituti Eccleſiæ Doctores: ſed conſulendus *principaliter* Apoſtolicæ Sedis Præſul, quod *eius ſana doctrina conſtet iudicio veritatis, & fulciatur munimine authoritatis.* Itaque cùm idem addat id ſequendum, quod *vniuerſalis Eccleſiæ authoritas* definierit, non diſiungitur vniuerſalis Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ, ſeu corporis & capitis authoritas, doctrina, oraculum. De Synodi vniuerſalis conuocatione nec vno verbo meminit Ferrandus.

XII. Cur Catholici quidam circa hanc propoſitionem fluctuarent.

Et rurſus idem Ferrandus epiſt. ad Anatol. n. 12. *Suſpiciones ſuas inaniter rodit, quiſquis bene dicta, dum malè conatur intelligere, calumniari potiùs, quàm doceri ſtudet. Vnum de*

Digitized by Google

de Trinitate passum Nestorianis non immeritò displicet, introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem vnum de Trinitate passum, non rectè placet, si tamen placet. Duplex enim natura insinuatur per vnum de Trinitate & passum. Ad medendum scrupulis, annuit mox dici vnum, hoc est, vnam personam de Trinitate, passum carne. *Et in hac quidem parte mos gerendus est talibus. Et si sic audire desiderant, sic etiam loqui nos conuenit. Addamus verba manifesta, ne occasionem demus interpretationi malitiosæ; putemurque aliud credere, quàm sentimus.* Et quidem ita intelligeretur inter Catholicos, etsi non ea verborum diligentia adhiberetur. *Libenter tamen exigi à me patior, quod vltro reddere sum paratus. Incontanter profert lingua, quod retinet conscientia.* Quæ sanè vides, vt Maxentij impudentiam obtundant. Et infrà num. 16. *Nec mouere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit Apocrisarius in Chalcedonensi Concilio. Sæpe etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronunciauere Catholicum, nec ipsam sententiam Catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis potiùs adprobasse, quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit, etiam per hanc sententiam reuinci Eutychianistas, in qua duarum plena est prædicatio naturarum.* Vides quàm non temerè quidam circa eam propositionem suspensi hærerent, assensumque sustinerent, quam tot mali sensus ambibant, quam Eutychiani vt sibi propitiam venditabant passim, quæ ipsius ab Eutychetis Apocrisarij ore rapta, & eius veneno imbuta sentiebatur. Denique num. 15. sic ille ad patem Catholicos reuocat: *Omnis ergo Catholicus, aut vnum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat: aut loquens cautè, non tamen infideliter, vnam personam de tribus passam fateatur; nec ideo quempiam iudicet hæreticum, qui vnum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiam ipse vnam personam de tribus passam*

veraciter dicit: ſimulque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes.

XIII. Item circa aliam de Mariâ propriè & veraciter Dei matre.

Eodem tenore idem aliam tunc ſente[illegible]m magnâ contentionum tempeſtate iactatam, de Mariâ *veraciter & propriè Dei matre* dicendâ, pertractat. *Fruſtrà expaueſcit quiſquis aſtimat, conſubſtantialem diuinitati Matrem futuram, ſi veraciter & propriè Maria mater fuerit Dei.* Et in fine epiſtolæ, eos qui fidenter has prædicant geminas ſententias, multis onerat monitis, ne quod hæreſeos virus iis aut occulant, aut occulere exiſtimentur. *Ille autem qui has dubitat proferre ſententias, ſi cuncta quæ ſolent ſub hæretico latere ſenſu, manifeſtis abſolutiſque ſermonibus audierit refutari, careat ſuſpicionibus, omittat contentiones; & de cætero vnum de Trinitate paſſum, vel Mariam propriè Dei matrem eſſe ſic accipiens, quomodo dicitur à Catholicis, etiamſi aliter hoc affirmare nitantur hæretici, doctoribus orthodoxis aures ſimplices præbeat.* Hæc ſanè ſunt hominis non de fide tantùm, ſed de pace & charitate Catholicâ bene merentis, & Hormiſdæ nobis adprobantis conſilia.

XIV. Ex Facundo Herm. oſtenditur ſalvo fidei vinculo de his propoſitionibus certatum vtrimque eſſe ob varios ſenſus earum.

Eodem prorſus conſilio Facundus Hermianenſis Epiſcopus vtramque hanc quæſtionem inter Catholicos ſaluo fidei vinculo diſceptari docet. Nam lib. 1. cap. 1. prolixè demonſtrat ex Concilio Chalcedonenſi vtramque decerptam eſſe propoſitionem. Et cap. 3. *Sanè tacendum non arbitror, quòd ſint etiam Catholici, qui ſicut credimus, neſcientes hoc antememoratâ Synodo confirmatum, ſuperfluè contrà de verbo contendant. Quia videtur eis, quod dici non debeat vnum de Trinitate pro nobis crucifixum, ſed potiùs vnam de Trinitate perſonam.* Tum eaſdem refert & diluit ſuſpiciones de illito propoſitioni huic veneno; demonſtratoque vnum & vnam perſonam de Trinitate idem ſonare, aptiuſque etiam vnum dici, quod Neſtoriani perſonæ nomen ad dignitatis fucum ſolùm trahant; ſubdit: *Ideo hanc religioſam & neceſſariam vocem ſuſcipientes, qui de verbo ſuperfluè contendebant, ita iam nobiſcum Neſtorianos vrgere debent & premere, vt non tantùm vnam ex Trinitate perſonam dicant,*

Digitized by Google

quod illi malè interpretantur: sed etiam vnum ex Trinitate possum, quod nullâ fraude possunt eludere.

Quod verò de hâc aliâ quæstione, an veraciter & propriè dicenda foret Dei genitrix Virgo, ad Sedem Apostolicam relatum sit, ita narrat Liberatus breuiarij c. 20. *Ad Ioannem Apostolicæ Sedis Præsulem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere Sedem Apostolicam, contra legatos Acœmetarum Cyrum & Eulogium, negantes esse confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem, & vnum de Trinitate incarnatum & carne passum. Sed Papa Ioannes nobis ibi positis, hoc confitendum epistolâ suâ firmauit, & Imperatori direxit. A cuius communione discedentes Romæ quidam Monachi, Acœmetarum legatos secuti sunt, & vsque nunc hanc de Christo confessionem non suscipiunt.* Ab Imperatore & quidem per Episcopos insignes consulitur Romanus Pontifex in dubiis fidei capitibus.

XV. Ex Liberato ad Sedem Apostolicam vt ad fidei regulam relatum.

Vt denique exploratissimum fiat nunquam à confitentibus vnum de Trinitate passum abhorruisse Hormisdam Pontificem, nec à Ioanne posteà definitum esse, secùs atque ille sensisset: audiendus est à Vigilio Christianitatis Catholicæ status, inter has conflictationes. Catholicos enim hinc & inde, solis digladiatos verbis, vnâ porro & constantissima fide deuinctos fuisse, sic ille docet lib. 2. contra Eutychen: *Hæc multi orthodoxorum minùs attendentes, aut attendere nolentes, vel discernere non valentes, in duas sese partes non diuersitate sententiæ, sed vocis professione diuiserunt: vt id quod eodem modo credunt, eodem modo pronunciare formident, inutili profectò atque superfluo timore; vt iure illud propheticum eis possit aptari, illic trepidauerunt, vbi non erat timor. Nam plerique orthodoxorum, sensum vtrarumque naturarum cum Catholicè exponant, Catholicè retineant: ideo tamen duas nolunt dicere naturas, ne secundùm Nestorium duas putentur fateri personas à confessione vtriusque naturæ non corde, sed voce tantummodo recedentes. Quodam enim circuitu expositionis vtuntur, vt duas se credere ostendant, sed duas*

XVI. Ex Vigilio Catholici hinc & inde erant, qui de his altercabantur, & hæreseos maculam sibi vicissim illinebant.

nudo ſermone non pronunciant. Et paucis interiectis: *Rurſus alij timentes, ne Apollinaris & Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum paſſum & mortuum, cùm vnam credant eius eſſe perſonam: & hunc eundemque Deum fateantur & hominem. Si ergo vnus eſt, ſicuti eſt, cur eum formidas dicere paſſum, quem non formidas credere vnum? Ecce ſunt timores inaniſſimi, & ſollicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum ſibi nomina impingere; dum voce expromi palpatur, quod exp[illegible]ùs corde clamatur. Qui enim nolunt duas ore fateri naturas, quas fidei expreſsione defendunt, Eutychianiſtæ reputantur, cùm non ſint. Item qui duas vnius Chriſti naturas publicè profitentur, Neſtoriani putantur eſſe, cùm non ſint; & videas eos luctuoſis quibuſdam, & omni lamentatione dignis inſultationibus, hæreticorum nomine ſe inuicem accuſare. Tu, inquit, Eutychianus es, &, Tu Neſtorianus es: Apoſtolicæ ſententiæ in totum obliti, dicentis, Videte, ne cùm inuicem accuſatis, ab inuicem conſumamini.*

XVII. Regulæ in his verborum conflictibus obſeruandæ.

Hinc colliqueſcit 1. in hoc conflictu pugnatum eſſe verbis, non ſententiis, idque inter Catholicos hinc & inde homines. 2. Cùm res ipſa ad fidem nihil attineret, quibus verbis fidem ſuam exprimerent, ſatiùs vtique fuiſſe temperare tota illa contentione, & tanta redimere atque præuertere odiorum & maledicentiæ incendia, quod Hormiſdæ conſilium fuerat. 3. Verborum vſum & ſignificantiam penes multitudinem vulgi hominum eſſe. Itaque vbi de fide conueniebat, dimicabatur autem de vocibus, & eorum vi atque ſignificatu: conſultiſſimum fuiſſe prorogari ſententiam, & moras trahi, dum ipſo conflictu excuderetur ſcintilla aliqua lucis, & ipſa populorum doctorumque inclinatione, propoſitionum iſtarum ſignificatio eliquaretur. Nam ſi abruptè Hormiſda definiſſet, vnum ex Trinitate paſſum eſſe, id nimirum ingruebat periculi, ne ij apud quos ea verba crudius quid, & Eutycheti affinius ſignificabant, ſcinderentur à reliquo Eccleſiæ corpore. At vbi diutino diſputationum certamine, conſtitit, defenſores huius propoſitionis per hæc

verba nihil Eutycheti ſuffragari velle: tum eius cruditas & inſolentia mitigari cœpit in animo eorum, qui priùs aduerſabantur; & tunc citra diſcrimen fidei & pacis, definiri à Ioanne Papâ potuit, quod omnes ſequerentur. 4. Cùm non poſſint non ſubinde conflagare id genus alia iurgia de vocibus magis, quàm de rebus, vel de rebus etiam ipſis: nec ſtatim, nec ſemper queat cogi Synodus; id nimirum expeditiſſimum eſt, quod Iuſtinus, quod Iuſtinianus, quod Orientis, quod Occidentis Epiſcopi exemplo ſuo ſanxerunt, quod anteceſſorum exemplo imitati ſunt, quod Ferrandus diſertè monuit ſuprà: *vt principaliter Sedis Apoſtolicæ Antiſtes interrogetur, cuius ſana doctrina fulget indicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis.* Nec alias ſatis conſultum eſſet Eccleſiæ incolumitati à Chriſto in tantâ Epiſcoporum, qui & ipſi conſulendi ſunt, turbâ, & non rarò diſſonantiâ.

XVIII. Vniuerſim iam ex Patribus demonſtratur, conſulendũ in dubiis fidei quæſtionibus Romanum Præſulem, & eius iudicio ſtandum. Et primùm ex Tertulliano, & Optato.

Nunc obiter perluſtrandi antiquiores Patres, vt de fidei ambiguis quæſtionibus percontandos nobis doceant Epiſcopos, ceu Apoſtolorum Sedis & doctrinæ ſucceſſores; ſed *principaliter* Sedis Apoſtolicæ Pontificem, Petri Apoſtolorum Verticis ſucceſſione præfulgentem: eiuſque definitione ſtandum eſſe. *Age iam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum, ſuis locis præſidentur: apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proxima eſt tibi Achaïa? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquàm in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Eccleſiis conferauerit, &c.* Hæc Tertullianus lib. de præſcrip. aduer-

sùs omnes hæreſes philoſophatur? Omnes quidem Epiſcopos, maximè Apoſtolicarum Sedium, ſed præ cæteris omnibus commendans ſectari Romanæ Cathedræ Pontificem; tum quod ibi Apoſtolorum apices cum ſanguine doctrinam profuderint, tum quod inde in circumiacentia regna fides ſata & propagata ſit: & inde eâ de causâ, ſemper elimanda: maximè cùm Sedes aliæ Apoſtolicæ defecerint. Optati verba iam deſcripſi ſuprà & expendi, vbi cùm communionem totius Eccleſiæ Catholicæ ad Romanam Eccleſiam, ceu ad Caput, religat, ab eodem quoque vertice neceſſe eſt fidem ſuſpendat, à communione Catholicâ ſponte ſuâ indiuulſam.

XIX. Item ex Hieronymo.

Hieronymus aduerſ. Vigilant. *Malè facit ergo Romanus Epiſc[illegible] qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia? Et non ſolùm vnius vrbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi, qui ingrediuntur baſilicas mortuorum, &c.* In negotio fidei ingens authoritas ſingulorum Epiſcoporum, longè maxima & ſingularis Romani Antiſtitis. Et in epiſtolâ ad Demetriadem aduersùs Origeniſtas, *Anaſtaſius vir ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſollicitudinis, ſtatim noxium perculit caput; & ſibilantia Hydriæ ora compeſcuit.* Et ibidem aduerſ. Pelag: *vt ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ, & ſupradicti viri ſucceſſor, & filius eſt, teneas fidem.* Ita ille ſine œcumenicis Synodis, compreſſos Origenis & Pelagij errores demonſtrat Sedis vnius Apoſtolicæ authoritate. Et in Apolog. aduerſ. Ruffinum: *Et tamen miror, quomodo probauerit Italia, quod Roma contempſit? Epiſcopi ſuſceperint, quod fides Apoſtolica condemnauit?* Et in epiſt. ad Theoph. *Scito nihil nobis eſſe antiquius, quàm ſemper meminiſſe Romanam fidem, Apoſtolico ore laudatam, cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur.* Et in epiſtola ad Marcum preſb. aduersùs eos qui ei vt hæretico obloquebantur: *Si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent.* Et rurſum in Apolog. aduerſ. Ruffin. de Origenis defenſo-

Digitized by Google

ribus verba faciens: *Non valet apud eos super Origenis damnatione Episcoporum authoritas? Quid facient epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasij in toto orbe hæreticum persequentes?* Et ibidem: *Si vel paruam schedulam contra me Romani Episcopi, aut alterius Ecclesiæ protuleris, omnia quæ in te scripta sunt, mea crimina confitebor.* Et in epist. ad Pammach. & Marcellam, *Prædicationem Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli suâ prædicatione confirmet.* Attendis hîc 1. omnium prorsus Catholicæ communionis Episcoporum & Ecclesiarum sententiam magni fieri, & interrogari in dubiis. 2. Nunquam turbæ cæterorum immisceri Romanum Præsulem, sed vt eximium & principaliter consulendum secerni. 3. Cùm Apostolicæ etiam Cathedræ memorantur, suum tamen supra illas Petro, vt omnium magistro, priuilegium vendicari. 4. Origenistas & Pelagianos nullâ tum œcumenicâ Synodo damnatos damnandosve ostendi, abunde enim esse, vt ab Episcopis, vt ab Apostolica Sede damnentur. 5. Indissociabilem esse Episcoporum totius orbis, & Romanæ Cathedræ sententiam. Etsi enim aliqui pauciſſimi dissentire & errare queant Episcopi, vniuersitas tamen ipsa Episcoporum & Ecclesiarum orbis Capiti suo semper concinuit.

XX. Rursus ex eodem.

Supereſt, quam de industria sepositi, eximia epistola eiusdem Hieronymi ad Damasum, ad hoc quod sigillatim tractamus negotium, accommodatior: vbi non tam fidei caput, quàm verborum confessio ita inter Catholicos controuertebatur, vt calumniam hæreseos mutuò sibi illinerent. Cùm enim Hypostaseos nomen aliis naturam, aliis personam sonaret, inde Orientalibus trium, Occidentalibus vnius arridebat hypostasis confessio, fide consona, vocibus dissona. *Trium hypostaseon nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista Apostoli prodidere? Quis nouus magister Gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid très hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, idem nomen efflagitant: quia nescio quid veneni*

in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria enhypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici iudicamur. Hic ſatis copiosè in hypoſtaſeos nomine philoſophatur, totâ ſæcularium in ſcholâ literarum nihil aliud eſſe hypoſtaſin, quàm vſiam: Arianos trium hypoſtaſeon confeſſione perfidiam ſuam ſuffulcire; alia id genus multa effundit, & addit tamen: *Diſcernite, ſi placet, obſecro; non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis, &c. Taceantur, ſi placet, tres hypoſtaſes, & vna teneatur, &c. Aut ſi rectum putatis tres hypoſtaſes cum ſuis Interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum ſub melle latet, &c. Bene interpretanti hypoſtaſin, & cùm id, quod ipſi exponunt, habere me dicam, hæreticus iudicor. Quid tam anxiè vnum verbum tenent? Si ſic credunt, vt interpretantur, non damno quod retinent. Si ſic credo vt ipſi ſentire ſe ſimulant, permittant & mihi meis verbis ſuum ſenſum loqui. Quamobrem obteſtor beatitudinem tuam, per Crucifixum, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas, &c. Campenſes cum Tharſenſibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm vt authoritate communionis veſtræ fulti, tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent.* Patet controuerſiam inter orthodoxos de verbis fuiſſe, magis quàm de ſententiis: & quia vt comparati ſunt homines, concreta ſunt quodammodo verbis ſenſa, permaximi videbatur eſſe momenti, non tantùm ad fidei, ſed ad vocum etiam vnitatem Catholicos omnes compaginari, ne ſub ambiguo vocum illuderent heterodoxi. 2. Abhorrebat animus Hieronymi vehementiſſimè à trium hypoſtaſeon confeſſione, & tamen ſi iubeat Damaſus, eam ſe amplexurum confitetur. 3. Nec Hieronymus tantùm, ſed Orientales omnes Epiſcopi, communionem ambibant cum Damaſo, aut communionis famam; vt ſub eius *authoritate* tres hypoſtaſes dicerent. Clamabat Hieronymus, *ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt.* Eidem Cathedræ Petri, ideſt, Damaſo ſe hærere Meletius,

by Google

tius, Vitalis, & Paulinus, certatim affirmabant perſuaſi victoriam fidei ad eos inclinaturam, qui eius compotes eſſent. 4. Contatio Damaſi hac in re tunc peræquè neceſſaria, ac poſtea Horniſdæ, vt diutino flictu & quaſi attritu voces expolirentur, & ipſa hominum inclinatione in vnum magis, quàm in alium ſenſum impellerentur. Ideo cautè Facundus lib. 6. c. 5. *Aliquando in diuinâ Trinitate Catholici quidam tres hypoſtaſes accipere noluerunt, quamuis tres perſonas acceperint; nec ideo ſunt à viris ſapientibus hæretici iudicati, quoniam comperti ſunt, non in re, quæ illo nomine ſignificabatur, ſed potiùs in ipſo nomine, quo ſignificabatur, offendi.*

XXI. Item ex Ambroſio.

Ambroſij concors ſententia, ex Siricij Papæ primùm epiſtolâ ad Eccleſiam Mediolanenſem illuſtranda venit. Ergo cum hæreſis Iouiniani latiùs ſerpens eam vrbem depaſceretur, & ſcriptis etiam libris palàm pugnaret, ad fidei auitæ defenſorem primarium, hoc eſt, ad Romanum Præſulem Catholici confugere. Vnde Siricius ep. 2. *A fideliſſimis Chriſtianis viris, genere optimis, religione præclaris ad meam humilitatem ſubitò Scriptura horrifica videtur eſſe delata, vt ſacerdotali iudicio detecta, diuinæ legi contraria, ſpirituali ſententiâ deleretur. Facto ergo presbyterio, conſtitit doctrinæ noſtræ, id eſt, Chriſtianæ legi eſſe contraria. Vnde Apoſtolicum ſecuti præceptum, qui aliter quàm quod accepimus annunciabant, omnium noſtrûm tam Presbyterorum & Diaconorum, quàm etiam totius cleri vna ſuſcitata fuit ſententia, vt Iouinianus, Auxentius, Genialis, Geminator, Felix, Plotinus, Martianus, Ianuarius & Ingenioſus, qui incentores nouæ hæreſis & blaſphemiæ inuenti ſunt, diuinâ ſententiâ, & noſtro iudicio in perpetuum damnati, extra Eccleſiam remanerent. Quod cuſtodituram ſanctitatem veſtram non ambigens, hæc ſcripta direxi, per fratres & compresbyteros meos, Creſcentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religioſum officium fidei poſſint Spiritu adimplere feruentes.* Hæc Siricius; ad quem Ambroſius & cæteri Mediolan. Prouinciæ Epiſcopi in hunc modum: *Recognouimus literis ſanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui*

Digitized by Google

diligenter commissam tibi ianuam serues, & piâ sollicitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues Domini audiant & sequantur. Et quia hosti oniculas Christi, oues facilè deprehendis, &c. Insertâque aduersùs Iouiniani deliramenta breui disputatione, aiunt: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat.* Et infrà, nouellam impietatem *execratus est Imperator, & omnes qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt. Sicut testes sunt fratres & compresbyteri nostri Crescens, Leopardus & Alexander, sancto feruentes Spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanenſi ex vrbe quasi profugos repulerunt. Itaque Iouinianum, Auxentium, &c. quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundùm iudicium tuum esse damnatos.* Vbi obserua 1. grassantes Mediolani hæreticos non apud Ambrosium primò, sed apud Siricium accusari, à viris *genere optimis & religione præclaris* eorum scripta pestifera Romanæ censuræ offerri. 2. Et errores & authores ipsorum à Siricio primùm damnari, sententiam hanc ad Episcopos Mediolanensis prouinciæ *custodiendam* dirigi, executores eius simul mitti tres Ecclesiæ Romanæ presbyteros, ad *officium fidei* implendum Spiritu feruentes. 3. Congratulari Ambrosium Siricio, quod *ouilis* nempe vniuersi & cæteris quoque Episcopis crediti curam gereret, & pro omni Ecclesia excubaret. 4. *Secundùm iudicium* Siricij, quos ipse *damnauerat*, Mediolani damnatos esse. 5. Tres illos E. R. Presbyteros incontanter executos esse Sedis Apostolicæ sententiam, & Iouinianum cum gregalibus suis Mediolanensi ex vrbe pepulisse. 6. Imperatorem & Laïcos omnes Iouiniani dogmata protinùs execratos esse. 7. Etsi omnes Catholicæ Ecclesiæ Symbolo Apostolorum, vt fidei orthodoxæ breuiario subscribant, singulariter tamen hoc arrogari Ecclesiæ Romanæ, quod *intemeratum* illud custodiat. 8. *Facto presbyterio*, id est, in Presbyterorum suorum & Diaconorum & Cleri sui cœtu Siricium hæc perfecisse: & Iouinianum exinde toto ex orbe suis cum mendaciis assecliſque effugatum esse, & tan-

Digitized by Google

dem euanuiſſe, nemine inter hæc perſtrepente, non rite damnari, non extingui hæreſes, niſi Synodi œcumenicæ authoritate. Quod autem ait Ambroſius intemeratum cuſtodiri ab Eccleſia Romana Symbolum Apoſtolorum, id quo attineat, docet Ruffinus in expoſit. Symboli: *Credo in Deum Patrem omnipotentem: in diuerſis Eccleſiis aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In Eccleſiâ tamen vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea eſſe arbitror, quòd neque hæreſis vlla illic ſumpſit exordium.*

XXII. Item ex Auguſtino: à quo & Zoſimi Papæ prior indulgentia in Cæleſtium æquiſſimè defenditur.

Auguſtini non minùs aperta ſententia eſt. Sermone 2. de verbis Apoſt. *Prorſus vbi tales inueneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Iam enim de hâc causâ duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, vtinam aliquando finiatur error.* Et lib. 2. Operis vlt. aduerſ. Iulian. num. 103. *Quid adhuc quæris examen, quod apud Apoſtolicam Sedem iam factum eſt? Quod denique iam factum eſt in epiſcopali iudicio Paleſtino? Ergo hæreſis ab Epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coërcenda eſt poteſtatibus Chriſtianis.* Ita ille aduersùs Pelagianos, non tam Africana, etſi numeroſa & frequentiſſima & vniuerſalia Concilia extollit in arcem ineluctabilis authoritatis, quàm Sedem Apoſtolicam. Suggillat porro perſæpe Iulianum, & alios eiuſdem veſaniæ patronos, examen nouum prouocantes, & Synodum œcumenicam. Vide quæ de ea re diſputet l. 4. ad Bonifacium c. vlt. vbi oſtendit, *rariſſimas* fuiſſe hæreſes, quæ Synodi œcumenicæ congregatione opprimendæ fuerint, *multo atque incomparabiliter plures* vbi exortæ fuerant, ibi damnatas, inde per cæteras terras deuitari potuiſſe. Idem Auguſtinus l. cont. epiſt. Fund. cap. 4. *Tenet me in Eccleſiæ gremio, ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Et in Pſalm. Con. part. Don. *Numerate ſacerdotes vel ab ipsâ Sede Petri: & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte: ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ Inferorum portæ.* Vbi victri-

cem mendacij veritatem perpetuari vides in Sede Petri, & inde hæreticis compendiosè demonſtrari, ne per Eccleſiam vniuerſalem toto orbe effuſam ſemper neceſſe ſit longo anfractu eos circumduci. Quod autem poſt Zoſimi epiſtolas ad Africanos Epiſcopos, Cæleſtij, Pelagiique, & libelli confeſſionis à Pelagio exarati defenſatrices: non idem exclamarit Auguſtinus, atque poſt reſcripta antè Innocentij, Pelagianæ hæreſeos iugulatoria: *Cauſa finita eſt, error vtinam aliquando finiatur*: multa mihi quidem videntur intereſſe capitalia omnino diſcrimina. Poſt particulares enim Synodos, poſt Apoſtolicæ Sedis his conſonas, dogmaticaſque epiſtolas Chriſtiano orbe toto cuulgatas, & in fidei authoritatem receptas: ſi qua noua vndecumque & illis ſubinfenſa prodeant decreta, his vtique non ſtatim ac præproperè ſubſcribendum eſt. Fides enim vna, atque irreformabilis eſt. Poſt primam ergo, canonicamque fidei definitionem, quâ cauſa finitur, errorque finiendus eſt: ſi quid vel re inimicum, vel ſpecie ſubaduerſum ſtrepat, id aut confeſtim repudiandum eſt, aut prouidâ cunctatione excutiendum, priſcæque conciliandum veritati. Ita ergo Auguſtinus poſt peremptorias Innocentij Epiſcopalia Concilia confirmantis definitiones, Zoſimi epiſtolas neſcio quid ſequius in ſpeciem præferentes, expendit & interpretatur clementiùs, lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. ne à præceſſoris literis diſſentiant. *Sine vllo vitio peccati originalis hominem naſci, cùm Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet, inter illa dumtaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt: in homine acerrimi indicij, qui profectò ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus eius Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere.* 2. Quàm conſtanter enim Zoſimus nec latum vnguem deflecti ſe ſineret à ſententiâ Innocentij, & fide, palàm facit idem Auguſtinus, imò ipſemet apud Auguſtinum l. de pecc. Orig.

cap. 7. *Egit Papa Zosimus cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta damnaret: atque vt Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo præcessore manauerant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare: sed B. Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere: imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Igitur cùm & Zosimus seriò, & Cælestius simulatè Innocentij definitioni adhæresceret: nihil necessum erat ab Augustino iterum cani causam finitam, finiendum errorem; non enim alia causa emersérat, non alia eiusdem causæ vel aliena definitio. 3. Non in fidei enim, sed in personarum quæstione variauerat, & Africanas Synodos vellicabat Zosimus. Id perspicuum faciunt eius epistolæ, eo de argumento scriptæ. Queritur fidem habitam esse Lazaro & Heroti accusatoribus, *absentibus in absentes*, quibus *nec loci sui ratio vitæque constabat*: qui multa *in fratres & Coëpiscopos iam machinati sint*: gaudendum esse, quod *quos falsi indices criminabantur, à nostro corpore, & à Catholicâ veritate nunquam fuerint diuulsi*: Purgatos Catholicâ confessione Cælestium, Pelagiumque inculcat, non Innocentianæ vel Africanæ fidei definitioni demendum quid vel addendum. Et Augustinus totam hanc interpretatur esse nimiam etiam fortassis clementiam in personas, non in fide vacillationem lib. eod. cap. 7. cùm Cælestius Innocentij literis assensus esset, *ita velut phreneticus, vt requiesceret, tanquam leniter fotus est, &c. resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est, &c.* Et lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *Illa ingenia quamuis nefando errore peruersa, non tamen contemptibilia, cùm studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò leniùs, quàm seuerior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt.* Parco plura aceruare. Cùm ergo in causæ definitione nihil nouatum esset, cùm in personarum tantùm examine lenitati tantùm vltra modum esset indultum, non erat locus eidem voci, *Causa finita est, finiatur error.* 4. Et ip-

ſam quoque de perſonis ſententiam Zoſimus non definitiuam pertulerat, ſed quaſi ſuſpenderat & ampliauerat ad bimeſtre ſaltem ſpatium. *Vnde in præſenti causâ nihil præcox, immaturumque cenſuimus, ſed innoteſcere ſanctitati veſtræ ſuper abſolutâ Cæleſtij fide noſtrum examen, &c. Quare intra ſecundum menſem aut veniant, qui præſentem redarguant aliter ſentire, quam libellis & confeßione contexuit; aut nihil, poſt hæc tam aperta & manifeſta quæ protulit, dubij, ſanctitas veſtra reſedisſe cognoſcat.* Hæc ille ad Africanos Epiſcopos. Et Auguſtinus de peccato originali cap. 7. *Velut phreneticus, vt requieſceret, tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondum eſt creditus eſſe ſoluendus. Sed interpoſito duorum menſium tempore, donec reſcriberetur ex Africâ, reſipiſcendi ei locus ſub quadam medicinali ſententiæ lenitate conceſſus eſt.* Non poterat igitur cauſa finita exclamari, quam Zoſimus ipſe comperendinauerat, & religauerat quodammodo ab Afrorum reſponſione. Pergit Auguſtinus: *Sed poſteà quàm ex Africano Epiſcoporum Concilio reſcripta directa ſunt, quid fuerit conſecutum, vt iuſtißimè in eum ſententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta tranſmiſimus.* Et ibidem cap. 8. *Fefellit iudicium Palæſtinum Pelagium, propterea ibi videtur eſſe purgatus: Romanam verò Eccleſiam vbi eum eſſe notißimum ſcitis, fallere vſquequaque non potuit, quamuis & hoc fuerit vtcumque conatus: ſed vt dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatißimus Papa Zoſimus, quid imitandus præceſſor eius de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, &c.* Nec vt Palæſtina ergo Synodus, hoc eſt, nec in factis & perſonis tunc falli potuit vſquequaque Zoſimus, qui rem ampliauit ad Afrorum vſque reſponſionem, qui interim *à vinculo excommunicationis Cæleſtium non credidit ſoluendum.* Quandiu ergo innodatus ſacris vinculis gemebat Cæleſtius, quis cauſam finitam, quis purgationem eius dixiſſet perfectam? 5. Quoniam verò ex heterodoxis nonnulli hinc Zoſimo ſunt inſidiati, vt erroris maculam illi appingerent; præterquam quod ea ſuſpicio ex ſuperioribus

abundè diflata videri poteſt, adde ex eodem Auguſtino, lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *Tot & tantis inter Apoſtolicam Sedem & Afros Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis: etiam geſtis de hâc causâ apud illam Sedem Cæleſtio præſente & reſpondente confectis, quænam tandem epiſtola venerandæ memoriæ Papa Zoſimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit oportere credi ſine vllo vitio peccati originalis hominem naſci? Nuſquam prorsùs hoc dixit, nuſquam omnino conſcripſit.* Et mox: *Si quod abſit, ita tunc fuiſſet de Cæleſtio, vel Pelagio in Romanâ Eccleſiâ iudicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipſis, & cum ipſis Papa Innocentius damnauerat, approbanda & probanda pronunciarentur: ex hoc potiùs eſſet præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda. Nunc verò cum primitùs B. Papæ Innocentij literæ, Epiſcoporum literis reſpondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur iſti perſuadere, damnauerint: ſucceſſor quoque eius ſanctus Papa Zoſimus hoc tenendum eſſe, quod iſti de parvulis ſentiunt, nunquam dixerit, nunquam ſcripſerit: inſuper etiam Cæleſtium ſe purgare molientem ad conſentiendum ſupradictis Sedis Apoſtolica literis crebra interlocutione conſtrinxerit; profectò quidquid intereà leniùs actum eſt cum Cæleſtio, ſeruatâ duntaxat antiquiſsimæ, & robuſtiſsimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſsima ſuaſio, non approbatio exitioſiſsima prauitatis. Et quòd ab eodem Sacerdote poſteà Cæleſtius & Pelagius repetitâ authoritate damnati ſunt, paululùm intermiſſe, iam neceſſariò præferenda ratio ſeueritatis fuit, non præuaricatio prius cognitæ, vel noua cognitio veritatis.* Tum Zoſimi interrogationes ſubiicit, quibus Cæleſtium illaqueauit, conſtrinxitque aſſentiri literis Innocentij, quibus apertiſſima originalis labis confeſſio continebatur. Si quibus autem minùs ſapit hæc Auguſtini ratio, & interpretandæ Zoſimi clementiæ clementia, næ illi non Auguſtini, ſed ſui ipſorum ſtomachi, palatique inſulſitatem produnt. Sacerdotale enimuerò iſtud eſt, id Epiſcopo, id Theologiæ Chriſtianæ apici, id ſanctitatis culmini, id Auguſtino conſentaneum, non inſidiosè, non odiosè quaſque explorare

Voſſius de hæreſi Pelagiana lib. 1. cap. 18.

Digitized by Google

vel inſectari labeculas; non ſi quid ad punctum temporis obrepatur ſummo Antiſtiti, illico tragœdias agere, & conuitiari: ſed hominis in homines animum induere, leuiuſcula ſi fors errata diſſimulare, non circumſtantias quaſque, ſed rei ſummam exitumque perpendere, denique humanitatem paulò prolixiùs adhibitam, lubentiùs & quadam humanitatis vice excuſare. Malim equidem iſto nos Auguſtini animo, iſto ſentiendi, ſcribendique temperamento imbui, quàm ſuperbo ipſum faſtidio & tetricitate inſici. Certè Auguſtini de Zoſimo ſententiæ Africani omnes tunc Epiſcopi adglutinati erant, quorum ille fax erat, ingeniumque. Vnde eodem prorsùs animo, ad Zoſimum illi reſcripſere, non conuitia, non obliquas de ipſo ſuſpiciones ingeſſere vllas. Quod tantò impenſiùs admirandum eſt, quod illos ſemel, iterumque Zoſimus aculeatis pupugerat literis, & ipſum maximè Auguſtinum, quaſi præcox, & inconſideratum de Cæleſtio, Pelagioque iudicium exeruiſſent. Sin minùs ab vno Auguſtino, ſaltem ab Africanorum Epiſcoporum tam frequenti, tam inclyto tunc maximè Senatu, dedoceri debuerant Nouatores ſuam in Apoſtolica Sede arrodendâ contumaciam. Denique Auguſtinum ſequutus Proſper, Zoſimum cæteris permiſcuit Romanis Pontificibus, de debellatis Pelagianis lauream & triumphum aſſecutis. Quid quod Pelagij libellus Confeſſionis, non Zoſimo tantùm impoſuit, ſed poſt Caroli Magni tempora, omnibus propè doctoribus orthodoxis, vt non eos quidem ſuis erroribus inquinaret, ſed vt ab illis benignâ interpretatione emacularetur, & vel Hieronymo, vel Auguſtino etiam adſcriberetur ipſi? Id vir doctiſſimus luculentâ nuper diſſertatione patefecit. Ab erroris ergo criminatione tum Zoſimum neceſſe eſt, quàm poſteriores hos omnes Catholicos doctores abſolui. Denique & poſtremò ſi minùs arridebat Nouatoribus tanta illa Auguſtini in Zoſimo purgando indulgentia: Facundo ſaltem Hermianenſi manus darent, cuius hîc verba adſcribenda ſunt nobis

Digitized by Google

nobis ex lib. 7. cap. 3. *Inuenient Timotheum Apollinaris discipulum, à B. Athanasio per ignorantiam temporibus B. Damasi Sedi Apostolicæ velut orthodoxum commendatum, atque ab ipso Papâ Damaso sine cohibentiâ hæresis simpliciter esse susceptum. Inuenient etiam Pelagium hæresiarcham in iudicio Palæstinorum Episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pranasque sententias suas versutiâ interpretantem, per eandem ignorantiam absolutum. Inuenient postremò B. quoque Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem contra sancti Innocentij decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresin condemnauit, fidem ipsius Pelagij, eiusque complicis Cælestij, (quem in Ecclesiâ Carthaginensi conuictum, atque appellantem Apostolicam Sedem, & ipse gestis discusserat,) tanquam veram & Catholicam laudantem: insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur: cùm necdum ipsis Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium, nec Damasum, nec illos Palæstinos Episcopos, nec Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt: sed potiùs pro merito suæ fidei Catholicos iudicat, & honorat. Quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.* Ad hanc saltem mediocritatem infringant se, qui Damasum quoque criminati sunt.

XXIII. Item ex Prospero, & Petro Chrysologo.

Prospero autem quid locupletius? Constantissimè enim non tam episcopalibus Synodis, etsi frequentiâ, sanctitate, eruditione Antistitum suorum longè præstantissimis, quàm Sedi vni Apostolicæ summam laudem vendicat & authoritatem debellati Pelagij. Corruisse enim Pelagium ait, lib. contra Collat. cap. 41. *Quando bonæ memoriæ Innocentius nefandi erroris caput Apostolico mucrone percussit. Quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodum coartauit. Quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit: & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum. Quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica*

Digitized by Google

deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam regiis vtebatur edictis, &c. Vnde & venerabilis Papa Cælestinus, sciens damnatis non examen iudicij, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi: adeo & præcessorum suorum statuta & decreta synodalia inniolabiliter seruanda censebat, vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Addit & in Scotiâ insulâ, & in Ephesinâ Synodo, & in Galliâ oppressas esse quasdam eorundem errorum reliquias vnâ eiusdem Cælestini authoritate. Et in præfatione seu cap. 1. eius operis, ait oppugnando Augustino, *in vno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus iniuriam fieri.* Et in præfat. ad Obi. Vincent. *Sensus nostri & fidei quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis authoritate defendimus.* Et rursus contra Collat. cap. 10. ex sensu Pelagianorum ita argumentatur, *Errauerunt Orientales Episcopi, &c. Erfarunt Africana Episcoporum Concilia, &c. Errauerunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem B. Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri prælatam manere sententiam, &c. Erranit sacrosancta B. Petri Sedes, quæ ad vniuersum orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur: Nos tamen, &c. Errauerunt Africani Episcopi, ad eundem Papam Zosimum rescribentes, illud quod in literis tuis quas ad vniuersos curasti esse mittendas, &c.* Et infrà cap. 44. *Confidimus à Deo præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur in Sixto: & in custodiâ dominici gregis, hæc sit pars gloriæ huic reseruata Pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* Et Carm. de Ingratis:

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet: &c.

Digitized by Google

Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtræ
Exequeris, tecumque ſuum iungente vigorem
Iuris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Conuenere tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur.

Aduerte hîc 1. tot inter Epiſcoporum Concilia, vnis Romanis Pontificibus palmarem adſeri extinctæ hæreſeos laudem. 2. Romam *Sedem Petri* identidem inculcari, vt indigitetur veluti fons principatûs in Epiſcopatu fidei. 3. Zoſimi & aliorum Pontificum decreta in omnem Chriſtianum orbem emiſſa, eaque vniuerſali authoritate præcelluiſſe Africanis ipſis Conciliis. 4. Reapſe & tempore longè priores in Pelagiana portenta inſurrexiſſe Africanos Patres, ingenioque & calamo Auguſtini fulminaſſe, Zoſimo ne obreperetur, laboraſſe; principatum tamen huius victoriæ & ab Auguſtino & à Proſpero Apoſtolicæ Sedi conſtantiſſimè adrogari. 5. Examen, audientiam, Synodum Orientis & Occidentis poſtulabant damnati Pelagiani, fruſtrà fuere. Epheſinæ irrepſere Synodo, ibi illos quoque cum confœderatis Neſtorianis Cæleſtinus proſtrauit, vt ait Proſper cap. 41. contra Collat. Cyrillo nempe, *Apoſtolico auxiliatus gladio:* & carm. de Ingratis, Epheſinæ germanæ Synodo nec qui audirentur, dignos viſos ait, vt qui iam Romæ damnati eſſent:

Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Quibus conſentiunt adprime hæc pauca ex Petro Chryſologo in epiſt. ad Eutychen, part. 1. Conc. Chalced. cap. 15. *In omnibus hortamur te, vt his quæ à B. Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus qui in propria Sede & viuit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem: Nos enim pro ſtudio pacis & fidei, extra conſenſum Romanæ ciuitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.*

XXIV. Item ex Fulgentio.

Fulgentius verò nequaquam ab his dissentit. Nam lib. de Incarnatione & Gratiâ cap. 11. de fidei dogmate disputans, ait: *Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totusque cum eâ Christianus orbis, & ad institiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.* Petri & Pauli verbis irradiari, mundi cacumen esse, ideoque quæ tenet & docet Romana Ecclesia, ea ab omni Christiano orbe doceri & teneri, palàm hîc est. Vnde non vllius nisi Romanæ authoritas Ecclesiæ à Fulgentio ad fidei dogma fulciendum adstruitur.

XXV. Ex Ennodio Ticinensi.

Ennodius Ticinensis Episcopus dict. 6. de hæreticis & Synodo, grassationes Eutychianorum in Oriente diu lamentatus, demum addit: *Proinde fratres, manentem in supernis Petrum, & adhærentem beato Petro tenete sententiam: quia nos mundæ Ecclesiæ, & non habentis maculam, optamus vnitatem.*

XXVI. Item ex Ferrando Carthag. & Facundo Hermian.

Ferrandi Carthaginensis Diaconi sententiam suprà propalauimus. Facundus autem lib. 2. cap. 6. in trium capitulorum disceptatione, quibus fidem Synodi Chalcedonensis concuti aiebant alij, alij negabant, *Adhuc dicunt, quòd de tantâ suâ præsumptione Ecclesiam quoque Romanam consuluerunt, & nunc sententiam B. Vigilij Præsulis eius expectent, &c. Verùm experientur quantum illos suspicio sua fefellerit. Quia ille non in destructionem paternæ sententiæ, sed potiùs in defensionem atque vltionem, primam accepit & maximam potestatem: nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plùs cæteris suis consacerdotibus potest.* Vtrimque ergo Vigilij consensio, tanquam rectæ fidei & victoriæ tessera ambibatur: vtrique mox vicisse visi, quia vtrisque assentiri alias & alias visus ipse est: quibus denique refragatus est, ij Leonis Papæ authoritatem Synodi Chalcedonensis confirmatricem ostentauere. Et lib. 4. cap. 3. *Hoc est autem mirabile, vt postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quòd Ecclesiam Romanam consulerent, & sen-*

Digitized by Google

tentiam Vigilij eius Præſulis expectarent. Cui quantum ad illos attinet, non permiſerunt cenſere, quod ſenſerit, &c. Et lib. 12. c. 2. Vigilio Leonem committens & anteferens, ſed Romanæ Sedi principem in fidei negotio locum tribuens, *Quis huius Romani Antiſtitis granitatem non prædicet? Splenderet equidem proculdubio, vbicumque Sol eſſet: ſed in cælo Sol longè honoratiùs, longèque decentiùs, vbi locus eius eſt ſummus, & congruus vniuerſis pariter illuſtrandis; ne multos deſerat, cùm declinat ad aliquos. Denique tantâ libertatis atque rationis eius authoritate permotus religioſiſſimus Princeps, ſuperuacuam, quin potiùs multis nocituram cupiditatem deponit: & tanquam pacis filius, hoc & ipſe ſequitur, quod eligendum ratio demonſtrauit. Ille tamen velut æternâ lege præfixus in quodam ſuæ dignitatis & fidei firmamento, ſic luce veritatis irradiat, & quaſi clariſſimâ tubâ ſuæ authoritatis intonat, &c. Fidei* Catholicæ *cælo*, & veluti *firmamento*, Sedis Apoſtolicæ *defixum* Præſulem deſcribit Facundus, vt ex *loco ſummo & congruo vniuerſis illuſtrandis*, veluti Sol quaquàverſum irradiet.

XXVII. Expræfundatâ ſuperiùs doctrinâ idem efficitur multipliciter.

Cæterùm huc quoque complura vergunt eorum, quæ alibi ſuperiùs prolixè ſunt diſputata. Nam 1. cùm in præfatione Synodi Conſtantinopolitanæ I. oſtenſum eſt confirmari à Sede Apoſtolica Synodos œcumenicas, & ita demum œcumenicas euadere. 2. Cùm in elucidandâ Chalced. Synodo demonſtratum eſt, Sedem Petri præiſſe ſemper Synodis œcumenicis, & fidem antè dictaſſe: 3. Cùm in causâ Pelagianorum tractandâ, Synodiſque aduersùs eos Africanis, patefactum eſt, Prouinciales aut Exarchicas Synodos, à Sede Apoſtolicâ ſemel approbatas, in arcem inuadere ineluctabilis authoritatis, & in fidei dogma recipi: 4. Cùm communionem Sedis Apoſtolicæ coniunctiſſimam eſſe declarauimus cum fide Catholicâ, & vtriuſque pariter quoſlibet vel exortes fieri, vel compotes; his omnibus ſanè implicatum erat & caput iſtud, Sedis Apoſtolicæ eiuſque Præſulis doctrinam, orbi Chriſtiano promulgatam, à fidei Catholicæ amuſſi nunquam deuiaſſe.

Digitized by Google

XXVIII. Item exco, quod longè plures hæreſes ſine Synodo œcumenicâ oppreſſæ ſint.

Ad hæc cum ex Auguſtino diſertiſſimè expreſſum ſuprà ſit, & annales ſacros vel primoribus labris delibanti conſtet, longè plures hæreſes nullâ œcumenicâ Synodo profligatas eſſe, longè plures nullâ profligari potuiſſe aut debuiſſe; cùm rurſus exploratiſſimum ſit, quandiu nulla colligitur vniuerſalis Synodus, ſummum controuerſiarum eccleſiaſticarum cognitorem, arbitrumque eſſe Romanæ Cathedræ Antiſtitem: nemo non ſentit, & penè tangit, quid ex his ita præſtructis exoriatur. Quippe cùm plerumque non debeat, cùm perſæpe non poſſit, cùm rariſſimè debeat & poſſit fatigari, & cogi vniuerſalis Eccleſia in Synodum; pullulaſcant autem lites de fide hæreſeſque denſiſſimæ: certiſſimo erroris diſcrimini committitur Eccleſia, niſi extra Synodi ſubſidium, inconcuſſo âlio quopiam, nempe Apoſtolici è Sede Petri oraculi præſidio muniatur. Et vt affecti ſunt animi fidelium toto orbe ſparſorum, vbi quid primùm in fidei dogmate ambigitur, ad Petri Sedem oculos coniiciunt omnes, eius nutum explorant, inde pendent; anticipato in eorum animis hoc præiudicio, quod illa tenet, tutiſſimè ſe amplecti. Quod cùm ita comparatum ſit, inde nimirum id efficitur, vt ſi vſquam labefactetur fides Romana, Eccleſiæ pariter vniuerſæ fides corrueret. Cùm non poſſit ergo vniuerſa labi Eccleſia, nec Romana poteſt, cui ſe vniuerſa commiſit.

XXIX. Oſtenditur complures hæreſes Pontificis Romani maximè authoritate contritas eſſe. Primò de Origeniſtis.

Et hactenus quidem quaſcumque perſtrinximus hæreſes, in earum damnatione anteſignanam fuiſſe Romanam Sedem oſtendimus. Paucas alias, vel de iiſdem pauca hîc alia addo in cumulum.

Origeniſtas Anaſtaſius damnauit epiſt. 3. ad Ioannem Hieroſol. Epiſc. ſcripta: *Abſit hæc ab Eccleſiâ Romanâ, nequaquam Catholica diſciplina. Nequaquam profectò eueniet, vt aliquâ hoc admittamus ratione, quod iure meritoque damnamus. Quapropter in toto orbe Chriſti Dei noſtri diffuſa prouidentia, probare dignabitur, probare nos omnino non poſſe, quæ Eccleſiam maculent, &c. Mihi certè cura non deerit, Euangelij ſi-*

Digitized by Google

dem circa meos custodire populos, parteſque populi mei per quæque ſpatia terrarum diffuſas, quantum poſſum, literis conuenire; ne qua prophanæ interpretationis origo ſurrepat, &c. Aſſertæ aduersùs hæc portenta gloriam fidei palmarem locupletiſſimis Hieronymi teſtimoniis ſuprà adſignauimus Anaſtaſio. Quibus hæc adde. In epiſt. ad Pammach. adu. error. Orig. *Quiſquis es aſſertor nouarum dogmatum, queſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt. Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt?* Et mox: *Ipſe Origenes in epiſtolâ, quam ſcribit ad Fabianum Romanæ vrbis Epiſcopum, pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit.* Et in Apolog. aduerſ. Ruffinum, mentione facta ſupralaudatæ Anaſtaſij epiſtolæ, *Subieci exemplum eius, vt ſi non vis audire fratrem monentem, audias Epiſcopum condemnantem.* Et in alia aduersùs eundem Apolog. *In epiſtolâ ſanctæ Papæ Anaſtaſij lubricus extitiſti; & turbatus, in quo figas pedem, non reperis. Modò enim dicis à me eſſe compoſitam. Nunc ab eo ad te debuiſſe tranſmitti, cui miſſa eſt. Rurſus iniuſtitiam ad te ſcribentis arguis, etiamſi ſcripta ſit ab illo, ſiue non ſcripta, ad te nihil pertinere teſtaris, qui prædeceſſoris eius habeas teſtimonium, &c. Non eſt leue, quod tibi impingit tantæ vrbis Pontifex, &c. Siricij iam in Domino dormientis profers epiſtolam, & viuentis Anaſtaſij dicta contemnis, &c. Romanæ vrbis iudicium fugis, &c.* Et in epiſt. ad Pammach. & Marcell. *Prædicationem Cathedræ Marci Euangeliſtæ, Cathedra Petri Apoſtoli ſuâ prædicatione confirmet. Quanquam celebri ſermone vulgatum ſit, beatum quoque Anaſtaſium latitantes in ſuis foueis hæreticos perſecutum, eiuſque litera doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum eſt. Cui multos imprecamur annos, vt hæreſeos rediuiua plantaria, per illius ſtudium longo tempore arefacta moriantur.* Vrget inculcatiſſimè Hieronymus hæreticum eſſe, quod damnauit Theophilus Alexandrinus, cuius damnationem *confirmauit è Cathedra Petri* Anaſtaſius; nec Ruffinus, etſi nulla non captet effugia, tantæ authoritatis pondus detrectare audet; ſed alio ſe quaſi patrocinante tuetur Romano Pon-

tifice. Vſque ad Synodum autem in ſuſpendio rem eſſe debere, neutri in mentem venerat.

XXX. Item de Iouiniano. Iouinianiſtas Siricij maximè Pontificis decreto proſtratos fuiſſe ſuprà oſtenſum eſt. De conſanguineis eorum Heluidianis idem coniice ex Hieronymo in Apol. pro libris adu. Iouinian. *Dum adhuc viueret ſanctæ memoriæ Damaſus, librum contra Heluidium de beatæ Mariæ perpetuâ virginitate ſcripſimus, in quo neceſſe fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de moleſtiis dicere nuptiarum. Num vir egregius, & eruditus in ſcripturis, & virgo Eccleſiæ virginis doctor, aliquid in illo ſermone reprehendit?*

XXXI. Similiter de Pelagianis. Pelagianos Romanæ Sedis fulmine perculſos æternùm iacuiſſe, prolixè ſuprà explanatum: adde & extrema hæc verba Pelagij libelli ad Innocentium Papam tranſmiſſi, ſucceſſori eius Zoſimo exhibiti: *Hæc eſt fides, &c. in quâ ſi minùs peritè, aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & Sedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatûs tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Et Cælestinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, de Auguſtini doctrinæ obtrectatoribus, vel in contexto illi capitum indiculo, *Cùm Pelagium atque Cæleſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur: eaque tantummodò ſequi, & probare profitentur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit. Neceſſarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta eſt, iudicauerint: ita vt etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas etiam ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cùm probarunt.* Et ad calcem: *Satis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt: vt prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Viden vt Auguſtino, vt Africanis Conciliis minùs aſſurgant Galli obſtinatiores;

Digitized by Google

tiores; at Apoſtolicæ Sedis oraculo non ipſi tantùm, ſed & Pelagius inclinet aſſenſum? Vides vt exertè Catholicum pronuncietur, quod approbarit: hæreticum, quod refutauerit Sedis Apoſtolicæ Præſul? Vides vt nec hæreticis, nec Catholicis veniret in mentem, ſuſtinendam eſſe aſſenſionem, donec œcumenica Synodus conueniret?

XXXII. Item de Priſcillianiſtis.

Priſcillianiſtarum inſana deliramenta Romanâ potiſſimum ex arce, fulminibuſque Petri vicarij diſiecta fuiſſe, ſuprà ſuo loco patuit. Adde & epiſt. 93. Leonis Papæ I. *Meritò Patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egere, vt impius furor, ab vniuerſâ Eccleſiâ pelleretur: quando etiam Principes mundi ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, vt authorem eius, ac pleroſque diſcipulos legum publicarum enſe proſternerent.* Non ſuſtinebatur aſſenſio, non Synodus œcumenica expectabatur ſuſpenſis animis, cùm erroris authores ſectatoreſque primarij obtruncabantur. Mox ſigillatim capita omnia monſtroſæ hæreſeos perluſtrat ſanctus Pontifex, & configit, ſubiicitque, ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum ſcribens: *Habeatur inter vos Epiſcopale Concilium, vt ſecundùm ea, quæ ad tua conſulta reſpondimus, plenißimo diſquiratur examine, an ſint aliqui inter Epiſcopos, qui huius hæreſeos contagio polluantur; à communione ſine dubio ſeparandi, ſi nefandißimam ſectam per omnium ſenſuum prauitates damnare noluerint, &c. Ad tuæ dilectionis ſollicitudinem pertinebit, vt noſtræ ordinationis authoritas ad prædictarum prouinciarum Epiſcopos deferatur.* Debellati in Hiſpania portenti huius gloriam huic Leonis epiſtolæ apertè adſcribit Synodus Bracharenſis prima, in quâ hæc Lucretius Metropolita Bracchar. primùm pronunciat: *Eo tempore, quo in his regionibus nefandißimæ Priſcilliane ſectæ venena ſerpebant, beatus Papa vrbis Romanæ Leo, qui quadrageſimus ferè extitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per Turibium notarium Sedis ſuæ, ad Synodum Gallicie contra impiam Priſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit. Cuius etiam præcepto Carthaginenſes, &*

Tarraconenſes Epiſcopi, Luſitani quoque, & Bætici, facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hereſin cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balconium, tunc huius Braccharenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt. Vnde quia & ipſum præſcriptæ fidei exemplar cum ſuis capitulis prè manibus hîc habemus, pro inſtructione ignorantium, ſi veſtræ placet reuerentiæ, recitetur. Omnes Epiſcopi dixerunt: *Valde neceſſaria horum capitulorum eſt lectio, vt dum ſimplicioribus quibuſque priſtinæ ſanctorum Patrum ſtatuta panduntur, abominata iam olim à Sede beati Petri Apoſtoli, & damnata Priſcilliani hereſis figmenta cognoſcant.* Etſi & aliæ Synodi concrepuerant aduersùs Priſcilliani portentoſa figmenta, etſi Hiſpanienſes ipſi Epiſcopi *regulam fidei cum aliquibus capitulis conſcripſerant* in Concilio plenario, ſeu plurium prouinciarum: antefertur tamen his omnibus, & maioris eſt ponderis ſententia *Sedis B. Petri Apoſtoli* & Leonis. Itaque Petri Sedes præit, & ſubſequitur: Epiſcopi regulas fidei iuxta illius dictata conſcribunt, & ſubſcribunt: at magiſterij decus palmare Apoſtolico ſemper ſolio vendicatur.

XXXIII. Item de Arianis, Macedonianis, Neſtorianis, & Eutychianis.

Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Eutychianos, etſi œcumenicis Synodis obtriti ſint, & ante Synodos tamen & poſt, ab Apoſtolicâ Sede damnatos principaliter & conculcatos fuiſſe, illud argumento eſt: quod peſtes illæ omnes Orientem totum, & Orientis Patriarchales ipſas Sedes diutiſſimè & impotentiſſimè populatæ ſint: ab Occidente, cui propius Sedes Petri adſplendeſcebat, penè exularint. De Arianis fidem facit Socrates lib. 2. cap. 22. *Ciuitates Græciæ, Illyrij, & cæterarum orbis partium ad Occidentem vergentium tumultu & perturbatione propterea carnere, quod inter ſe concordarunt, deciſioque de fide in Concilio Niceno tradita apud ipſos ſemper dominata ſit.* Et Sozomenus lib. 3. cap. 12. *Eccleſia versùs Solem obeuntem ſita, quoniam Patrum decretis ritè gubernata erat, omninò à contentione libera fuit. Nam quamuis Auxentius Epiſcopus Mediolani, & Valens & Vrſacius ex Pannonia oriundi, impensè laborarent, opinionem Arij in illam imperij partem traducere: tamen ille-*

Digitized by Google

rum conatus haudquaquam succeſſit ex animi eorum ſententiâ. Quandoquidem Sedis Romanæ Antiſtes, & alij Epiſcopi ac ſacerdotes ſtudiosè præcauerunt, & illius hæreſis germina amputarunt. De Macedonianis alibi dictum eſt, quorum nec afflauit quidem Occidentem veſania. Nec niſi Damaſi authoritate & conſenſu, atque Occidentalium illi conſentaneorum Conſtantinopolitana I. Synodus in robur œcumenici Concilij excreuit. De Neſtorianis à Cæleſtino Principe confoſſis, nemo niſi valde hoſpes, & rudis rerum Eccleſiæ ambigit. Adde & ex epiſt. 2. Sixti Papæ ad Ioannem Epiſcopum Antiochenum, qui nonnihil ea in parte titubauerat, & tandem reſipuerat: *Experius es negotij præſentis euentu, quid ſit ſentire nobiſcum. Beatus Apoſtolus Petrus in ſucceſſoribus ſuis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius ſe velit ſeparare doctrinâ, quem ipſe inter Apoſtolos primum magiſter edocuit?* De Eutychianis longè exploratiſſima res eſt, cùm & errorem, & erroris parentem latrocinali Epheſinâ ſecundâ Synodo approbatum, principalium Orientis Epiſcoporum conſenſione & ſubſcriptione ſubnixum, imperatorio etiam præſidio armatum, Leo primus ante & per Chalcedonenſe Concilium proſtrauerit. Quâ de re fuſiſſimè ſuprà.

XXXIV. Item de Monotheletis.

Monotheletas Orientalibus Eccleſiis, & Patriarchalibus Sedibus incubantes, omniaque diu & impune depaſcentes, Petri Sedes prima & ſola damnauit, Occidenti ne adrepere quidem paſſa eſt, ab Oriente tandem ipſo eliminauit. Quocirca non ad Sedis ſuæ oſtentationem, ſed ad publicam ſalutem ita Agatho ad Imperatores ſcribit act. 4. Synodi 6. *Petri adnitente præſidio, hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à veritatis viâ in qualibet erroris parte deflexa eſt; cuius authoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecuta ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam amplexi, &c.* Et in epiſt. eiuſdem, *& vniuerſarum Synodorum ſubiacentium Synodo Apoſtolici throni*, idem ex omnium Occidentalium

consensu habetur: *Veræ fidei splendidissimum lumen, ex veri luminis fonte, tanquam ex radio vivifici fulgoris, per ministros beatum Petrum & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione servatum est, nullâ hæretici erroris tetrâ caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confœdatum, &c. Hæc est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicæ atque Apostolicæ fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes nobiscum tenet & tradit, totâ mentis custodiâ conservemus:* Subdunt hæc eadem in Occidentalium omnium Romano Concilio sub Martino Papa decreta fuisse, iis se medullitùs inhærere, mitti à se ad œcumenicum Concilium illam, *quæ universorum est per septentrionales vel occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua Apostolicæ fidei confessionem prælibamus, non tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosâ definitione proferre.* Sed quid in hanc rem expressius epistolâ trium Africæ Conciliorum ad Martinum Papam missâ, in causâ eorundem Monotheletarum, & lectâ in secreto 2. Synodi Lateran. sub eodem: *Magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem, consistere fontem, nullus ambigere possit; de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissimè irrigantes orbem Christianum; cui etiam in honore beatissimi Petri, Patrum decretâ peculiarem omnem decrevere reverentiam, in requirendis Dei rebus, quæ omnino & sollicitè debent, maximè verò iusteque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico; cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provinciis, non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum: ut huius authoritate, iuxta quæ fuisset pronunciatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis.* Sospitas 6-dei dilucidè accepta fertur Sedi Petri, nec ad œcume-

nicas Synodos ablegantur omnes Ecclesiæ, fidei fluenta hausturæ; sed ad indeficientem & redundantem Cathedræ Apostolicæ fontem, vt iisdem penè verbis olim Innocentius Papa primus præcinuerat.

XXXV. De Iconomachis.

Iconomachorum hæresi ante œcumenicam Synodum Romanos Pontifices obstitisse, anathema illisisse, nequaquam in suspenso fidem vsque ad Synodos fuisse, meridianâ ipsâ luce manifestius est, vt infrà declarabitur, dissert. 21. Et ne longum faciam, cæteras Ecclesias, etiam Patriarchales & plurima & fœdissima afflixere hæresum examina, & tandem à Catholicæ Ecclesiæ compage auulsere: Petrus in sua Sede immortaliter viuens & docens, confirmauit fratres suos, vacillantes tenuit, lapsos reuocauit, irreuocabiliter insanientes damnauit; Occidentales & propiores, & addictiores sibi, à fide deficere vsquequaque non siuit: in eâ quæ ante ducentos paulò minùs annos, Occidentem ipsum discerpsit, defectione, proximiora sibi quæque regna ab interitu fidei seruauit; successores suos nullâ passus est hæreseos contagiosâ doctrinâ sordidari. Vnde merito, & iure Ioannes VIII. epist. 75. ad Regem Bulgar. *Ingemiscimus mœrentes, ne si fortè Græcos secuti fueritis, cùm illi in diuersas hæreses & schismata solito more ceciderint: vos quoque cum ipsis in erroris profunda ruatis, &c. Interroga seniores tuos, & dicent tibi, si aliquando Græci sine hâc, vel illâ hæresi fuerint; & cùm non inueneritis eos ab aliquâ hæresi aliquando liberos extitisse, oportet vos eorum fraudes & consortia fugere, &c. In eis sæpe Præsule Constantinopolitano vel Imperatore, aut plerumque vtroque auctore facto hæreseos, plures qui sub ipsis sunt, adulatione, aut certè timore illis efficiuntur consimiles: &c. Credimus autem, quod iam non vos lateat Apostolicam B. Petri Sedem, nunquam ab aliis Sedibus reprehensam: cùm ipsa alias omnes, & præcipuè Constantinopolitanam sæpissimè reprehendens, aut ab errore liberauerit, aut certè, in his qui resipiscere noluerunt, sententiæ suæ iudicio condemnauerit.* Et epist. 76. *Sanctam Romanam Ecclesiam B. Petrus in hac fide fundatâ proprio sanguine*

Digitized by Google

cum Paulo, Domino Deo consecrauit & dedicauit, &c. Sicut aqua nunquam potest alibi tam munda vel tam limpida quemadmodum in fonte, vnde originem protrahit, inueniri: ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, sicut in Ecclesiæ nostræ viuario: vbi eam non tecta perstillantia, quibus litigiosa mulier, id est, hæretica pranitas comparatur: sed ille polorum clauiger vbertim & purissimè congreganit, qui ex ipso fonte vino hanc celitus hausit, & limpidissimam conseruandam mandauit. Quæ suprà differt. 16. Nicolaus de Cusa, præ oculis habuisse, atque expressisse videtur.

XXXVI. De primæ Sedis priuilegio isto apud Græcos in Synodis venditato; & cur?

Et illud quidem omnibus in œcumenicis Synodis, Pontificumque Romanorum epistolis, maximè ad Orientales destinatis, obseruare est; fideliter & copiosè à Romanis, vel Occidentalibus venditari priuilegium Apostolicæ Sedis Romanæ, quæ nunquam errarit in fide, errantes semper reuocauerit: at Orientales Episcopos, maximè principalium Sedium, ac præ cæteris vrbis Regiæ, ad hæc plerumque frigere, conticescere, aut obliquè aduersari, non tamen palàm refragari vnquam. Atque ibi aduerte 1. permaximi esse momenti vel solam Occidentalium omnium conspirationem, qui legatis & epistolis coniunctissimis intererant, & docebant in Synodis Orientalibus. 2. Nunquam apertè Græcos reluctatos esse, assensos videri non semel: tot & tantis affirmantibus ipso saltem silentio suo acquieuisse. 3. Primarias omnes hæreses in Oriente, in ipsis ferè principalium Ecclesiarum Sediumque visceribus exortas, ibi diutius hæsisse, nullam in Romanâ Sede, vel Ecclesiâ. 4. Per Romanæ Sedis Pontifices ab hæresi ad rectam fidem iterum atque iterum reuocatas fuisse singulas & vniuersas Orientis Patriarcharum Ecclesias, nusquam ab ipsis Romanam. 5. Non iactantiæ id fuisse, quod inculcatissimè suæ Sedis inerrantiam venditarent Romani Præsules Orientalibus, exitu ipso commonstratum est. Quod enim ægrè, aut ne ægrè quidem inducerent in animum suum, huic priuile-

Digitized by

gio Petri, Petrique Sedis ſubſcribere, inde nimirum in varia iam olim errorum abrupta tranſuerſi acti ſunt; inde vix vt reſipiſcerent, adducti: inde irreuocabili tandem ruinâ præcipitati ſunt. Intererat ergo & ad ipſorum & ad totius Eccleſiæ incolumitatem, Petri Sedem fidemque inuictiſſimam oſtentari, cui ſi acquieſcere Orientales adducti eſſent, non tandiu Ariana illos vel ante vel poſt Nicænam Synodum iactaſſet procella; non Macedoniana, non Neſtoriana, non Eutychiana lues tam immaniter eorum viſcera depaſta eſſet: non Monotheletarum, non Iconomachorum cladibus attriti fuiſſent: non ante hæc omnia de Paſchate & de baptiſmo hæreticorum tam inutiliter afflictati; non poſt hæc omnia ab ipſo Catholicæ Eccleſiæ corpore deſperatiſſimo auſu ſe ipſi abſcidiſſent. His ſtragibus Occidentem ſubduxit Petri Sedes ſibi morigerum, his pertinacia ſua Orientem immerſit. Nemini oculato, cordato nulli hæc leuia videbuntur argumenta, quæ tam conſtanti ſæculorum decurſu, & Eccleſiæ Chriſti ſponſæ adminiſtratione cælitùs diſpenſatâ, nituntur. 6. Synodi œcumenicæ his malis mederi non potuere, ſeu quod cogi nequierint, ſeu quod dum Synodus procraſtinatur & expectatur: magnæ quippe molis eſt, totam Eccleſiam in vno quopiam loco repræſentare; interim tam altas agat radices vis morbi, vt extirpari deinceps nequaquam poſſit. Itaque etiam vtplurimum Synodis vale dixere, & obuertere terga, qui Romanis Pontificibus prima mali ſemina vitari edicentibus minùs obſequebantur.

XXXVII. *Græcorum Patrum ſuffragia ad hoc ipſum.*

Ne autem ex ſola Græcorum diſſenſione, & infeliciſſimo eius exitu, ad conſentiendum priuilegio primæ Sedis argumenta aucupemur: eorum non paucos proferre licet, qui & ipſi cum Occidentalibus ſuffragati ſint. Irenæi verba iam ſuperiùs deſcripſi. Planiſſima ibi aduerſùs omnes hæreſes præſcriptio occurrit, non longo circuitu ſingulas perluſtrans Eccleſias, non ex omni Eccleſiâ Synodum conuocans; ſed compendioſiùs ſolam adiri

Digitized by Google

iubens Romanam Ecclesiam, Petri & Pauli doctrinâ pariter & sanguine fundatam: eoque Principem & eminentissimam omnium Ecclesiarum. A quibus non abludit Athanasius epist. ad solitarios: *Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt Ariani, nulla reuerentia ducti, vel quod Sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanie, vel quòd eos Apostolicos viros in suis epistolis nominassent, &c. Nam cùm Liberium vidissent orthodoxum, & eorem quidem Arianice sectæ, studiosum verò in hoc, vt cunctos ab eâ hæresi retraheret, ista secum impij cogitarunt. Si Liberium in nostram traxerimus, omnes breui superabimus, &c.* Vides vt vel hostibus Ecclesiæ præiudicatum id esset, Romanæ & Apostolicæ Sedis Pontificem omnes admirari, omnes lubentissimè in negotio fidei audire & sequi. Theodoretus epist. 113. ad Leonem Papam: *Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritûs sancti ad magnum Petrum se contulit, vt iis qui Antiochiæ de legali conuersatione ambigebant, explicationem ab illo referret; multò magis nos humiles & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram recurrimus, vt Ecclesiarum vlceribus remedia à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere conuenit. Multis siquidem prærogatiuis ornatur Sedes vestra, &c. Præcipuè autem illam fides ornat, cuius testis idoneus est diuinus Paulus clamans, Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Quòd si statim post-suscepta salutaris prædicationis semina, mirabiles hos fructus vberrimè protulit: prædicandæ, quæ in ea nunc viget, pietati quænam par esse queat oratio? Habet præterea communium Patrum Magistrorumque veritatis Petri & Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac diuinum par in Oriente quidem exortum est, & radios quaqua versum diffudit; sed in Occidente vitæ occasum vltro subiit, atque inde nunc orbem vniuersum collustrat.* Et epist. 116. ad Renatum Presbyterum: *Oro sanctitatem tuam, sanctissimo Archiepiscopo persuadeat, vt Apostolica authoritate vtatur, & ad Concilium vestrum aduolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, Principatum multis nominibus: atque hoc ante omnia, quod ab hæreticâ*

ticâ tabe immunis manſit, nec vllus contraria ſentiens in illa ſedit, ſed Apoſtolicam gratiam integram conſeruauit. Nemini Latinorum Romanæ Sedis laudibus addictiſſimo occurrere quidquam potuit magnificentiùs. Et quidem ſi tempora ſpectes, quibus ſcribebat iſta Theodoretus, non illi modò, ſed omnibus Orientis Epiſcopis orthodoxis hanc inſediſſe ſententiam comperies. Cùm enim latrocinio Epheſino implicatæ eſſent primariæ Orientis Sedes, & huic impietatis eluuioni vna ſupernataret Sedes Romana; vna velut arca Noë, fidei & Eccleſiæ Catholicæ ſalutem circumferret: quid de ſeipſis aliud, quid de Romano Præſule ſentire poterant Orientales, niſi quod toties iam, & tandiu & tunc euidentiſſimè experiebantur, ſe in lubrico ſtare & lapſare identidem, illum oratione Chriſti communitum eſſe, ne fides eius deficeret, vtque fratres ſuos confirmaret? Id vnanimi ſuffragatione conteſtati ſunt Orientales omnes Epiſcopi, cùm epiſtolæ Leonis ad Flauianum, etiam ante Chalcedonenſem Synodum ſubſcripſere. Vnius enim Leonis authoritatem ea præ ſe ferebat epiſtola. Et tamen ei ſubſcribebant, quicumque poſt Epheſinam ſecundam; ante Chalcedonenſem Synodum, Catholicos ſe haberi geſtiebant.

XXXVIII. Rurſum Græcorum conſenſus ex his relationibus de vno ex Trinitate paſſo, &c.

Sed vnde hanc exorſi ſumus diſputationem, niſi à Græcorum percontatione, quâ Petri Sedem adiere, vnuſne Trinitatis paſſus dici, propriéne & veraciter Dei mater Maria prædicari deberet? Audi rurſus in eâ causâ epiſtolam Iuſtiniani Imperatoris ad Agapetum: *Ante tempus in hac regiâ vrbe noſtrâ quorundam de causâ fidei extitit morboſa contentio: quam nos congruè reſpuentes interpoſito edicto repreſſimus. Et quia ſtudij noſtri eſt, emergentes huiuſmodi cauſas, ad Apoſtolicæ Sedis veſtræ referre iudicium, &c.* Cui reſcribit Agapetus, *Cupiũ, &c. Tuæ pietatis epiſtolam de fidei veſtræ expoſitione, à præceſſore noſtro Ioanne roboratam, noſtrâ quoque authoritate firmamus, laudamus, amplectimur: non quia laïcis authoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrũ noſtrorum regulis conueniens confirmamus atque roboramus.*

XXXIX. Item ex disceptatione de tribus capitulis.

Veniamus ad trium Capitulorum disceptationem, vbi Orientales aduersùs imperatoriæ potestatis iniuriam, & errandi in Chalcedonensis Synodi fide discrimen, vno se maximè tuebantur, quem sibi despondebant, Romani Antistitis consensu. Audi Facundum lib. 4. cap. 4. Menas Episcopus Constantinopolitanus *conuentus à Stephano Ecclesiæ Romanæ Diacono, cur priori sententiæ suæ contrarius, acquieuisset his quæ antè culpauerat, & de quibus se nihil actorum sine Apostolicâ Sede promiserat; sub eâ se conditione cessisse, & iuratum sibi fuisse respondit, quòd chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret. Sed nunquid suuel propriam manum Romano Episcopo non probante, recipiat, nihilque illi quod metuit, de humano iudicio contingat: ideo sententiam Dei iudicis atque vltoris effugiet? &c. Zoïlus quoque Alexandrinæ vrbis Antistes, cùm Romanum Episcopum venire cognosceret, obuiam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum: quod hic ei postquam venit, idem Romanus Episcopus in facie palam, nobis quoque inter alios præsentibus, exprobrauit.* Et infrà: *Iam verò de aliarum Ecclesiarum Episcopis quid loquamur, qui & cùm scribere compellerentur, palam reclamauerunt contra magnam Synodum fieri: & post subscriptionem memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.* Perspicuum ex his est, Episcopos Orientales, etiam ipsos Episcoporum apices, in eâ controuersiâ quæ fidem Chalcedonensi Synodo constitutam labefactare videbatur, à nutu Romani Antistitis pendulos alternasse, vt cum illo quiduis & sub illo duce probarent, vel improbarent.

XL. Ex Maximo Martyre, & Sophronio Episcopo Hierosolym.

Et rursum Maximus Martyr in causa Monotheletarum, vt refertur à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, in defens. Concil. Florent. cap. 5. num. 8. Maximus, inquam, in disput. cum Theodosio Cæsareæ Episcopo: *Quoniam pupugit vos, vt exciperetis sanctorum Patrum voces, vt Canon docet, Romam de hac re scribite, &c. Synodali pere-*

tiene ad Romanum Pontificem tranſmiſſâ: & omnino ſi reperiatur ratio Eccleſiaſtica, quæ id concedat ob rectam fidei confeſſionem, conuenite ſuper hoc inter vos. Et idem Maximus in diſput. cum Pyrrho, patrocinium Vigilij & Honorij Pontificum Romanorum ſibi adeſſe fingentes Monotheletas luculentè refellit, & futilem exufflat calumniam, vt infrà ſuo loco dicemus. Eximius eiuſdem Apoſtolicæ dotis vindex præfulſerat aliquantò antè Sophronius Pontifex Hieroſolymitanus, vt refert Conſult. 2. Concilij Lateran. ſub Martino Stephanus Epiſcopus ab eo Romam aduersùs Monotheletas ablegatus. Hæc autem præloquitur Stephanus, *Annunciemus hæc omnia Sedi ſummæ veſtræ & principali, ad medicinale conſolatum emerſi vulneris. Quippe quoniam hoc poteſtatiuè olim & ab antiquitus facere per Apoſtolicam, ſiue Canonicam conſueuit authoritatem, dum aperta lucubratione non ſolùm claues regni cælorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad aperiendum eas Princeps Apoſtolorum meruit Petrus: ſed etiam & paſcere primus iuſſus eſt oues Eccleſiæ Catholicæ, &c. Et iterum ipſe præcipuè ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum & immutabilem fidem, conuertere aliquando & confirmare exagitatos conſortes ſuos & ſpiritales meruit fratres, vtpote diſpenſatiuè ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens & ſacerdotalem authoritatem. Quod vtique ſciens beatæ memoriæ Sophronius, &c.* Tum verba profert Sophronij, Romam ipſum amandantis: *Quantocius ergo de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, peruenias: non ſemel, non bis, ſed multò ſæpius aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundùm veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt: & non quieſcas inſtantiùs expetens atque exorans eos, donec ex Apoſtolicâ prudentiâ, quæ in Deo eſt, ad victoriam iudicium perducere debeant, & nouiter introductorum dogmatum perfectam faciant ſecundùm Canones deſtructionem.*

In imaginum quæſtione Stephanus ab eodem Gennadio ibidem num. 10. profertur, Pſeudoſynodum Græco- XLI. Ex Stephano Martyre, & Theodoro Stud.

rum Iconoclaſtarum hoc argumento refellens, *Quo pacto Oecumenica appellabitur Synodus, in quâ Romanus Præſes non præfuit? Sine cuius aſſenſu non licet res eccleſiaſticas ordinare?* Ita inclytus Martyr. Et infrà ſect. 16. refertur ab eodem Theodorus Studita in epiſtolâ ad Paſchalem Papam: *Audi Apoſtolicum caput, à Deo electe, Paſtor Ouium Chriſti, Clauiger regni cælorum, Petra fidei per quam adificata eſt Catholica Eccleſia. Nam tu es Petrus, Petri ſedem exornans & gubernans, &c. Huc ades, ab Occidente exurge, Tibi dixit Chriſtus, Et tu quandoque conuerſus, confirma fratres tuos.* Et idem Theodorus in eadem epiſt. *Vos igitur verè illimis fons, ac ſincerus, tam inde ab initio veræ fidei. Vos ab omni hæreticorum procellâ longè poſiti: ſecurus totius Eccleſiæ portus. Vos à Deo electa ciuitas ad ſalutis refugium.*

XLII. Inculcant Græci penes quinque Patriarchia eſſe priuilegium non errandi.

In octaua autem Synodo videntur quidem Græci eò vergere, vt ſumma definiendi poteſtas, ſit penes quinque Patriarchales Sedes. Act. 5. Bahanes ad Photium: *Loquere domine Photi, quodcumque habes iuſtitiæ opus: totus mundus hîc eſt. Ne claudat viſcera ſua ſancta & vniuerſalis Synodus. Quo namque vis ex hoc confugere? Romam? Ecce à Roma: In Orientem? ecce ab Oriente hîc adſunt.* Et act. 6. Metrophanes: *Poſuit Deus in firmamento cæli tanquam quædam magna luminaria, videlicet quinque Patriarchalia capita in illuminationem totius terræ.* Et infrà Baſilius Imp. *Quos dicitis, ab aliis Patriarchis reſtituti ſunt, &c. Veſtrum autem caſum & vulnera nullus eccleſiaſticorum Medicorum ſanauit, neque aliquis Patriarchalium capitum.* Et act. 7. Bahanes: *Dicite vnde eſtis, de cælo eſtis, de abyſſo eſtis? An de terrâ, in quâ nos degimus? Oſtendite hâc horâ, quia ſiue hæreſis mota eſt, ſiue ſchiſma emerſit, in qualibet parte, & ſenſit aliquis extra quatuor Patriarchia, & ſaluatus eſt, & audio vos. Hodie quatuor Patriarchia, imò verò quinque condemnatione condemnant vos, quid vobis videtur ad hæc? Eſt qui adiuuet vos?* Et act. 8. idem Bahanes: *Quò fugies, aut quò ibis? Poſuit Deus Eccleſiam ſuam in quinque Patriarchiis, & definiuit in Euangeliis ſuis, vt nunquam aliquando penitùs decidant, eò quòd*

capita Ecclesiæ sint. Etenim illud quod dicitur, Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, hoc denunciat. Quando duo ceciderint, currunt ad tria; cùm tria ceciderint, currunt ad duo. Cùm verò quatuor fortè ceciderint, vnum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ.

Si Græcas hîc artes & versutias suspicari nullas libeat, nihil moror. Istud enim *vnum*, quod *quatuor* alia ab erroris barathro revocauit Patriarchia, non potes nisi Romanum intelligere. Itaque non desultorium est istud privilegium, vt vicissim alia aliis labentibus subsidio sint; sed ist Romano constanter defixum solio. Etenim nusquam Sedes alia Patriarchalis Romanam hæresi contaminatam purgauit; Romana cæteras omnes, nunc singulas, nunc vniuersas fidei rectæ restituit. Imò perrarò Sedes aliæ aliis ab hæresi reducendis insudavere, sed Romana in id vel sola, vel prima & præcipua incubuit. Ad hæc in causâ Photij quæ tunc controuertebatur, nemo nescit vnam præ cæteris Romanam expiandæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ curam induisse: reliquas ei subscripsisse duntaxat. Ergo quinque Patriarchalium Sedium consensio ita interpretanda venit, vt Romanæ obsequantur aliæ. Id act. 1. eiusdem Synodi confitetur Syncellus Ecclesiæ Hier. *Ideo Patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus sanctus, vt in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea exterminentur. Igitur cùm præsidens & præcedens Sedes senioris Romæ nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres throni, &c.* Et Anastasius Bibl. in præfat. ad hanc Synodum: *Cùm Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in vniusque mortali corpore sensus locauerit: profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes vnius fuerint voluntatis; sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet Sedes, quia Romana præcellit, non immeritò visui comparatur: qui profectò cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, & communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens.* Præclarissimè

LXIII. Quo id sensu capiendum.

Digitized by Google

& Georgius Scholarius hoc argumentum profecutus eſt in orat. 3. ad Conc. Florent. *Illud etiam conſiderare vos oportet, Eccleſiam ita eſſe à Domino in tuto adificatam, vt portæ inferi nunquam ſint aduersùs eam praualituræ, hæreſes inquam contra veritatem inſurgentes, &c. Eſſe verò Dei Eccleſiam quinque Sedes Patriarcharum, & eas qui illis ſubiacent, tum Synodorum Canones, tum longa eius conſuetudo, & ipſa rerum natura declarat.* At hæc qui capienda, palam facit ſeries, exituſque Synodi Florentinæ; quâ id nimirum perfectum eſt, vt ad fidem & pacem Romanæ Sedis reuocarentur aliæ quatuor. Vnde idem paulò ſuprà: *Pugna illis erit cum totâ prorſus Eccleſiâ, eruntque ab vniuersâ ſeparati. Nam vbi Conſtantinopolitana Eccleſia vnà cum tribus aliis coniuncta fuerit Romanæ, nulla Catholicæ Eccleſiæ pars extrà manet, &c.* Vides vt reliquas Romanæ reuinciat. Ita & quod in vitâ Taraſij Patr. CP. narratur Paulus & ipſe Patr. CP. paulò antequam è vita abiret, dixiſſe: *Recuſo eſſe paſtor cœtus hæretici, & ſtatui potiùs habitare ſepulcrum, quàm eſſe obnexius anathematibus ſacræ quaternionis Sedium Apoſtolicarum.* Compertum eſt Romanæ ſoli fas tum fuiſſe anathema impingere Sedi Conſtantinopolitanæ, ab eâque vnâ ad imaginum honores reſtaurandos regiam vrbem eſſe reuocatam. Denique Conſtantinopolitanam & Hieroſolymitanam Patriarchalem Sedem, tam nuperas, & ambitu multo euectas quis hoc donauit priuilegio? Alexandrina & Antiochena verò ſuam cum Romana Sede cognationem, ſuam ab eâ defluam poteſtatem, nec ipſæ diſſimulabant. Poſtremò cùm quatuor aliæ irreuocabili iam lapſu afflictæ, eliſæque ſint, id neceſſum eſt, vt penes Romanum Patriarchicum caput, tota illa iam reſideat prærogatiua; imò tota ſemper reſediſſe æſtimetur, quod nunquam cecidit; non penes alia, quæ decidua toties, & recidiua, deſperatiſſimo tandem demerſa ſunt exitio.

XLIV. A Græcis ad Gallos deſcenditur, & recentiorum, aliquot

A Græcis ad Gallos deſcendamus, quorum priùs iuniores aliqui percontandi ſunt, vt eorum ſententia ad antiquiorum Gallicanæ Theologiæ optimatum normam ex-

Digitized by Googl

pendatur. Ergo Ioannes Gerſonius lib. de Exam. Doctrinarum, conſid. 2. *Examinator iuridicus doctrinarum fidem tangentium Papa ſupremus eſt in terris, poſt generale Concilium, vel cum ipſo. Quoniam ſupremus in omni politiâ, iuris habet dubia circa politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appoſitione pœnarum in rebelles, &c. Porro non ſequitur, Papa poteſt in definiendo fallere, vel fallit, igitur non eſt iudex idoneus: ſicut in aliis patet inſtantia. Concluditur tamen ex hac radice, duplex veritas. Prima quod determinatio ſolius Papæ in his quæ ſunt fidei, non obligat, vt præcisè eſt talis ad credendum. Alioquin ſtaret in caſu, quod quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falſum contra fidem. Secunda veritas eſt, quod ſententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, niſi per illos, aut apud illos qui manifeſtum contra fidem deprehendunt errorem: & ſcandalum grande fidei ſuo ſilentio fieri, ſi non opponerent ſe, cognoſcunt. Quòd ſi fieret perſecutio ſententiarum & pœnarum contra eos, ſciant beatos eſſe, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Supereſt quoque remedium Concilij generalis, &c.* Idem ille compluribus aliis locis. Iacobus Almainus lib. de Nat. Ciu. & Eccleſ. Dominio: *Potestas eſt maior perfectione in Eccleſiâ, quàm in ſummo Pontifice. Eſt enim in Eccleſiâ indeuiabiliter, ita quod errare non poteſt in his quæ ſunt fidei, & bonorum morum, &c. ſed in ſummo Pontifice eſt deuiabiliter. Ex quo infertur corollariè, quod determinatis per ſummum Pontificem non eſt neceſſariò credendum, (quamuis non ſit oppoſitum publicè dogmatizandum,) niſi manifeſtum ſit ex ſacris literis, ex reuelatione aut determinatione Concilij determinantis, aut per Concilium neceſſariò credendum.* Ioannes Maior, aliique Pariſienſium maximè doctorum in eandem ſententiam deſcendêre.

diſſenſio refertur primùm.

Ad id nunc indagandum adgredimur, an in hanc de primæ Sedis definitionibus opinionem iunioribus his præiuerint vetuſtiores Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites & doctores. Aduersùs Arium & Macedonium Orientalibus Eccleſiis tam exitialiter incubantes, Sedes Petri Occi-

XLV. Gallorum antiquiorũ conſpiratio pro iſto Petri Sedis priuilegio.

dentem adeoque Galliçanas Prouincias contutata eſt, vt ſuprà oſtenſum, vtque ex ipſo Ioanne Gerſonio facilè firmabitur, cuius hæc ſunt verba in ſerm. coram Alexandro Papa habito in die Aſcenſ. *Græcos mala tempeſtas à Sede Petri diſiectos, non modò ſchiſmatis, ſed nonnullius etiam hæreſis maculâ fœdauit. Latinitas ipſa purior & immaculatior Sedem habet Petri, pro cuius fide ne deficeret, ſpecialiter orauit ille, qui in omnibus exaudieritus eſt pro ſua reuerentia.* Sedes Petri Occidentem ab hæreſi liberat, quid ſeipſam? hæreſin nullam ſapit, num aliquam docebit?

Tom. 2. p. 262.

XLVI Teſtimonia Synodorum Galliæ complurium de Neſtorianâ & Eutychianâ lue per Romanos Pontifices extinctâ.

Aduersùs Neſtorianam & Eutychianam inſaniam, longè euidentius eſt, ſolo primæ Sedis magiſterio Gallos innixos ſtetiſſe. Id ipſimet clamitant in Synodicâ ad Leonem Papam ſcripta, vbi de eius ad Flauianum epiſtola hæc habent: *Quæ Apoſtolatûs veſtri ſcripta, ita vt Symbolum fidei, quiſquis redemptionis ſacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit; & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendauit, &c. Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet fidelis, vt conſtanter teneat, quod credebat: debebit etiam infidelis, vt à perfidiâ ſuâ, agnitâ veritate, diſcedat; & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquat.* Denique grates Deo agunt, *quod tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apoſtolicæ Sedi, vnde religionis noſtræ fons & origo manauit, Antiſtitem dederit.* Ita illi nulla ratione habita Synodi generalis. Et Auitus Viennenſis Epiſcopus ad Hormiſdam Papam: *Eutychetis igitur, Neſtoriique damnatio, quos iamdudum per beatiſſimos prædeceſſores ſanctæ Sedis veſtræ calcauit authoritas, ad notitiam iampridem noſtram, Apoſtolicæ ad nos diligentiæ prouiſione, perlata eſt.* Nec Epheſinæ, nec Chalcedonenſis Synodi meminit, Apoſtolicæ Sedis authoritate calcatas hæreſes perhibet. Quod ne incogitanti excidiſſe putes, imò vt nomine Epiſcoporum Galliæ ita ſcriptum ne ambigas, accipe Canonem primum Synodi Aurel. 5. *Neſariam ſectam quam ſacrilegus condidit Eutyches, vel ſi quæ à veneſico ſunt prolata Neſtorio, quas etiam ſectas Sedes Apoſtolica ſancto condemnat, ſimiliter*

&

Digitized by Google

& nos eaſdem cum ſuis authoribus damnamus, &c. Et Synodo Aruernenſi an. eodem 549. can. 1. *Nefarias ſectas ſacrilegi Eutychetis, & Neſtorij, quas ſancta Sedes Apoſtolica condemnat, nos quoque cum earum authoribus & ſectatoribus pariter anathematizamus.* Vides in damnanda hæreſi qualibet, quanti faciant Sedis Apoſtolicæ authoritatem : nec neceſſe putent Synodos œcumenicas oſtentari.

XLVII. Item de Pelagianâ.

Aduersùs Pelagianos & Pelagianâ fuligine oblitos Auguſtini obtrectatores, qui Galli plerique erant, nemo tam peregrinus eſt, cui non ſit exploratiſſimum, ſola Sedis Apoſtolicæ authoritate, & definitione ſtatum eſſe. Proſper ſi Aquitanus, ſi Regienſis Epiſcopus extitit, Auguſtini eâ quoque in parte æmulator, ſolis primæ Sedis reſcriptis iure damnatos errores inculcatiſſimè affirmauit, & incaſſum ad generalia Concilia Cæleſtianos prouocare. Idem à Cæleſtino expreſſit, vt Galli Auguſtino obloquentes comprimerentur. Galli ipſi aduersùs Auguſtinum latrantes, ſolis ſe Apoſtolicæ Sedis de gratiâ definitionibus ſtare iactabant. In reſcripto Cæleſtini ſuprà oſtenſum, hæreticum adſeri, quidquid his ſuis definitionibus obſtrepet. Cumque nec centum annorum ſpatio vſquequaque detumuiſſet illa contentio, Cæſarius demum Arelat. Epiſcopus, in Arauſicana Synodo, *capitula quædam ab Apoſtolicâ Sede tranſmiſſa ab omnibus obſeruanda protulit, & ſubſcribenda; quibus lectis, qui huc vſque non ſicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum ſuum inclinare non differat.* Erant illæ quæſtiones difficultatum ſentibus impeditiſſimæ, diuturnis præliis vexatæ; ſed Apoſtolicâ tamen Sede ſemel oraculum ſuum effundente, iam ex Auguſtino *cauſa terminata eſt*; iam ex Proſpero vlteriorem audientiam poſtulantes, Cæſareis edictis ſummouentur, & ſolùm iubentur vertere: iam ex Cæſario & Arauſicanâ Synodo, capitulis à Sede Apoſtolica tranſmiſſis, non ſilentij tantùm religio, ſed ſubſcriptio, ſed fidei & animi inclinatio debetur. Adde ex Cypriano in u. Cæſarij apud Surium,

Quorum intensionibus vir Dei Cæsarius dedit veram & evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Papa eadem collectatione comperta, calcata intensione iurgantium, prosecutionem sancti Cæsarij Apostolica authoritate firmauit. Cassianus certè, quàm obuiis vlnis amplectenda essent primæ Sedis decreta, ita patefecit lib. 3. cap. 12. de Incarn. Petrum Apostolum ita commendans; *Interrogemus summum illum & inter discipulos Discipulum, & inter magistros Magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & sacerdotij principatum.* Quanquam autem non prorsus acquieuerint Galli Augustinianis & sententis & libris vsque ad Arausicanam Synodum: Cælestini tamen epistolæ vehementer assentiebantur, aut assentiri se simulabant, callidâ eam interpretatione frangentes; eaque anteriores, non postremos Augustini libros authorari cauillantes. Vnde Prosper l. cont. Collat. cap. vlt. præmisso ex Cælestini epistola Augustini encomio: *Contra istam*, inquit, *clarissimæ laudationis tubam, contra istam sanctissimi testimonij dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sinceriſſimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere: vt scilicet quia in epistolâ Papæ librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos; & istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam.* Abutebantur autem Galli cauillatores verbis ipsis Cælestini epistolæ, *Desinat incessere nouitas vetustatem:* quasi noua & postrema Augustini scripta, quibus antiquæ Patrum doctrinæ & prioribus suis ipsius lucubrationibus inaudita & durissima quædam addiderat, hîc exauthorarentur. Eò vir doctus retulit verba Vincentij Lirinensis Common. 2. cap. 43. *Aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat Cælestinus liberum pro voluntate sermonem: vetustatis prædicatores, an nouitatis adinuentores. Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissoluat. Sequitur enim: Desinat, inquit, si ita res est; id est, si ita est, vt apud me quidam vrbes & promin-*

Digitized by Google

cias veſtras criminantur, quod eas quibuſdam nouitatibus conſentire noxiâ diſſimulatione faciatis. Deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere nouitas vetuſtatem. Ergo hæc fuit beati Cæleſtini beata ſententia, vt non vetuſtas ceſſaret obruere nouitatem: ſed potiùs nouitas deſineret inceſſere vetuſtatem. An adhuc tunc Vincentius in eodem cum obtrectatoribus Auguſtini luto hæreret, aliorum eſto iudicium. Hanc certè ludificationem elidere conatur Proſper eodem loco conſequenter: *Maneat planè*, inquiens, *maneat iſta conditio, vt horum librorum nouitas repudiata videatur, ſi in eadem cauſa eiuſdem viri diſſentit antiquitas: & vt inutile aut incongruum iudicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, diſſonans inuenitur.* Ita libros de prædeſtinatione ſanctorum & de bono perſeuerantiæ, quos allatrabat calumnia, vt à Sede Apoſtolica non probatos; ſuperioribus, quos continuò enumerat, conſentire Proſper affirmat, adeoque pariter approbatos eſſe. *Agnoſcant calumniatores ſuperfluò ſe obiicere, quod his literis non ſpeciale, neque diſcretum teſtimonium ſit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apoſtolica enim fides, quod à præcognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat: & quod iudicio iungit, laude non diuidit.* Certatim ergo hinc & inde decretis Sedis Apoſtolicæ incumbebant. Et Gennadius in Catalogo virorum illuſtrium, *Innocentius vrbis Romæ Epiſcopus ſcripſit decretum Occidentalium & Orientalium Eccleſiarum, aduersùs Pelagianos datum: quod poſteà ſucceſſor eius Zoſimus latiùs promulgauit.* Et infrà: *Xyſtus vrbis Romæ Epiſcopus, decretum Synodi aduersùs Neſtorium volumine deſcribens, ad Orientis & Occidentis Eccleſias dedit.* Et ibidem: *Xyſtus ſucceſſor Cæleſtini ad ipſum Neſtorium & ad Orientis Epiſcopos, aduersùs errorem eius ſuccidendum, ſententias direxit.* Ita Gallicanus ſcriptor ſummam profligatæ geminæ hæreſcos laudem, & vniuerſalem definiendi authoritatem vni Apoſtolicæ Sedi adſignat.

XLVIII. Item de Monotheletarum.

Aduersùs Monotheletas non Concilij œcumenici, quod ſerum vtique, ſed Concilij Lateranenſis ſub Martino, &

Sedis Petri doctrinâ Galli pugnarunt, vt res ipſa clamat. Interim ſanè dum Græcis eo errore dementatis liberet Synodum cogere, an fas erat luxuriare & indulgere ſuo quemque iudicio, aut infidelitatem ſuam doloſo diſſimulare ſilentio? Cui hoc priſcorum Antiſtitum vel cogitare ſubiit? Et quis non videt periculoſæ rem eſſe pleniſſimam aleæ, cùm Concilia œcumenica non potuerint tandiu colligi niſi conſenſu Imperatorum: his non rarò hæreſi aſtipulantibus, & Synodos vel procraſtinantibus, vel opprimentibus, ſuæ interim vnumquemque poteſtati permitti, vt fidem vel perfidiam ex ſuâ libidine fingeret, & diffingeret? Denique vbi ſexta Synodus Conſtantinopolin conuocata ſemel fuit, confluxere Romam Occidentales Epiſcopi frequentiſſimi, inde legatos & epiſtolas ad Synodum œcumenicam direxere. Ad manum ſunt epiſtolæ, euolue, excute, ſcrutare ſi lubet, nuſquam dubios, nuſquam ancipites, nuſquam veluti ſuſpenſos ex decretorio Synodi œcumenicæ oraculo: ſed ſuæ fidei tenaces, & Martini Papæ Concilium, Sedis Apoſtolicæ indefectibilem prædicantes fidem videbis Occidentales & in iis Gallos Epiſcopos. Et ſanè cùm œcumenicis Conciliis in Oriente congregari ſolitis, rariſſimi intereſſent Occidentalium: cùm fidei antiquæ multò, quàm Græci, retinentiores fuerint Latini: in promptu eſt, cur minùs penderent noſtri ab Orientalium Synodo, vt cui pauciſſimi adeſſent, vt quâ ipſi minus indigerent, vt qui Sedis Apoſtolicæ magiſtrâ voce propiùs erudirentur; vt qui Orientali Synodo fidem magis dictarent, & præirent, quàm obaudirent; vt qui Romæ priùs Occidentale agitarent Concilium, vel plura ſigillatim hîc illic Concilia celebrarent, fidemque ſuam indubij ſcriberent, & in Orientem miſſitarent cum primæ Sedis Synodicis, non examinandam, ſed amplectendam. Quòd ſi ſatis exploratum fuiſſet recentioribus his Theologis, à ſua illa opinatione forſan nonnihil deflexiſſent. Sed quid apertius ep. Martini Papæ I. ad Epiſc. Traiectenſem Amandum de Sy-

Digitized by Google

nodo Romana aduersùs Monoth. *Hæreticorum sceleroſa conſcripta Apoſtolico mucrone Patrumque definitionibus condemnauimus: vt cognoſcentes vniuerſi errorem qui in eis continetur, nullatenus maculentur. Vnde præuidimus volumina ſynodalium geſtorum in præſenti vobis dirigere vnà cum Encyclica noſtrâ. Studeat fraternitas tua, eadem omnibus innoteſcere, vt tam abominandam hæreſin nobiſcum exerentur, atque ſynodali conuentione omnium fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum partium illarum effectâ, ſcripta vnà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent; confirmantes atque conſentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper exortæ à nobis ſtatuta ſunt.* Quam Martini & Synodi ſub eo Romanæ definitionem, quàm obuiis amplexata ſit vlnis Eccleſia Gallicana, etiam ante Sextam Synodum; quàm Catholicam & neceſſariò profitendam eam fidem intellexerit; quàm certò Martyrum honoribus Martinum ipſum pro eâ occumbentem profecuta ſit; declarat præclariſſimus ſcriptor vitæ ſancti Eligij Nouiomenſis Epiſcopi, ſanctus Audoenus Epiſcopus Rotomagenſis, lib. 1. cap. 33. 34. *Martinus ſollicitè ac viriliter pro hâc causâ inuigilans, imoque pugnans, multa probra, & aduerſa ab hæreticis ſuſtinebat: vnde tandem permotus, cùm & Imperatorem & plures cerneret eorum adſertionibus obſecundare: congreganit Concilium Sacerdotum, compeſcendi causâ, imò delendi huius prauitatem dogmatis. In quo Concilio omnibus Orthodoxis conſentientibus, edidit contra hæreticos fidem magnificè valde atque accuratè: quam etiam cum ſubiunctâ epiſtolâ Galliarum partibus deſtinauit.* Et mox narrato Martini martyrio: *Non eſt inferior gloria, ſed potiùs excellentior, ſuſtinere martyrium pro eo, ne ſcindatur Eccleſia fallaciis hæreticorum, quàm eſt illa, ne immoletur idolis, impulſa Paganorum. In Paganorum namque perſecutione vnuſquiſque tantùm pro ſuâ animâ, in hæreticorum verò pro vniuerſali patitur Eccleſiâ. Et idcirco eum potiorem dixerim.* Ita Galli ante generalem Synodum, in definitiones Sedis Apoſtolicæ affecti erant. Quod idem manifeſtum fiet ex Adone Vien-

Digitized by Google

nensi in Chronico, vbi merito laudum præconio effertur Martini eiusdem Papæ Synodus, & mox martyrium *pro Catholicâ veritate Apostolicè* aditum; itemque postèà ab Agathone sub Pogonato Principe missos ad Synodum sextam legatos, *iussosque remissis disputationibus Philosophicis pacifico colloquio de verâ fide perquirere, datis eis & bibliothecâ Constantinopolitanâ Catholicorum Patrum, quos petebant, libellis.* Quæ Agathonis verbis alludunt, affirmantis eam Synodum habendam, non ad dubium dogma hinc & hinc ventilandum, sed ad Græcos Catholicam seu Latinam fidem docendos, pristinumque errorem suum dedocendos.

XLIX. Item de Iconomachorũ.

Aduersùs Iconomachos in officio Gallicanas Ecclesias non retinuit, nisi Apostolicæ Sedis reuerentia. Græcanicas enim Synodos, & ipsam œcumenicam Synodum septimam, etsi falsis delusi rumoribus, nemo nescit, quantis Galli contumeliis prosciderint. Copiosiùs quidem eâ de re alibi se dabit locus disputandi. Interim compertissimum est Gregorij Papæ primi doctrinæ, & Hadriani authoritati Gallos addictiores multò fuisse, quàm nomini & famæ Concilij vniuersalis. Quippe qui Synodo non affuissent Nicænæ. An affuissent, an assensi essent legati pontificij, ignorarent. Quid decretum ibi esset, eos falleret. Et in summa hac ignoratione rerum in Synodis Orientalibus gestarum, versatos plerumque, & Gallos, & Hispanos, & Anglos fuisse, ex monumentis rerum ecclesiasticarum liquidum est: nec nisi à Sede Apostolicâ earum acta suscepisse. Vt propè necesse esset, eos Petri Sedi, vt familiariùs, ita propensiùs inhærere.

L. Item de Elipandi & Felicis hæresi.

Ad Elipandi & Felicis Hispanorum Antistitum deliria, à Gallis potissimum exagitata, decursus nos ipse temporum & rerum peruehit. De capitibus ad fidem spectantibus certamen erat. Famosi Antistites vtrimque pugnabant, & Sedium splendore spectabiles. Neutrâ tamen ex parte concrepuit, aut vel vno verbo insonuit, non posse fidei Catholicæ dogma constitui, cuius necessitate

Digitized by Goog

conſtringeretur omnium fidelium aſſenſio, niſi œcumenica Synodus conueniret. Audi ex aduerſo Hadrianum ad Epiſc. Gall. & Hiſpan. *Quoniam feruenti ſuccenſus zelo fidei Carolus Magnus, ea quæ contraria orthodoxæ fidei Hiſpaniarum de confinitis allata ſibi perſenſit, noſtris curauit ſummâ pernicitate obtutibus præſentari: B. Petri amore feliciter obſtrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, &c. ex authoritate Sedis Apoſtolicæ, pro causâ ſiquidem orthodoxæ fidei, æquum ratumque duximus reſpondendum:* & eos nî reſipiſcant, definit, *à gremio Eccleſiæ alienos, & vltrici cum ſequacibus ſuis vindictâ plectendos.* Et Synodus Francoford. in Sacroſyllabo: *Eos qui poſt hanc ſaluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus ſancto afflata Spiritu, concorditer ſubtili ſinceritate terminauit, falſiſſimis eorum aſſertionibus ſiue clam, ſiue in publicâ voce præbuerint adſenſum, ſimili eos ſententiæ vindictâ ſancimus eſſe plectendos; reſeruato per omnia iuris priuilegio ſummi Pontificis, domini & patris noſtri Hadriani, primæ Sedis beatiſſimi Papæ.* Et Carolus ipſe in epiſt. ad Elipandum: *Ad beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hac noua intentione ter quaterque direximus miſſos, ſcire cupientes, quid ſancta Romana Eccleſia Apoſtolicis edocta traditionibus de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione.* Addit præterea varias eâ de re Synodos ſuâ operâ collectas eſſe in Anglia, Italia, Germania: *Poſt hanc verò correptionem, ſiue admonitionem Apoſtolicæ authoritatis, & ſynodalis vnanimitatis, ſi non reſipiſcitis ab errore veſtro, ſcitote omninò vos pro hæreticis haberi.* De Synodo œcumenica altum ſilentium. Pontifex primæ Sedis, epiſcopales aliquæ Synodi definiunt, concordant: omnibus conuenit, hæreticorum albo inſcriptum iri, qui reluctabitur.

De eodem Felice damnato in Concilio Ratiſponenſi, Ionas Aurelianenſis in lib. aduersùs Claud. Taurin. *Eiuſdem Caroli Principis iuſſu in vnum coacti Epiſcopi, adhibita etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritate, eundem Felicem damnauerunt; imò cum authore ſui erroris Neſtorio, quem imitatus eſt, perpetuo anathemati mancipauerunt.* Et annales Franco-

LI. De eadem ex Iona Aurelian. Et Dungalo.

rum sub Ludouico conscripti: *Congregato apud Reginum Episcoporum Concilio, auditus est & errasse conuictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam missus, vbi etiam coram ipso hæresin confessus est, atque abdicauit: quo facto ad ciuitatem suam reuersus est.* Id ergo insidebat Gallis, causas fidei in Episcopalibus Conciliis definiri posse; ita tamen vt ad Sedem Apostolicam referretur, cuius peremptorio denique terminarentur iudicio; cui qui non obaudirent, hæreticorum numero essent. Adde & Dungalum, contra eundem Claud. Taurin. initio ferè operis: *Cùm beatæ memoriæ Carolus vigilantissimus Catholicæ fidei tutor & propugnator, nequissimæ caput viperæ, in magistro huius erroris Felice, sibilantis contra vnitatem Ecclesiæ, Apostolicæ authoritatis prænalidâ ferreâque confregerit virgâ.*

LII. Ex Alcuino. Aduersùs eundem Felicem Alcuinus lib. 7. priscam illam Gallorum de Romana Sede consensionem identidem prodit: *Nos Romana plus authoritate, quàm Hispana veritate adsertionis & fidei nostræ fulciri desideramus: licèt nec illa reprobemus, in his tamen quæ Catholicè dicuntur. Vnusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab vniuersali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ à Catholicis & rectè credentibus sequenda esse probatur, &c.* Viden vt Romanam Ecclesiam & sequendam ab omnibus Catholicis, & eandem cum vniuersali, seu vniuersali semper consentaneam esse docet? Et idem ipse lib. 1. aduersùs Elipandum: *Vestri erroris secta, præsidente Rege Carolo, præsente Felice, in loco qui dicitur Regiusburg, & synodali authoritate Sacerdotum Christi, qui ex diuersis Christiani Imperij partibus conuenerant, æterno anathemate damnata: imò & à beatæ memoriæ Hadriano Papa qui tunc temporis Romanæ Ecclesiæ Apostolica authoritate rexerat Sedem, funditus exterminata; donec idem Felix infeliciter, ad vestras rediens partes, sopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus, resuscitare intendit.* Particularibus Synodis & decreto Pontificio non acquieuit Felix, Gallis hæreticus eâ de re habitus est, etsi nullâ Synodo œcumenicâ sit proscriptus. Præterea suo more Africanam imitante Gallicanâ

Digitized by Google

licanâ Eccleſiâ, vt in Pelagio & Cæleſtio olim, ita nunc in Elipando & Felice, etſi variæ, & ex pluribus prouinciis Synodi confluxerint, non in eas tamen, ſed in Sedem Apoſtolicam redundat principalior gloria exterminatæ funditus hæreſeos. Et ipſe Felix in confeſſione fidei ſuæ apud eundem Alcuinum: *In Synodo Romana præſente Leone Apoſtolico, & cum eo cæteri Epiſcopi numero LVII. reſidentes, & plerique Presbyteri, ac Diaconi cum eis, in domo B. Petri Apoſtoli: &c. Quorum authoritate veritatis, & totius Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu conuicti, meliori intellectui eorum, quàm noſtro, quem priùs ſequebamur, &c. ad vniuerſalem Eccleſiam Deo fauente ex toto corde noſtro reuerſi ſumus, non qualibet ſimulatione, ſeu velamine falſitatis, ſicut dudum, quod Deus ſcit: ſed vt dixi, vera cordis credulitate, & oris profeſſione.* Inculcat mox creberrimè ſe aſſentiri vniuerſali Eccleſiæ, quam nempe in capite ſuo repræſentari, & totam adeſſe cernebat; nec fas eſſe ſibi putabat alibi quærere, & œcumenicam in Synodum conuocare. Rurſum denique idem Alcuinus epiſt. 70. alia de re quapiam ſcribens; *Ne ſchiſmaticus inueniatur, non Catholicus, ſequatur probatiſſimam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritatem, vt vnde Catholicæ fidei initia accipimus, inde exemplaria ſalutis noſtræ ſemper habeamus. Ne membra à capite ſeparentur ſuo, ne clauiger regni cæleſtis abiiciat, quos à ſuis deuiaſſe cognouerit doctrinis.* Vbi vlla vſquam veſtigia ſilentij & ſimulationis illius, vbi vel vmbra incredulitatis diſſimulatæ, aut ſpei occultæ ad Synodum œcumenicam ſuſpirantis?

Pag. 998. 999.

Aduersùs eundem Felicem Paulinus Aquileienſis Pontifex, Gallicano & ipſe obnoxius Caroli magni Imperio, lib. 1. hæc habet ſuperioribus adprimè conſona. *Si ſancta Dei Eccleſia in toto orbe eſt diffuſa, ergo nequaquam in illis eſt, quia illi non ſunt in toto orbe. Si verò in illis eſt, etiam tunc in toto orbe non eſt. Quia illi contraria toti orbi fingunt nomina, de humanitate Chriſti Dei noſtri, qui eſt caput Eccleſiæ. Porro nos intra terminos Apoſtolicæ doctrinæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter ſtamus. Illorum probatiſſimam ſequentes autho-*

LIII. Ex Paulino Aquileienſi: & ex Gallis libri Carolini ſcriptoribus: item ex Gallis Epiſcopis Conuentus Pariſienſis ſub Ludouico Pio.

Digitized by

ritatem, & sanctissimis inhærentes doctrinis, &c. Et hîc vniuersalem Ecclesiam à Romana non discriminat; nec vnquam inter huius & illius fidem discrepare quidquam author est. Et lib. 7. aduersùs eundem, *Præsules Hispaniarum inducis, quos tu orthodoxos dicis, sed in his quas posuisti orationibus, indubitanter hæretici esse dignoscuntur. Nos Romanâ plùs authoritate, quàm Hispanâ veritate, &c.* vt suprà iisdem verbis ex Alcuino descripsimus. Accedant & Galli scriptores, ac consarcinatores libri Carolini aduersùs Synodum de imaginibus. Sic ergo illi lib. 1. cap. 6. *Qualiter sancta Romana Ecclesia cæteris Ecclesiis à Domino prælata, & à fidelibus consulenda sit, prosequamur. Præsertim cùm non ab aliis Scripturis, nisi ab his, quas illa inter Canonicas recipit, testimonia sint sumenda: nec aliorum doctorum, nisi eorum qui à Gelasio vel aliis illius sanctæ Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda.* Prolatâ autem Augustini sententiâ, in Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicârum quamplurimùm authoritatem sequendam: inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas Sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Pergunt porrò: *Nam cùm hic cunctis per orbem constitutis Sedibus Apostolicas generaliter præferat Sedes, multo magis illa omnibus præferenda est, quæ etiam cæteris Apostolicis Sedibus est prælata.* Quid autem ad fidei doctrinam magis pertinet, quàm Scripturarum, Patrumque delectus? Et rursum: *Hæc sanctæ fidei munita armis, & à fonte lucis, & origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, & horrendis atrocibusque hæresum obsistit monstris, & melliflua prædicationis pocula Catholicis per orbem ministrat Ecclesiis.* Laudant mox Hieronymum, qui de tacendis vel dicendis hypostasibus Damasum consuluit. *Vnde datur intelligi, sanctos & eruditos viros per diuersas mundi partes prædicationis & scientiæ lampade coruscantes; non solùm à sancta Romana Ecclesia non recessisse; sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium imploràsse. Quod regulariter omnes Catholicæ debent obseruare Ecclesiæ, vt ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant: quæ non habens*

Digitized by Google

maculam nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. Hæc pendenda sunt, prolixiùs ibidem inculcata, non si quid iisdem obiter incoctius excidit. Porrò illud magni præcipuè pendendum, quod qui Nicænæ Synodo secundæ tam audacter conuitiabantur, Apostolicæ tamen Sedis authoritatem detrectare nunquam ausi sunt. Et conuentûs Parisiensis Episcopi sub Ludouico Pio in eâdem causâ imaginum cap. 16. *Sicut dignum & iustum est, vt præeunte Spiritûs sancti virtute, ille talia correcturus, & ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in Sede Apostolicâ collocare dignatus est: vt solus non suâ abusione, sed tantorum Apostolorum authoritate vniuersalis Papa dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur.* Et infrà in eâ, quam confinxere, Romani Pontificis epistolâ ad Græcos: *Apud omnes huius sanctæ Occidentalis Ecclesiæ, quæ se authoritate B. Apost. Petri & Pauli fidei, spei, & charitatis sumpsisse exordium gloriatur, ita hactenus ab omni hæresi illibata nunc vsque conseruata est; vt non solùm ipsa ad quodlibet erroris diuerticulum minimè declinaret: sed potiùs omnes à recto fidei tramite quoquo modo deuiantes, per orthodoxos eorundem successores toto orbe terrarum ad rectitudinem potiùs reuocaret. Testis huius rei non quilibet angulus, sed orbis terrarum vniuersus: quia quotiens tales per mundum persecutiones motæ sunt, quæ ad periculum fidei vniuersalis Ecclesiæ imminere putabantur: ob inueniendam, inuentamque conseruandam Catholicæ fidei veritatem, semper hoc vniuersalis Ecclesia, præsente ob huius sanctitatem Sedis Pontifice, aut certè cum consensu illius verbis vel litteris porrecto, corrigere, correctumque ad conseruandum statuere consuevit.* Vbi non ita vitiata est verborum structura, quin subluceat, quid Galli de primæ Sedis authoritate in causis fidei terminandis consentirent. Vniuersalem enim Nicænam de imaginibus Synodum, retractari, emendarique debere vrgebant, non suâ, non alterius maioris Synodi, sed Romanæ Sedis vnius authoritate.

LIV. Pro eodem primæ Sedis priuilegio, teſtimonia Hincmari, in causâ Gotteſcalci.

Hincmarus iam Rhemenſis Epiſcopus Gallicanorum & canonum, & morum, & dogmatum callentiſſimus prodeat, nec proiectæ in Sedem Apoſtolicam aſſentationis cuiquam niſi inſulſiſſimo ſuſpectus. Is ergo in epiſtolâ ad Carolum Regem, præſultrice operis operoſiſſimi de prædeſtinatione, hæc ſcribit: *Et ſi diuinis & authenticis Scripturis, & Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, ſanctæque Romanæ Sedis fidei & orthodoxorum Patrum, ſenſibus, qui eidem ſanctæ matri Eccleſiæ præſederunt, & qui ab eâdem Apoſtolicâ Sede Romanâ nobis in Canone recipiendi dati ſunt, ſenſum noſtrum in eiſdem capitulis expreſſum concordari, demonſtrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, & deuotè ſtudebimus. Quia aliorum ad ſtipulandum noſtræ Catholicæ intelligentiæ ſenſum, ſententiæ recipere, nec proferre voluimus: cùm conſtet illud eſſe verum atque Catholicum, quod ipſa mater omnium Eccleſiarum, & vniuerſalis Eccleſia duxerit ad probandum.* Hæc ille de canone quem conſcripſit Gelaſius Papa, vt mox diſertè tradit. Vides hîc vniuerſalem & Romanam Eccleſiam aut vnam eſſe, aut indiuiduis nexibus colligari. Vides Gelaſianum Canonem, quaſi vniuerſalis Eccleſiæ authoritate fultum, oſtentari. Vides in culmen authoritatis non recipi Patres vllos, niſi quos Romana Eccleſiarum magiſtra commendauerit. Vides denique Catholicum id eſſe, quod Eccleſia Romana probarit. Subdit mox illis quoque aſſurgendum eſſe poſterioribus ſcriptoribus, vtputa, Bedæ, Theodoro, Alcuino, Paulino, qui prioribus conſonent, &, *Quorum fidem ac doctrinam Apoſtolica Sedes Romana non ſolùm benigniſſimè acceptauit, verùm & multis laudibus extulit; ſicut in ſcriptis ipſius ſanctæ Sedis inuenimus, quæ Eccleſiæ noſtræ ab eâdem Eccleſiarum matre acceperunt, tempore dictæ memoriæ Caroli Imperatoris; quando Synodus pro cognita infidelitate Felicis eſt habita, & ad Romanam Eccleſiam velut ad apicem Eccleſiarum tranſmiſſa.* Et hæc quidem Hincmarus aduersùs Fulgentij libros excipit, qui in Gelaſiano Canone prætermittuntur. Iure, an iniuriâ, nil noſtra nunc quidem intereſt. Nec enim de Fulgen-

tio nunc disputatur. Sed Gallicanæ Ecclesiæ reuerentia hinc emicat lucidissimè in doctrinæ Catholicæ examine. Eadem replicat Hincmarus operis ipsius de prædest. c. 3. *Si aliter Fulgentius dixit, quàm Augustinus, & aliter quàm Prosper ex delegatione Sedis Apostolicæ iussu sancti Cælestini diffiniuit, aliterque quàm ipsa sancta Sedes Apostolica, dicta suscepit ac dici voluit, ipse viderit.* Et statim cap. 4. *Sequimur autem quæ Catholica & Apostolica nos docet, sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit, Catholico lacte aluit, uberibus cælo pleuis ad solidum cibum nutriuit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios instruendum suâ probatione instituit, atque in doctrinali cathedra, fautore & adiutore Domino, sublimando constituit.* Quibus quæso quid elegantius, quid vehementius dici potuit? Quid recentiorum, de quibus suprà, Gallorum nouitati pugnantius? Profert mox verba Innocentij primi epist. ad Decent. iubentis id omnes sequi Ecclesias, quod Romæ docuit & tradidit Petrus, à quo vel à cuius successoribus proseminatæ sunt omnes Occidentales Ecclesiæ: *Oportet hoc eos sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à quâ eos principium accepisse non dubium est.*

LV. Alia eiusdem testimonia.

Idem Hincmarus infrà in eadem palæstra desudans, suamque doctrinam vendicans ab infamiâ hæreseos, quâ ab aliis Episcopis, nec paucis, nec obscuris aspergebatur, hæc habet cap. 24. *Necesse est nobis ex orthodoxorum scriptis ostendere, si Catholicæ fidei capitulum istud à nobis excerptum valeat conuenire. Consulentes ante omnia, sicut & prima est in toto orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam. Quoniam priuilegium quod Hierusalem quæ olim dicta est ciuitas Iustitiæ, & mater ciuitatum, propter infidelitatem & negationem Filij Dei perdidit; hac confessione beati Petri promeruit, dicentis, Tu es Christus, &c. Et sicut illa quondam Hierusalem ciuitas sancti munita est angelorum custodiâ, vsque dum propter incredulitatem & duritiam cordis sui audiuit ab eis, Transeamus ab his Sedibus: & à Saluatore suo, Ecce relinquetur vobis domus ve-*

ſtra deſerta: ita & iſta illuſtrata permanet & protecta orationibus gentium magiſtri, dicentis, Teſtis eſt mihi Deus, &c. quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio in orationibus meis. Quæ non ab homine, neque per hominem, ſed per Dominum Ieſum Chriſtum, ſicut Petrus & Paulus Apoſtolatum, ita & hæc ſancta Sedes omnium ciuitatum meruit principatum. Et aliquantis in doctrinæ ſuæ confirmationem intertextis, *Pius, deuotis, atque Catholicis hoc poteſt, & hoc debet ſufficere, quod omnium Eccleſiarum mater ſancta Catholica atque Apoſtolica docet Romana Eccleſia. Ipſa enim vt mater nos Chriſto genuit, nos religione nutriuit, nos doctrinâ inſtruxit. Nos ſicut in ſancto Petro à Chriſto firma Petra accepit, doctores inſtituit, & Catholico lacte nutritos, & ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informauit.* Exibilarentur iure merito hæc tam magnificè ab Hincmaro debuccinata, ſi Sedis Apoſtolicæ placita aliquando erroris laqueis irretirentur, nec ex illis certum Hincmarus vel quiſquam alius peteret doctrinæ vel infirmandæ, vel roborandæ argumentum. Vide & quæ capite 38. diſputat de communionis concentu cum fide, vtque fide conueniant neceſſariò, quicumque vnius communionis vinculo conſtringuntur. Quocirca vt communionis, ita fidei Catholicæ vertex ſit Romana Eccleſia neceſſe eſt.

LVI. Item eiuſdem in cauſa diuortii Lotharii, Regis. Item Annalium Metenſium.

Idem denique Hincmarus in alio opuſculo, & negotio longè diuerſiſſimo, de diuortio Lotharij & Theutb. in præfat. quid ſibi quid Gallis animi eſſent, ita aperit: *De omnibus dubiis, vel obſcuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, ſancta Romana Eccleſia vt omnium Eccleſiarum mater & magiſtra, nutrix ac doctrix eſt conſulenda, & eius ſaluhria monita ſunt tenenda.* Nuſquam prorſus, nuſquam frigida illa diſtinctiuncula ſilentij vel aſſenſûs ad decreta Sedis Apoſtolicæ adhibendi: nuſquam vel ſuſpicio inuocandæ Synodi œcumenicæ, nec antè deponendæ ex animo contumaciæ. Quibus adde Annales Metenſes ad an. 865. *Tetgaudus & Guntharius Romam proficiſcuntur, vt Coepiſcopos ſuos oſtenderent Eccleſiaſtica atque Apo-*

Digitized by

ſtolica exercuiſſe decreta. Stultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt: quæ nec feſellit, nec ab aliqua hæreſi vnquam falli potuit.

LVII. De exitu contentionis Gotteſchalcanæ. Suffragia item Fulconis & Heriuæi Rhemenſium Epiſcoporum, necnon & Prudentii Epiſcopi Tricaſſini.

Diuturnæ illi ſanè controuerſiæ, quæ circa Gotteſcalchi monachi doctrinam illo ſæculo ferbuit, finem impoſuiſſe viſus quibuſdam eſt Nicolaus primus. Etenim Hincmarus ipſe epiſt. 24. de Guntberto deſertore monacho, *Sicut mihi dictum eſt, quaſi ipſius Gotteſchalci reclamationem vult perferre ad Dominum Apoſtolicum.* Et infrà: *Dicitur Gotteſchalcus multos habere fautores, ſicut habuit Dominum Prudentium, qui in annali geſtorum noſtorum Regum, quæ compoſuit ad confirmandam ſuam ſententiam, geſtis anno Dom. Incarn.* DCCC. LIX. *indidit dicens: Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis & de ſanguine Chriſti, vt pro omnibus credentibus fuſus ſit, fideliter confirmat & Catholicè decernit. Quod per alium non audiuimus, nec alibi legimus. Vnde quoniam ipſa geſta, quibus hæc conſcripta ſunt, iam in plurimorum manus deuenerunt, neceſſe eſt, vt taliter de hoc, Domno Apoſtolico ſuggeratis, ne ſcandalum inde in Eccleſiâ veniat, quaſi ipſe, quod abſit, talia ſicut Gotteſchalcus, ſentiat.* Hæc ille ad Egilonem Senonenſ. Epiſc. Romam delegatum. Ex quo liquidum fit, veriſque Epiſcoporum Galliæ partibus perſuaſiſſimum fuiſſe, non alio, quàm Romani Antiſtitis conſenſionis momento & pondere victoriam huc vel illuc deflectendam. Hincmaro in Sede Rhemenſi ſucceſſere Fulco & Heriuæus, quorum multa extant apud Flodoardum lib. 4. propenſiſſimæ in Sedis Apoſtolicæ obſequium obſeruantiæ documenta. Sed cùm de fide tunc nihil ferè certatum ſit, vnum hoc carpam ex cap. 14. de Heriuæo: *Ad petitionem Vuittonis tunc Rotomagenſis Epiſcopi collecta ex diuerſis authoritatibus ſanctorum Patrum 23. capitula, qualiter ipſi Nordmanni tractari deberent, eidem Archiepiſcopo delegauit. Inſuper etiam Romanum Pontificem ſuper huiuſcemodi negotio conſulere ſtuduit. Ad cuius conſulta, quæ circa gentis huius conuerſionem excquenda forent, inſinuare non deſtitit.* Et rurſum Hinc-

Digitized by Google

maro coæuus & aliquantulum aduerſatus in aliis, ſed hâc in parte conſonus Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus in epiſt. ad eundem Hincmarum, negat *vllo conamine euelli poſſe doctrinam Auguſtini, cùm eam & Apoſtolicæ Sedis ſublimitas, & totius Eccleſiæ Catholicæ vnitas authoritate concordiſſimâ approbarint, ac roborarint. Adeo vt nullus ei ſingulariter, verùm vniuerſitati Eccleſiæ Catholicæ cum eâ, & in eâ queat obniti. Si enim aduerſam fidei orthodoxæ in quoquam conſpiceret, nequaquam eam Romanæ Eccleſiæ Antiſtes venerabilis Innocentius cum totius orbis Epiſcopis ſuſcepiſſet.* Dehinc ſuffragia aggerat in laudem Auguſtini, Pontificum Romanorum Innocentij, Zoſimi, Bonifacij, Cæleſtini, Leonis: conuenienter noſtris placitis Sedem Apoſtolicam & Eccleſiam Catholicam nequaquam diſſocians; huius ſententiam illius oraculis expromens; vtriuſque *authoritate concordiſſimâ*, & regulâ vtique indeclinabili, non quorumlibet, ſed ipſorum Eccleſiæ Patrum doctrinam expendens, & confirmans. Quâ in ſententiâ verſabantur tunc omnes hinc & inde Gallicani ſcriptores; non aliis fidem addicendam ſcriptoribus, quàm quos Romana Eccleſia authoraſſet.

LVIII Teſtimonia Lanfranci in cauſa Berengarii, & Hugonis Lingonenſis Epiſcopi.

Aduersùs Berengarianam hæreſeos rediuiuum toties monſtrum, non alio Gallicana Eccleſia pugnauit clypeo, quàm Sedis Synodique Romanæ. Itaque Berengarius ipſe in Synodo Romanâ an. 1059. à Pontifice Nicolao II. damnatus, iuſiurándum fidei emiſit, in quo hæc inter cætera, *Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi; & ore, & corde profiteor de Sacramento dominicæ menſæ eam fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus authoritate Euangelicâ & Apoſtolicâ tenendam tradidit, mihique firmauit.* Et Lanfrancus in Archiepiſcopum Cantuarienſem prouectus ex Abbate Cadomenſi, ideoque iure merito inter Gallicanos doctores recenſendus, in opuſculo de Euchar. Sacram. ita Berengarium obiurgat: *Et cætera quidem à beatæ memoriæ Nicolao totius Chriſtiani nominis ſummo Pontifice, & à centum tredecim*

Digitized by Google

cim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosque peruersi dogmatis in medio sancti Concilij in eum coniecisti, iurans fidem à Patribus, qui præsentes erant, traditam te inuiolabiliter seruaturum, &c. Et infrà: *Quem Humbertum, dum contra Catholicam veritatem scripsisse asseris, non ipsum solum, sed & Romanos Pontifices, Romanam Ecclesiam, multosque sanctos Patres redarguis: incurrisque in illud, quod beati Doctores, si non iisdem verbis, eisdem tamen sententiis multis in locis concorditer astruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romanâ & vniuersali Ecclesiâ in fidei doctrinâ discordat.* Et infrà: *Traditus in reprobum sensum, sanctam Romanam Ecclesiam vocas Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, Sedem Satanæ. Et hoc impio ore garriuisti, quod garriuisse nemo legitur, non hæreticus, non schismaticus, non falsus aliquis Christianus.* Subdit Sedem Petri vel hæreticis ipsis honori fuisse: *Denique ipse Dominus dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam, &c. Quæ tametsi de Pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, & à quibusdam Catholicis exponantur: præcipuè tamen de Romanâ Ecclesiâ intelligenda esse sacri Canones & Pontificum decreta testantur.* Denique ad calcem illius operis prolixiùs disserit de Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ authoritate in fidei decretis, vt à quâ certum esset desciscere Berengarium, dum à Synodi Romanæ & summi Pontificis definitione resiliret. Idque intelligebat vel ipse Berengarius, qui Gallus sanè erat. Nec enim à Romana Sede ad Catholicæ Ecclesiæ Synodum vniuersalem prouocabat, sed aiebat, vt refert paulò ante finem Lanfrancus, *Prædicatum est Euangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia; creuit, fructificauit: sed imperitiâ malè intelligentium postea errauit, & periit: in nobis solis, & in iis qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia remansit.* Huc enim tandem euadit Romanæ Sedis iudicij detrectatio. Similiter & Guitmundus Archiepiscopus Auersanius l. 3. aduersùs

eundem ex Ecclesiæ Catholicæ orbem omnem complectentis consensione ineluctabile promit argumentum, à quo Romani Antistitis maiestatem non dissociat. *Augustinus dicit, Si omnis terra domus Dei, qui non haret omni terræ, ruina est, non domus, &c. Nostra Ecclesia Catholica per beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnauit. Deinde per hunc ipsum qui nunc præst Gregorium Papam, &c. in Concilio Turonensi conuicit, &c. Reuersumque aliquantò pòst ad vomitum suum agente Nicolao Papâ in Concilio generali Romæ iterum confutauit, &c.* Ita Romanam ab vniuersali, vt os à capite, caput à corpore nusquam sinit dissociari. His adde Hugonem Lingon. Episc. in tract. contra Berengarium, post opera Lanfranci edito: *Quâ in re vniuersalem Ecclesiam scandalizas, &c. Ne præsumas singulariter sentire quod vniuersitas non assentit.* Et tandem, *Abiecta vnitate, de parte extolleris.* Itemque Durandus Abbas de corpore & sanguine Christi part. vlt. *Multa absurda fideique Catholicæ aliena alienus declamauit, inter quæ Romanam Ecclesiam, caput videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denotauit.* Mox Concilio Parisiensi decretum narrat, vt Berengarius cum sequacibus suis *vbicumque conuenirent, eo vsque obsiderentur, donec aut consentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur.*

LIX. Item suffragatio Petri Damiani, & Gratiani.

Alienum non erit & Petrum Damiani Gallis permiscere, quibus nonnullâ familiaritate fuit deuinctus. Ille ergo lib. 1. epist. 20. *Si eos sacri Canones hæreticos notant, qui cum Romanâ Ecclesiâ non concordant: quid tu, &c.* Et lib. 3. epist. 1. *Petrum præ cæteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter in Ecclesiâ tenere perpetuo priuilegij iure concessit; vt quisquis diuinum aliquid & profundum nosse desiderat, ad huius præceptoris oraculum doctrinamque recurrat, &c. Quid mirum si sacerdos licèt sanctitate conspicuus, licèt eloquiis diuinis vehementer instructus, ad Apostolorum Principis magisterium misit, ad quem etiam Angelus docendi gratia primitias gentium Cornelium de-*

Digitized by Google

ſtinauit. Paulus quoque, qui non ab hominibus, ſed à Ieſu Chriſto & Deo Patre fuerat fictus Apoſtolus, atque ab authore ſapientiæ ſufficienter inſtructus, ad Petri tamen magiſterium venit; & non in tranſcurſu, ſed per plurimos dies apud eum in cæleſti ſchola permanſit. Dignum ergo fuit, vt ad Sedem illius veſtra ſancta prudentia ſoluendam dirigeret quæſtionem; ad quem & ignarus fidei vir angelicus mittitur, & à quo Apoſtolus etiam, qui tam à Deo inſtructus fuerat, plenius eruditur. Idem à Clericis Mediolanenſibus hoc iuſiurandum fidei recepit, *Profiteor me eam fidem tenere, quam ſacroſancta ſeptem Concilia, & quam beatiſſimi Pontifices Romani ad diuerſos data prædicatione lucidiſſima veritatis expoſuerunt.* Et infrà Petrus ipſe, *Nos ſi quid erranimus, ad Petri magiſterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa, vt ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum is, qui Fabri dicebatur filius, præſidet; ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur; ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vſpiam depranatum fuerit, reformatur.* Et in Gratiſſimo c. 34. *Ipſe qui vice Petri claues tenet Eccleſiæ, ipſe potiſſimùm aduersùs nouum dogma conſurgat, & introductores prauitatis digna ſententiæ iaculo confodiat.* Et cap. 39. copioſam diſputationem ita claudit, *Nos non proprias allegationes pertinaciter aſtruentes, ſed ſynodalibus decretis humiliter obtemperantes; Apoſtolicæ Sedis edictum vel quod iam promulgatum eſt, ſequimur, vel ſi quid ad hunc climatius atque ſalubrius in poſterum ſtatuendum eſt, obedientiam profitemur. Vt ſicut à beatis Apoſtolis Euangelio coruſcante naſcentis fidei rudimenta percepimus, ita deinceps ab Apoſtolicis viris traditam omnem viuendi vel ſentiendi regulam teneamus, &c. Authoritate Sedis Apoſtolicæ me contentum eſſe decreui, vt quidquid ei ſynodali fuerit cenſura præfixum, hoc mihi proculdubiò ſit authenticum, hoc certè canonicæ videatur authoritatis vigore ſubnixum.* Et in Gomorrhiano c. 26. luculentè idem declarat, vt oraculo Sedis Apoſtolicæ lubentiùs omnes acquieſcant, quorum ipſi accerſenda ſit conſultatio. *Petimus, & humiliter imploramus, vt clementia veſtra, ſi dicere fas eſt, ſacrorum Canonum decreta, quæ tamen*

Tom. 3 opuſc. 5.

Digitized by Google

vobis notissima sunt, solerter inspiciat; spirituales & prudentes viros ad consultum huius necessariæ indagationis adsciscat; nobisque super his capitulis ita respondeat, vt omnem de nostro pectore dubietatis scrupulum tollat. Neque hoc dicere idcirco præsumimus, vt ad hoc, Deo authore, sufficere solam profunditatis vestræ peritiam ignoremus; sed vt dum sacræ authoritatis testimonium adhibetur, dum plurimorum iudicio & consensu res geritur, peruersorum hominum querela, quæ fortassis è diuerso mutire non erubesceret, sopiatur. Non enim facilè patet querela, quod multorum iudicio constituitur. Sæpe autem sententia, quæ ab vno consideratâ iuris æquitate depromitur, ab aliis præiudicium deputatur. Hæc ille ad Romanum Pontificem. Quid attinet Gratianum laudare, cuius decretum tanti fecere Maiores nostri? Is sanè tum alibi frequenter hoc Romanæ Sedis decus astruit, tum maximè 24. q. 1. c. 14. 15. 16. *Aliud, quàm Romana Ecclesia, neque sentire, neque docere permittitur*, &c.

LX Anselmi testimonia.

Anselmi quoque in Cadomensi Abbatiâ tandiu commorati doctrina ex ipso Gallicanæ Ecclesiæ sinu hausta esse non iniuriâ censebitur. Ita ergo ille in l. de Incarn. Verbi ad Vrbanum II. Papam cap. 1. *Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum rectiùs alium refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesiâ, vt eius authoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentiâ examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentiùs præsentem epistolam, quàm vestræ destino sapientiæ; quatenus si quid in eâ corrigendum est, vestrâ censurâ castigetur: & quod regulam veritatis tenet, vestrâ authoritate roboretur.* Quæ nonnisi ad indeflexam veritatis amussim rectè dicuntur.

LXI Iuonis Carnutensis, Arnulphi Lexouiensis, Hildeberti Turonensis, & Ful-

Iuo Carnutensis Episcopus nunc conueniendus est nobis. Cùm enim in Concilio Vienn æ habito à Guidone eius vrbis Episcopo decretum esset in hunc modum, *Investituram Episcopatuum & Abbatiarum de manu laïcâ, sanctæ*

Digitized by Google

Romanæ Eccleſiæ authoritatem ſequentes, hæreſin eſſe iudicamus. berti Carnotenſis Epiſcoporum.
Scriptum illud ſeu priuilegium, quod à Domino Paſchali Papa violenter Henricus Rex extorſit, in virtute ſancti Spiritûs damnamus, &c. Cùm Guido ipſe ad Paſchalem ſcripſiſſet, *Dictante ſancto Spiritu inueſtituram omnem rei eccleſiaſticæ de manu laïcâ, hæreſin eſſe iudicauimus. Scriptum illud quod Rex à veſtrâ ſimplicitate extorſit, damnauimus.* Nequaquam hæc Iuoni cæteriſve Galliarum Epiſcopis ſunt probata. Inuitanti enim Ioanni Epiſcopo Lugdunenſi ad Synodum de iſtiuſmodi rebus tractaturam, reſpondet Iuo epiſt. 238. ſuo & Vualonis Pariſienſis, Ioannis Aurelianenſis, cæterorumque Senonenſis Prouinciæ Epiſcoporum nomine: Paſchalem componens Marcellino, Aaroni, Moyſi qui peccarunt, non ex animi ſui ſententiâ, ſed coacti: Paulo Apoſtolo, qui diſpenſatiuè diſcipulum circumcidit: addit, *Principales Eccleſiæ claues nolumus poteſtate ſuâ priuare, quacumque perſona vices Petri habeat, niſi manifeſtè ab Euangelica veritate diſcedat.* Et infrà: *Hunc exceſſum non tantùm non accuſamus, ſed dictante ratione approbamus, ſi imminente ſtrage populi, paternâ charitate, cum nonnullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit obiicere, vt maioribus morbis poſſet ſincerâ charitate ſubuenire.* Et tandem: *Poſtremò quod quidam inueſtituram hæreſin vocant, cùm hæreſis non ſit, niſi error in fide, &c. fides cordis eſt, &c. Inueſtitura verò illa, de quâ tantus eſt motus, in ſolis eſt manibus dantis & accipientis, quæ bona & mala agere poſſunt, credere vel errare in fide non poſſunt.* A quibus nec Ioannes ipſe Lugdunenſis Epiſcopus diſſentiebat, ad Iuonem reſcribens, *Licèt exteriores inueſtituras per laïcos factas non ſatis propriè hæreſis nomine cenſeamus: ſentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæreſis eſt.* Omnes ergo ad abſoluendum ab hæreſis ſuſpicione Pontificem conſpirabant, tum quòd exteriores tantùm inueſtituras per vim ſibi extorqueri paſſus eſſet, non ipſarum ius quaſi canonicum: tum quòd laudabili diſpenſationi id adſignari poſſet: tum denique quòd ne Conciliis quidem generalibus id arrogatur, vt vbi vis arma-

ta ingruit, in errorem nunquam impellantur. Quibus adprime concinunt, quæ prodidit Abbas Vſpergenſis de Concilio Lateranenſi an. 1116. vbi damnante Paſchali ſuum illud priuilegium, *Bruno Signinus Epiſcopus, altiùs exorſus eſt, Gratias Deo, qui D. Paſchalem Papam audiuimus, proprio ore damnantem illud priuilegium, quod prauitatem & hæreſin continebat. Ad hæc quidem cauillatoriè ſubiunxit, Si priuilegium illud hæreſin continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Ioannes autem Caietanus, ad hæc commotiùs Signino reſpondit, Tunc Romanum Pontificem hæreticum appellas? Scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit. Et alter quidam adiecit, Imò ne malum quidem fuit, quia ſi liberare populum Dei bonum eſt, &c. Ad hæc patientia Domini Papæ horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentium indicens, dixit, Eccleſia iſta nunquam hæreſin habuit, imò hîc omnes hæreſes conquaſſatæ ſunt. Hîc Arianæ hæreſis, Sabelliana, &c. contrita eſt. Pro hâc Eccleſiâ oranit cùm dixit, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Emicat ex his Gallos id temporis, quàm Italos ad reuerentiam & admirationem Sedis Apoſtolicæ propenſiores fuiſſe. Arnulphus autem Lexouienſis Epiſcopus, ſuam & Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam ita expreſſit epiſt. 19. ad Alexandrum Papam, propulſatâ teterrimi ſchiſmatis caligine, orbi radiantem: *Benedictus Deus, qui Eccleſiam ſuam, immaculatam ſcilicet ſponſam dilecti filij ſui mirabili ſemper benignitate diligit & conſeruat. Licèt enim aliquibus ipſam aliquando vexari patiatur iniuriis: facit tamen cum tentatione prouentum, vt poßit ſuſtinere: nec vnquam portas inferi aduersùs eam preualere permittit, &c. Preualuit in athletâ Dei veritas falſitati, &c. Deus deiecit hæreticum, &c. Dominus ſublimauit cornu Chriſti ſui, vt in eo vnitas Eccleſiæ reformari poſſit, & regnum ipſius omnibus dominari.* Hæc ille de Innocentio antecellore, ſtatim Alexandro his non imparia ominatur: *Redibit ſerenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula diſſoluetur: redintegratâ vnitate Catholicâ, ab omni parte pedibus veſtris vniuerſitas fidelis occurret, &c. Ego*

Digitized by Google

minor licèt omnibus, non minore tamen gaudio quàm cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri vicarium, Pastorem & Episcopum omnium, qui Christiano nomine censentur, agnosco, & vobiscum Catholicam profiteor vnitatem. Et epist. 21. de Ecclesiâ Gallicanâ: *Benedictus Pater misericordiarum, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, vt eam semper & agnitione veritatis illustret, & pedes eius à iustitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris pronexit inuidia, virtus altissimi manifesta deiecit: sic omnibus quos deuotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit & triumphum. Cumque multis constet cæteras regiones abundasse portentis: sola Gallia monstra non habuit; sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurimâ operum exhibitione præfulsit.* Vbi vides in causâ schismatis, quæ hæresi coniunctissima est, Ecclesiam Gallicanam singulari suâ cum vero Pontifice conglutinatione id esse consecutam, vt *monstra non habuerit, sinceritate fidei, doctrinæque veritate præfulserit.* Et aliquantò antè Hildebertus Turonensis Archiepiscopus epist. 65. ad Honorium II. Papam, prouincialis Synodi suæ acta ab Apostolicâ Sede róborari, & irretractabili firmitate perpetuari postulans: *Hæc igitur vobis, sanctè Pater, significanda censuimus, quatenus acta canonicè vestra confirmare dignetur authoritas: & datis ad Episcopos literis communiter exhortari omnes, vt quæcunque eis facienda sanximus & docenda, ipsi quoque cum Christo facere studeant & docere, &c. Non grauemini confirmatione Apostolicâ roborare, ac prohibere, ne quis omnino rescindere, vel aliquâ ex parte minuere præsumat.* Perspicis regulas *faciendorum & docendorum* in Conciliis Episcopalibus fixas, ne temerè refigantur, necessum esse, obsignari quodammodo Sedis Apostolicæ authoritate. Et his vetustior Fulbertus Carnot. Epist. ep. 22. 48. aliisque compluribus, etsi nulla tum his de fide strepebat, satis tamen superque prodidit, quantum deferret definitionibus eius, *cui totius Ecclesiæ cura commissa est.*

LXII. Bernardi suffragiũ in causa Abaelardi.

Bernardus suo iam loco prodit, Galliæ decus immensum. Sic ergo ille ad Cardinales & Episcopos Curiæ Romanæ: *Nulli dubium est, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succendere spinas, sedare querelas, &c. Pro Hur & Aaron stat zelus & authoritas Romanæ Ecclesiæ super populo Dei. Ad eam meritò referimus non quæstiones, sed læsiones fidei, &c. Legite si placet librum Petri Abailardi, &c. Et siquidem iudicatis me iustè moueri, monemini & vos. Ac ne frustrà moueamini, agite, pro loco quem tenetis; pro dignitate, quâ polletis; pro potestate, quam accepistis; quò qui ascendit vsque ad cælos, descendat vsque ad inferos.* Epist. 188.

Et epist. 189. ad Innocentium Papam, ad quem à Concilio Senonensi Abaelardus appellarat, *Verùm tu, ô Successor Petri, iudicabis, an debeat habere refugium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu amice Sponsi, prouidebis quomodò liberes sponsam à labiis iniquis & linguâ dolosâ, &c. Oportet hæreses & schismata esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Et schismate quidem iam Dominus probauit te, & cognouit te. Sed ne quid desit coronæ tuæ, &c. hæreses surrexerunt. Itaque ad consummationem virtutum, & ne quid minùs feciſſe inueniamini à magnis Episcopis antecessoribus vestris, capite nobis, Pater amantissime, vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, donec parvulæ sunt. Ne si crescant & multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, à posteris desperetur. Quanquam non iam parvulæ nec pauculæ, sed certè grandiusculæ & multæ sint, nec nisi in manu forti vel à vobis exterminabuntur.* Vide mores, vide leges Gallorum. A Synodo Senonensi prouocat Abaelardus non ad œcumenicum Concilium, sed ad Romanum Pontificem. Hæreses scriptis eius aspersas damnauit Senonensis illa Synodus, gloriam tamen extinctæ & exterminatæ exorientis sectæ Bernardus vni Innocentio reseruat. Si ab illo contrita non fuerit, ait à posteris desperatum iri. Sed quid apertius his rursus eiusdem ad eundem verbis epist. 190. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, & præsertim quæ de fide contingunt. Dignum*

Digitized by Google

gnum namque arbitror ibi potißimum reſarciri damna fidei, vbi non poßit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium. Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantißime, principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & Sedem; ſi veſtrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtrâ authoritate conteritis fidei corruptores. Et ſub finem, *Cùm non aliud eſſet quod agerem pro iniuria fidei, quam dolebam: operæ mihi pretium arbitror, ſi illum monui, cuius arma potentia Deo ad deſtructionem in contrarium aſſertionum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigendum omnem intellectum, ad obſequium Chriſti.* Et hæc Bernardus non tantùm ſuo, ſed & Gallicanæ totius Eccleſiæ nomine, ſenſu, ac præiudicio. Vnde apud eundem Rhemenſis Epiſcopus ad Innocentium rurſus Papam, memoratâ appellatione Abaelardi; *Epiſcopi qui propter hoc in vnum conuenerant, veſtræ reuerentiæ deferentes, nihil in perſonam eius egerunt; ſed tantummodo capitula librorum eius, à ſanctis Patribus condemnata, ne morbus ſerperet, medicinali neceſsitate abiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum qui ſibi credat, habet: Neceſſe eſt vt huic contagio, celeri remedio occurratur. Serò enim medicina paratur, cùm mala per longæs inualuere moras. Proceſsimus in hoc negotio, quouſque auſi ſumus. Tuum eſt de cætero, beatißime Pater, prouidere, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ prauitatis maculâ decor Eccleſiæ maculetur. Tibi commiſſa eſt Sponſa Chriſti, amice Sponſi: tuum eſt tandem vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Epiſt. 191.

Quod ſæpius animaduerſum eſt ſuprà, id in hoc quoque eminet negotio, hæreticos perinde ac Catholicos plùs multò arrogare Sedi Apoſtolicæ, quàm Synodis Epiſcopalibus. Ita affectus erat Abaelardus: Idem animi erat ipſis Epiſcopis, qui nc ſuſpicione quidem vllâ exoriente

de Synodo œcumenicâ, peſtiferæ hæreſeos debellationem vni Sedi Petri deberi conſentiebant. Poſtremò denique Innocentius ipſe ad Epiſcopos Galliæ reſcribens, laudato zelo quo in nouitatis damnationem conflagrauerant, ſubdit: *Nos itaque, qui in B. Petri Cathedrâ, cui à Domino eſt dictum, Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, licèt indigni reſidere conſpicimur: communicato fratrum noſtrorum, Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio, vniuerſa Petri peruerſa dogmata, ſanctorum Canonum authoritate cum ſuo authore damnauimus, eique tanquàm hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Vniuerſos quoque erroris ſui ſectatores, & defenſores, à fidelium conſortio ſequeſtrandos, excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſemus.*

Epiſt. 194.

LXIII. Multiplex inde argumentatio exprimitur.

Aduerte hîc porro 1. *ſilentium* perpetuum & tanquam hæretico imponi: ſi *perpetuum*, ſi vt *hæretico*, non illud ergo, quod ſuâ in officinâ, hactenus inauditum, fabricarunt Gerſonius, & conſentanei eius Theologi: vt quod ad tempus, & cum fiducia fidei Catholicæ ſimuletur. 2. Si res ita haberet vt illi fabulantur, & hæreſeos ab Epiſcopis & Pontifice damnati, poſſent de fidei Catholicæ conſcientia ſibi blandiri, poſſent à Concilio œcumenico pòſt abſolui: præpoſterum & immane eſſet, eos omninò damnari, vt hæreticos extrudi à ſeptis Eccleſiæ, & ſæuiſſimè diuexari. Quàm propudioſum enim Eccleſiæ, eos proſcribere ac infamare, quos poſteà abſolui poſſe, & innocentes comperiri ſciret? 3. Ideo Patres Synodi Senonenſis cùm Petrus ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſet, ab eo notando temperarunt. Ergo & Synodo œcumenicæ reſeruanda eſſent potiùs, quàm temerè præcipitanda iudicia, quæ pòſt emendarentur. 4. Cùm rariſſimi in cauſis fidei à Pontificis ſententia appellauerint ad Synodum œcumenicam, & ita omnis prorſus Eccleſia Catholica his aſſenſa ſit decretis primæ Sedis de fide: ſi potuit illis hæreſis ſubeſſe, potuit & Eccleſia Catholica eo errore illaqueari, quod dictu nefas. An ergo in poteſtate fuit hominum, vt iniquè damnati à Pontifice, non appellarent,

Digitized by Google

& ita Ecclesiam omnem demergerent in hæreseos baratrum? 5. Sed cùm rarissimæ possint & debeant Synodi colligi œcumenicæ, an poterunt interim omnes sibi suppalpari intùs in animo suo, & opiniones ab Episcopis & Pontifice explosas retentare? Vt amant omnes hausta semel animo præiudicia; & Scripturis Patribusque ea concinere sibi mentiuntur, nemo non sentit, quanta hîc errandi aperiatur fenestra. 6. Cùm sit Pontificis Synodos œcumenicas conuocare, & persuasum illi sit iam olim ab exordio Ecclesiæ, nullas ad fidei & hæreseos certum iudicium necessarias esse œcumenicas Synodos; quis non videt, quantum in periculum Ecclesia Catholica coniiciatur, si stet Gersonij sententia? 7. Nec dissimulare possunt Gersonianæ doctrinæ sectatores suam paucitatem præ infinitâ fidelium doctorum indoctorumve multitudine, quibus persuasissimum est, in fidei dogmata recipi, quidquid Sedes Petri definierit. Ergo si quid à fide dissonum à Sede Petri definiri aliquando posset, hæc omnis Ecclesiæ Catholicæ multitudo in errorem abriperetur: & Ecclesia suo Catholicæ nomine excideret, ad eximiam illam paucitatem artata, quod absit. Vt alia ergo deessent præsidia, vel hoc vno inconcussa hæc constaret primæ Sedis prærogatiua non errandi, quod illi vniuersa se totam implicuit, commisitque penitùs Christi Ecclesia; & quàm ipsa errare nequit, tam errare nequit, quem sequitur. 8. Tardum videbatur Senonensis Synodi Patribus, Abaelardi sectam Romæ percelli, ne eâ morâ conualescceret lues, & seram posteà medicinam vinceret malum adultius: quid si sustinenda sint longa Conciliorum generalium ex orbe toto tædia? quanta interim facient incrementa nouatores, immemores silentij, &, vt sua promulgent placita, ad Ecclesiæ incolumitatem interesse persuasi? 9. Donatæ sunt Synodi œcumenicæ aliquando ad frangendam vel sic hæreticorum indomitam pertinaciam. Sed eo exitu qui sacros annales euoluentibus manifestus est. Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychia-

ni, & id genus alij, aliquantò ferè procaciùs post Synodum insaniere, quàm ante. Nestoriani & Pelagiani Cælestino non cesserant, nec Ephesino Concilio cessere. Eutychiani Leonis decreta suggillauerant, Chalcedonensem Synodum sannis dirisque prosecuti sunt. Ita Monotheletæ, Iconomachi vt Pontifices, ita Synodos ludibrio habuere. Nostra ætate in Tridentinum Concilium virulentiam suam noua hæreseos colluuies impotentiùs effudit. Catholicis porrò vix vnquam concessa sunt Concilia œcumenica erudiendis, aut placandis; vt qui Episcopalibus Conciliis vel Pontificiis decretis protinus obsecuti sint. 10. Si quos autem moueat, quod prioribus Ecclesiæ sæculis rariora extent vestigia priuilegij huius Sedis Apostolicæ. Aduertant illi multò obscuriora, imò nulla prorsus extare œcumenicarum Synodorum. Vt quæ ante Nicænam nec habitæ sint, nec haberi potuerint. Cùm ergo tot ebullierint interim hæresum pestes, cùm Ecclesia Catholica aduersùs earum mendacia munienda fuerit, vna supereſt Episcoporum, & eius, qui principatum Episcopatûs tenet, authoritas, quæ tunc præsidio fuerit, & semper sit, & vsque futura sit; cùm Synodorum congregationi perinde nunc intercedere possit sæcularium Principum potestas. 11. Quocirca id denique elucet, solâ Ecclesiæ vniuersalis authoritate opprimi & schismatum & hæresum nouitates omnes, siue illa in Synodum coëat, siue eo labore supersedeat. Episcopi enim Ecclesiæ Catholicæ etiam in particularibus Synodis authoritatem Ecclesiæ vniuersalis præ se ferunt, suisque conciliant statutis, quandiu illis Ecclesia eadem vniuersalis non intercedit, quandiu silet, & silentio suffragatur. Multo magis primæ Sedis Pontifices, vbi ab Ecclesia consuluntur, vbi definiunt, vniuersalis eiusdem Ecclesiæ authoritatem prægestant, adiiciuntque decretis suis, vt qui Caput sint Ecclesiæ, vt qui Ecclesiæ personam repræsentent, vt qui gerant Sacramentum Ecclesiæ, vt qui non tam suo quàm Ecclesiæ totius nomine pronuncient,

vt quibus se Ecclesia committit & immiscet, vt quorum fidei incumbunt vniuersi fideles, vt denique quos Ecclesia sequitur, quæ errantem sequi potest neminem vniuersa.

LXIV. Petri Cluniacensis testimonium, & Aelredi Rhieualensis in Angliâ Abbatis.

Petrus venerabilis Abbas Cluniac. lib. 4. epist. 4. ad eundem Innocent. Papam narrat Abaelardum Cluniaco transisse: *Quæsiuimus, quò tenderet. Grauatum se vexationibus quorundam, qui sibi, quod valde abhorrebat, nomen hæretici imponebant; maiestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere se velle respondit. Laudauimus propositum, & vt ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus. Iustitiam Apostolicam, quæ nulli vnquam etiam extraneo, vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, vbi ratio postularet, sibi occursuram promisimus.* Donique in gratiam Sedis Apostolicæ Petrum Petrus recolligit. Et hîc vides litem de fide apud Petri tribunal rite dirimi. Quod eodem æuo in Angliâ firmabat Ælredus ordinis Cistercienſis Abbas in cap. 14. Isaiæ: *Hæc est Ecclesia, quam primitiuorum sanctus vocat Apostolus, cuius plenitudo potestatis in ipsius principe, primo de Oriente transmigrans in Occidentem, authoritate Spiritûs sancti in Romanâ resedit Ecclesiâ. Hæc est Romana Ecclesia, cuius interest consulere omnibus, iudicare de omnibus, omnibus prouidere. Quidquid ipsa statuerit, suscipio; approbo, quod approbauerit; & quod damnauerit, damno.*

LXV. Bernardi rursus & Ecclesiæ Gallicanæ suffragatio in causâ Gilberti Porret.

Bernardi & Episcoporum Galliæ consensio nihilo obscurior in causâ Gilberti Pictauiensis Episcopi eluxit. Ea enim in Rhemensi Concilio coram Eugenio III. Papâ & Cardinalibus disceptata. Quos cùm erranti potiùs quàm errori fauentes videret Bernardus, quatuor conscripsit fidei suæ capitula, totidem Gilberti capitulis aduersa, & cum Archiepiscopis, Episcopisque Galliæ subscripsit. Eo exarsere Cardinales, & ad Eugenium conquesti sunt, *Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Quâ fronte, quo ausu cervicem aduersùs Romanæ Sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholicâ disputare ha-*

Digitized by Google

beni, à nullo, etiam abſens, in hoc ſingulari honore præiudicium pati poteſt. Sed ecce Galli 15ti, etiam faciem noſtram contemnentes, tanquam finituræ ſententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconſultis fidem ſuam ſcribere præſumpſerunt. Certè ſi in Oriente, vtpote Alexandriâ & Antiochiâ coram omnibus Patriarchis huiuſmodi tractaretur negotium, nihil firmâ ſtabilitate ſolidum ſine noſtrâ valeret definiri authoritate: quin imò iuxta antiquorum Patrum inſtituta vel exempla, Romano ſeruaretur examini terminandum. Hanc querelam Pontifex cùm apud Bernardum depoſuiſſet, *Ille humiliter & cum reuerentiâ reſpondit, Se vel Dominos Epiſcopos nihil de præfatis capitulis definiſſe: ſed quia ab Epiſcopo Pictauino audierat, vt fides ſua ſcriberetur: idcirco quia ſolus nollet, illorum authoritate ac teſtimonio ſimpliciter ſe, quod ſentiret, expoſuiſſe. Hocque tam humili quàm modeſto ipſius reſponſo, prædicta Cardinalium indignatio conquieuit; ita tamen vt præfatum ſcriptum tanquam inconſultâ curiâ prolatum, velut authoritatis pondere carens, pro Symbolo in Eccleſiâ, quod in Conciliis contra hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur.* Hactenus Otto Friſing. c. 56. qui addit, *De primo tantùm Romanus Pontifex definiuit, &c. Epiſcopus verò præmiſſam ſummi Pontificis ſententiam reuerenter excipiens, &c.* Summam & ineluctabilem definiendi authoritatem, vides, cui deferat Eccleſia Gallicana.

LXVI. Idem ex Goffrido Monacho in vitâ Bernardi. *Lib. 3. de vitâ Bernardi c. 51.*

De his audiendus rurſum Goffridus Monachus Claræuall. & notarius Bernardi: *Communi conſilio à Patribus decem prouinciarum, aliis autem Epiſcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur Symbolum nouum: cui etiam ſubſcribuntur nomina ſingulorum, vt eorum videlicet omnium, ſicut fides irreprehenſibilis, ſic irreprehenſibilis zelus innoteſcat. Ita demum Apoſtolico iudicio, & authoritate vniuerſalis Eccleſiæ error ille damnatur: Epiſcopus Gillebertus, an eidem damnationi conſentiat, interrogatur: conſentiens publiceque refutans, quæ priùs ſenſerat & affirmauerat, indulgentiam ipſe conſequitur. Maximè quod ab initio cautum fuiſſet, eâ lege eandem ingredi diſceptationem, vt promitteret ſine vllâ obſtinatione, ſeſe pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio, correcturum liberè ſuam*

Digitized by Google

opinionem. Vt quid id caucbatur, vt quid cedebat Gilbertus, si definitioni synodali & pontificiæ error illusisse, & inde in omnem Ecclesiam effundi poterat? Quin saltem in œcumenicâ pòst Synodo retractantur hæc omnia, ne præproperè in hæresin Ecclesia' vniuersalis consenserit? Sed nusquam eâ de re laboratum hactenus.

LXVII. Item ex Gaufridi Monachi epistola ad Cardin. Alban.

Gaufridus his accedat Monachus Cistertiensis in epist. ad Cardinalem Albanensem de his scriptâ, vbi de Concilio Rhemensi differens ait: *Postquam diutiùs disputatum est, sub eo tenore discessum est, vt dicerent Domini Cardinales, quia ecce audiuimus quæ proposita sunt, deinceps iudicabimus, qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus mouit corda multorum, vt sequenti die apud sanctum Bernardum conuenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque, ac Abbatum, & Magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi soli videbantur reseruasse, quos nouerant ferè omnes errantis potiùs, quàm erroris fautores: prouidêre oportere cum capitulis illis Gilberti Episcopi, suæ etiam fidei Symbolum mitti, vt scirent pleniùs vnde iudicarent, &c. Et electæ sunt tres personæ, Episcopi duo, & Sugerius Abbas sancti Dionisij, qui eandem scripturam Domino Papæ & Cardinalibus præsentarent; & dicerent eis, Offerimus & & nos vobis nostram confessionem, vt non de parte, sed de partibus iudicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam, conuenit vt teneatis & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, vt paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur: nos eiusmodi conditionem penitùs excludentes, sic vobis nostram offerimus, vt noueritis, quod in hoc sumus, in hoc perseuerabimus, nihil penitùs mutaturi. Quibus Papa respondit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret, & si stare aliqui visi fuerant pro personâ, sed non stabant aliquatenus pro doctrinâ, &c. Ibidem dominus Papa authoritate Apostolicâ, de assensu totius Ecclesiæ quæ conuenerat, capitula ipse damnauit.* In fide suâ nihil vacillabant, nullo dubitationis lubrico lapsabant Galliarum Episcopi, iudicij tamen summam potestatem Romanæ Ecclesiæ tribuunt: de effugio ad Syno-

dum œcumenicam nec ſuſpicio vlli naſcitur.

LXVIII. Rurſus de iudicio Abaelardi & Gilberti, ex eodem & ex Otthone Friſingenſi.

Idem ipſe infrà paucis perſtringit Abaelardum, *Cuius libellos piæ memoriæ Innocentius Papa ſecundus in vrbe Româ, & in Eccleſiâ beati Petri incendio celebri concremauit, Apoſtolicâ authoritate hæreticum illum denuncians.* De quo & Goffridus Monachus Claræuall. lib. 3. vitæ Bern. cap. 5. In *grandi* Concilio Senonenſi, Abaelardus, *nec volens reſipiſcere, nec valens reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur, vt tempus redimeret, Sedem Apoſtolicam appellauit, &c. Nihilominus Eccleſia quæ conuenerat, dimiſit hominem, mulctauit abominationem; à perſona abſtinens, ſed dogmata praua condemnans. Quando verò Petrus ille refugium inueniret in Sede Petri, tam longè diſſidens à fide Petri? Et ipſum ergo authorem eâdem ſententiâ cum erroribus ſuis Apoſtolicus Præſul inuoluens, hæreticumque denuncians, ſcripta incendio, ſcriptorem ſilentio condemnauit.* Quibus adde Otthonem de ſancto Blaſio, in appendice ad Otthonem Friſing. *Petrus Baiulardus hæreſin Arianam reſuſcitare molitur. Contra quem venerabilis Abbas Bernardus velut contra hoſtem Eccleſiæ inſurgens, viuâ voce ſcriptiſque ipſum magnificè conuincens, hæreticum probauit, ſcriptiſque eius ſynodaliter examinatis ab Apoſtolico, & damnatis, ipſi de cætero ſilentium impoſuit.* Ita c. 2. at c. 3. rurſum de libris Gilberti: *Eugenius Papa Synodum Epiſcoporum congregauit, &c. Liber Gilberti in nonnullis à vera fide viſus eſt diſcrepare, & ideo ſynodaliter reprobatus & damnatus eſt; Epiſcopo libri ipſius authore humiliter conſentiente, ipſumque ore proprio damnante.* Et Ottho ipſe Friſing. Epiſcopus lib. 1. de geſtis Frider. Imp. cap. 57. *Epiſcopus verò Gilbertus præmiſſam ſummi Pontificis ſententiam reuerenter excipiens, Archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cum ordinis integritate & honoris plenitudine, ad propriam diœceſin remeauit.* Nempe vt antè cap. 46. perhibuerat, Gilbertus *à duobus Archidiaconis ſuis, tanquam contra Catholicæ normam Eccleſiæ doctrinam inſtituens, ad ſummi Pontificis, Romanæque Sedis examen, interpoſitâ appellatione vocatur.* Et iidem cap. 47. de Abaelardo: *Bernardo authore, primò ab Epiſcopis Galliæ, pòſt à Romano*

mano Pontifice, Petro Abaelardo silentium impositum fuit. Et cap. 48. in Senonensi Concilio, *dum de fide sua disputaretur, seditionem populi timens Abaelardus, Apostolicæ Sedis præsentiam appellauit.* Constantissimè, vt vides, non ad Synodum vsquam prouocatur œcumenicam, sed ad Sedem Apostolicam, ab omnibus Gallicanâ consuetudine & modestia imbutis.

LXIX. Iterum ex Bernardo ipso scribente de festo Conceptionis Deiparæ.

Bernardus iterum epist. 174. plurima argumentatus aduersùs festum diem Conceptionis Deiparæ, vt à Lugdunensibus præproperè innouatum, hæc tandem subiicit: *Si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis authoritas, & non ita præcipitanter atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum, &c. Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ Ecclesiæ præsertim authoritati, atque examini totùm hoc, sicut & cætera quæ eiusmodi sunt, vniuersa reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

LXX Suffragatio Petri Cellensis, Petri Blesensis, Ioannis Salisberiensis, Stephani Tornacensis.

Petrus Cellensis lib. 6. epist. vlt. in eodem versatur argumento: *Est auro locus in quo conflatur, & habet argentum venarum suarum principia, Sedem Petri & curiam Romanam, quæ claues cæli principaliter tenet. Hæc Sedes Petri, id est, Petra in quâ Moyses residet, videlicet Lex Dei immaculata, conuertens animas, fragosa quæque hæreticorum Conciliabula elidit, atque allidit; profanas vocum nouitates resecat, & rescindit; superflua confodit & ingulat; hiantia & ecliptica complet, & illustrat. Vtinam saluâ veritatis authoritate, lance communis Concilij, hæc domina & moderatrix totius Christianitatis, Conceptionem Virginis librasset & approbasset, & à mari vsque ad mare hanc propagasset; Sole, id est, Apostolico, & Luna, id est, Romana Curia præeunte, tam securè, quàm expeditè in lumine vultûs eorum gressus meos ponerem, & disponerem; ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum, & securum.* Et eadem de re lib. 9. epist. 10. *Virginem laudas, & ego laudo. Prædicas sanctam, & ego, &c. Si verò extra communis monetæ formam, vis fabricare aliam, quam non approbauerit Sedes Petri, cuius est approbare vel improbare ordinem vniuersalis Eccle-*

ſia, pedem ſiſto, & terminos conſtitutos non tranſgredior. Quæ controuerſia etſi ad diſciplinam attinebat, illigatam illi tamen fuiſſe & fidei cauſam, exploratum eſt. Quibus addę paucula hæc ex Petri Bleſenſis epiſtolâ 99. ad Vrbanum Papam: *Domus Dei quæ in lapide adiutorij ſuper fundamentum Apoſtolorum ſtabilita eſt; à Petro, & ſucceſſoribus eius formam ſemper eruditionis & ſtatum incolumitatis accepit. Quod enim ſtipiti rami, quod capiti membra, quod radij Soli, quod fonti riuuli, hoc Apoſtolicæ Sedis eminentiæ debent Eccleſiæ omnes, quas vbique terrarum religio Chriſtiana fundauit.* Cui præmittendus fuerat Hugo de ſancto Victore, de Sacram. lib. 1. cap. 43. *Papa dicitur, quia Pater Patrum. Vniuerſalis dicitur, quia vniuerſæ præeſt Eccleſiæ. Hic quoque Apoſtolicus appellatur, quia Principis Apoſtolorum vice fungitur. Eius officium eſt, &c. Canones etiam pro tempore ad vtilitatem Eccleſiæ promulgare, vel immutare, &c. Totam Eccleſiam vice Chriſti gubernare. Itaque Papa vicem & locum Chriſti tenet, Epiſcopi Apoſtolorum.* Ioannes Saliſberienſis ad Carnotenſem demum ſuffragio meritorum ingentium prouectus Epiſcopatum, liberaliter paſſim Romanæ Sedis dotibus amplificandis indulget. Stringam ex eo hæc pauca. Ad Alexandrum Papam epiſt. 193. *Clamamus ad Succeſſorem Petri, Vicarium Crucifixi, &c. Ius eſt veras exprimere voces, præſertim apud eum, qui amator eſt, & patronus veritatis, & cuius miniſterio Spiritus ſanctus totius falſitatis figmenta condemnat.* Et ad eundem epiſt. 220. *Recurrebant filij Iſraël ad tabernaculum fœderis, vbi ſancta Sanctorum ſeruabantur, id eſt, mandata Dei, quæ cunctis iuſtificationibus antecellunt, & opportunitatibus ſuis conueniebant Moyſen & Aaron, Sanctos Domini. Et miſeris Cantuarienſibus, ad quos inter Deum & ſe mediatores confugiendum eſt, niſi ad Romanam Eccleſiam, vbi viget diuinæ legis cuſtodia, & totius ſacerdotij principatus? Nam ſi illa poſt Deum decreuerit ſaluare nos, continuò liberabimur. Si manus erexeritis, ſternetur Amalech; & qui vos Pharaoni dedit in Deum, deiiciet omnes aduerſarios Eccleſiæ à facie veſtrâ.* Vniuerſim valent iſta; & quæ tunc diſceptabantur liber-

Digitized by Google

tatis Eccleſiaſticæ capita, eorum nonnulla eſt cum fidei dogmate conſanguinitas. Quocirca eodem forſan referri poſſet & hoc, ex epiſt. 190. Stephani ſanctæ Genouefæ priùs Abbatis, poſteà Epiſcopi Tornacenſis, ad eos qui priuilegia indulta à Petri Sede conuellebant: *Examen iſtud reſernate ſummo Pontifici, qui ſolus habet poteſtatem & condendi nouos Canones, & exponendi veteres, & interpretandi priuilegia ſua, & corrigendi aliena.*

LXXI. Adiungitur Gallis ſanctus Thomas ſcholæ Pariſinæ lumen.

Gallis non immeritò & ſanctus Thomas annumerabitur. Is ergo 2. 2. q. 1. art. 10. ita philoſophatur: *Noua editio Symboli neceſſaria eſt ad euitandum inſurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſsâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem ſummi Pontificis, ad quem maiores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, vt dicitur in decret. lib. de bapt. c. Maiores. Vnde & Dominus Petro dixit, quem ſummum Pontificem conſtituit, Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Et huius ratio eſt, quia vna fides debet eſſe totius Eccleſiæ. Quod ſeruari non poſſet, niſi quæſtio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt: & ſic eius ſententia à totâ Eccleſiâ firmiter teneatur. Et ideo ad ſolam authoritatem ſummi Pontificis pertinet noua editio Symboli, ſicut & alia omnia quæ pertinent ad totam Eccleſiam, vt congregare Synodum generalem, & alia eiuſmodi.* Vbi illud enitescit, nullam inter Pontificem & generale Concilium pugnam, nullam æmulationem feruere, ſed ſummam ex aduerſo concordiam & ſocietatem. Vna enim vtriuſque, vna Eccleſiæ Catholicæ authoritas eſt, ſeu capite & linguâ tantùm quod ſentit, eloquatur: ſeu toto corpore & membrorum omnium concentu idem aſſonet. Vnde & in reſponſione ad ſecundum mox idem, docet non potuiſſe veteres Synodos eam poſterioribus Conciliis abrogare poteſtatem, aduersùs nouas hæreſes noua conſcribendi ſymbola; non nouam, ſed veterem fidem explicantia manifeſtiùs: *Vnde*

pertinet ad ſummum Pontificem, cuius authoritate Synodus congregatur, & eius ſententiâ confirmatur. Toties autem congregari Synodos generales, quoties nouæ iugulandæ ſunt hæreſes, ineptum, impoſſibile, & à moribus Eccleſiæ hactenus alieniſſimum non neſciebat ſanctus Doctor.

LXXII. Alia eiuſdem teſtimonia.

Quod multò ſplendidius fiet ex alio eiuſdem luculentiſſimo teſtimonio, de potentia q. 10. art. 4. ad 13. vbi pro Latinâ Eccleſiâ aduersùs Græcorum querimonias ita decertat: *Sicut autem poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, vt ex prædictis patet: ita etiam Romanus Pontifex hoc ſuâ authoritate poteſt, cuius authoritate ſolâ Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Synodi. Nec eſt neceſſarium, quod ad eius expoſitionem faciendam vniuerſale Concilium congregetur, cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia: ſicut in Sextâ Synodo legitur, quod Conſtantinus Auguſtus dicit, quod propter imminentia bella vniuerſaliter Epiſcopos congregare non potuit. Sed tamen illi qui conuenerunt, quædam dubia in fide exorta, ſequentes ſententiam Agathonis Papæ determinauerunt, ſcilicet quod in Chriſto ſint duæ voluntates, & duæ actiones. Et ſimiliter Patres in Chalcedonenſi Synodo congregati, ſecuti ſunt ſententiam Leonis Papæ, qui determinauit Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt incarnationem.* Vides hic 1. ipſarum ex Synodorum teſtificatione, varios incurrere obices, ne Synodi colligantur, adeoque ad perimendas hæreſes ſubinde pullulantes, alio quopiam veritatis oraculo opus eſſe. 2. Nec ſecundam, nec ſextam, nec alias fortè plures iure æſtimatum iri œcumenicas Synodos, niſi ex Pontificis Romani, & Eccleſiarum ei proximiùs adhærentium, & quaſi concretarum confeſſione, vel antegreſsâ, vel conſecutâ. 3. Si loco Synodi generalis ſubroganda ſit vicaria & perpetua authoritas aliqua, non aliam, quàm Romanæ Eccleſiæ excogitari poſſe, cuius eſt Synodos & conuocare & confirmare. 4. Cùm vel maximè, vt ait

Digitized by Google

ſanctus Doctor, appelletur à Synodo generali ad Pontificem. Nempe vt nunc quidem interpretari licet, alibi fuſiùs eâ de re diſceptaturis, quia ſine Pontifice Romano, nunquam verè œcumenica Synodus eſt : Et fruſtra eius nominis gloriam aucupatæ ſunt aliquæ Synodi, ſine eo vel contra eum congregatæ. Nuſquam enim illis vniuerſa conſenſit vel præſens Eccleſia, vel poſtera. 5. Tanto maioris eſt autem momenti hæc argumentatio B. Thomæ, quod Latinam, id eſt, Catholicam ibi tuetur aduersùs Græcos Eccleſiam, quæ ſolius Romani Pontificis authoritate, citra generalem Synodum, in ſymbolum, adeoque in dogma fidei ſuſceperat Spiritûs ſancti à Filio proceſſionem.

LXXIII. Item rurſus alia: item Bonauenturæ, Alenſis, cæterorúmque Gallicanæ Scholæ Magiſtrorum, denique Ioannis de Pariſiis.

Denique idem rurſus 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. *Poſtquam ea eſſent authoritate vniuerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur. Quæ quidem authoritas principaliter reſidet in ſummo Pontifice. Dicitur enim 24. q. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros & Coëpiſcopos, nonniſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis, & honoris authorem referre debere. Contra cuius authoritatem, nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum doctorum ſuam ſententiam defendit. Vnde dicit Hieronymus ad Damaſum Papam, &c.* Subtexit, & Hieronymo adſcribit verba ſuperiùs relata Pelagij ad Innocentium, quibus fidei ſe, & Sedi Petri emendandum ſubſternebat. Thomæ comes indiuiduus adſit Bonauentura. Iſte ergo l. 1. d. 11. art. 1. q. 1. eandem Latinorum aduersùs Græcos cauſam defenſitans de proceſſione Spiritûs ſancti ex Filio: horum ſuperbiam notat, *quia cùm reputarent ſe ſciolos, & vocati non fuerunt : noluerunt profiteri, quod non erat per eos inuentum.* Notat & pertinaciam, quia *ſuam ſententiam defendere auſi ſunt, & authoritati Eccleſiæ Romanæ obuiare : & ideo facti ſunt hæretici, quia negant fidei veritatem : & ſchiſmatici, quia receſſerunt ab Eccleſiæ vnitate.* Criminationes verò Græcorum, quòd Symbolum nouum condiderimus, cùm Synodi œcumenicæ id olim vetuerint, ita

Digitized by Google

exufflat: *Potest dici, sicut dicit Anselmus, quòd nouum edidimus, quòd quidem facere potuimus. Quia Romana Ecclesia plenitudinem potestatis à Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia nec interdictum ponere, nec artare potuit, nec ei præiudicare, nec ligare eam ad aliquid.* Et rursus ibidem continuò: *Similiter dicunt nos schismaticos, quia à nobis incipit diuisio: cùm enim hoc vellemus asserere, noluimus eos vocare. Et ad hoc respondeti potest pro Latinis, quòd eos vocare non fuit opportunum, quia Ecclesia sine eis hoc poterat: &c. & quia erat periculosum, quia quod pro certo habendum erat, periculum erat ducere in dubium.* Alieniſſima ſunt hæc omnia, non tam Bonauenturæ, quàm totius Latinæ Ecclesiæ responsa, ab eorum opinatione, qui fidei definitiones à solis iactant hauriendas esse œcumenicis Synodis, non à Romanâ Ecclesiâ. Vnde Alensis Parisinæ & ipse Scholæ non iniuria accensendus quæst. 43. memb. 4. *Quoniam igitur & necessitas cogebat, & ratio nulla prohibebat, & vera fides hoc admittebat: fiducialiter asserit Latinitas, quod confitendum & credendum esse cognoscebat. Quod autem quaeritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est: respondemus, quia nimis erat Latinis difficile Græcorum Episcopos ad consulendum de hac re colligere: nec erat necesse, vnde non dubitabant, in quæstionem adducere. Quæ enim Ecclesia est, quæ per amplitudinem vnius Regni dilatatur, cui non liceat aliquid secundùm rectam fidem constituere, quod in conuentu populi vtiliter legatur, aut cantetur? Quantò magis licet Romanis hoc constanter proferre, in quo gentes & omnia regna quæ Latinis vtuntur literis, pariter concordant?* Vsque ad Florentinæ Synodi tempora ab hac defensionis ratione non discessisse Latinos Theologos, in promptu est, cùm non aliis possent machinis retundere Græcorum congressiones. Henricus à Gandauo in summa, art. 54. q. 6. negat excusari posse Græcos secus sentientes, postquam cœpit *Ecclesia Latinorum contrariari.* Nec Okamus ipse inficias ire potuit, in 1. d. 11. quin *ex determinatione Ecclesiæ* contra Græcos tenendum sit, Spiritum sanctum à Filio proce-

Digitized by Google

dere. Durandus à ſancto Porciano in eandem d. ait, diſſentire Græcos à nobis & errare: Magiſtro viſos non errare, quia nobiſcum ſentiunt re, verbis diſſentiunt, dum concedunt Spiritum ſanctum eſſe Filij. Gabriel Biel in eandem d. 11. *Non concedunt Græci Spiritum ſanctum procedere à Filio, &c. Contra quos eſt determinatio Eccleſiæ in c. Firmiter de ſancta Trinitate.* Et mox: *Hæc concluſio eſt fidei & determinationis Eccleſiæ, ideo inconcuſſè tenenda.* Ioannes Maior Scholæ Pariſienſis Theologus in eandem d. 11. non acquieſcit Magiſtro, aienti verbis tantùm Græcos à nobis diſſidere: *Non eſt veriſimile de Græcis poſt determinationem Eccleſiæ, quod haberent diſputationem vocalem cum Latinis, ſed realem:* ſed Anſelmo lib. de proceſſione Spiritûs ſancti cap. 4. neganti: *Græci nobiſcum non conſentiunt Eccleſiæ, & iſtud patet, quia cùm interdum nobiſcum proteſtati ſint ſe velle capere determinationem matris Eccleſiæ, & illi adhærere: protinus reuertentes in regionem ſuam per aliam viam, ad priorem reuerſi ſunt vomitum.* Et paulò antè: *Teſtimonium efficax huius concluſionis colligitur de ſumma Trinitate & fide Catholica lib. 6. cap. fideli vbi ſic habetur: Fideli ac deuota, &c. Hoc profeſſa eſt hactenus, &c. Prædicat ſancta Romana Eccleſia mater omnium fidelium & magiſtra, &c. Hoc ſacro approbante Concilio damnamus, &c.* Parco reliquos Scholæ Theologicæ Magiſtros aceruare, vnum contentus adieciſſe Ioannem de Pariſiis, lib. de Poteſtate Regiâ & Papali cap. 3. *Vna eſt omnium fidelium Eccleſia, vnus populus Chriſtianus. Et ideo ſicut in qualibet diœceſi vnus eſt Epiſcopus, qui eſt caput Eccleſiæ in illo loco, vel populo; ita in totâ Eccleſiâ, & in toto populo Chriſtiano, eſt vnus ſummus Epiſcopus, Papa ſcilicet Romanus, Petri ſucceſſor. Nam poſt corporalem ſubtractionem præſentiæ corporalis Chriſti, conuenit interdum circa ea, quæ ſunt fidei, quæſtiones moueri: in quibus propter diuerſitatem opinionum vel ſententiarum diuideretur Eccleſia, quæ ad ſui vnitatem requirit fidei vnitatem, niſi per vnius ſententiam Eccleſiæ vnitas ſeruaretur. Hic autem principatum huiuſmodi habens eſt Petrus, ſucceſſorque eius, non quidem ſynodali ordinatione, ſed ex*

ore Domini, qui Ecclesiæ suæ noluit deficere in necessariis ad salutem. Et infrà: *Ne propter diuersitatem controuersiarum unitas fidei destruatur, necesse est vnum esse superiorem in spiritualibus, per cuius sententiam controuersiæ terminentur.* Ita ille nihil ab hâc inueteratâ Gallorum fide deterritus, aut auocatus importunâ illâ, in cuius tempora incidit, Bonifacij VIII. & Philippi Pulcri rixâ.

LXXIV. Idem ostenditur ex decretis Pontificum in Gallia omni æuo receptissimis.

Obseruat autem non abs re sanctus Thomas, & in veteris iuris seu Gratiani decreto, & in noui, seu in Gregorianis decretalium libris, id expressè declarari, quod nunc expenditur, nempe ex Innocentio I. *Quoties fidei ratio ventilatur, omnes Episcopos ad Petri Sedem referre debere, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Et ex Innocentio IV. *Maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas esse, &c. Quibusdam igitur quæstionibus, quas contra Catholicos hæretici mouerant, nos postulas respondere.* Hæc ille ad Arelatensem Archiepiscopum. Nusquam hîc mentio Concilij, quod nec habitum est vllum aduersùs Pelagianos, & Petrobrusianos, seu nouellos alios paruulorum baptismi inficiatores. Quæstione ad Petri Sedem relatâ, ab ea manat definitio, quæ *per totum mundum omnibus Ecclesiis in commune prosit.* Has porro Pontificum decretales epistolas, etiam nunc, sed & olim Gallicani Antistites osculati sunt, & in eas sacramento etiam Doctores quique adacti. Frustrà ergo pauculi in angulis mutiunt; attendendum est, quod in propatulo: & de Gallicanæ Ecclesiæ sensu, æstimandum est, temperandumque iudicium, ex iis quæ publicâ authoritate & à longè pluribus geruntur. Etiam nunc enim eosdem retentat mores Ecclesia Gallicana in dubiis circa fidem emergentibus, quos olim sub Carolo Magno, in cuius Capitul. lib. 7. cap. 187. refertur, ortâ dubitatione de Chorepiscopis: *Quod inrgium cùm enucleatiùs discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolicam Sedem consulere, iubente canonicâ authoritate atque dicente, Si maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad Se-*

dem

dem Apoſtolicam, vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, incontanter referatur. Ita Galli olim, ita etiamnunc publicè & palam ſentiunt, ita degunt, his decretis aſtringi ſe ſentiunt.

LXXV. Strues exemplorũ, quibus in Galliâ conſtat ducentis ante Gerſonium annis à Sede Petri diſſinitas eſſe quæſtiones omnes fidei, ſummâ & inconcuſſâ authoritate.

Atque vt curſim perluſtrem compluſcula Gallicanæ de re iſtâ ſententiæ documenta, atque exempla: in causâ Arnulphi Rhemorum Archiepiſcopi, ſub Hugone & Roberto Regibus, ita Synodus Epiſcopalis ad Ioannem Papam ſcripſit: *Non ſumus neſcij, beatiſſime Pater, iamdudum oportuiſſe nos expetere conſulta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro ruinâ atque occaſu ſacerdotalis ordinis, &c. Tandem ad monſtra perditiſſimi hominis expergefacti, imus in ſententiam Domini, dicentis: Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c. Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Adeſto, Pater, ruenti Eccleſiæ, & ſententiam ex ſacris Canonibus promulgatam, vel potiùs ab ipsâ veritate prolatam, profer in medium. Sentiamus in vobis alterum Petrum, defenſorem, & corroboratorem Chriſtianæ fidei. Ferat ſancta Romana Eccleſia ſententiam damnationis in reum, quem vniuerſalis damnat Eccleſia, &c. vt ſciamus & intelligamus, cur inter cæteros Apoſtolatum veſtrum præferre debeamus.* Ita ſuſpiciunt Romanum Antiſtitem, vt *alterum Petrum, defenſorem & corroboratorem Chriſtianæ fidei:* cui, vt Eccleſiæ perſonam & maieſtatem geſtanti, cùm dicitur, *Eccleſia dicitur:* cuius vox, tonitru eſt ipſum & fulmen Eccleſiæ vniuerſæ; *vt damnante Eccleſiâ vniuerſâ, Eccleſia Romana ſententiam ferat.* At ſub Henrico I. Rege, cùm Conſtantinopolitani Antiſtitis artes obreperent Romano Præſuli Ioanni, & id ebblandirentur, vt *Romani Pontificis conſenſu liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in vniuerſo, vniuerſalem dici, & haberi:* his vt tradit Glaber lib. 4. cap. 1. obiurgatoriis Ioannem Papam epiſtolis perſtrinxit Vuillelmus Abbas, monaſterio S. Benigni à S. Maiolo Cluniacenſi Abbate præfectus, *acer ingenio, & inſignis prudentiâ, idcirco ſummum in Palatiis Regum ac cæterorum Principum obtinens locum:* teſte eodem Glabro, lib. 3. cap. 5. Ita ergo

Collect. Quercet. tom. 4. pag. 108.

Ibidem pag. 41.

ille inter cætera ad Pontificem: *Est fama rei, quæ ergo nos accidit; de quâ qui audiens non scandalizatur, n se longè ab amore superno dispavari. Quoniam licet potest mani imperij, quæ olim in orbis terratum Monarchis v nunc per diuersa terrarum innumeris regatur sceptris: lig soluendique in terrâ & in cælo potestas, dono inuiolabili, i bit magisterio Petri.* Ita tunc Occidentales omnes, & li maximè pro amplitudine Sedis Romanæ, vt suâ bi propriâ, aduersùs Orientalium procaces insultus tabant; & *Magisterio Petri*, vt qui *dono inuiolabili* vnus stitutus à Christo esset *vniuersalis* Magister, omnem stianum orbem substernere laborabant. At sub Phi Augusto Rigordus auscultandus nobis occurrit, vbi proditos Amalrici Clerici Carnotensis errores: *Cùm omnibus Catholicis vniuersaliter contradiceretur, de nece accessit ad summum Pontificem; qui auditâ eius propositio vniuersitatis scholarium contradictione, sententiauit cont sum. Rediit ergo Parisius: & compellitur ab vniuersitate fiteri ore, quod in contrarium prædicta opinioni suæ sen ore dico, quia corde nunquam dissensit.* Mox eius me memorat, assecla sque eius synodicè Parisiis damn & à Senatu Regio addictos viuicomburio: exhum ipsum, & Synodi sententiâ excommunicatum, *i pace Ecclesiæ, vt putabatur, fuisset sepultus.* Mirum in dum ista dissentiunt à suspicionibus Gersonij supr planatis. Hæc enim ad annum spectant 1209. at dem Amalrici damnatio posterior in Concilio œc nico Lateranensi sub eodem Innocentio III. ad an Retro flectenda paulisper vestigia ad annum 1179; vt author est Matthæus Parisius, *Alexandri Papæ stolatui relatum fuit, quod Magister Petrus Lombar quibusdam scriptis suis ab articulis fidei deuiauit. Vnde telmo Senonensi Archiepiscopo literas sub hâc formâ di Alexandrus Episcopus, seruus, &c. Cùm in nostra oli præsentia constitutus, tibi viuâ voce iniunximus, vt su neis tuis Parisiis tibi asciris ad abrogationem doctrinæ*

quondam Parisiensis Episcopi, quâ dicitur, quòd Christus secundùm quod homo, non est aliquid; omninò intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi cùm præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & vnà cum illis & aliis viris religiosis & prudentibus, prædictam doctrinam studeas penitùs abrogare: vniuersis firmiter & districtè iniungens, quod doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur. Nec ad Magistri, nec ad Episcopi defensionem quisquam strinxit calamum aduersùs iudicium Apostolicæ Sedis in Academiâ Parisiensi; vt nihil posteà opus fuerit idem renouari, vel confirmari iudicium in Concilio Lateranensi an. 1215. quò inustus est Ioachimus Abbas Florensis, quod dum Petrum Lombardum exagitaret, grauibus & ipse illaqueasset sese erroribus. Damnata tamen ibi magis lucubratio Ioachimi, quàm persona, propterea quod *omnia scripta sua Apostolicæ Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda mandasset, dictans epistolam, quam propriâ manu subscripsit, in quâ firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est & magistra:* vt habent acta Synodi illius generalis. Rursus autem vt Vuillelmi de sancto Amore & consentaneorum eius liber ab Alexandro IV. proscriptus sit, doceat nos Cantipratensis: *Qui liber qualiter citatis & vocatis ad Curiam & præsentiam summi Pontificis dictis Magistris, damnatus sit & combustus, non solùm in ipsâ Curiâ, sed & Parisiis coram vniuersitatis multitudine copiosâ, scire poterit, qui collationes & disputationes legerit præcipuè contra Magistros quatuor in capite aduersarios.* Et idem: *Dicti Magistri Fratrum aduersarij beneficiis & dignitatibus omnibus sunt priuati, donec iurauerunt mandato Papæ coacti, reuocare Parisiis & in aliis ciuitatibus, & locis verecundæ prædicationis eorum, quidquid contra dictorum Fratrum ordines implicitè, vel explicitè euomuissent.* Et rursum annum 1277. cùm Stephanus Parisiensis Episcopos censorio mucrone

Reinaldus ad an. 1256. num. 21. 24. & 1259. num. 27. 28. 29. 30.

Idem ad an. 1277. num. 9. 10.

confixiſſet aliquos Philoſophaſtros, inauditis ſtridentes argutiis, & nonnulla cauillantes vera eſſe ſecundùm Philoſophiam, non ſecundùm fidem Catholicam: reſcripſit ad eundem Stephanum Ioannes Pontifex eius nominis XXI. *Relatio nimis implacida noſtrum nuper turbauit auditum, quod Pariſiis vbi fons viuus ſapientiæ ſalutaris abundanter huc vſque ſcaturiit, ſuos riuos limpidiſſimos fidem patefacientes Catholicam, vſque ad terminos orbis terræ diffundens; quidam errores in præiudicium eiuſdem fidei de nouo pullulaſſe dicuntur. Volumus itaque, tibique authoritate præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus diligenter facias inſpici, vel inquiri, à quibus perſonis & in quibus locis errores huiuſmodi dicti ſunt, ſiue ſcripti. Et quæ didiceris, ſiue inueneris, conſcripta fideliter nobis per tuum nuncium tranſmittere quàm citiùs non omittas.* Rurſus ad annum 1277. quæ ad Ægidij Romani damnationem ſpectant, ediſcemus ex epiſtolâ Honorij IV. Papæ ad Epiſcopum Pariſienſem datâ: *Licèt dilectus filius Fr. Ægidius Romanus de ordine fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, olim Pariſiis vacans ſtudio, aliqua, ſicut intelleximus, dixerit, & redegerit in ſcripturam, quæ beatæ memoriæ Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, prædeceſſor tuus per ſeipſum examinans, & per Cancellarium Pariſienſem eius temporis, & per alios Theologicæ Facultatis Magiſtros examinari faciens, cenſuit reuocanda; & ea minimè reuocarit, quin potiùs variis rationibus niſus fuerit confirmare. Nuper tamen apud Sedem Apoſtolicam conſtitutus, humiliter obtulit, ſe paratum reuocanda, quæ dixerat ſiue ſcripſerat, reuocare pro noſtræ arbitrio voluntatis.* Iubet ergo vt Pariſiis fiat ea reuocatio ſolenni more. Cuius demiſſionis gratiâ idem Ægidius poſteà ad Bituricenſis Cathedræ Pontificatum euectus eſt. Internecina quædam inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulcrum Galliæ Regem conflagrauit diſcordia; nec tamen ab hâc Galli primigeniâ ſuâ in Petri Sedem fidemque obſeruantiâ deſciuere vel in ipſo irarum æſtu. Ita enim Philippus ipſe Rex ad Clementem V. ſcripſit haud multò pòſt: nempe an. 1310.

Idem ad an. 1285. num. 76. 77.

Digitized by Google

Abſit à regiâ perennitate, in quæſtione fidei quidquam, quod veſtra ſanctitas, maximè ſacro approbante Concilio deciderit, in aliquod unquam dubium reuocare. Idipſum mox totidem verbis conteſtantur Galli Proceres. Et infrà excipientibus Romanis non poſſe de Bonifacio, quem Galli hæreſeos inſimulabant, inquiri, niſi in Concilio generali: reſpondent Galli: *Non quæritur de hæreſi Papæ quondam, vt Papæ, ſed vt priuatæ perſonæ. Nec vt Papa potuit eſſe hæreticus, ſed vt priuata perſona. Nec vnquam aliquis Papa, inquantum Papa, potuit eſſe hæreticus. Et ideo cùm de eius mortui hæreſi quæritur, non habet congregari Concilium generale. Eſtis enim vos, Pater ſanctiſſime, Ieſu Chriſti vicarius, totum corpus Eccleſiæ repræſentans, qui claues regni cælorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium ſine vobis, & niſi per vos poſſet cognoſcere.* Progrediamur hinc ad annum 1321. quo Ioannes è Poliaco Pariſienſis doctor peruerſa aliqua effutiuit de confeſſionibus apud Sacerdotes Monachos factis, & de poteſtate pontificia ad priuilegia iſtiuſmodi largienda. Ita in eum detonuit Ioannes XXII. Auenione ſedens, Gallus ipſe, & Gallorum Cardinalium frequenti ſenatu cinctus: *Omnes articulos & quemlibet eorum tanquam falſos & erroneos & à ſacrâ doctrinâ deuios, authoritate Apoſtolicâ condemnamus, & reprobamus de Fratrum noſtrorum conſilio.* Obſecutus eſt Pontifici Ioannes è Poliaco, tum in ſcholis, tum in ſacris concionibus publicè errorem eiurans. Pontificiæ autem tum cauſæ & Romani Throni prærogatiuæ patrocinati ſunt præ cæteris tunc Heruæus & Petrus Paludanus, non ſuo magis, quàm gentis ſuæ inſtinctu; erant enim ambo Galli. Iam verò anno 1322. cùm famigerata illa æſtuaret concertatio de paupertate Chriſti, Apoſtolorum, Monachorum, atque de rerum mobilium & immobilium dominio & vſu: & Nicolai IV. atque Ioannis XXII. Pontificum doctrina videretur in ſpeciem, & à perduellibus iactitaretur quaſi aduersâ fronte collidi: tum Cardinalium cœtus omnis, qui vt præmonui, vtque eorum temporum ſcriptores fi-

Hiſt. de diff. entre Bon. VIII. & Phil.

Ibid. p. 399. 413.

Rainald. ad an. 1321. n. 2 c. 37.

Digitized by Google

dem faciunt, Galli erant omnes propemodum, tum Academia Parisiensis strenuè pro Ioanne Pontifice dimicauit aduersùs Fratricellos, hæreseos illi maculam aspergentes; etsi nec hi Ioannem, nisi quà Nicolao prædecessori suo aduersantem, in crimen vocarent. Vnius hîc adscribam Vitalis Episcopi Alban. & Cardinalis pro causa pontificia scribentis exordium. Cùm ex decreto Gratiani protulisset illam Pelagij contestationem, se totùm Sedi, fideique Petri & eius vicarij committentis vel emendandum, vel defendendum: hæc addit: *Prædictum Capitulum duo continet euidenter, quæ in protestatione meâ volo includi. Primum est, quod si in dictis meis fortè aliquid ponam minùs prouidè, incautè, vel indiscretè, omnia per Christi vicarium corrigantur. Secundum est, quod quidquid per eundem Christi vicarium fuerit determinatum de prædictâ quæstione & de quibuscumque aliis, maximè ad fidem pertinentibus, omnia volo simpliciter & indubitabili fide tenere: prompte & liberè confiteri.*

Rainald. ad an. 1322. num. 67.

Apud eundem an. 1333. num. 38. 55. 62. 63.

Consule si vacuum est, & Academiæ Parisiensis scriptum eâ in quæstione prolixum & perelegans, pugnantia specie tenus Pontificum decreta ita concilians, vt neutri error affingatur. Rursus extant *Propositiones M. Ioannis de Vlricuria, Romæ primùm damnatæ, dein publicè per eum in Vniuersitate Parisiensi reuocatæ, an. Chr.* 1348. Et ad calcem sententiæ in eum latæ, *Magister Nicolaus de Vlricuria dicere debeat altè & intelligibiliter, quod propter istos articulos, & propositiones per eum reuocatas, & multos alios articulos falsos & hæreticos, eius epistola & libelli combusti fuerunt, &c. Iurabit in præsentiâ nostrâ ad sancta Euangelia, quod nunquam tenebit, aut docebit, clam vel palam, &c.* Et rursum habetur *rescriptum schedulæ reuocationis quorundam articulorum Fr. Dionisij Soulechat, Ordinis F. Minorum, publicè in disputationibus solennibus per eum semel atque iterum factæ, Parisiis & in Curia Romana. An.* 1365. & 1369. Et infrà: *Hæc omnia prædicta dictus Fr. Dionysius iterum Auenione in præsentiâ Magistri Guillelmi Romani, Lectoris sacri Palatij Apostolici, & aliorum nouem Magistrorum in Theologia Paris. reuocauit, &*

Bull. PP. tom. 4. part. 1. pag. 935.

Ibid. pag. 946.

Digitized by Google

ad ſancta Dei Euangelia iurauit ſe appellationem, quam interpoſuerat, non proſecuturum: ac concluſiones prædictas & corollaria tanquam falſa & erronea, & hæretica abiurauit, ſecundùm tenorem reuocationis alias per eum factæ Pariſiis. Quæ eadem paulo prolixiùs exequitur ipſemet Pontifex Vrbanus V. in literis ad Ioannem Cardin. olim Epiſcopum Bellouacenſem. In hoc exemplorum aceruo, vnum vides Pſeudominoritam prouocantem, vtpote Michaëlis Cæſenatis ducis quondam ſui fœda legentem veſtigia; qui à Pontifice *ad Eccleſiam* appellauerat, quam ipſam mox in proſtibulum calumniabatur degeneraſſe. Sed vtrumque tandem ſuæ & hæreſeos, & appellationis pœnituit. Cæteri omnes decretis Pontificiis, non aliter quàm vt decretoriis Eccleſiæ vniuerſæ & veritatis definitionibus ſubſcripſere: vrgente & impellente ipſa maximè cunctatores Pariſienſi Academia. Nec ad ſilentium modò aut diſſimulationem, ſed velut ad certarum hæreſeon eiurationem omnes & Pontificia, & Magiſtrali, & Regia demum conſpirante authoritate compulſi ſunt. Vt ne ſuſpicari quidem poſſim, quibus documentis, aut quo vno ſaltem maiorum ſuorum exemplo potuerit Gerſonius ſuam ſuffulcire opinationem. Quin eius potiùs infucatum candorem admirationi habendum cenſeo, ſui dogmatis nouitatem nuſquam diſſimulantis. Reuocandus hîc ſaltem eſt, qui nos effugerat Petrus Bertrandi Epiſcopus Eduenſis & R. E. Cardinalis, in tractatu de Orig. & vſu Iuriſd. q. 2. *Inter Chriſtianos neceſſaria eſt ſpiritalis poteſtas, quam Chriſtus dedit beato Petro, quando ei commiſit regimen vniuerſalis Eccleſiæ. Origo huius poteſtatis immediatè fuit à Deo, videlicet à Chriſto, tradente eam certæ perſonæ, ſcilicet Petro, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, à quibus deriuatur in alios*, &c. Et quæſt. 3. *Cùm prædictam iuriſdictionem habeat Papa ſine limitatione loci & perſonarum, ideo omnes Chriſtiani vbicumque ſint, debent ei obedire: ceteris verò Prælatis, Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & Patriarchis in territoriis ſeu diœceſibus ſibi commiſſis tenentur obedire omnes Chriſtiani manentes in eis.* Et in-

Reinald. ad an. 1368. num. 17.

Bibl. PP. Tom. 4. part. 1.

frà, *Prælatorum vt sunt Papa & Episcopi, est iudicare de a nibus personalibus hominum, per quas possunt deuiare à f sua peccando contra quancumque materiam, siue contra art fidei & sacramenta, siue contra bonos mores.* Et infrà: *Ch prædictam potestatem dedit Ecclesiæ in beato Petro & succe bus eius.* Quod sæpicule repetit. Et hîc vides post an Christi 1330. in Gallia Petro & successoribus eius ciorum de fide potestatem deferri vel à Christo p delatam agnosci, quàm in omnem prorsus Eccle Christianam exerceat.

LXXVI. Galli ipsi qui secus sentiunt, & nouitatem & paucitatem suam non dissimulant.

Sed quod locupletius testimonium, quàm ipsorum buscum certamen est, suo se telo configentium: profitentur, hanc suam, suæve priuatim scholæ opin nem esse, & eam quidem nuperrimè excitatam? E enim authoritatem & nouitas, & paucitas sua. A nus lib. de potest. Eccl. cap. 15. *Concluso est, quam Doctores omnes Parisienses & Galli, quòd potestas Papæ e iecta potestati Concilij.* Ioannes Maior, de Authorita cleſiæ, *Duo sunt modi oppositi dicendi, quorum vnus ten pam esse supra Concilium vniuersale, hunc modum aliqui nalium tenuerunt, & tenent communiter Thomistæ, & vt asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum noſtra Vniuersitas Parisina à diebus Concilij Constantien tata est; sic quod in eâ, qui prædictam viam tenuerit, in po cogitur eam reuocare.* Et infrà, *Nostra facultas à diebu cilij Constantiensis, in quâ plures exercitatos habebis The quam in duobus vel tribus regnis, sic hanc partem fouet nulli licuit asserere oppositum probabile.* Ioannes Gerson excommunicatione: *Si dicatur, quod potest à Papa fi pellatio ad Concilium generale. Dixerunt olim ante Con generale Pisanum & Constantiense, quod hoc nullo modo & allegant iura sua pro se valde, sicut eis videtur, expres constanter nunc asseritur, quod est hæresis damnata per co tionem Concilij Constantiensis.* Et in lib. de Potest. E consid. 10. *Posuerunt isti Papalem authoritatem supra lium, aut saltem non imparem. Est autem certum apud eo*

Tom. 2. p. 348.

Tom. 2. p. 127.

Digitized by Google

par in parem, & minor in ſuperiorem non habet imperium. Benedictus autem Deus, qui per hoc ſacroſanctum Conſtantienſe Concilium, illuſtratum diuinæ legis lumine, dante ad hoc ipſum vexatione præſentis ſchiſmatis intellectum, liberauit Eccleſiam ſuam ab hâc peſtiferâ perniciosiſſimaque, doctrinâ, quâ ſemper manente perſeueraſſet ſemper ſchiſma nutritum ab eâ. Suos ergo ipſimet confitentur natales, ſcilicet nuperos: & limites, valde anguſtos: ſi eccleſiaſticæ antiquitatis, & vniuerſalitatis ratio ineatur. Scholam, non Eccleſiam: Pariſinam, aut vt ipſis largiamur, quod ad libitum ſumunt, Gallicanam, non Catholicam: poſt Conſtantienſe demum Concilium, non antè ſenſiſſe ita affirmant; nec ſponte eo, ſed vi quadam delatam, cùm non aliter ex ſchiſmatis illius peſtiferi laqueis extricari ſe poſſe arbitrarentur: cùm ad dubios vel ſpurios Pontifices fas eſſet eam ſententiam coartare. Priùs autem vel ipſi non diſſimulant inauditam hanc fuiſſe in Eccleſia Chriſti conflictationem Pontificis & Concilij, Capitis & Corporis. Denique ne vel ipſam Scholam Pariſienſem conſtantiſſimè in eâ ſententiâ deinceps perſtitiſſe, aut etiamnunc perſtare imagineris, accipe quæ Petrus Aurelius de libello Richerij diſſerat: *Quod Sorbonæ partem maximam, & eam quæ in Facultate dominatur, Richeriano libello aſtipulari faciunt, non iudicio loquuntur, ſed odio & malevolentiæ inſtinctu; cùm ex tota rei huius ab initio ſerie, clariſſimè pateat, eam paucis ſemper placuiſſe, præſertim vt in tam numeroſo cœtu. Quod ex eo perſpicere licet, quia nullum vnquam extitit decretum Facultatis, quo doctrinæ iſti ſeu expreſsè, ſeu tacitè tribuatur authoritas, &c. Contrà nemo neſcit Richerium ipſum, ex quo doctrinam ſuam non probari vidit, à conuentibus Facultatis perpetuò receſſiſſe, ne quempiam offenderet.* Et mox: *Accedit quod & Richerius ipſe palàm profeſſus eſt, omnes eius libelli propoſitiones, earumque expoſitiones ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ iudicio ſubiicere, paratumque emendare, quidquid emendandum iudicaretur. Hæc eius declaratio & olim ab ipſo edita, & nuper apud eminentiſſimum Cardinalem Richelium* Part. 1. p. 149.

renouata, & extremo Spiritu, quem Catholicè emisit, apud Confessorem confirmata, & ad hoc illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis iussu vulgata, quantoſvis errores purgare potuit, &c. Tanta ergo illa paucitas in dies minuitur magis & magis: nouitas sua sponte defluit & vanescit: primipilis nempe ipsis titubantibus, & Catholicæ consuetudinis torrente abreptis vt opuscula ipsa sua eo de argumento edita, Sedis Apostolicæ iudicio emendanda subiiciant. Interim sanè inauditum est à Pontificis definitione circa fidem ad Concilium prouocatum esse, vel à scholâ Parisiensi, post Constantiense etiam Concilium. Ad solas enim fidei definitiones tuendas collimat istarum dissertationum series; ne omnia tumultuariè permiscerentur, quæstionibus aliis in alium locum sepositis.

LXXVII. Cleri Gallicani conspiratio pro definitionibus Sedis Apostolicæ aduersùs Lutheranos.

At Ecclesia Gallicana, seu Episcoporum & Cleri comitia immane quantum ab eiusmodi opinationibus abhorruerint & etiamnunc abhorrescant. Antequam Concilium Tridentinum conueniret, post Leonis X. Hadriani VI. & Clementis VII. diplomata in orbem Christianum euulgata, nemo nescit Lutheranos non aliter execrationi fuisse, quàm vt hæreticos, vndique proscriptos, extremis suppliciis in sacro & ciuili foro affectos fuisse. Et illi tamen ad Concilium prouocabant. Etenim inter complures alias, hanc quoque propositionem inussit Leo X. *Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non esset peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessariâ ad salutem, donec fuerit per Concilium vniuersale, alterum reprobatum, alterum approbatum.* Laudatur in generali decreto Concilij Senonensis habiti an. 1528. diploma Leonis aduersùs Lutheranorum libros, *Intelleximus nonnullos Martini Lutheri libellos pernicioſos iampridem cum ſuo authore à ſanctiſſimis Pontificibus Leone Papa, & Hadriano, nec non & Clemente Papâ moderno damnatos:* Tum eos sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet à quoquam comparari, circumferri, &c.

Digitized by Google

Sed illud ante omnia inſculpi omnium animis peruelim, quod ſuprà diſertis verbis ſanctus Thomas ſignificabat, *hæreticos cenſeri pertinaciter repugnantes authoritate vniuerſalis Eccleſiæ determinatis, & eam authoritatem principaliter reſidere in ſummo Pontifice, contra cuius authoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum doctorum ſuam ſententiam defendit.* In eo enim ſita eſt tota hallucinatio Catholicorum doctorum, paucorum aduersùs plures, nouorum aduersùs veteres, ipſorummet aduersùs ſeipſos inteſtino diſſidio altercantium: quod authoritatem vnam, indiſcretam, & indiuiduam Pontificis & Epiſcoporum, Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ Catholicæ, Papæ & Concilij, Capitis & Corporis diſſecare & ſibi collidere auſi ſint. Ex aduerſo autem id obtinuit à cunabulis Eccleſiæ, id obtinet etiamnunc, & ipſis cernentibus ac mirantibus obtinet inuictiſſimè, vt vna illa ſit Eccleſiæ Catholicæ nunc per caput ſolum, nunc per corporis concentum cum capite ſeſe exerens, vna, inquam, & indiuulſa authoritas. Non alia enim, non minor, non maior, ſed vna indiſcretaque reſidet in Eccleſiæ corpore & in capite authoritas. Ideo inexpiabilia poſt ducentos ab hinc annos viſa ſunt conflagare bella inter Pontifices & Synodos, ſed in doctorum ſcholis; nam reapſe vbi ſemel illud dubiorum Pontificum ſchiſma ſedatum eſt, nulla Synodus à Pontifice, nullus Pontifex à Synodo diſſidere viſus. Alibi Diſſert. 12. ad Concilium Chalcedonenſe protuli teſtimonia Synodorum, & Pontificum adùersùs Lutheranos ſæuientium, ita vt etiam ante Synodum œcumenicam, & Pontifices Romani, & Gallicanæ Synodi authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ ſolis Apoſtolicæ Sedis decretis hactenus exertam intentarent hæreticis; & contumaces, ſtatutis in hæreticos pœnis, cum vniuerſæ Eccleſiæ conſenſu inſectarentur. Nec Concilium cogi detrectat Pontifex, ſed ita vt vel ante Concilium habeantur hæretici, & horrori ſint, qui ipſam Concilij authoritatem in Eccleſiæ & Concilij capite præcipiunt aſpernari. Adde

LXXVIII. Papæ & Eccleſiæ, Pontificis & Concilii vna & indiuidua authoritas eſt, vna ſententia. Ex epiſtola Clementis VII.

ad supradicta, hæc ex epist. Clementis VII. ad Franciscum I. Galliæ Regem, an. 1533. 4. Non. Ianu. *Cùm serenissimum Cæsarem quanquam pro suâ inclytâ pietate omnia conatum, tamen in Conuentu Augustano, nihil remedij ad hæresin Lutheranam in Germaniâ tollendam præ illorum obstinatione, afferre potuisse audiremus, solumque Concilij generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum, supereſſe videremus, &c.* Ergo & ante Concilium Lutherani vocantur, non Christiani Catholici; hæretici appellantur; obstinationis ergo culpantur; & Pontifex, & Cæsar ad eos abolendos omnem lapidem mouent: non velut doctores habent ambiguo in vado laborantes, & quibus ante Concilium liceat citra notam dubitare. Denique hæreticis *postulantibus*, non Catholicis indulgetur Concilium, vt vel hoc extremum tentetur eorum peruersitatis frangendæ remedium. Nam vbi & Catholici postularunt, non sibi, sed Lutheranis postularunt: aut si sibi, ad mores, non ad fidem synodicis instrui decretis optauere. Ita enim Rex Christianissimus in Commonitorio Oratoribus suis Tridentum misso, an. 1562. *Quoniam omnes qui in Concilium Tridentinum conuenerunt, eandem omnino religionem profitentur, neque ex eâ quidquam in dubium reuocandi, vlli potestas, aut voluntas est: videri possit hæc de religione adeo sollicita, & diligens disputatio ac censura, non solùm supernacanea, sed etiam ad Catholicos qui in dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ constanter permanent, parum pertinere.* Vides vt *Catholicos* nihil ambigere testificetur, quod in Concilio definiri postulent.

LXXIX. Item ex Florentina Synodo.

Eòdem vergit & Florentina Synodus, constantissimè propugnans additamentum Symbolo factum solâ Romani præcipuè Pontificis authoritate, Græcis inconsultis. Itaque quod suprà astruebat eâ in causâ sanctus Thomas, id tota amplectitur Synodus hæc. Nimirum Græcorum silentio approbatum, quod Latina duce Romano Pontifice præcipiebat Ecclesia de processione Spiritûs sancti definire: atque ita vnam esse Romanæ, & totius Eccle-

Digitized by Google

siæ consensionem. Sess. sept. *Nec vos debetis conqueri de Romanâ Ecclesiâ, quod non accesseritis ad illam Symboli explicationem. Quid opus erat vos convocare, qui sciebatis optimè, quod Romana Ecclesia canebat, & predicabat; nihil tamen repugnabatis, sed cum illâ coniuncti eratis? Imò sanctus Maximus Romanam excusat Ecclesiam, vt iniuriâ ab Orientalibus accusatam, &c. Si temporibus Maximi eo modo canebatur à Romanâ Ecclesiâ, qui fuit temporibus sexta Synodi, nec vos igitur hoc latet, nec potestis dicere hoc factum esse vobis nihil scientibus, &c. Photius qui fuit hostis Romanæ Ecclesiæ, & acriter inuectus est aduersùs Nicolaum & Hadrianum, nunquam illos accusauit ob additamentum in Symbolo, &c. Hormisda fuit ante quintam Synodum. Is scripsit epistolam, cui subscripsit Ioannes Episcopus Constantinopolitanus, & omnes illius temporis Patres Orientales. Est autem in illa epistola perspicuè positum, Spiritum sanctum à Filio procedere, &c. Rem adeo manifestam, tacendo comprobastis.* Et in respons. Iosephi Methon. Episc. aduersùs Libellum Marci Ephesini, *Latini pro suâ defensione respondebant tibi per Archiepiscopum Rhodi, quod nequaquam Ecclesia Romana, nec additamentum origo fuerit diuisionis & pugnæ. Neque enim solùm ante schisma Ecclesiarum, appositum erat Symbolo, sed ante ipsas Synodos œcumenicas, septimam dico, & sextam, vt testatur confessor Maximus, &c. Imò potiùs ostenditur Orientalibus explanationem hanc fuisse acceptam, quandoquidem non dissidebant.* Et infrà verba ipsa profert Maximi. Adde huc maximè spectantem Confessionem Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani, extremum iam agentis spiritum, ibid. sess. 25. *Quoniam ad finem vitæ meæ perueni, soluturus iam commune debitum, Dei gratiâ scribo sententiam meam, & subscribo apertè vniuersitati filiorum meorum. Omnia igitur quæ sentit, & quæ dogmatizat Catholica & Apostolica Ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do, ac dico.*

Post Conc. Florentinum.

Et ne nuper editæ plus fidei adiicias historiæ Concilij Florentini, accipe eandem argumentationem ex Ra-

LXXX. Item ex Ratramno Monacho.

Digitized by Google

tramno Monacho Corbei. aduersùs eosdem Græcos scribentis : lib. 2. cap. 2. *Nunquid maiores vestri nescierunt, quemadmodum de Spiritu sancto Romana ferebat Ecclesia? Nec tamen aliquando à Romanæ Sedis communione sese remouêre, scientes Catholicæ fidei veritatem fore, quod tenet & prædicat, nec meritò reprehensioni patere, quod sanctarum Scripturarum authoritate consistit.* Et lib. eodem cap. vlt. post multa ex libro Paschasij E. R. Diaconi de Spiritu sancto decerpta, *Cùm de Spiritu sancto Romanam sentire, sicut hodie sentit, Ecclesiam probarit, nullo modo tamen ostendit, in tali fide permanentem ab Orientalibus Ecclesiis vel aliquando fuisse diuisam, vel vnquam diuersa de Spiritu sancto sensisse, vel docuisse. At nunc mirandum quid arguant noui dogmatis repertores? Cur à communione se diuidant, quam semper tenuere maiores? Sciant quia cum Romanis suos quoque iudicent maiores. Et dum Romanos sua cupiunt communione priuare, se pariter excommunicent à suorum societate maiorum: & nulli probentur Ecclesiæ communicare Catholicæ, dum Romanâ communione sese faciunt alienos. Hoc factum cuius sit mali considerent, & errorem corrigere suum non differant, ne si Romanis communicare noluerint, ab vniuersâ Ecclesiâ se paueant excommunicandos.* Et lib. 3. cap. 1. vniuersalis Ecclesiæ authoritate Græcos vrget vehementissimè : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Dominabitur à mari vsque ad mare, &c. Nusquam istic vel Græcos vel Constantinopolin meminit; nec tamen vsquequaque præterit, quoniam eos in vniuersalitate concludit: Specialitatis prærogatiuam sustulit, ne inflentur: in generalitate ponit eos, vt humilientur: quatenus nouerint se totius corporis Ecclesiæ non fore quantitatem, sed portionem: & venerentur Matrem à Solis ortu in occasum regali magnificentiâ sublimem, cuius se gaudeant esse filios, non glorientur fore patres.* Denique lib. 2. cap. 2. rursum tam licuisse Romanæ Ecclesiæ adfirmat illud addere, quàm licuit Constantinopolitanæ primæ Synodo aliud priùs de Spiritu sancto adiungere. *Nec enim connincere potestis maiorem ciuitatis Constantinopolitanæ authoritatem, quàm ciuitatis Romanæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum;*

Digitized by Googl

quod maiorum tam veſtrorum, quàm noſtrorum teſtimonio comprobatur. Sed neque centum & quinquaginta Epiſcoporum tanta conſtat authoritas, vt vniuerſis totius orbis Epiſcopis præſcribere poſſit, vt quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quàm vniuerſis Chriſti Eccleſiis.

Vides vt Ratramno concinuerit ſanctus Thomas, vtrique Synodi Florentinæ Pontifices: imò vt Eccleſia ipſa ſibi concinat, vt vno intus Spiritu veritatis vegetata. Obſerua hîc autem 1. id cenſeri, à Græcis confirmatum eſſe fidei dogma, cui non interceſſerint; cuius defenſatrici Eccleſiæ communicauerint. Id enim valet vniuerſim, vt tacito Eccleſiarum conſenſu, perinde ac collectâ Synodo decreta quælibet etiam abſtruſiſſima firmentur. In tantâ enim Synodorum paucitate, & tam vbere copiâ fidei Chriſtianæ, non aliter poteſt vniuerſalis authoritas huic conciliari. 2. Quod ſilentio, ceu muto aſſenſu Orientales huic dogmati acceſſiſſe æſtimarentur, inde factum, vt poſt hac non poſſent reſilire; nec rem in integrum reſtitui, ſynodicoque ſubiici examini tanquam ambiguam, poſtulare. 3. Quod Romana Eccleſia definierat, Spiritum ſanctum à Filio procedere, id tam cupidè Hiſpanos, Galloſque in primis, atque Occidentales omnes amplexatos eſſe, vt de eo nullus ambigeret, de eo ſynodicè inquiri nemo poſceret, conquerentes Græcos nemo non auerſaretur. 4. Quantum Conſtantinopolitanæ Synodo quæ ſecunda œcumenica eſt, tantumdem Romano Pontifici & Occiduis Epiſcopis ad definiendum vendicatur. Nam nec illa œcumenica euaſit Synodus, niſi ex conſenſu Occidentalium: & iſtud igitur Pontificis & Occiduæ Eccleſiæ placitum œcumenicâ authoritate induetur, ex mero Orientalium ſilentio. 5. Cùm ergo vel Gerſonius aſſentitur definienti Pontifici non obſtrependum, non obloquendum ſecùs eſſe, viderit, an ſilentium iſtud regulæ eccleſiaſticæ conſenſionis loco haberi non iubeant. 6. Denique in his omnibus planum eſt, vnam & indiſcretam ſemper haberi Romani

LXXXI. Item ex vniuersâ Eccleſiæ Latinæ aduersùs Græcos per plura ſæcula concertatione, variis hîc exemplis illuſtrata, & teſtimoniis Hugonis Etheriani, Barlaami, Calecæ, Nili.

Digitized by Google

Pontificis & Ecclesiæ vniuersæ tum authoritatem, tum fidei definitionem: quòd Pontificiis de fide decretis adhæresceat Ecclesia indiuulsè. Etenim vix certò constare potest, quis Romanorum Præsulum confessioni fidei primus insinuauerit processionem Spiritùs sancti à Filio. Damaso id tribuit Manuel Calecas. Sed certis argumentis contrarium eficitur. Præierint potiùs Hispani, Gallique. Vnum id constat, præisse Latinos, consentiente vtique Romano Antistite: & Capitis authoritate indui, ac censeri, quod eius nutu membra perfecerunt. Vtque indubitatiùs liqueat, nusquam Synodi copiam factam esse Græcis, vt veluti de incerto dogmate, de eo controuerteretur, quod Romanæ Ecclesiæ iam fuerat præiudicatum: sed vt Romanæ priùs fidei iugum subeuntes, ita demum in synodicâ veluti pompâ solenniùs reconciliarentur: cuolue literas Germani Constantinopolitani Episcopi ad Gregorium IX. cùm vtraque Ecclesia veritatem vendicaret, ad Scripturarum speculum prouocantis: cui restripsit Pontifex, quod *Paulus in Petro authoritatis officium recognoscens, & ideo ad eum tanquam Primatem, & Euangelij dominici fontem venit Hierosolymam; & postmodùm cum ipso & aliis secundùm reuelationem contulit Euangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurrisset.* Sic reuolet antè in sinum matris Romanæ scilicet Ecclesiæ Episcopus Constantinopolitanus cum suis: *Tunc enim non vt mercenario, sed vt filio reuertenti occurrens Pater, primam stolam proferet, occidetque vitulum saginatum, & generale conuiuium faciens vniuersis Christi fidelibus, cum exultatione annunciabit & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, iam reuixit; & dragma, quæ perierat, est inuenta: & sic te in gremio matris Ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifestè videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina seruat in fidei vnitate, quæ non recipit maculam, neque rugam.* Ante Synodum iubet adiri Petrum, tanquam primarium *Euangelij fontem:* iubet redire *filium* erronem, & *drachmam* perditam inueniri: & tunc demum Concilium, veluti

Reinaldus ad an. 1232. num. 49. 51. 55.

luti ſolenne congratulationis epulum inſtrui : veritatem autem non in *Scripturarum* modò, ſed in *Eccleſiæ Latinæ ſpeculo* inſpici, *quæ non recipit maculam, neque rugam.* Nec multò pòſt Apoſtolici Nuntij Conſtantinopolim miſſi, Germano ad Synodum ſimiliter prouocante, hæc ipſi referunt: *Cæpit Imperator conferre nobiſcum, ſub quâ formâ poteſt Patriarcha & Eccleſia Græcorum reconciliari Eccleſiæ Romanæ? ad quod dedimus tale reſponſum: Hoc modo poſſet reconciliari, ſi crederet hoc quod credit Eccleſia Romana.* Et rurſus idem: *Hoc ſcitote, quia Dominus Papa & Eccleſia Romana non dimittet unum iota de fide ſuâ.* Poſteà verò Alexander IV. Græcos ipſos docet manus dediſſe Apoſtolico huic priuilegio; *In Conciliis primam Sedem, primam ſubſcribendi vicem, &c. In quæſtionibus fidei ſi quæ ibidem emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre iudicium; quod dummodo euangelicis & canonicis non obuiet inſtitutis, obedienter cæteri ſuſcipient & ſequentur.* Quocirca de iiſdem Græcis mox expoſtulat, quod in quæſtione de proceſſione Spiritûs ſancti à Filio, cauſarentur, *quod definitioni eius in Concilio Græca non acquieſceret Eccleſia, niſi quod definitum eſſet per Scripturæ authenticæ teſtimonium, vel diuinum oraculum comprobaret. Non enim videbatur rationabilis cauſa, quâ Græca Eccleſia mouebatur, vt definiendi poteſtatem, quam Romanum Pontificem habere non negat in cæteris fidei articulis, velit eum in hoc vno articulo non habere.* Aliquantò etiam diſertiùs Clemens IV. & ipſe Gallus, Gallicanæ Curiæ Regiæ, inde & Eccleſiæ ingens decus, ſuam hanc prærogatiuam proſecutus eſt in fidei formulâ, quam Palæologo Imperatori Græco vnitatis cupido prælineauit: *Romana Eccleſia ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere; ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet iudicio diffinire.* Cumque Romanam omnem fidem compendiò ediſſeruiſſet, & inter cætera capita proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio: addit demum; *Porro præſcriptam puriſſimam, certiſſimam, & ſolidiſſimam orthodoxæ fidei veritatem, euangelicæ doctrinæ conſonam, à ſanctis Patribus tradi-*

Idem ad an. 1133. n. 9. 13.

Idem ad an. 1256. num. 48. 50.

Idem ad an. 1267. num. 78. 79.

Digitized by Google

tam, & Romanorum Pontificum in ſuis Synodis definitione firmatam: ſicut nec decet, ſic nec volumus nouæ diſcuſſioni ac diffinitioni ſubiacere: ipſam quaſi per hoc quomodulibet contra fas & licitum in dubium reuocando. Ideoque licèt in præfatâ ſcripturâ de conuocatione Concilij ageretur: licèt tu per tuas literas Concilium in terrâ tuâ conuocari petieris: nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad diſcuſſionem ſeu definitionem huiuſmodi conuocare. Non quòd cuiuſquam faciem vereamur, vel eandem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam Græcorum ſuperari prudentiâ timeamus: ſed quia prorſus indecens foret, imò nec licet, nec expedit in dubium reuocari præmiſſam veræ fidei puritatem, tot ſacræ paginæ authoritatibus, tot Sanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam: pro cuius defenſione, ſi neceſſe foret, parati eſſemus ſubire martyrium. Tum hortatur, ſi qua Græcos circa Romanam fidem dubitationis caligo offuſcet, peritiores aliquos Romam mittant; *Tam plenè, donante Domino, ſatisfaciemus eiſdem, quòd amoto cuiuſlibet dubitationis ſcrupulo, fidei veritatem agnoſcent.* Nec Concilium detrectat, ſed quo fructu, indicat in hunc modum: *Quod ſi poſtquam taliter ſuprà poſitam tu, idemque Clerus, & populus veritatem fidei ſuſceperitis, & profeſſi fueritis, & ad obedientiam, vt præmiſimus, eiuſdem veneritis matris veſtræ; Concilium per Sedem ipſam ad locum, qui ad hoc eidem Sedi videatur idoneus, conuocari petieritis, ad charitatis vinculum inter Latinos & Græcos fœdere perpetuo roborandum: legatos ſuper hoc ad nos poteritis deſtinare, quibus reſponſum dabitur, quo tuum deſiderium ſatiari poterit, & debebit.* Ne quis autem Græcorum affectus induat, & duriuſculum Romanæ Eccleſiæ conſilium quiritetur: etſi iam Occidentales omnes in idem multo ſæculorum interuallo conſpiraſſe demonſtraui, idoneoſque fideiuſſores protuli, Ratramnum, Anſelmum, Thomam Aquinatem, Bonauenturam, Alenſem: nunc quidem vnum prætereà adiicio, qui & Gallis, & omnibus omnium inſtar ſit futurus, Ludouicum Gallorum Regem, eius nominis IX. ſanctitatis laude & cultu ſpectatiſſimum. Cùm enim illum ſua-

Digitized by Google

rum cum Eccleſia Romana controuerſiarum Palæologus arbitrum delegiſſet: ille, vt teſtatur Purpuratus Romanorum Cardinalium Senatus, *Solitum proſequens ad fidei augmenta propoſitum, & ad præfatam Romanam Eccleſiam conſueta non omittens deuotionis affectum; ſed prudenter attendens, ac humiliter cognoſcens, quod ſuum non erat, tale in eodem negotio, quod ſpecialiter pertinere dignoſcitur ad eiuſdem Sedis examen, etiam ad ipſius Imperatoris inſtantiam, officium vſurpare: conſultè reſpondit, quod in eodem negotio huiuſmodi partes nequaquam aſſumeret: ſed pro ipſius ſalubri conſummatione apud eandem Sedem ad quam id pertinet, libenter inſtaret.* Ita purpurei Eccleſiæ Principes vacante Sede: in quam ſuffectus Gregorius X. literis ad eundem Michaëlem Palæologum datis eadem Clementis IV. & Cardinalium reſponſa totidem verbis confirmat: cumque œcumenicam Synodum indiceret, ad eam quidem Græcos inuitat, ſed ita tamen, vt *prius* ſchiſma & errores deteſtentur *apud Sedem* Romanam, tumque *plenius* & ſolidiùs omnia ad vnionem pertinentia *compleantur*. Paruere Græci, & ante Lugdunenſem Synodum tum Conſtantinopoli, tum legatis literiſque ad eandem Synodum miſſis illam fidei confeſſionem amplexati ſunt, quam Romani Pontifices præſcripſerant: & inter cætera; *Sicut præ cæteris tenetur Romana Eccleſia fidei veritatem defendere: ſic & ſi quæ de fide ſuborta fuerint quæſtiones, ſuo debent iudicio definiri, &c. Ore & corde confitemur, quod verè tenet & fideliter docet & prædicat ſancta Romana Eccleſia inuiolabiliter obſeruare eandem profeſſionem: & in eâ omni tempore perſeuerare.* Ita & Latini omnes, qui Synodo intererant, & Græci, qui acceſſere eidem, in vnam coaluere tandem ſententiam, ſine nouâ Synodo, citra verſatile quæſtionum examen, priſcis Romanæ Eccleſiæ definitionibus acquieſcendum eſſe: & vel coëunte tunc Synodo ob cauſas qualeſlibet, ne vel ſic quidem nouo examini locum dari neceſſariò debere. Percurrenti autem ſpatioſum æquor annalium Eccleſiæ poſteriorum, occurſabunt ſubinde luculentiſſima monu-

Idem ad an. 1270. num. 1. 2. 3.

Idem ad an. 1272. n. 26. 27, 28. 29. 30.

Idem ad an. 1273. n. 5. 49 & 1274. n. 13. 14. 18. & 1277. n. 21. 24. 35. 42. & 1318. n. 11. &c.

menta exoticarum gentium, in eandem cum Romanis fidei ſocietatem vel colligentium, vel recolligentium ſe; quibus omnibus illa eadem confeſſio verbis pene iiſdem, eadem Romanæ Sedis in fide definiendâ authoritas profitenda fuit. Vbi nobis Chriſti prouidentiam & charitatem in Eccleſiæ ſuæ & Sponſæ caſtitate & propagatione contemplantibus, non licet eſſe tam curioſis, vel tam ſuſpicacibus, vt aliud quàm ſincerum veritatis lumen videamus. Et cùm rurſum Barlaamus Conſtantinopoli in Occidentem legatus vrgeret, *in generali Concilio articulus de proceſſione Spiritûs ſancti per diſputationes & concertationes concordaretur inter Latinos & Græcos:* reſponſum eſt à Benedicto XII. *non eſſe decens, nec expediens, ſic clarum, determinatum, & definitum articulum fidei, nunc per nouas diſputationes, vel altercationes, vel aliàs quomodolibet in dubium reuocare:* æquiùs eſſe mitti à Græca Synodo aliquos, *qui cum aliis viris ſapientibus & doctis per Sedem Apoſtolicam deputandis, non per modum diſputationis vel concertationis, ſed inſtructionis quoad Græcos ipſos ſalutiferæ, habeant maturos & diligentes tractatus.* Cùm ergo poſteà Cantacuzeno Græcorum Imperatori indulſit Clemens VI. œcumenicam colligi Synodum, *ὀικονομικῶς* id factum, nempe *cùm veritas orthodoxa non reuocanda in dubium eſſet à Catholicis, ſed exponenda Schiſmaticis, argumentiſque Theologicis confirmanda:* vt ait doctiſſimus Annalium Baronij continuator. At cùm Synodi ſpem præmatura Clementis mors intercepiſſet, congregandam Synodum *negauit Vrbanus iiſdem de cauſis, quibus Benedictus.* Et rurſum Eugenius IV. humaniora Clementis conſilia ſecutus, Synodum conceſſit Græcis, & Florentiæ celebrauit. Hæ fuerunt quaſi alternæ vices ſtricti & remiſſi iuris. Stricto impenſius ſe dediderat & Martinus V. Græcos abſolutiſſimè *ſub illa fide, quam ſancta Eccleſia Romana tenet*, ad vnionem inuitans: non aliter quàm Bohemos hæreticos audire ſe paratum Sigiſmundo Regi Roman. ſcripſit, *Ita ſcilicet, ſi venirent parati, ſtare noſtræ determinationi, nobis & Eccleſiæ de cætero parituri. Sic*

Apud Rainald. ad an. 1339. n. 19. 25 27. 32. 34. 35.

Idem ad an. 1350. n. 31. 1352. n. 24. 1369. n. 1.

Idem ad an. 1411. n. 9. 12. 1417. n. 10.

Digitized by Google

enim erat hæreticis audientia concedenda, non diſcuſſionis, & diſputationis gratiâ, ſed informationis & inſtructionis eorum. Quin & Eugenius ipſe teſtatus eſt ſexcenties Synodum Græcis condonari *reuocandis* ad fidem & vnitatem Eccleſiæ Romanæ: conqueſtus idem de Baſileenſibus Patribus, Bohemos hæreticos ab illis *fuiſſe inuitatos Baſileam ad diſputandum & contendendum ſuper articulos in Conciliis generalibus, & per proceſſus Apoſtolicos tam ſolemniter condemnatos, in iniuriam authoritatis Apoſtolicæ, ſacrorumque Conciliorum:* quamuis & ipſi Baſileenſes obtenderent accitos Bohemos informationis & inſtructionis tantùm gratiâ. In ipsâ poſtremò Florentinâ Synodo, quomodocumque affecti eſſent Græci, & antiquas iactarent, liberaſque Synodos; amplexabantur tamen illos Latini, quaſi veniſſent, *omni dimiſſâ incredulitatis pertinaciâ, vt veritatem cognoſcerent:* vt ait Andreas è ſancta Cruce: eorum argumentis reſpondebant, tanquam *iuxta doctrinam beati Petri, parati reddere rationem omni petenti, de ea quæ in nobis eſt fide:* illis congratulabantur, *vt qui fermè quingentis annis ab Apoſtolica Sede, & Romana Eccleſia diuiſi fuerant, & nunc in vnam veritatis profeſſionem pariè conuenirent.*

Idem ad an. 1431. n. 21. 24. 25.

Apud eundem an. 1438 num. 6. 20. 1439. n. 9.

Et ante hæc omnia in conflictu Anſelmi Hauelburgenſis Epiſcopi, à Lothario Imperatore ad Calo-Ioannem CP. Imperatorem miſſi anno Chriſti 1138. cum Nechite, aliiſque Græcorum eruditiſſimis: his ad nauſeam vſque ingerentibus, communi Concilio diſceptanda fuiſſe fidei dogmata, non à Romano Pontifice occupanda; *Si enim Romanus Pontifex in excelſo throno gloriæ ſuæ reſidens, nobis tonare, vel quaſi proiicere mandata ſua de ſublimi voluerit: & non noſtro Concilio, ſed proprio arbitrio, pro beneplacito ſuo de nobis, & de Eccleſiis noſtris iudicare, imò imperare voluerit; quæ fraternitas, ſeu etiam quæ paternitas hæc eſſe poterit? &c. Quid vobis Scripturarum ſcientia? quid Magiſtrorum doctrinalis diſciplina? quid ſapientum Græcorum nobiliſſima ingenia? Sola Romani Pontificis authoritas, quæ ſicut tu dicis, ſuper omnes eſt, vniuerſa euacuat. Solus ipſe ſit Epiſcopus, ſolus magiſter,*

Centuriat. cent. 12. c. 9.

Digitized by Google

&c. Romanam Eccleſiam ego tecum veneror, ſed non tecum per omnia ſequor: nec ex neceſsitate per omnia ſequendam arbitror: Ita Græculis in fide etiam iam tum claudicantibus, teſte Bernardo: & decliui eo gradu in præceps euntibus: ſummatim contrà excipiebat Anſelmus, nullâ vnquam hæreſi Romanam Eccleſiam, cæteras frequentiſſimè conſpurcatas fuiſſe: quod nec Græci detrectare poterant, ſed qua fellis & odij amaritudine deliburi erant, hanc non fidei conſtantiam, ſed vel imperitiam, vel hebetudinem, vel diuinorum indiligentiam atque incuriam interpretabantur. Contrà rurſum Anſelmus: *Statuta Romanæ Eccleſiæ, per Deum, & à Deo, & poſt Deum proximo loco authoritatem obtinuerunt, in vniuersâ per totum mundum Eccleſia.* Et rurſum circa annum 1177. Hugo Etherianus, Thuſcus, in tractatibus Conſtantinopoli ſcriptis & ad Alexandr. III. inſcriptis, lib. 3. c. 16. *Si Conſtantinopolitana Synodus Niceno adiecit Symbolo, In Spiritum Dominum & viuificantem, & ex Patre procedentem: Si Chalcedonenſis Synodus quoque Conſtantinopolitana addidit Synodo, perfectum in humanitate, perfectum in humanitate, &c. nullâ reprehenſione nullâque calumniâ notandus eſt antiquioris Romæ Antiſtes, quod causâ interpretationis dictionem vnam, Ex Filio procedere Spiritum: ſanctorumque plurium Epiſcoporum, ſcientiſſimorum Cardinalium conſenſu habito apposuerit. Licuit enim ei, ſemperque licebit fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, ſicubi aliquid obſcurè ſcriptum ſit.* Et aliquantis interpoſitis, *Nequaquam licet calumniari ſanctiſſimam, & magnam, omniumque Principem Romanam Eccleſiam, quaſi aliam fidem conſcripſerit, aut compoſuerit, aut docuerit. Nam neque affert, neque perdocet, neque aliud tradit Symbolum, ſi editum à ſanctis Patribus interpretatur: non perpetiens fidem labefactari, apud quos ſemper effulſit. Quæ licèt Primatum habeat, attamen humiliat ſeipſam, reſpondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam ſe calumniantibus reſpondit. Iniuſtè, inquit, arguer, dum non fidem, ſed memoriam renouo. Non apposui, non ademi Symbolo, ſi dictionem occultam manifeſtani.* Sic ille Pontificiam æquè

Bibliotheca PP. Tom. 9. pag. 545. 546.

Digitized by Googl

& Synodicam authoritatem explicat in fide condenda, id eſt, explananda: nec enim aliter nouum cuditur Symbolum, niſi dum vetus aperitur. Et c. 17. *Æquum igitur eſt, ratum habere, quod tanta Eccleſia decernit: quod tantus Pontifex enunciat: ſine quo viror calami omnis eccleſiaſticæ traditionis areſcit.* At verò Barlaamus Hieracenſis Epiſcopus de vnione vtriuſque Eccleſiæ circa annum 1303. vt autumant, varias ſcripſit epiſtolas, quarum ex primâ ſtrictim hæc delibo. *Cùm diuina prouidentia nihil inordinatum dimittat, omniſque multitudo ordine per ſe careat, niſi reducatur ad vnum principium. Pluralitas enim principiorum & carentia principij, ſimilis ſunt inordinationis. Romana gentis vniuerſa multitudo ſub vno eſt ordinata principio: Eccleſiâ videlicet Romanâ & eius Præſule, quem omnes honorant, non tanquam armis & vi, ſed tanquam à Domino Chriſto ordinatum, &c. illius mandata cum omni reuerentiâ omnes non tanquam Apoſtolica tantùm, verùm etiam dominica ſcripta recipiunt & adorant. Et nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quietè parati ſint ad implendum, & omnes ab illo corrigi ſua & retractari ſuſcipiunt.* Pergit ex aduerſo percenſere lernam quandam malorum ebullientem ἐκ τῆς ἀναρχίας, ſiue πολυαρχίας Græcorum. Et in epiſt. 2. *Quod in machina vniuerſi contingit, quòd quæ longinquius à Deo diſtant, procliuiora ſunt ad peccandum, & minùs determinata, & mutabiliora: quæ verò propinquiora ſunt, eadem in bono permanentiora, & ſtabiliora, & magis determinata: idem in Eccleſia etiam profectò contingit. Plurimæ enim & deterrimæ hæreſes in partibus magis à Romanâ diſtantibus ortæ ſunt: Romæ verò vel propè authores hæreſum facti non ſunt. Matre enim Eccleſiarum omnibus veritatis radios emittente, profectò contingebat propinquiores magis, quàm longinquiores clariùs illuminari.* Hæc Chriſtiano pectori, calamoque accommodatior eſt ratio, quàm quæ ſuprà à ſtomachantibus Græcis effutiebatur. Ita prorſus vt apud Euſebium, quandiu Apoſtoli orbem ſuperſtites illuſtrarunt, erubuit orcus hæreſes euomere: at illis hinc demigrantibus, illæ cateruatim erupêre. Et rurſum Barlaa-

Bibliotheca PP. Tom. 3. pag. 861. 866. 867. 877. 884.

Euſebius lib. 3. c. 32. ex Hegeſip.

Digitized by Google

mus: *Et ex illâ quidem Eccleſiâ nulla hæreſis ſuperioribus temporibus ortam habuit: nulla verò aliunde ortarum occidit ſine illius prouidentiâ, &c. Nam etſi aliquis ſemel illorum Pontificum alicui hæreſi aſſenſus eſt; ſed non in longum, aut de longo huius remedium. Statim enim eadem Eccleſiâ aduerſa:â ei, illorum oratione, Sede ſimul & vitâ priuatur.* Et in aliâ rurſus epiſtolâ copioſiùs aduersùm Græcos diſputans, excito etiam illo dubio, an ſoli etiam Romanæ Eccleſiæ fides neceſſariò mancipanda ſit: an totius Eccleſiæ, ſiue Concilij generalis authoritas prætereà deſideretur, hæc habet: *Neceſſarium autem arbitror adhuc & illud tibi oſtendere, quod licet tria dixi ſuperiùs eſſe, quæ coëgerunt me credere & ex Filio Spiritum ſanctum procedere: hoc eſt, multos magnorum ſanctorum hoc apertiſſimè tradere: Matrem Eccleſiarum hoc ſemper dicere: Per generale etiam Concilium hoc fuiſſe affirmatum: tamen quodlibet horum ſine aliis per ſe viſum, non habens reliqua duo oppoſita, ſatis ſe habere conſidero, vt idipſum credatur.* His ad vnguem quadrant, quæ alibi ex Nilo Theſſalonicenſi Archiepiſcopo ſuos gregales propugnante decerpſimus, & eadem prorſus tela contra Romanam, atque Occidentalem, adeoque contra Catholicam Eccleſiam acuente, atque eiaculante; quæ inopini retractant, ſibique prodeſſe poſſe hallucinantur illi ex noſtratibus, ad quos hanc diſſertationem adornauimus, & illis ſuffarcinauimus argumentis, quæ Latini vbique gentium & omni æuo aduersùs Græcos exerrantes diſtrinxere. Denique Manuel Calecas lib. 4. de Proceſſ. Spiritûs ſancti contra Græcos: *Damaſus Romanus tunc Epiſcopus coacto Concilio Symbolo adiecit ex Filio procedere Spiritum ſanctum, &c. Nec mirandum eſt Romanum Epiſcopum Eccleſiæ Principem, ipſum conuocato Occidentalium Epiſcoporum Concilio illud decreuiſſe. Nam ſi prouinciæ ſæpe ſingulæ Concilia celebrauerunt, eiſque authoritas derogata non eſt: multò ſanè magis hoc ille potuit, cum omnibus circum ſe Epiſcopis, qui paſtor primus, & Eccleſiæ totius Pater, vniuerſaliſque Chriſtianorum omnium iudex eſſe comprobatur; Apoſtolicâ hanc antiquitate Principem ſupremum appellante: de-*

Supra Diſſert. 12. num. 3.

cretiſque

Digitized by Google

cretiſque regiis ipſum ſtatuentibus, ac rebus ipſis ita eſſe clamantibus: Et quo ſine impoßibile profectò eſt eccleſiaſtica negotia tractari, &c. Nempe ab illâ Eccleſiâ nulla vnquam de fide ſententia manauit, quam vt blaſphemam & noxiam Eccleſia nunc omnis damnet, ſeu anathematizet: quando ingentes fluctus plurimaque naufragia contra Eccleſiam fuere. Et mox: *Si igitur ſine illo (Romano Præſule) poſſibile non eſt, eccleſiaſtica decerni: ad ea decernendum, cum paucis aut cum pluribus conueniat, minimùm refert, &c.* Subdit cùm Græci à ſchiſmate ad Romanam Eccleſiam ſe recolligerent, tria ab illis expreſſa eſſe, quorum extremum iſtud erat, *Vt Romanam Eccleſiam in eccleſiaſticis dogmatibus matrem fidelium atque magiſtram, ſanâ ſemper fide eſſe crederent.* Et infrà rurſus: *Conſideranda vobis eſt Eccleſiæ noſtræ dignitas, quæ nunquam de fide, niſi congrua ſenſit, ac ſtatuit: & quæ ſola, vobis omnibus cæteris circa fidem naufragantibus, non ſolùm nihil paſſa eſt huiuſmodi, verùm & iacentes cæteras erexit Eccleſias.*

LXXXII. Item ex Concilio Conſtantienſi, vbi refertur confeſſio Viclephi, Huſſi, & Hieronymi Pragenſis.

Quin & in ipſo Conſtantienſi Concilio idem cernere eſt. Nam act. 19. in abiuratione Hieronymi Pragenſis hæc habentur: *Conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, & huic ſacro Concilio; & ore ac corde profiteor in omnibus ad religionem Chriſtianam pertinentibus, prout ipſa Romana Eccleſia & Apoſtolica Sedes, & hoc ſacrum Concilium profitentur.* Quæ formula ſolennis tot antè ſæculis vſurpata, & etiamnunc vſitata, non poteſt, non debet ſophiſticis cauillationibus contaminari: ſed ſuæ ſimplicitati permittenda ſanè eſt, & infucatæ pietatis ſenſibus æſtimanda. Ad hæc aduertamus animum ad ſententiam eiuſdem Synodi in Vuiclephum latam: *Inſuper quia authoritate ſententiæ & decreti Romani Concilij, mandatoque Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ, proceſſum fuit ſuper condemnatione Ioannis Vuicleph, &c. Declarat hæc ſancta Synodus, definit, & ſententiat eundem Ioannem Vuicleph fuiſſe notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæreſi deceßiſſe. Decernitque corpus eius exhumari, &c.* Extraordinariè hæc Synodus cauſam omnem Vuiclephi retractauit, confirmauitque ſententiam anteriorum

Digitized by Google

Pontificum: ſed ita vt etiam tandiu ante Synodum præmortuus Vuiclephus ob ſolam Sedis Apoſtolicæ definitionem declaretur contumax hæreticus, in hæreſi mortuus & exhumandus. Quid quod & Vuiclephus ipſe, cùm Catholici hominis vmbram ſaltem adhuc, laruamque affectaret, ad Vrbanum VI. hæc ſcripſit, referente eruditiſſimo Annalium Eccleſiaſticorum continuatore Rainaldo an. 1378. num. 116. *Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici: quia ſuppono, quod ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem meam humiliter confirmabit: & ſi ſit erronea, emendabit, &c. Suppono iterum quòd Romanus Pontifex cùm ſummus Chriſti vicarius in terris ſit, ad illam legem Euangelij inter viantes maximè obligatur: & ſi in iſtis errauero, volo humiliter etiam per mortem, ſi oporteat, emendari: & ſi in perſonâ propriâ ad votum potero laborare, vellem præſentiam Romani Pontificis humiliter viſitare.* Sic ille tunc, quia nemo repente fuit turpiſſimus. Eoſdem peruoluta annales, paſſim perſpicies Vuiclephi dementiâ correptos quoſlibet, poſt Epiſcopales Synodos, & Romanæ Cathedræ oracula, ad expuendam hæreſin cogi, vel regijs edictis igni ferroque deleri ante œcumenicam vllam Synodum: hoc eſt, ante Conſtantienſem, quæ aliis de cauſis vbi confluxit, ex occaſione tantùm ad Vuiclephi cauſam deflexit. Sed & ipſe Ioannes Hus apud Rainaldum ad an. 1412. è luto ſuo tantiſper emergens, confitetur nullo erroris mendacio illudi poſſe Eccleſiam, *fundatam tam firmiter ſuprà firmam Petram, quòd portæ inferi non poſſunt aduersùs eam quomodolibet præualere.* Et apud eundem ad an. 1413. Magiſtri Studij Pragenſis ſolenniter profitentur aduersùs Vuiclephum, quod quilibet eorum *ſub iuramento ſuo ſentit & credit, vult ſentire & credere, ſicut Romana Eccleſia, & non aliter: cuius Romanæ Eccleſiæ Caput eſt Papa, Corpus verò collegium Cardinalium, manifeſti ac veri ſucceſſores in officio eccleſiaſtico beati Petri Principis Apoſtolorum, & collegy aliorum Apoſtolorum Chriſti.* Item *Vt quilibet ex ſupradictis, in omni materia eccleſiaſtica & Catholica, fateatur eſſe ſtandum fidei,*

Digitized by Google

ſententiæ, & definitioni Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Romanæ ſuperiùs nominatæ. Hæc paulò ante Synodum Conſtantienſem.

LXXXIII. Item ex Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X.

In Lugdunenſi Concilio Gregorius X. Papa, quàm non inuiſa ſibi Concilia, quàm optata etiam ſint, ita ſignificat in epiſt. indictionis: *Ad quod cùm nos ſufficere non poſſe ſciamus, leuamus oculos noſtros ad montem Dei, vnde opportunum nobis prouenire auxilium & humiliter petimus, & deuotè ſperamus. Et quia in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium, nos cum fratribus noſtris aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu prahabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum conſilio generale Concilium, ſicut imitatione digna ſanctorum Patrum conſuetudo laudabilis, longæque obſeruationis exemplum nos inſtruit, opportuno tempore decreuimus congregandum.* Qui hæc ad infirmandam Pontificis ſolitariam ante Concilium poteſtatem adglomerant, non videntur mihi quidem Pontificis mentem aſſecuti. Optat enim, colligit, commendat Pontifex Concilium generale, non quaſi hactenus fas fuerit hæſitare, ſed vt qui errabant, qui peribant, qui hæreſi nefandæ immerſi erant, quia ſolius Pontificis vocem detrectabant exaudire, eiuſdem cum Synodo œcumenicâ eandem fidem inculcantis exertiore voce, & quaſi tonitruo quodam expergefiant. Ibidem enim declaratur *ruinæ magnæ periculum in ſubtractione populi Græcorum, qui à Sedis Apoſtolicæ deuotione, ac obedientiâ ſe ſubtraxit, &c. Lugendum occurrit, quod per ſubtractionem prædictam à Sedis eiuſdem vnitate ſubtractos, & in denio poſitos, grandis culpæ mors afficit; quod ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ membra tam nobilia, eadem grauis admodum & diſpendioſa ſubtractio tanto tempore mutilauit, &c. Per Concilij ſalutiferam executionem virtus Altiſſimi, eliminatis erroribus, roboratâ fide, reductis errantibus, redintegratâ eiuſdem fidei vnitate, &c. ſciſſuras vniat, ruinas impleat, &c.* Ergo & ante Concilium errabant, fidem conculcabant, corpus Eccleſiæ vniuerſalis ſciderant, qui ſe ab Eccleſiæ Romanæ ſequeſtrauerant vinculo, peribant.

Digitized by Google

LXXXIV. Item ex Innocentio III.

Innocentius III. generalis Concilij authoritatem in ſummo locat faſtigio, Regeſt. lib. 15. epiſt. 104. ad Philippum Regem Francorum, cuius negat per euangelicas leges diſſolui poſſe coniugium: *Si ſuper hoc abſque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter diuinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere: forſan ordinis & officij nobis periculum immineret; cùm contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit authoritas diſpenſare.* Et ſerm. 3. de conſecrat. Pontificis: *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, vt cùm de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fide committitur, poſſem ab Eccleſiâ iudicari.* Profitetur nihil ſe poſſe contra fidem & legem euangelicam: ſi qua illaquearetur hæreſi, id enim poteſt priuatim, vt mortalis quiſque, tum ab Eccleſiâ & Concilio poſſe ſe iudicari. Sed ita hoc Innocentij dictum, ſicut illud Pauli, ſi ipſe vel Angelus de cælo præter iacta fidei fundamenta, adulterinum quid ſuperſtruere voluerit: ita, inquam, interpretandum, vt hæc tamen nunquam euentura certò ſciatur, idem ipſe Innocentius perſpicuè docet in epiſt. ad Epiſc. Conſtantinopolitanum: *Ego pro te rogaui Petre, &c. Exhoc innuens manifeſtè, quod ſucceſſores ipſius nullo vnquam tempore deuiarent, ſed reuocarent magis alios, & confirmarent hæſitantes: propter hoc ſic ei confirmandi alios poteſtatem indulgens, vt aliis neceſſitatem imponeret obſequendi.* Non negat ergo ſi deuiarent à fide, tunc à Concilio iudicandos Romanos Præſules: ſed negat deuiaturos, idque diuinâ ſponſione ratum eſſe tradit, ideoque eis vt pareatur, impoſitam eſſe neceſſitatem omnibus fidelibus. Et paulò infrà ad componendas Græcorum ruinas conuocandum ſpondet Concilium: *Ex prædictis apparet, quod Eccleſia Romana, non tam conſtitutione ſynodicâ, quam diuinâ, Caput & Mater omnium Eccleſiarum exiſtat, & ideo, nec pro diſparitate rituum, nec dogmatum diuerſitate differre debueras: quin nobis ſicut tuo capiti ſecundùm antiquum & canonicum ſtatum benigniùs & deuotiùs obedires, cùm certa non ſint pro dubiis relinquenda: Nos*

Geſta Innoc. III. pag. 42.

Digitized by Google

tamen pro multis neceſsitatibus eccleſiaſticis diſpoſuimus, authore Domino, generale conuocare Concilium, & ſynodalem celebrare conuentum: ad quem ſi vocatus à nobis iuxta ipſius Imperatoris permiſsionem concurreris, cùm hac dogmata ſint, quæ noſtris literis requiſiuimus: vel ſicut membrum ad caput, & ad matrem filia reuertaris, Eccleſiæ Romanæ reuerentiam & obedientiam debitam impenſurus: te ſicut fratrem chariſsimum, & præcipuum membrum Eccleſiæ, benignè & hilariter admittemus, &c. Euidentiſſimè & ante Synodum par incumbit neceſſitas, nec *in dogmate* à Capite & matre omnium Eccleſiarum diſſidendi. Et paulò antè: *Eccleſia duabus ex cauſis vniuerſalis vocatur. Dicitur vniuerſalis Eccleſia, quæ de vniuerſis conſtat Eccleſiis, quæ Græco vocabulo quoque Catholica nominatur. Et ſecundùm hanc acceptionem vocabuli Eccleſia Romana non eſt vniuerſalis Eccleſia, ſed pars vniuerſalis Eccleſiæ, prima videlicet & præcipua, veluti Caput in corpore; quoniam in ea plenitudo exiſtit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur vniuerſalis Eccleſia illa vna, quæ ſub ſe continet Eccleſias vniuerſas. Et ſecundùm hanc nominis rationem, Romana tantùm vniuerſalis Eccleſia nuncupatur, quoniam ipſa ſola ſingularis priuilegio dignitatis cæteris eſt prælata. Sicut & Deus vniuerſalis Dominus appellatur, non quaſi iam diuiſus in ſpecies aut ſpecialiſsimas, aut etiam ſubalternas, ſed quoniam vniuerſa ſub eius dominio continentur.* Ex quo patet diuelli non poſſe Eccleſiam vniuerſalem, hanc ab illâ, ipſam à ſemet, corpus à capite, & ideo non rarò indiſcriminatim vtramque velut vnam vſurpari, vt Chriſti & Eccleſiæ, Capitis & Corporis vnam eſſe vocem, vnam Perſonam Patres obſeruant. Græcos porro etiam ante Synodum, hæreticorum in numero ducendos eſſe, quod à fide & communione primæ Sedis defeciſſent, idem rurſum Innocentius tradit reg. 15. epiſt. 18. *Theſſalonicenſis Eccleſia à deuotione Sedis Apoſtolicæ ſe ſubduxit, per ſchiſma illud diutinum, quo Eccleſia Græcorum à viâ veritatis ad erroris invium declinauit.* Et reg. 16. epiſt. 105. *Ad conſeruandum myſterium vnitatis, vnum Petrum Dominum Caput*

inſtituit & Magiſtrum, cui Oues Chriſti, dicente Domino, Paſce oues meas, ſunt ſine diſtinctione commiſſæ; alienis ab ouili dominico reputatis, qui Petrum in ſuis ſucceſſoribus non agnoſcunt eſſe Paſtorem. Ab hac vnitate Graecorum Eccleſia quondam diuertens, & Petri magiſterio ſe ſubducens, exiuit ouile dominicum, poſt greges ſodalium euagando: & ſic quæ primò ſanis affluebat doctrinis, & pene magiſtra vocari poterat propter tempus, errorum poſtmodum circumfuſa caligine, cæpit plurimum indigere, turſus diuini eloquij rudimenta mendicans. Vt cominus autem inſpiciamus locum ipſum Innocentij, quem importunè obtrudunt: non obſcurum eſt, hac arte enixum illum eſſe extricare ſe ab vrgentiſſimis maximi Regis petitionibus. Porro quod ſibi licere negat, nec Concilio œcumenico fas eſt, euangelicas & diuinas leges diſpenſando infringere. Itaque ſi eiuſmodi quidpiam non iam Pontifex machinaretur, ſed Synodus vniuerſalis, vt illi *ordinis & ſtatûs periculum immineret;* ita huic orthodoxi omnes, conuitia vt *proſtibulo,* vt *mœchorum Synodo* ingererent. Sed conſentaneo euangelicis legibus Synodi iudicio delinietur fortaſſis Princeps, qui ſententiâ vnius Pontificis, veluti præiudicio exaſperaretur. Ita apud Rainaldum anno Chriſti 1266. Iacobus Rex Arragonum repudiandæ leproſæ coniugis, & alterius ducendæ copiam à Clemente IV. poſtulans, repulſam paſſus eſt, & hoc paulò crudius reſponſum accepit: *An credù ſi omnes Reginæ per mundi climata conſtitutæ, leproſæ fierent: daremus Regibus ob hanc cauſam, licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Sciat pro certo, quòd omnes & ſinguli paterentur repulſam, etſi domus regia nullâ prole ſuperſtite, in radice prorſus areſcerent, & in ramis.* Quod non dicebatur tamen, niſi ad retundendam precum impudentiam. Et apud eundem an. 1307. Clemens V. Philippi Francorum Regis preces ad Bonifacij VIII. velut hæretici damnationem moleſtiùs ingeſtas ludificari ſimiliter conatus eſt; rem ad Concilium reiiciens Viennæ celebrandum, quo à Bonifacij memoriâ infandum hæreſeos crimen deterſum eſt.

Digitized by Google

De Paſchali II. ſuprà diximus. Quibus adde eius in Concil. Lateran. 2. Confeſſionem fidei, ab Vſpergenſi relatam, *Amplector omnem diuinam ſcripturam, &c. ſanctos Canones Apoſtolorum; quatuor vniuerſalia Concilia, ſicut quatuor Euangelia, decreta ſanctorum Patrum Romanorum Pontificum, præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorij VII. & beatæ memoriæ Papæ Vrbani. Quæ ipſi laudauerunt, laudo: quæ ipſi tenuerunt, teneo: quæ confirmauerunt, confirmo: quæ damnauerunt, damno.* Vides vt Conciliis generalibus ſubiungantur decreta Romanorum Pontificum, & vtriſque perinde fides addicatur. LXXXV. Item ex Paſchali II.

Gregorij VII. ſententiæ quædam deſcribuntur lib. 2. poſt epiſtolam 55. ex quibus has paucas de Romano Præſule decerpo: *Quòd nulla Synodus abſque præcepto eius debet generalis vocari. Quòd nullum capitulum, nulluſque liber canonicus habeatur abſque eius authoritate. Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit. Quòd Romana Eccleſia nunquam erranit, nec in perpetuum, Scripturâ teſtante, errabit. Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.* Quæ ideo neçeſſe fuit hic adſcribere, quia ſcriptores aliqui vtuntur eius authoritate, vt Pontificem Concilio ſubiternant, quod nempe ab eo non ſubiiciatur Pontifici Concilium. Quo nil alienius dici poteſt. Nam cùm abſque Pontificis præcepto vetat Synodum generalem dici; cùm eius ſententiam à nullo retractari poſſe, omnium ab ipſo poſſe ſtatuit: cùm errare ipſum vſquam negat, oro te, an Pontificem Concilio ſubiicit? Sed ideo ille hâc abſtinuit comparatione, imò conflictatione, quod necdum in mentem veniſſet Catholicis vllis hominibus, Pontifices & Concilia mutuò collidere. Quin ex aduerſo Gregorius alia & alia per annos ſingulos Concilia meditabatur, & quantum facultas aderat, cogebat, ad ea omnes orbis Epiſcopos colligebat, vt quorum authoritatem ſuæ non infeſtam, ſed coniunctiſſimam, & auxiliarem accedere intelligebat. LXXXVI. Item ex Gregorio VII.

Leo IX. epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum Epiſcopum: LXXXVII. Item ex Leone IX.

Digitized by Google

Dominico & omnium Patrum concordi decreto inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Romana & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic rex regum Christus confirmat, &c. Nimirum solus est Petrus, pro quo se rogasse Dominus asserit, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando, &c. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessauit. Et epist. 6. ad Michaël. Patriarch. CP. *Quid hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia Caput & Mater Ecclesiarum, membra & filias non habet? Et quomodo potest dici Caput & Mater? Credimus enim propter quod & loquimur, atque constanter profitemur; Romana Ecclesia adeo non est sola, vel sicut tu putas, vna, vt in toto orbe terrarum, quæcumque natio dissentit superbè ab eâ, non sit iam dicenda vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino nulla: quin potiùs Conciliabulum hæreticorum, aut conuenticulum schismaticorum & Synagoga Satanæ.* Non patitur vnam vel solam dici Romanam Ecclesiam, sed cum cæteris omnibus orbis Ecclesiis nexu indiuiduo constringit, vt Matrem cum filiis, Caput cum membris. Interim illi vt Matri & Capiti & inerrantiam, & maiorum omnium causarum cognitionem, & iudicium decretorium adscribit, siue ad earum definitionem filias cum matre coalescere necesse sit, siue tanto labore sit supersedendum, consensu tacito filiarum cum Matre matris omnia gesta roborante.

LXXXVIII. Item ex Leone III.

Leo III. quoque obiicitur, sed æquè inauspicatò. Nam in colloquio Romano cum Gallis legatis, vrgentibus nempe vt Symbolum etiam cantaretur cum hoc additamento, *Filioque*, & optatissimum fore, vt id Symbolo œcumenicæ ipsæ Synodi adiecissent, Respondit Leo: *Sicut non audeo dicere, non bene fecisse, si fecissent: quia procul dubiò sicut cætera quæ vel omiserunt, scientes vtique, & non tam*

tam humanâ, quàm diuinâ illuminati ſapientiâ fecerunt: Ita quoque non audeo dicere, iſtud eos nobis minùs intellexiſſe, perpendiſſe cur dimiſerunt, vel cur dimiſſum, ne vltrà mitteretur, ſicut & cætera, prohibuere. Tu & tui, videte quid ſentiatis de vobis. Nam vt ego me illis non dico præferam, ſed etiam illud abſit mihi, vt coæquare præſumam. Ita ex Zmaragdi ad Carolum Magnum epiſtola apud Baronium. Hoc animo omnes fuiſſe priuatim Pontifices erga Concilia, nullus dubito. Hæc enim, vt ibidem præmittitur, fuit *collatio*, vel potiùs *diſputatio*, nequaquam diiudicatio, vel definitio Pontificia. Et infrà Leo, *quod non affirmando, ſed vobiſcum pariter tractando dico.* Et paulò ſuprà: *Quod non imperando, ſed vt priùs permittendo dicimus.* 2. De fide hic non vertebatur, ſed de cantu eccleſiaſtico: an cani etiam publicè Symbolum cum illo additamento conduceret. 3. Nam quòd ad fidei dogma pertineat, & ſalutis eorum qui huc vſque poſſunt aſſurgere, interſit, vt credant à Filio Spiritum ſanctum procedere, idem Leo frequentiſſimè ibidem conteſtatur; quod tamen ſine Concilij generalis decreto, ex ſolâ Petri Sede in omnem Occidentalem orbem peruaſerat. 4. Annales Francorum audi ad eum annum, & perdiſces, quàm in omnibus ad fidem attinentibus, ad ſolam Apoſtolicam Sedem arrecti fuerint, & ſequaces tunc maiores noſtri, nequedum iſtis excantati Pontificum & Conciliorum diſſidij rumoribus. *Imperator Arduenâ Aquiſgranum reuerſus, menſe Octobri Concilium habuit de proceſſione Spiritûs ſancti. Quam quæſtionem Ioannes quidam Monachus Hieroſolymis primus concitauit. Cuius definiendæ cauſâ Bernarius Epiſcopus Vormatienſis, atque Ieſſe Epiſcopus, & Adelardus Abbas Monaſterij Corbeiæ, Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt.* Hut vſque ſpectat, & definit Concilium Epiſcopale in Gallia, vt Romam mittantur Epiſcopi ad Leonem, *rei definiendæ* causâ.

Ac ne longiùs regrediar, abundè ex his eniteſcit, inſolentiſſimum & olim inauditum fuiſſe, quod nuper comminiſci cœperunt pauci quidam doctores, Sedis Apoſto- LXXXIX. Rurſus ex Hincmaro, Alcuino, Beda.

licæ & Ecclesiæ vniuersæ dissidium. Quicumque olim damnati fuere *Ab Apostolica Sede, & vnanimitate sunt totius mundi Episcoporum vt erronei condemnati:* vt ait Hincmarus lib. de diuort. Loth. & Teutb. Vtque idem paulò antè ex epistola Gelasij Papæ approbauerat, *id sequendum esse dignoscitur, quod Apostolica Sedes irrefragabiliter teneri decreuit, vel plura seu maioris authoritatis Concilia statuerunt.* Et Alcuinus lib. 1. aduersùs Felicem, Felice aiente se credere *Ecclesiam Catholicam toto in orbe diffusam, per Apostolorum prædicationem in Christo Domino velut solidâ Petrâ fundatam:* excipit ipse ex aduerso, *Si sancta Dei Ecclesia in toto orbe est diffusa, ergo nequaquam in illis est, quia illi non sunt in toto orbe. Porro nos intra terminos Apostolicæ doctrinæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus.* Et toto pene operis contextu huc tandem reuoluitur, vt extra Catholicam Ecclesiam esse probet Felicem, quem particulares tantùm Synodi, & Sedes Apostolica profligauerat. Et Beda lib. 3. hist. cap. 29. *Intellexerat enim Osuui, quamuis educatus a Scotis, quia Romana esset Catholica & Apostolica Ecclesia.*

Tom. 1. pag. 681. 679.

XC. Ad obiectionem ex Gregorio Magno petitam respondetur.

Gregorij Magni patrocinium iactitant, quo tamen perimuntur. Sic enim ille lib. 4. epist. 38. ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum: *vniuersalis* nomen insolentiùs vsurpantem: *Nos quidem in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, seruamus, quod veritas præcepit dicens, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Si te non audierit, dic Ecclesiæ, &c. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc, quod in totâ Ecclesiâ peccatur, corripere studui, nunc per meipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere.* Quod planè à re quam tractamus, totum alienum est. Num enim de fide contentio erat inter Gregorium & Ioannem? Num de fidei præuaricatione verba Christi Patrum quispiam interpretatus est? An ibi etiam Synodos prouinciales & vniuersales ex verbis Christi scrutabuntur? 2. Illa verba, si peccauerit *in te* frater tuus, his Gregorius notauit, *nos in*

Digitized by Google

quos talis tantaque culpa committitur: quo ſenſu pium erat, ne in ſuâ causâ Gregorius iudicem ſolus ageret, & ſuas iniurias vlciſceretur. 3. Num Chriſtus per illa verba, *dic Eccleſiæ*, vniuerſalem Eccleſiam ſynodicè congregari toties voluit, quoties contumax quiſpiam fidelium contubernio eliminandus eſt? Quis tam immaniter deſipit? Quiſquis Epiſcopus fidelem quemlibet ſceleroſum anathemate percellit, dicit Eccleſiæ. Ergo & Gregorius anathema interminatur illis verbis, quod fieri non poteſt, niſi dicatur Eccleſiæ. 4. An poſſunt vel ipſi ſibi confingere vel ſomniare, quod de Synodo œcumenicâ colligenda cogitarit Gregorius aduersùs Ioannem Conſtantinopolitanum? Qui potis fuiſſet? Ea poteſtas penes Imperatorem adhuc erat. Sed vbi huiuſmodi exemplum in Eccleſiæ annalium tam ſpatioſo ambitu? 5. Epiſcopos & Metropolitanos compluries Gregorius ſacris ſummouit. Toties verbis Chriſti peræquè obſequendum fuit, peræquè obſecutus eſt, toties dixit Eccleſiæ. An vſquam Synodum generalem indixit? 6. Vbi Epiſcopus excommunicaturus quempiam, dicit Eccleſiæ, ſibi imprimis dicit. Nec enim quaſi ab Epiſcopo ad Eccleſiam prouocatur, ſed tota extremi & peremptorij illius iudicij authoritas & poteſtas penes vnum Epiſcopum eſt. 7. Nec in Chriſti verbis, nec in Gregorij epiſtolâ, nec in vſu Eccleſiarum familiariſſimo, poſt primam & iteratam correptionem quidquam ſupereſt dubitationis, ad cuius quaſi detergendam caliginem copioſiori cœtu totius Eccleſiæ opus ſit. Sed qui reus iam compertus eſt ſemel & iterum, quia culpam pertinacitate exacerbat, tertiò & terribilius conuenitur, vt vel ſic reſipiſcere ſuadeatur. Ita de Gregorio igitur æſtimandum. Ita & hodierni Pontifices ſentiunt. Nam in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ita in Orat. 1. ſynodali peroratum eſt: *Si qui fortè Pontificem ipſum per ſe inermem parui pendere auſi ſunt, Synodi authoritate, Principumque & nationum conſenſu & ſtudiis inſtructum metuere & vereri conſueuerunt.* Tum omnes retro Pontifices

Synodis magna & optima quæque moliti pernumerantur. 8. Gallicani ipſi Epiſcopi ſuprà num. 75. ſynodicè congregati, Arnulphi Epiſcopi Remenſis flagitia ſe *Eccleſiæ dicere* affirmabant, cùm ea ad Romanum Pontificem animaduertenda deferebant. Vide verba ipſa ibi exſcripta. Vide exemplum conſimile apud Rainald. an. 1203. n. 56.

XCI. Ad eos qui inutiles ergo fore Synodos argutantur, reſpondet Melchior Canus.

Quibus non incongruè & iſta ſubiiciemus ex Melchi. Cano lib. 5. de auct. Concil. cap. vlt. vt eorum diluatur querimonia, qui Synodos inutiles ominantur fore, ſi Pontifex in fidei causâ iudex ſit ſummus & firmus. *Primùm enim Romanus Pontifex non temerè & ſtultè, ſed conſideratè atque ſapienter habet fidei controuerſias definire, aduocando ſcilicet conſiliarios, vel plures, vel pauciores iuxta rei de qua diſſeritur grauitatem. Iuuant enim Patres Concilij ſummi Pontificis fidem, atque doctrinam. Vnde in Concilio Hieroſolymitano cùm facta eſſet magna conquiſitio, Petruſque ſententiam dixiſſet nullo ſacrarum literarum teſtimonio fulcitam: Iacobus probauit eam quidem additis teſtimoniis Prophetarum. Adiecit etiam, quaſi de ſuo, legem maximè neceſſariam de abſtinentiâ ab Idolothytis, fornicatione, ſuffocatis & ſanguine. Ita enim diuina procuratio in Eccleſiam ſe fundit, vt membra præcipua tametſi à capite ipſa pendeant, caput tamen tueantur & iuuent. Facit quoque Concilium planſibiliorem populo fidem, propter acceptiſſima multorum teſtimonia atque iudicia. Nam & leges quæ communi optimatum conſenſu & rogantur & feruntur, libentiùs populus accipit, quàm ſi à Rege ſolo ederentur. Quamobrem Beda lib. retract. in actis Apoſtolorum prudenter ſanè monuit Paulum contuliſſe cum Apoſtolis aliis Euangelium, quod prædicabat in gentibus, ſolerter in Concilio diſquirens, an rectè de legalium ceſſatione doceret. Non quod ipſe de hac re, inquit, aliquid dubitaret, ſed vt mentes dubitantium Apoſtolicâ Synodi authoritate firmarentur.*

XCII. Ex eodem aſtruitur rurſus variis argumentis authoritas ineluctabilis definitio-

Et idem rurſus lib. eodem cap. 4. hæc habet ad ſuperiorum illuſtrationem peropportuna: *Nec expedit nec tolerabile eſt ſingulis hæreticis condemnandis ſingulas Synodos generales cogere. Cùm ergo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit in neceſſa-*

Digitized by Google

riis, nimirum ad hæreſes priuatas in prouinciis refutandas, Concilia prouincialia ſatis erunt, ſi erunt modò ſummi Pontificis authoritate roborata. Præterea quoſcumque eiuſmodi Concilia damnauere, Eccleſia eos ſemper exploſit. Errare igitur illa in fide nequeunt. Et infrà: *Quod actorum 15. congregatum legitur, hoc non generale, ſed prouinciale Concilium fuit. At non minor fides habita eſt Petro præſidenti, quàm ſi eſſet Synodus generalis.* Et paulò pòſt: *Certè Concilia niſi ſint peculiariter reprobata, communi Eccleſiæ vel ſilentio, vel etiam implicito conſenſu commendantur, ſi ad Eccleſiæ communem notitiam peruenerunt. Non enim ſit aliquo pacto veroſimile, vt Concilij prouincialis toto orbe vulgati hæreſim Eccleſia diu diſſimulauerit. Error enim cui non reſiſtitur, approbatur, d. 83. c. error.* Vbi vides & Pontificum & Conciliorum prouincialium decretis, ex *ſilentio* Eccleſiæ vniuerſalis, œcumenicæ Synodo parem accedere authoritatem. Quibus & iſta adde ex doctiſſimo Duuallio, part. 2. q. 2. de infall. Rom. Pont. *Diligentiſſimè obſeruandum eſt, vt aliquod dogma, tanquam hæreticum habeatur, non eſſe neceſſariam Concilij generalis celebrationem, ſed ſufficere ſummi Pontificis condemnationem, vnà cum acceptatione totius Eccleſiæ per orbem diffuſæ. Licèt enim decretum Pontificis quatenus ab eo ſolo promanat, de fide non ſit, cùm eius in decernendo infallibilitas fide Catholicâ minimè conſtet, vt ſuprà declarauimus: nihilominus ſi hæc condemnatio ab vniuerſali Eccleſia licèt diffusâ, & non coactâ in Concilio approbetur, iam nemo citra fidei detrimentum ei poteſt contradicere. Eſt enim de fide Eccleſiam, non tantùm vt congregatam in œcumenico Concilio, ſed vt diffuſam per orbem errare non poſſe.* Et infrà, *Tantam in Eccleſia obtinere debuit ſummus Antiſtes poteſtatem, quanta ad vnitatem Eccleſiæ retinendam eſt neceſſaria. Atqui ad hanc vnitatem neceſſaria eſt infallibilitas definiendi. Aliter enim non poſſent lites & diſſenſiones, quæ circa fidem in dies emergunt, componi, cùm Concilia generalia rarò & cum maximâ difficultate cogantur, & hoc tempore in tantâ Regum Chriſtianorum æmulatione vix ac ne vix quidem celebrari poſſunt.* Et inferiùs quæſt. 3. ad-

num Sedis Apoſtolicæ.

XCIII. Item ex Duuallio.

Digitized by Google

uertit, *Infallibilitatem Eccleſiæ & Pontifici à Chriſto eſſe conceſſam, ſed diuerſo modo (de Concilio generali non loquor.) Illa quidem paſſiuè, quatenus nempe vi promiſſionum Chriſti, & perpetuæ Spiritûs ſancti aſſiſtentiæ, falſum pro vero nunquam poterit acceptare. Huic autem actiuè, quatenus nunquam pro vero falſum in definiendo obtrudet, & id quidem virtute & efficacia orationis Chriſti, &c. Hæc autem duplex infallibilitas maximam fidei Catholicæ firmitatem arguit. Nam ſi per impoſſibile Pontifex in definiendo falleretur, Eccleſia tamen illius errore non inficeretur. Et ſi ſimiliter per impoſſibile Eccleſia falſum pro vero coleret, ſummus tamen Pontifex huiuſmodi falſitatem ſuâ definitione quamprimùm damnaret. Dixi verò, ſi per impoſſibile, quia quod alterutrum horum falſum pro vero definiat, nunquam poteſt contingere.* Ex quibus abundè patet, indiuidua quàm ſit Capitis & corporis, Pontificis & Eccleſiæ vniuerſæ fides atque authoritas, quamque vtrique terga vertat, qui alteri minus eſt obſequens.

XCIV. Item ex Petro Aurelio. *Pag.* 98. 134. 212.

Nec ab his diſſonat Petrus Aurelius, qui part. 1. *Hæreticis non paucis ſimiliter contigit, vt nimirum ab vnius prouinciæ aut regni Epiſcopis damnati ſint, cæteris conſenſu ſolùm tacito, non ſynodalium decretorum authoritate ſuffragantibus. Sic enim Euſthatianos quos Synodus Gangrenſis damnauit, non legimus ab aliarum prouinciarum Conciliis apertè deinde damnatos. Idem Aërianis, Collyridianis, aliiſque contigit, quos præter locorum vbi exorti ſunt, Epiſcopos, non conſtat ab aliarum regionum Synodis reiectos eſſe; ſed vniuerſali Eccleſiæ conſenſione, quæ ſenſim ſine ſenſu inoleuerit, exauthoratos.* Et infrà effusè indignatur in eum qui velut ex Cardinalis Perronij ſuffragio pronunciauerat, *Cenſuras & anathematiſmos vim in animos hominum non habere, niſi ab authoritate prorſus infallibili proficiſci credantur.* In quem ita perorat: *Nullam ergo vim habebunt in animos hominum anathematiſmi cenſuræque Epiſcoporum, quia Epiſcopi prorſus infallibiles non ſunt? Nullam vim habebant anathematiſmi S. Cyrilli Alexandrini, quia infallibilis ab eo fidei non erant? Per te igitur rectè illos vt inutiles friuoloſque reſpuebant Neſtorius, Theodoretus, cæterique malarum*

Digitized by Google

partium gregales? Nullam vim habebant Alexandri Alexandriæ Episcopi, Synodique Alexandrinæ in Arium anathemata? Flaviani in Eutychetem? Africanorum Patrum in Pelagium? Dictum ergo Perronij de rebus dubiis & problematis capi, cuiusmodi erat de quo tractabat tum, non quo Episcoporum de iis decreta impunè sperni possint. *Sed vim habere negauit, quâ sibi fidem certam & minimè dubitabilem in animis hominum, quasi fidei statuta concilient, nisi infallibili authoritate condantur, quæ est Ecclesiæ Catholicæ potestas, vel in capite residens, summo Pontifice: vel in corpore, Concilio œcumenico, vt ipse paulò pòst exponit. Non autem negauit habere vim, quâ honorem sibi & obseruantiam à Catholicis hominibus exposcant, ne palam labefactari vel infringi possint contrariis assertionibus, sine superbo scelere, ac peruicacia, nisi infallibili, maiorique authoritate soluantur: quamuis internam animi fidem certam fixamque iis adhibere nihil necesse sit, donec iudicio pleniore confirmentur. Interea tamen dandus iis quoque consensus animi, nec temerè ab eorum norma recedendum, nisi perspicua, testata, & indubitata ratio occurrat. Hoc enim Christiana virtus & Christiani animi officium ac moderatio præcipit, vt iis quos cælestium rerum duces nobis dedit Deus, ante omnes & ante omnia regendos nos, docendosque præbeamus, nisi ab eodem ipso Deo, à quo iis subiuncti sumus, ab iisdem audiendis, clara penitus minimeque ambigua rationum authoritatumque luce reuocemur.* Hæc illæ de Episcoporum decretis, de Romano autem Pontifice alibi, *Sicut dubitantibus prouincialibus Episcopis iubet Antiochenus Canon consuli vicinos; ita post vicinos accersitus, si prouinciales nihilò minùs dubitarent, neque connenire possent, quod in rebus dubiis & grauissimis factu perfacile est; minimè dubium est quin eadem opera consuli vellet maiores alios, ac denique supremam omnium Petri Sedem, fidei & vnitatis ecclesiasticæ caput, cuius Præsulibus concessa est præcipua gratia & potestas fratres suos confirmandi, &c. Nam debitus à nobis Deo honor postulat, vt constitutos ab eo in terris ordines veneremur, & exquirendæ mentis ac lucis ipsius, quas nobis reliquit vias, gradatim sequamur. Porrò Episcopis qui*

Patres ſunt, doctoreſque Chriſtianorum is ſuperior proximuſque ad conſulendum doctor eſt, qui Pater Patrum, Doctor Doctorum, Epiſcopus Epiſcoporum eſt conſtitutus: vt quemadmodum ipſos potiſſimum aly audire debent, ita ipſi illum, ſolum ordinarium magiſtrum à Deo ſibi præpoſitum. Id hauſtum ait è veteri lege, quâ Deus ſanxerat, *Vt quidquid difficile atque ambiguum oriretur, ad religionis ſuæ verticem, atque ad Sacerdotes Leuitici generis, ſupremumque iudicem Dei templo præſidentem conferret ſe, & illius ſententiam audiret.* Hîc perſpicis 1. epiſcopalibus etiam de fide definitionibus, venerationem deberi, & animi aſſenſionem, niſi *perſpicua, teſtata, & indubitata ratio* contrà ſuadeat, ſeu *clara penitus, minimeque ambigua rationum authoritatumque lux:* at contra tam perſpicuam claramque penitus & minimè ambiguam lucem ac rationem, rariſſimum vtique eſt, nec ferè credibile eſt, vt Synodi prouinciales quidquam definiant, niſi iam hæreticum hauſerint virus Epiſcopi, & à Catholicâ Eccleſiâ apertè deſciuerint. 2. Multò plus honoris & fidei ſummo Pontifici adiiciendum eſſe, vt qui Doctor doctorum & ordinarius magiſter Epiſcoporum à Deo conſtitutus ſit, gratiaque ſpeciali roboratus ad confirmandos fratres: & eius gradum tenens Pontificatumque, quem lex diuina iubebat in dubiis conſuli, & audiri. 3. In dubiis Pontificem conſulendum eſſe ab epiſcopalibus Synodis, tanquam ordinarium magiſtrum: & ex conſequenti audiendum. Nam ad extraordinaria oracula, ſeu ad Concilia œcumenica num toties recurrendum erit, quoties dubia & perplexa excitabuntur? Ita peſſimè proſpectum eſſet Eccleſiæ. 4. Conſenſione tacitâ Eccleſiæ vniuerſalis accedere pondus ineluctabile authoritatis, & œcumenicæ Synodi non diſſimile, definitionibus etiam prouincialium Synodorum. Pontificis ergo de fide decretis vix aut nec vix poteſt non conciliari hæc conſenſio tacita vel expreſſa totius Eccleſiæ; cùm illis ſuffragari & aſſentiri omnes debeant, quos *perſpicua, penitùs clara, minimè ambigua lux, & ratio* non reuocat. Quæ ſanè ſi Pontificem non

reuocat

reuocat à definiendo, nec multitudinem Christianorum reuocabit ab assentiendo; hoc est, si nulla huiusmodi occurrat Pontificî definienti, nulla occurret prorsus fidelibus assensuris.

XCV. Ad exempla Pontificum, qui iactantur erraſſe.

Quòd verò Pontifices aliquos erraſſe memorant, si vi aut cupiditate, vel insciti â in errorem contendunt priuatim actos esſe, non facilè id quidem largiar, non satis firma ad id efficiendum argumenta proferri solent. Sed nunc quidem nihil moror. Id vnum vrgemus, nil definisſe Pontifices fidei aduersum. Non ergo vertitur, quid crediderint, sed quid docuerint. Quos docuisſe aliena quæpiam à fide blatterant, suo sigillatim loco purgabimus. Adde & Concilia œcumenica alioqui futura, erraſſe etiam aliquando, v. g. Ariminense, & Ephesinum secundum. Sed vt his statim vniuersa Christi Ecclesia interceſſit palàm; quibus autem interceſſum non est, iis inconcussa fide adhæresc imus: ita si quid præposterum Pontifex docens Ecclesiam definiret, reclamaret Ecclesia vniuersa; atque adeo vbi non reclamat protinùs & palàm Ecclesia, vtique assentitur, vtique definitioni Pontificiæ certum & inuictissimum robur ineſſe vel sentit, vel facit, vel potiùs & sentit & facit. Ideo Duuallij sententiam à nostrâ nil discrepare interpretamur hactenus, quod indiscretam cùm velimus Pontificis & Ecclesiæ causam atque authoritatem: nec negemus tamen magis popularem, videri & plausibiliorem Ecclesiæ personam: perinde nobis est Pontifici definienti, seu Ecclesiæ vniuersæ consentienti fides deuoueatur: illius enim definitioni huius consensio confestim conciliatur: vt liquebit perlustranti omnium hactenus sæculorum mores suprà enarratos.

XCVI. Quàm modestè Pontifices suum hoc priuilegium ostendant, & quàm id Ecclesiæ salubre sit.

Idque vt mihi quidem videri solet, momenti plurimùm habet ad pacem Ecclesiæ, inter tot æstuantes in hoc negotio altercationes, alendam. Nam nec Pontifices nimis importunè extundere satagunt, vt infallibiles habeantur; cum vt vt id inficientur aliqui, ipsis definientibus

Digitized by Google

adglutinetur vniuersa Ecclesia, cuius iam fidem inexpugnabilem modestius audientiusque prætendunt: vt suprà Leonem X. imò omnes Pontifices audiuimus, & consentaneos illis scriptores ecclesiasticos, Catholicæ totius Ecclesiæ fidem ostentare, cùm solus Pontifex esset elocutus. Nec vicissim à Pontificis definitionibus desciscunt, vel qui eorum infallibilitati aduersantur; quippe qui Ecclesiæ saltem vniuersæ authoritate in officio retineantur indeclinabiliter, nec ad Concilium prouocare, vbi sola fidei controuersia exarserat, vnquam adgressi sint. Itaque tota eorum refragatio clancularia est, in angulis mussitat, furtiuas vexat schedulas; ne è latebris suis in publicum prodeat, ne hactenus à Constantiensi Concilio post qualemlibet Pontificum de fide constitutionem eruperit vel semel Concilij prouocatrix, obstitit Sol Ecclesiæ splendidissimus, cuius authoritatis Pontificibus deuinctissimæ radio opprimuntur.

XCVII. Quàm clementer sentiendum de Catholicis doctoribus sequiùs sentientibus.

Quod etiam temeritatis & erroris maculâ absoluit Duallius eos, qui errare posse in docendo Pontifices pronuntiant, nec id abnuerim. Quanquam enim tam perspicua, & tam inconcussa illis omnium retro sæculorum ante Constantiensem Synodum traditio infesta sit: quanuis aduersùs nuperas tot hæreses sibi non discors Ecclesiæ disciplina refragetur: clementiùs tamen habendi sunt, tum quòd Pontificias constitutiones saltem Ecclesiæ Catholicæ contemplatione adducti venerantur: tum quòd aliud in Ecclesiâ, quàm in Scholâ; aliud moribus, quàm calamis sequantur. Abrepti enim torrente quodam vniuersitatis fidelium toto orbe effusæ, ad Pontificiorum de fide decretorum venerationem pariter impelluntur, nec penitus illibentes. Vt summum ergo, quod non semel iam suprà astruximus, his illi accensendi sunt, qui *minùs cautè & simpliciùs* aliquid opinantur; nec Catholico nomine excidunt, quibus simplicitas sua patrocinio est. Nam vtcumque sibi docti videri soleant, non possunt tamen non valde hospites & peregrini in antiquissimâ Ec-

Digitized by Google

cleſiæ & vniuerſæ, & in primis Gallicanæ doctrina ac diſciplina exiſtimari, qui tam longè ab illâ deuiant; & nuperis dumtaxat, nec Eccleſiæ vbique terrarum approbatis documentis, nouellam ſuam opinationem communiunt.

XCVIII. Cuſanus rurſum vnam eſſe Concilii & Pontificis, indiſcretamque vocem docet.

Vtque ne Cuſanum patiamur abire elinguem, etſi ille paulò diuerſa alibi ſcripſerit, in epiſtola tamen 2. ad Bohemos hæc habet Auguſtino ſuo cumprimis gemina. Nam Petrum Auguſtinus identidem prædicat perſonam Eccleſiæ totius ſuſtinuiſſe, omnium dixiſſe nomine, Tu es Chriſtus Filius Dei viui, omnium Dei ſacerdotum vice audiſſe, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Cùm illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cùm omnibus tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas eſt in omnibus:* ait ille tract. 118. in Ioan. Eccleſiam vt par eſt, ſponſo, corpus capiti indiſſociabiliter deuinciens, non exitiali conflictu collidens. Et Cuſanus ſimiliter: *Nec eſt opus hoc loco inueſtigare, an ideo veritas infallibilis ſit in Eccleſiâ, quia ad Sedem illam vnitur, tanquam à Sede riuus ille veritatis priuilegialiter emanet: vel quia Epiſcopatus ille Eccleſiam amplectitur, ideo Epiſcopatus ille ab Eccleſia infallibilitatem ſortiatur: aut neutrum horum: quoniam puto, quod hoc non ſit ad noſtrum propoſitum neceſſarium. Licèt credam ex mutua adherentia exurgere infallibilitatem, ſicut eſſe humanum ex vnione animæ & corporis, vti Cyprianus dicit, Eccleſiam eſſe in Epiſcopo, & Epiſcopum in Eccleſiâ. Ita & hic primatus amplectitur Eccleſiam, ſine qua non eſt, & ob quam eſt: Eccleſia amplectitur principem, ſine quo vna non eſt, nec perſiſtere poteſt ſine ſciſſurâ in vnitate. Quæ quidem vnitas eſt de eſſentiâ Eccleſiæ, vt primatus propter vnitatem conſeruandam; vt ait Hieronymus, Petro primatum traditum.* Addit mox Principem, ceu formam, ab Eccleſiâ, velut materiâ educi, hoc eſt, eligi: *Nam in Eccleſia quædam apparet materialitas, inquantùm ſubiectiuè conſideratur ad regimen Principum: & in primate formalitas; vt ex ipſis, tanquam ex materiâ & formâ, conſtituatur infallibilis*

Digitized by Google

illa Ecclesia Catholica, quasi ex vtroque consurgens. Vn
est Ecclesiæ vniuersalis infallibilitas, passiuè & m
liter in membris Ecclesiæ omnibus, actiuè & for
seu in Pontifice, seu in Synodo generali, sese ex
prout ex re fuerint, nullo autem diuortio disso
Vnde & Melchior Canus lib. 5. qui est de auth.
cap. 5. *Ecclesiæ authoritatem eam nunc appello, quæ Sy
etiam generalium & summi Pontificis est. Hæc enim
res prorsus, vt non multum differat inter Ecclesiæ, Conc
Sedisque Apostolicæ iudicia. Propterea quod connexa
colligata sunt: quemadmodum esse videmus humanum c
caput.* Itaque vt corpus in capite sibi imperat, & i
bris obaudit sibi caput; ita Ecclesia vniuersa in
ce definit, Pontifex in Ecclesia sibi assentitur, q
clesia in Episcopo, Episcopus in Ecclesia est. In
autem rixas sibi veluti somniant inter Pontifice
nientem, & Ecclesiam respuentem. Nusquam
stiusmodi iurgia, nisi in ipsorum cerebro.

XCIX Adeos qui Pontificem non satis operæ posuisse in re examinandâ cauillantur.

Quoniam autem ludificatoria hac exceptione a
tur præfractiores aliqui, quod Pontifex non sati
ac diligentiæ posuerit in re examinanda, adeoqu
rare potuerit, cui si consultiores aliquos sibi adsc
& acriorem nauasset operam, vtique crederetur. C
hunc vt eiiciat Melchior Canus loco suprà lauda
uertamus. *Quæ res vt de Conciliis quoque dicatur,
omnino causæ eadem. Nec enim existimare debemus, s
solum Pontificem, cùm dormierit, errare: cùm non do
verum dicere: Patres autem siue dormiant, siue vigilen
per rectà ingredi, & clausis, quod aiunt, oculis, vel in
obscura cernere. Quamobrem siue Pontificum, siue Con
diligentiam in fidei causâ finiendâ in dubium vocant, e
se est, omnia Pontificum iudicia ac Conciliorum infirm*
mox ibidem: *Deus disposuit suauiter omnia, simulque
& finem, & media ad finem necessaria. Nec dubita
quod in rebus naturalibus contingit, vt qui dat finem,
sequentia ad finem. Itaque præstat semper Pontifex, q*

Digitized by

eſt: præſtatque Concilium, cùm de fide pronunciant: caditque causâ, ſi quis è noſtris aliter exiſtimat. Quemadmodum enim ſi Chriſto Petrum diceret, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat charitas tua: certò certiùs intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna illi impetraſſe, quæ ſunt ad charitatis conſeruationem neceſſaria: ita cùm dixit, Ego rogaui ne deficiat fides tua, proculdubiò intelligimus, id à Patre ſuo conſecutum, vt quæ ad rectum de fidei quæſtione iudicium oporterent, ea adeſſent Petro omnia, ſiue à Deo, ſiue ab homine expectarentur. Et infrà: *Si ſemel hæreticis hanc licentiam permittimus vt in quæſtionem vocent, num Eccleſiæ iudices eam diligentiam & curam exhibuerint, quæ opus erat, vt quæſtio viâ & ratione finiretur: ecquis adeo cæcus eſt, qui non videat, omnia mox Pontificum Conciliorumque iudicia labefactari.* Et denique, *Rogo, an fideles his qui de fidei quæſtione iudicabunt, tantiſper parere debeant, dum eorum negligentia innoteſcit Eccleſia. Parere debent, aiunt. Iam igitur eo tempore errantibus iudicibus errabit Eccleſia. Sine vitio ſuo, inquis, Eccleſia tunc errabit. Agnoſco. Sed vt dictum eſt, ne hunc quidem errorem admittere in Eccleſiâ Dei debemus. Quid quod ſi ſemel de diligentiâ iudicum dubitamus, nouum examen, iudiciumque ſemper recens poſtulabimus, vt de diligentia adhibita, vel non adhibita cenſeatur.* Quæ eadem breuius perſtrinxit Duuallius pag. 241. & 302. 303. Huc refer luculentum teſtimonium Petri Damiani ſuprà iam adſcriptum, Gomorrh. cap. 26. hortantis Romanum Pontificem, ad ſcrupuloſarum difficultatum complanationem, *ſacros Canones* vt conſuleret, *& prudentes viros ad conſilium huius neceſſariæ indagationis adſciſceret*: addentis autem poſtremò id, quo & conſulentis pietas, & dignitas Pontificij oraculi vehementer illuſtretur: *Neque hoc dicere idcirco præſumimus, vt ad hoc, Deo authore, ſufficere ſolam profunditatis veſtræ peritiam ignoremus. Sed vt dum ſacræ auctoritatis teſtimonium adhibetur, dum plurimorum iudicio & conſenſu res geritur, ſi paruerſorum hominum querela, quæ fortaſſis è diuerſo murmure non exubeſceret, ſopiatur. Non enim facilè patet querela, quod multorum*

iudicio constituitur. Sæpe autem sententia, quæ ab vno
ratâ iuris æquitate depromitur, ab aliis præiudicium dep

C. Rursus ex Ferrando non posse discerni, & collidi sibi Ecclesiæ ac Pontificis authoritatem.

Atque vt in quo videor plures videre crispan
sum, frontemque caperantes, id magis magisque
planetur, vnam esse Pontificis, Concilij & Eccles
uersalis infallibilitatem: aliqua rursus in eam rem
mulabo. Præclarè Ferrandus in epist. ad Pelag. &
tol. *Vniuersalia Concilia præcipuè illa, quibus Ecclesiæ*
consensus accessit, secundæ authoritatis locum post canonic
tenent. Et mox: *Concilia quæ vetustas firmauit, & c*
druota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullas
quentes dubitanti necessitatem. Et infrà: *Quæ finiunt*
cantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam p
diligentiùs examinantur, atque firmantur, sequenda s
nenda sunt, amplectenda sunt. Et infrà rursum, *Ana*
gem Patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ. Les
fulget in canonicis libris. Consilium matris in vniu
consiliis continetur; vbi præter illos qui statuunt, quæ s
sunt, nullus cogitur vltrà subscribere. Sufficere enim iud
plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius
nullum offendiculum moueant, vel scandalum fratribus:
postolicæ fidei conuenire firmentur, Apostolicæ Sedis
consensu. Vbi vides triplicem statuendi de fide con
dique potestatem, in Ecclesiâ synodicè collectâ,
clesiâ per orbem diffusâ, in Ecclesiâ Capiti suo i
tâ: vt vna autem hæc Ecclesia est, ita vna auth
vna infallibilitas. Itaque citra vllam inuidiæ vel
suspicionem, citra vllum de palmâ & principatu i
hæc vna trinaque potestas vicissim & reciprocè s
fidio est. Nam & Synodi priorem Ecclesiæ consen
confirmant, & Synodorum statuta posterior Ecc
tius conspiratio corroborat. Similiter Pontificis
examine & assensu conualescunt Concilia œcu
& decretis Pontificum subsecuta aliquando Con
neralia lumen & pondus authoritatis accumularu
nique Ecclesiæ toto orbe rutilantis lux & fides

Digitized by Google

eum ſtatutis firmitatis luminiſque incrementum & debet & confert viciſſim. Summa horum trium pax, nulla conflictatio, nulla æmulatio. Vnum Eccleſiæ corpus, capite & membris compactum; membra raro loci, ſemper ſpiritûs & vnitatis vinculo conſtricta continens, conſtat & concinit ſibi, nec ſe ſibi committi patitur. Itaque in Concilio Eccleſia toto orbe ſparſa repræſentatur, & Eccleſia toto orbe ſparſa perpetui & iugis inſtar habet Concilij. Fruſtra ergo alteram alteri, imò ipſam ſibi collidis. Similiter Pontifex vt caput, non ſuam, ſed totius corporis fidem vocemque promit; & totum Eccleſiæ corpus, quod capitis ſui, hoc eſt, ſuo ſenſu & ore protulit, hoc amplectitur. Conſenſio denique totius Eccleſiæ ex Ferrando tunc ſtatutis acceſſiſſe interpretanda eſt, cùm *nullum offendiculum vel ſcandalum* mouetur, id eſt ſolo ſilentio, vt ſæpe monuimus: & *conſenſu Apoſtolicæ Sedis;* quia non omnibus promptum eſt, oculos in vniuerſum orbem circumferre, & Eccleſiæ conſenſionem explorare: ideo compendioſum eſt, Caput vnum maximè conſpicuum conſulere, & ex eo totius ediſcere Eccleſiæ conſpirationem.

Ita & Facundus lib. 7. aduertit nondum tantam priùs fuiſſe Epheſinæ primæ Synodi authoritatem, quanta pòſt fuit, *tantis diſſentientibus qui monuiſſi fuerant, ſimul in ipſum Concilium conuenire;* Item *Cùm necdum etiam iudicio magnæ Chalcedonenſis Synodi firmaretur.* Denique, *Et ipſa multum roboris ad authoritatem addit antiquitas.* Et ex eodem ſuprà relato, Synodi ipſius Chalcedonenſis placita hortante Marciano, Epiſcopi Synodorum prouincialium longè plurimarum notâ conſenſione firmauere. Non deerat Synodo œcumenicæ ſuum ab exordio robur. Sed vires viribus, iura iuſtibus non ſuperuacaneum eſt accumulare, ad fatigandam plerumque, & expugnandam hominum contumaciam. Itaque & Synodus Synodo, & antiquitati poſteritas, & maioribus nepotes conſenſione ſuâ firmitatem exaggerant; & inexpugnabilem licèt authorita-

CI. Item ex Facundo.

P. 97.

tem inexpugnabiliorem efficiunt: nec in his imaginandi gradus maioris, & minoris, sibique discordis, ac semper pugnacis potestatis. Sed ex aduerso vna vbique oculis animi & fidei obiicienda est Ecclesia, noua & vetus, iuuenis & antiqua, eadem nunquam noua, & nunquam vetus, sibi indeclinabiliter consentiens, sibi aliis & aliis nominibus artibusque, apud imbecilles & minùs morigeros, authoritatem extruens.

¶ II. Summa capitalis disputationis totius in veram constipationem, cuibus via sternitur, ac non disparatis Pontificis & œcumenicæ Synodi authoritas. Vbi & minutiæ a rei difficultatem distinguuntur.

Ne cui autem incogitantiùs fortè verbosiores istas dissertationes præteruolanti, videatur vna Pontificis & Synodi authoritas dictitari crebriùs, non item probari; probationum dissipata huc & illuc capita, & veluti fastigia, iuuabit hoc loco constringere in vnum, atque oculis subiicere. Ita ergo Christus ipse, Augustino & Patrum Senatu sexcenties testificante, totam Petro inclusit Ecclesiam, ipsum, id est, in ipso & ipsum & Ecclesiam, & fidei præconium, & Petræ inconcussam stabilitatem, & cælestium clauium potestatem, & Sacerdotij infulas, & diuinam denique omnem complicuit opulentiam: in vno nempe & vniuersitatem & vnitatem præformans; non lites, non iurgia de primatu præseminans, sed præfocans; quod Augustino & aliis Patribus persuasissimum fuit, nusquam hinc vel suspicatis vllum Ecclesiæ & Pontificis conflictum, sed Petri inter Apostolos principatum, Ecclesiæ cum ipso vnitatem indubitanter auguratis. 2. Ita inter Apostolos ipsos constabat, seu Petrus cælesti oraculo admonitus bipatentes Ecclesiæ fores Gentibus aperiendas censeret: seu ipsorum quilibet non sine tacito aliorum, & maximè eorum qui videbantur esse Columnæ, potissimum verò Petri consensu, quidpiam in Ecclesiis administrandis seorsim scisceret: seu communi tractatu, siue œcumenico quasi Concilio eadem ipsa confirmarent: promiscuè prorsus hæc omnia, & pari honore habenda. 3. Ita Synodi ipsæ vniuersales sensere, cùm Romanum Præsulem sibi, vti Caput membris præesse & præfulsisse dixerunt. Quam vna enim Capitis & membrorum

brorum vita ac ſubſtantia eſt, tam authoritas dignitaſque vna & indoſſociabilis. 4. Ita eædem Synodi, cùm Romanum Antiſtitem, vt Patrem, ſe vt Filios profitentur, vnam Eccleſiæ domum, vnam ſub vno Patrefamilias beneuolentiam, conſenſionem, & omnium denique indiuiduam ſocietatem clamant. 5. Cùm rarenter & debeat & poſſit colligi Synodus œcumenica; incidant autem interea eiuſmodi rerum diſcrimina, quibus illico, & pari cum ſynodicâ poteſtate obuiandum ſit: parem ſynodicæ, vel ſynodicam ipſam poteſtatem, neceſſum eſt Principi Sedi demandari, ab eâque perenniter adminiſtrari, ſuffragante vnà reliquo epiſcopali collegio. Ita olim Iulius, Innocentius, Leo, Felix, Gelaſius, Martinus, Gregorius, aliique Romani Pontifices, in fide tuendâ, in Epiſcopis reſtituendis, & cauſis iſtiuſmodi aliis profligandis, tantam prorſus, quantam Synodi vniuerſales, quas cogi tunc nefas fuit, vel non ſtatim fuit, poteſtatem exeruêre. 6. Poſt Synodum certè, tota eius exequendæ, vel ad veniam emolliendæ authoritas penes vnam maximè Petri Sedem fuit, vt prælibatum ſuprà eſt, vt alibi copiosè diſſeretur. At poteſtas legum latrix, executrix, diſpenſatrix, vel vna, vel non diſpar eſt. Ideo ſuprà Cæleſtinus, Leo, Agatho, Hadrianus Synodis generalibus ſuorum deçretorum executionem mandabant: & viciſſim alibi Synodi Pontificibus. 7. Quid illud, quòd cum Synodo prouinciali ſi quid definit Petri Cathedra, in indubium fidei dogma id euadere, omnes penè conſentiunt? Nonne tunc œcumenicam authoritatem prouinciali decreto vt adiiciat, obtineat & circumferat ipſe Pontifex, neceſſum eſt? 8. Hactenus à reipublicæ Chriſtianæ iactis fundamentis non aliter longè plures damnatæ, extinctæque ſunt hæreſes, quàm earum damnationem vel decernentibus, vel decretam à particularibus Eccleſiis Synodiſque, poſtea confirmantibus Matricibus & Originalibus Eccleſiis, & Romanâ maximè, in quâ, teſte Auguſtino, ſemper viguit Sedis Apoſtolicæ

principatus. Vſque adeo autem par iſta erat, eademque cum œcumenicâ Synodicâ poteſtas, vt collectæ Synodi œcumenicæ eaſdem hæreſes tametſi adhuc ferocientes iteratò proſcribere plerumque ſuperſederint. 9. Oecumenicæ Synodi quo inſtinctu impetuque collectæ ſint, ſi attendas, aliquas perſpicies penè ex redundanti congregatas, cum ſubinuita tanto ſtrepitu fatigaretur Eccleſia, gnara ſe citra Synodum vel conſequi idem poſſe, vel iam conſecutam. Secunda ad alias magis cauſas, quàm ad fidem coaluit, nec vt œcumenica coaluit. Tertia ad Principis vnius conſilium confluxit, cùm & Cæleſtinus, & Cyrillus, & ipſe Antiochenus quodammodo Ioannes Neſtorij veſaniam prædamnaſſent. Aduersùs Eutychetem nihil opus eſſe Synodo, & Flauianus Conſtantinopolitanus, & Leo Romanus conſenſerant. Quintam principali vi vnus penè Iuſtinianus coëgit. Sextam nec Pogonatus ipſe vt œcumenicam congregauit: Romani autem Pontifices per Lateranenſem ſub Martino, & tot alias, abundè perfecerant, ne cœtu œcumenico opus eſſet. Septimam vni Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ coïſſe, cùm aliæ Sedes omnes ab Imaginum cultu non receſſiſſent: & vnius admodum ſæculi curriculo, nec in Oriente, nec in Occidente inter œcumenicas locatam eſſe infrà docebimus. Octaua priuatis tantùm Eccleſiæ CP. vulneribus curandis impenſa eſt. Vt hæ denique, & non aliæ, putà Romana ſub Damaſo, Lateranenſis ſub Martino, Romana rurſus ſub Gregorio, & cæteræ iſtiuſmodi in album œcumenicarum referrentur, ſpecies magis & pompa effecit, quàm momentum & pondus. De his enim, perinde vt de quatuor primis, dici poſſet cum Gregorio, Euangeliorum inſtar eſſe has Synodos, ſeu fidem his Synodis definitam. 10. Itaque cùm ſecunda, quinta, ſexta, ſeptima, ex particularibus penè Synodis in œcumenicas euaſerint conſenſione accedente Sedis Apoſtolicæ: cùm Synodos omnes generales indicat, confirmetq; vna principaliter Sedes Apoſtolica; quis hinc non perſpicit œcumenicam illam authoritatem Capiti

Digitized by Google

concretam, capiti cum vniuerſo corpore communem? 11. Cùm ante Tridentinam Caluinianorum, ante Florentinam Græcorum, ante Conſtantienſem Vuiclephi, ante Septimam Iconomachorum, ante Sextam Monotheletarum, ante Quartam Eutychetis, ante Tertiam Neſtorij & Pelagianorum errores ita prædamnaſſet Sedes Apoſtolica, vel Occidente toto, vel Occidentis parte maximâ ſibi ſuccinente: vt in œcumenicâ poſteà Synodo non potuerint veluti dubiæ & ancipites hinc & inde diſceptari quæſtiones illæ, ſed vt indubiæ confirmari ſine retractatione, aut cum eiuſmodi retractatione, quæ non ad ambiguitatem diſpungendam, ſed ad veritatis certæ lucem cumulandam pertineret: quis non hinc exprimit id, quod vltro elicitur, vim œcumenicæ & irretractabilis definitionis extra Synodum œcumenicam, etiam penes Petri Cathedram reſidere? 12. Ideo à Pontifice ad Synodum non prouocatur in fidei cauſis; & ſi quando prouocatum eſt, illa potiùs fuit ſupplicatio; illud fuit Reuiſionis, non Appellationis iudicium. Nimirum ab ipſo ad ipſummet prouocari non poteſt propriè, poteſt ſupplicari: ipſemet autem eſt, qui & ante Synodum, & in Synodo cauſas cognoſcit. Ideo & tunc non à Pontifice tantùm ad Synodum, ſed ad futurum etiam Pontificem, & ad ipſummet meliùs informatum prouocabatur. Vſque adeo exploratum erat, ſynodicum tribunal non aliud eſſe, quàm ipſummet ſummi Pontificis, ſed pompaticum & ſplendidiſſimum. 13. Vnum ſimiliter eſt Epiſcopi cuiuſlibet cum Parochiæ ſuæ, Metropolitani cum Prouinciæ, Primatis ſeu Patriarchæ cum Diœceſeos ſuæ Synodo tribunal, vnum iudicium. Omnes quippe iſti creſcentium per varios gradus Synodorum præſides, & Synodi quiſque ſuæ vicem ſupplent, dum ea colligatur: & vicem implent, ſicubi aut ſi quando ea colligi defierit: nec ab ipſis ad ſuas, ſed ad ſuperiores Synodos prouocatio eſt. Quin ergo & pari prærogatiuâ, pari cum ſuâ, hoc eſt, cum œcumenicâ Synodo, compaginatione fruatur Sedis Apoſtolicæ principatus diuinitùs inſtitutus? Et quidem tantò æquiùs, quod Synodi

Digitized by Google

epiſcopales & metropoliticæ ordinariè ac frequentiſſimè poſſunt, & per Canones debent colligi : œcumenicæ autem nonniſi extraordinariè & infrequentiùs poſſunt congregari: eoque magis egent vicario & perpetuo Magiſtratu, à quo ſuppleantur. Vbi vnam autem & indiſcretam Capitis & Corporis, Pontificis & Eccleſiæ, ſiue Synodi œcumenicæ authoritatem eſſe toties ingeminaui, dialecticas equidem tricas, argutiaſque ab his ſenſi vtique deprecandas. Alioqui nec Synodus & Eccleſia, hoc eſt, nec ipſa ſibi Eccleſia, vna eademque erit. Ariminenſem, Mediolanenſem, Epheſinam ſecundam Synodum à Pontificibus reprobatas oggeres? At reprobatæ ſunt & ab Eccleſiâ Catholicâ. An ergo Synodus & Eccleſia vnum non eſt? Eſt enimuerò, ſed vera & modeſta, non latrocinalis Synodus; hoc eſt, eſt omnino, ſi modò ſit Synodus, non proſtibulum. Quintam Synodum Vigilio diu conflictatam aies, adeoque Synodi & Pontificis maieſtatem longè diuerſam, & quandoque aduerſam? Imò nec Synodus fuit œcumenica, quandiu aduerſatus eſt illi Vigilius, Occidente vniuerſo ſuccinctus. Itaque ita Vigilius Synodo, vt Eccleſia Eccleſiæ, Occidentalis Orientali collidebatur. Et tamen vna eſt Eccleſia. De Conſtantienſi & Baſileenſi Concilio ſpecialis ſuo loco diſſertatio inſtituetur. At Pontifex Synodos confirmat, infirmatque? Reſpondeo, tantò certiùs vna, eademque vtriuſque vis & poteſtas eſt. Deeſt enim Synodo vis œcumenica, niſi hanc Sedes Apoſtolica ſemet adglutinando adglutinet. Ita prorſus & Eccleſia Catholica, poſteritaſque confirmat Synodos aſſenſu, fide, moribuſque ſuis: etſi Synodus, imò eò quòd Synodus & Eccleſia vnum quid eſt. Ita Synodi aliæ alias confirmant, cùm Eccleſia vna per ætatum lapſus varias agitet Synodos. Etſi auerſis autem veſtigiis inſiſtere videatur, eodem tamen contendit atque conſpirat hæc duodeuigeſima diſſertatio cum quartâ ſuperiore. Ibi hæreſes inurebant Synodi particulares, vel ſine Synodis Eccleſiæ, cæterarum Eccleſiarum,

Digitized by Google

& ante alias accedente Apoſtolicæ Cathedræ conſenſione: hîc decreta fidei condit Sedes Apoſtolica, cui indiſſociabiliter adglutinata cohæret Collegij Epiſcopalis & Eccleſiaſtici corporis vniuerſa compago. Vna vtrobique profligandi erroris, & fidei ſanciendæ ratio, vna poteſtas, vna veritas. Ne quæras, vtri ſeorſim, Pontifici an Eccleſiæ, Synodove ea prærogatiua adſit, cùm nuſquam ſeorſim fuerint, nuſquam diſſenſerint, niſi inter peregrinam hypotheſeon inaudita figmenta. Ne quæras vtri à Deo, quia vtrique à Deo, vtpote vna, vtpote vni illa adſignata dos eſt. Ideo cùm à nobis alterutri arrogata eſt, alteri adeo non abrogabatur, vt ad nauſeam vſque inculcauerimus cum Cypriano epiſt. 69. *Eſſe Eccleſiam plebem Sacerdoti adunatam: & Paſtori ſuo gregem adhærentem: Epiſcopum in Eccleſiâ eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo.* Nobis certè non arbitrarias comminiſcentibus hypotheſes, ſed rerum retro geſtarum memoriam reuoluentibus talis ſemper occurſauit Pontifex cum Eccleſiâ, Eccleſia cum Pontifice in fide ſtatuendâ. Vſque adeo vt Apoſtolicæ Cathedræ priuilegio tota ſe induerit Occidentalis Eccleſia in epiſt. 125. Epiſcoporum Romæ congregatorum ad Pogonatum Imp. *Ipſum Catholicæ fidei ſplendidiſſimum lumen, ex veri luminis fonte, tanquam de radio viuifici fulgoris per miniſtros beatum Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim vſque ad noſtram paruitatem, Dei opitulatione ſeruatum eſt, nullâ hæretici erroris tetrâ caligine tenebratum.* Eccleſiæ Occidentalis præ Orientali inconcuſſam fidem, ſuæ acceptam ferunt indiuulſæ cum Sede Apoſtolicâ conſenſioni. Quibus ita præluſerat Auguſtinus: *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec vllus eſt in eis commemoratus Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in quâ primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam inuentu-*

Act. 4. Syn. 6.

L. 1. con. Iul. cap. 4.

tem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanus respondere Conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia, &c. Non est ergo cur prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia & fides ista Christiana est. Et te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regeneranit Ecclesia.

CIII. Suprapositа de Concilio & Pontifice doctrina ostenditur nihil officere Libertatibus Gallicanis: ex ipsis earum Patronis. Et primò ex Petro de Marca.

In censura librorum de Libertat. Eccl. Gall. anno 1639.

Nunc mihi deprecandam sentio eorum excandescentiam, qui pro Gallicanis Libertatibus velut ex officio certant. Procul amandandos enim, qui has *Ecclesiæ Gallicanæ seruitutes, potiùs quàm libertates* promiscuè & proteruè interpretantur: esse autem *vera quædam, & glorioſissimi Regis nostri iura, & Gallicanæ Ecclesiæ priuilegia*, Clero Gallicano pronus lubensque acquiesco: *quibus vt nulla ætas, nulla authoritas derogauit: nec nos derogare, aut ea conuellere volumus, aut intendimus.* At concussæ videbuntur aliquibus hæ libertates, concussa *iura*, concussa *priuilegia*, sollicitato eo, cui inniti existimantur, fundamento: nimirum, minorem esse Concilio Pontificem, & ab isto ad illud ritè prouocari. Hanc ergo obiectionem, hanc criminationem nullo opportuniùs, nullo efficaciùs propulsabimus patrocinio, quàm eorum ipsorum, qui cùm sæculari ac senatoriâ clarerent purpurâ, studia calamosque suos harum libertatum tuitioni dicauerunt. Non mea ergo, sed ipsamet illorum allegabo verba, sensa, argumenta. Familiam ducat Petrus de Marca, *Ordinarius sacri Consistorij Consiliarius, & in supremo Nauarræ Senatu Præses,* dum hæc scriberet, libro *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ,* siue *de Concordiâ Sacerdotij & Imperij*, inscripto. Sic ergo ille, omnium eruditorum iudicio, nulli secundus in hoc argumento, nulli non antehabendus. *Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum regulam hanc esse, vt Concilium œcumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamuis hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non est vna ex Libertatibus Gallicanis. In foroperinde est, si summus Pontifex æquo vel superiori iure cum Conciliis vtatur. Vbi id tantùm*

Lib. 3. cap. 7. in Synopsi.

Digitized by Google

expenditur, an noua reſcripta noceant Eccleſiæ Gallicanæ. Et mox: *Solet à pleriſque pragmaticis hoc ferè præcipuum conſtitui Libertatis Gallicanæ theorema, Concilium œcumenicum ſuperius eſſe ſummo Pontifice: vnde ſequatur nihil à Sedis Apoſtolicæ Præſulibus tentari poſſe quod Synodorum generaliũm definitionibus aduerſetur, &c. Attamen ſi cum bonâ Magiſtrorum veniâ, id quod ſentio, liberè profiteri liceat: exiſtimo libertates Eccleſiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant, id præcipuè vrgent, eas aliâ ratione conſtare non poſſe, quàm Apoſtolicæ Sedis dignitate in eo maximè imminutâ, quod Pontifex Concilij generalis authoritati ſubiiciatur. Attamen hæc ſententia, &c. in foro apud nos non diſceptatur: qui libertates perinde tuemur, ſi de Concilij generalis nouis decretis, ac ſi de Romani Pontificis conſtitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & conſuetudines Eccleſiæ Gallicanæ noſtro vſui commodas adeo retinemus, vt etſi canone Concilij generalis deſtituamur, quo illæ firmatæ ſint: tamen ab iis nobis diſcedendum eſſe non cenſeamus.* Quibus ex argumentis inuictiſſimis tandem id concludit: *Quare non eſt, quod hæreamus in eâ regulâ, quæ Romanis ſtomachum mouet, & quæ rebus noſtris non proſpicit, vt par eſt. Fruatur ſummus Pontifex, aut æquo iure cum Conciliis generalibus, aut ſuperiori: illud vnum in foro expendetur, an noua Conſtitutio, vel nouum Reſcriptum rebus Gallicanis conſulat, aut noceat. Si receptos Canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, eius ratio non habebitur, niſi conſenſu publico accedente.* Sic ille nutantis, ſibi ipſi infeſtæ, & Romanis ſtomachum mouentis ſententiæ fundamentum amouet; aliudque poſteà ſuggerit, eò firmius, quòd plurium conſenſu fulciatur. *Sed quia Theologis & noſtris interpretibus placuit, aliam quoque difficultatem attingere, ſcilicet, quid agendum ſit, ſi Reſcripta ita Canones & diſciplinam violent, vt in apertum Chriſtianæ Reipub. detrimentum cedant: referendam duxi eorum ſententiam: quæ adeo apud illos certa eſt, vt in eam ex æquo conſentiant vtriuſque opinionis vindices; tum qui pro Pontifice ſtant in controuerſiâ de Conciliorum authoritate, tum illi qui*

Ibid. c. 7. n. 1.

Ibid. lib. 3. c. 15. n. 9.

Concilium Pontifici preferunt. Asserunt omnes eo casu reuerenter agendum cum Romanâ Sede, ita tamen vt executio Rescriptorum suspendatur. Non quod aliquis, inquit Caietanus, possit esse index Papæ, aut authoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis. Cuilibet enim est ius ad resistendum iniuriæ, & impediendum, defendendumque. Tum Caietano plures astipulatores accumulat; additque: *Quæ sic interpretanda sunt, vt inde argui non possit defectus authoritatis in summo Pontifice, sed defectus intentionis, vt loquuntur nostri.* Et idem

Lib. 4. c. 5. n. 4. ipse infrà: *Primis temporibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas in eo viguit, vt noua decreta discuteret: & si qua aut Canonibus antiquis aduersarentur, aut receptis moribus, consensum suum rebus nouis non præberet: hacque ratione sine tumultu, & seruatâ semper Apostolicæ Sedis reuerentiâ, decretorum executionem impediret.* Supersedeo exemplis & probationibus adscribendis, quas ille coaceruat. Et infrà: *Perstabat adhuc idem*

Ibid. cap. 9. n. 1. *vsus in Galliâ, an. 1226. per solum dissensum Regis, Episcoporum, & Procerum, libertates suas tuente Ecclesiâ Gallicanâ.*

CIV. Rursus de eodem ex eodem. Iam verò quod ad appellationes attinet, sic rursus ille: *Primus omnium qui appellatione vsus est ad futurum Concilium, prodit sese apud Historicos Fridericus II. Imperator. Qui ad Concilij cognitionem euocatus à Gregorio IX. & ab Innocen-*

Ibid. cap. 17. n. 4. *tio IV. Thaddæum Legatum ad Concilium Lugdunense misit, anno 1245. Hic post exceptiones Friderici propositas, cùm ferendam videret ab Innocentio depositionis sententiam: appellauit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius.* Et paulò suprà: perstricto obiter diffidio Bonifacij VIII. & Philippi Pulcri; *Tum Guillelmus de Plesseiano vt se tutum à Bonifacij censuris præstaret, futurum Concilium generale appellauit, & futurum Papam Catholicum, & Sedem Apostolicam.* Et mox ait,

Cap. 17. n. 1. 2. 3. hanc *nouam rationem in Ecclesiam inuectam, ab iis qui se Romanæ Curiæ censuris premi existimabant; scilicet Appellationem à Papæ decreto ad futurum Concilium. Nouam dixi, quia nunquam in Ecclesiâ admissa fuit prouocatio à Papâ ad Concilium: licèt aliquando remedio quodam extraordinario, Sedis Apostolicæ iudicium in maiori Synodo instauratum fuerit. Quod illi facilè*

Digitized by Google

cilè concedent, quibus perſpecta eſt antiqua diſciplina. Et paucis intertextis: *Aliquando ad procurandam Eccleſiæ tranquillitatem, Imperatorum reſcripto Apoſtolicæ Sedis iudicia in maiori Synodo inſtaurari contigit, in qua per Legatos Romanus Epiſcopus intererat. Quæ ratio longè differt ab appellatione. Vt enim inquit Hermogenianus Iuriſconſultus:* Apellatio iniquitatis ſententiæ querelam, in integrum verò reſtitutio erroris proprij veniæ petitionem, vel aduerſarij circumuentionis allegationem continet. *Deinde Iudex à quo appellatur, de appellatione non cognoſcit: ſed is à quo ſupplicatur, inſtauratum iudicium peragere poteſt.* Denique eruditi viri Andreæ Duuallij hæc verba adſcribit: *Maneat itaque hoc ratum & conſtans, omnem à ſummo Pontifice ad Concilium ſiue futurum, ſiue præſens appellationem, eſſe prorsùs illicitam: idque ſiue Papa ſit infrà, ſiue ſuprà Concilium. Dices, Principes & Reſpub. grauiter nonnunquam conqueri, ſeà Pontificibus graues iniurias pati, nullumque ad has depellendas efficaciùs remedium eſſe, præter prouocationem ad Concilium generale. Reſpondeo non licere propterea ad Concilium prouocare; cùm Principes ſibi ſuiſque rebus poſſint aliâ viâ conſulere, ſcilicet non obediendo mandatis Pontificiis: imò ſi aliter non poſſunt ſibi ſuccurrere, ſtrenuè prudenterque reſiſtendo, & cum eâ moderatione, quam ſuperiori quæſtione, vbi de iniquis & Eccleſiæ perniciosis diſpenſationibus, aſſignauimus.* Ex part. 4. quæſt. vlt.

Si quos dignitatis ratio, ſi collegij honos, ſi tantæ eruditionis fama minùs moueat; mouebit illos, vt ſpero, probationum vis, & ipſa cauſæ, cui conſultum volunt, incolumitas. Nam 1. quidem ſi libertas Gallicana perinde refellit noua Conciliorum generalium ſtatuta, atque decreta Pontificum, priſtinis ſuis legibus, moribuſque refragantia: alienum prorsùs eſt eam illi ſententiæ ſuperſtrui, quâ Concilio Pontifex ſubiicitur. Diſcors enim ipſa ſibi, Concilio Pontificem & ſubiicit & exæquat: Et quidem verbo ſubiicit, re exæquat: cùm aduersùs vtriuſque noua decreta ex æquo priſtinos ſuos mores propugnat. 2. Si aduersùs nouitatem decreti pontificij maio-

CV. Ex antedictis duodecim exculpuntur argumenta, quibus hæc doctrina oſtenditur nihil obſtrepere libertatibus Gallicanis.

Digitized by Google

rem prouocas Concilij œcumenici authoritatem: hanc consequenter tibi legem indicis, hunc necessitatis induis laqueum, vt Concilij decretorium subeas iudicium, eiusque sententiâ stes. Itaque Gallicanæ libertatis dimidia pars vno hoc verbo à suis ipsismet defensoribus præter mentem detruncatur. 3. Non omnia Gallicanæ libertatis capita aliquo Conciliorum generalium statuto nituntur. Pleraque Gallicanarum Synodorum antiquis legibus, vel receptis tantùm moribus contineri dicuntur. Non ergo pro Conciliorum maiestate aduersùs Pontifices, sed pro antiquitate aduersùs nouitatem quorumcumque, seu synodalium, seu pontificiorum statutorum decertat libertas Gallicana. 4. Conciliorum Constantiensis & Basileensis decreta, non pura & mera, sed quibusdam *modificationibus* temperata amplexati sunt Maiores nostri, vt infrà docebitur: nempe quasi ad Gallicanos mores vsusque castigata. Ergo cùm his Conciliis, veluti munimentis quibusdam maximè se iactent vindices Gallicanarum libertatum: vel in his ipsis tamen experiuntur, exæquari quodammodo Concilia Pontificibus, & parem circa horum illorumque decreta exeri libertatem. 5. Quid quod Pragmaticæ Sanctioni ad Constantiensia & Basileensia decreta contemperatæ, vale diximus tandem; & Concordatis solâ Pontificis authoritate, regioque consensu munitis acquieuimus? Nonne palam est, hîc saltem desisse nos, Concilia Pontificibus anteponere? 6. Quid Tridentinum Concilium memorem? Eius compluribus decretis nequedum Gallicana se coaptauit disciplina: nec tamen superius aliquod œcumenico Concilio tribunal, aut quasi generalius Concilium appellauimus. 7. Ante Fridericum II. intentatæ, inauditæque prorsùs fuerant appellationes à Pontifice ad Concilium. Huius & initij, & initiatoris suppuderet Gallicanas libertates. Has enim ante octingentos annos viguisse, & ab vsque Caroli magni regno ad hoc æuum perdurasse, tum Scriptores cæteri, tum Oratores Regis Christianissimi ad Concilium Tri-

Digitized by Google

dentinum missi frequentiùs inculcarunt. 8. Quin & Fridericus ipse non à Pontifice tantùm ad Concilium, sed & à Concilio generali ad generalius posteà prouocauit. Expertus videlicet adeo coniunctam indiuiduamque Pontificis & Concilij authoritatem, vt à Pontifice ad Concilium, non aliud sit, quàm à Pontifice ad Pontificem Concilij Præsidem prouocare. 9. Quod senserunt & Galli sub Philippo Pulchro Rege, cùm primùm in vocem appellationis eruperunt *ad Concilium, & ad futurum verum & legitimum summum Pontificem, & ad illum, vel ad illos, ad quos de iure fuerit appellandum:* supponentes se *protectioni diuinæ, & BB. Petri & Pauli, & dicti Concily generalis, ac Sedis Apostolicæ, & futuri veri & legitimi summi Pontificis.* Et rursus Vuillelmus de Nogareto post obitum Bonifacij: *Appello ad Sedem Apostolicam, ad totamque Dei Ecclesiam congregandam, & ad summum Pontificem futurum legitimum, seu ad eum, quem melius valeam appellare.* Nempe conserta hæc illis, & penè concreta non immeritò videbantur omnia, Pontifex, Sedes Apostolica, Concilium, Ecclesia, Pontifex præsens, Pontifex futurus. Ideo & promiscuè hæc habebant. 10. Nec tunc tantùm veluti rudes adhuc & inexperti harum appellationum, vtpote nouarum, & à Friderico nuper dedicatarum, ita indiscriminatim appellabant: sed & posteà sæpissime. Vnde & Ludouicus XI. Oratoribus suis mandauit, *Si opus fuerit, appellare ab ipso summo Pontifice malè consulto, ad eundem summum Pontificem benè consultum, seu proximum futurum Concilium vniuersalis Ecclesiæ.* Ita an. 1478. At an. 1484. Procurator Generalis *prouocauit & appellauit ad sanctissimum dominum nostrum Papam Sixtum minùs debitè consultum, ad ipsum melius consulendum: aut ad illum, vel illos, ad quem, seu quos de iure prouocare & appellare mihi licet.* Et an. 1491. Vniuersitas Parisiensis: *à sanctissimo domino nostro Papâ Innocentio VIII. minùs debitè consulto, ad seipsum melius consulendum: & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam melius consulendam: nec non ad sacrosanctam Synodum vniuersalem celebrandam, illumque vel*

Preuues des libertez de l'Egl. Gall. c. 13. n. 5. 7. 9.

Ibid. n. 13.

Ibid. n. 15.

Ibid. n. 16.

Digitized by Google

illos ad quem, seu ad quos de iure pronocare & appellare nobis licet, pronocamus & appellamus. Et an. 1501. Capitulum Parisiense prouocat *ad Papam melius consulendum, vel consultum, & sacrosanctam Synodum vniuersalem primò celebrandam.* In his prouocationibus non sunt comminiscendi gradus potestatis maioris & minoris, superioris & inferioris. Nec enim pontifex idem seipso meliusculè consulto, vel præcessor successore suo minor, inferiorve est. Ita & Pontifex Synodusque non præponi postponive sibi necessariò debent: sed vtrique potestati, vt à Christo institutæ assurgitur, & sub prouocationis nomine supplicatur. Vt enim à Pontifice ipso ad ipsummet, vel ad successorem: ita à Pontifice ad Synodum supplicatio erat, etsi prouocatio dictitaretur: vnde vtrumque fiebat promiscuè. 11. Luculentiùs id fiet exemplo Cleri Hispanicnsis, an. 1532. prouocantis, id est, supplicantis aduersùs diploma Hadriani VI. Papæ, quo se grauari existimabat: *Cùm inde nasci non debeant iniuriæ, vnde iura nascuntur; ad supplicationis remedium nobis recurrendum est: & à præfato sancto D. N. Papâ non bene informato, ad eundem meliùs informandum, supplicandum est. Idcirco nos, &c. ab eodem D. N. P. Hadriano VI. non bene informato ad eundem meliùs informandum supplicamus: & à R. D. Archiepiscopo, quatenus dictæ exactionis executore pratenso, &c. appellamus, &c.* Supplicant Pontifici, prouocant ab executore rescripti pontificij. 12. Non malè mereri ergo de patriis libertatibus æstimandi sunt, qui tutioribus, certioribus, anquioribus & minùs inuidiosis eas superstrui iubent fundamentis: nec his committi litibus inter Concilium & Pontificem, atque prouocationibus; de quibus omnium postremus, idemque longè doctissimus libertatum Patronus ita censuit: *Hanc non esse vnam ex libertatibus Gallicanis; in foro perinde esse, si summus Pontifex æquo vel superiori iure vtatur cum Conciliis: libertates Gallicanas hoc axiomate non niti: non est quod hæreamus in eâ regulâ, quæ Romanis stomachum monet, & rebus nostris non prospicit, vt par est: fruatur summus Pontifex ant*

Ibid. num. 18. & c. 22. n. 19.

Ibidem c. 22. num. 29.

Digitized by Google

æquo iure cum Conciliis generalibus, aut ſuperiori, &c. Nunquam in Eccleſiâ admiſsâ fuit prouocatio à Papâ ad Concilium. Sed quod in regio habetur diplomate, de pontificiâ & regiâ poteſtate ſuis vtrâque finibus & officiis diſcretâ: idem de Synodicâ, & Pontificiâ ſentiendum, vtramque à Deo inſtitutam, vtramque à Deo pendulam, *neutram alteri vel præponendam, vel poſtponendam, vel adæquandam, vel omnino componendam; ſed alteram alteri coniunctiſſimam* exiſtimandam: quod comparationibus inuidia quædam vltro adhæreſcat. *Ibid. c. 37. n. 13.*

Strictim & alios delibabo Gallicanarum defenſores libertatum. Petrus Pithœus in breuiario Gallicanarum Libertatum c. 5. *Etſi Pontifex ſupremus habeatur in rebus ſpiritualibus, in Galliâ tamen locum non habet potentia infinita & abſoluta; ſed circumſcribitur Canonibus & Regulis antiquorum Conciliorum in hoc regno receptis. Et in eo maximè conſiſtit libertas Gallicanæ Eccleſiæ, vt diſertis verbis Vniuerſitas Pariſienſis pronunciabit, &c.* Audin' *ſupremam, abſolutam, infinitam* poteſtatem Pontificis? In Galliâ tamen reuinctam antiquis Canonum vinculis, & decretis priſcorum Pontificum. Ibi nec verbum ſonat de lite & victoriâ Concilij ſuprà Pontificem. Nempe cùm & Pontificis infinita ſupremaque poteſtas agnoſcatur. Nempe cùm Galliæ ea ſit prærogatiua & peculiaris libertas: quæ ad alias peræquè effunderetur gentes Chriſtianas, ſi ex diminutâ infrà Concilium authoritate Pontificis ſcaturiret. Ea enim ratio, ea libertatis ſcaturigo æquè ad omnes permanaret. Et infrà cap. 41. *Etſi in Synodis nihil ſine Pontificis authoritate definiri poteſt, non tamen exiſtimatur ille vniuerſali Concilio ſuperior eſſe, ſed eius decretis ligatur, vt Eccleſiæ ſponſæ Chriſti imperiis, &c.* Et c. 42. *Eccleſia Gallicana non omnes indiſcriminatim admiſit Canones & Epiſtolas Decretales, ſed eas quæ antiquo Corpore Canonum vſque ad Gregorium II. continentur.* Negat ſuperiorem eſſe Concilio Pontificem, & nos toties negauimus, quoties hac comparatione, hac rixâ nouâ, olim inauditâ, inuidiosâ, inutili ſuperſedendum eſſe incul- CVI. Idem effitur ex aliis defenſoribus libertatum.

Digitized by Google

cauimus. Ligari Pontificem Canonum Synodalium nexibus asserit, in id & ipsi assentiuntur Pontifices, & nos altero harum dissertationum tomo rem istam ita speramus elucidandam, vt nec de pontificiâ maiestate quidquam decerpatur, & legitimis tamen libertatibus antiquorum Canonum tenacioribus fiat satis. Nec tamen de principatu ambitiosa contentio recalescit, aut superior inde Synodus Pontifice efficitur. Ligantur enim & Synodi aliarum Synodorum, ligatur & Ecclesia suis ipsa legibus, ligantur & Pontifices suis, ligantur denique successores antecessorum Pontificum decretis; ne vt Paulus ait, secum conflictabunda authoritas, quæ struxit, destruat: quæ finxit, diffingat. Nec tamen in hac exemplorum strue, minor aut inferior est, qui legibus tenetur. Denique authore Pithœo, Gallia vno tenore erga Synodos generales, Pontificesque, vtrorumque leges, non omnes admisit, veterum authoritate nouas declinauit. Sic ille Petro de Marca præsultor. Iisdem inhæsit documentis Iacobus Capellus, libertatum & ipse patronus insignis. *Primò licèt Papa habeat plenitudinem potestatis; tamen si sine necessitate aut communi vtilitate discedat à iure sanctorum Patrum, aut contra dispenset: non est fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio secundùm Bernardum.* Tum complura alia subnectit capita, quibus id vnum pertendit, ligari Pontificem Conciliorum & anteriorum Pontificum decretis; nec in perniciem Ecclesiæ, vel regnorum scandalum, vel citra vtilitatem aut necessitatem dispensare posse: illâ Pontificis cum Concilio conflictatione prorsus abstinet: gnarus Gallicanæ libertatis exercitio æquari potiùs Concilia Pontificibus, cùm & noua Conciliorum statuta, eodem quo decreta Pontificum Nouitatis fastidio repelluntur. Eandem triuit orbitam longè doctissimus Antonius Hotmannus, solo antiquitatis vsu, ac iure aduersùs nouitatem libertates has omnes suffulciens. Et post Constantiensem ac Basileensem Synodum perhibet ille quidem vexatam fuisse quæstionem illam,

Libertez de l'Egl. Gall. an. 1639. pag. 41.

Ibidem pag. 147. 197. 308. 309. 322. 323.

Digitized by Google

an ſuperior ſit Papa Concilio, Sorbonicis negantibus, Legiſtis aientibus, teſte Gerſonio ipſo, quia nempe hi *tantùm reſpiciunt decretales cum gloſsis, allegationibus & concordantiis.* Superſediſſe Tridentinos Patres, mox ait eâ quæſtione attingendâ: & tandem concludit, *nec facilè dirimi poſſe litem illam; & eiuſmodi grandes ac generales quæſtiones perſæpe conſultiùs in ſuſpendio retineri: conducibilem eſſe modeſtam libertatem, ſed deprimi plus æquo pontificiam dignitatem, periculoſum id verò eſſe.* Quæ eruditiſſimi viri verba plus ſatis produnt, quàm immaniter ille abhorreret à libertatibus patriis tam inconſtanti lubricæque doctrinæ committendis. Nec ab horum veſtigiis deflexit Guido Coquille: *In Galliâ excogitata eſt ratio hæc honeſta cohibendorum conatuum, quibus corruptela in Eccleſiam inueheretur: non vetant ab abuſu appellando à conceſsione reſcriptorum pontificiorum: in Pontifice enim agnoſcitur Supremitas in negotiis eccleſiaſticis: ſed tanquam ab abuſu prouocando ab executione eiuſmodi reſcriptorum: ita in impetrantes culpa derivatur, concedentis honori parcitur, par vtilitas decerpitur.* Solius etiam antiquitatis præſidio pugnat Leſchaſſerius, prætendens cum Carolo VI. Gallorum Rege, *ius commune antiquum, antiquos Canones, ſtatuta antiquorum Patrum*: cum Carolo VII. *ſtatuta ſanctorum antiquorumque Patrum*: cum ſancto Ludouico *diſpoſitionem iuris communis, ſacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, & ſtatutorum ſanctorum antiquorum Patrum.* Nouellum illud iurgium prorſus ſilet, vt caſſum & inutile: cùm interſit, non quæ ſuperior & maior, ſed quæ antiquior ſit authoritas: & minor, ſi modò vetuſtior, antehabeatur maiori, ſed iuniori. Prolixiùs torquet hanc litem de pari vel diſpari Concilij & Pontificis poteſtate Miltotius; exulceratus nimirum eorum iniquitate, qui Pontificem Synodo anteferre cunctantibus, vel detrectantibus hæreſeos notam paſſim tum aſpergebant. Quam ille contumeliam ſtrenuè propulſat.

Gall. *Or ce point n'eſt pas preſt à vuider. Et telles grandes & generales queſtions ſont ſouuentesfois bien à propos tenuës en ſuſpens.*

Ibid. pag. 425.

Gall. *Ce n'a pas eſté en appellant comme d'abus de l'octroy de tels rescrits du Pape; pource que l'on reconnoiſt en luy vne ſouueraineté aux affaires de l'Egliſe: mais en appellant comme d'abus de l'execution de tels rescrits, &c.*

Ibid. pag. 501.

Ibidem. pag. 546. vſque 573.

Quod autem monuit Hotmannus temperatum eſſe in Tridentino Concilio ab hac controuerſiâ attingendâ: CVII. Ex Gallorum conſenſu, tempore Triden-

tinæ Synodi idem exprimitur.

operæ pretium erit, paulò accuratiùs id expendere, & monumenta ea ipsa euoluere, quæ non ita pridem Parisiis eâ de re in lucem publicam exiere. Et primò quidem communionis vsum sub vtraque specie, à Pontifice exprimere enisi sunt Galli, qui obsecundaturus sperabatur illico, *vt qui intelligerent rem esse iuris positiui, & consequenter non minorem suam ad id præstandum, quàm Ecclesia vniuersa potestatem esse*: vt ait Orator Regius: quâ de re nemo nescit, quid anterior Galliæ vsus, quid Constantiense Concilium iuberet: & tamen eam dispensationem ab vno Pontifice ebblandiendam decreuerat Clerus Gallicanus, consenserat Rex; eam à Pontifice ad purpurati Consistorij iudicium referri ægrè tulit Regius Legatus. Et sæpicule quidem vota verbaque eruperunt ad Pontificem Canonum antiquorum obseruantiæ astringendum: nusquam autem ad Concilij vim supra Pontificem extollendam. Quin Oratores Gallicani testati sunt, in eo locari à se *principale fundamentum authoritatis Concilij, quod ad Christianæ Reipublicæ commodum suam in illud Pontifex ipse authoritatem transtulisset*: nec enim ad scholasticas has altercationes Concilio inuehendas, vllo se commonitorio à Parisiensibus Doctoribus instructos fuisse. Alibi etiam omni se ope declinaturos spondent, ne illa controuersia promatur de superiori vel inferiori potestate Concilij & Pontificis: lubenter assensuros, vt Pontifici tribuatur *suprema potestas in vniuersali Ecclesiâ*. Siluit ergo nostrorum maximè assensu illa tunc quæstio, & inde Concilio pax atque authoritas creuit, quod suam ipsi Pontifex, & vicissim suam ipsum Pontifici definiendi & statuendi potestatem accumulauit; vt suprà laudatus aduertebat Hotmannus, Pium IV. Concilij iudicium esse voluisse, *etiam de rebus Sedi Apostolicæ proprie reseruatis*. Quâ suâ cum Concilij Patribus conspiratione, confessi sunt nostrates tunc Galli, disputationes illas Scholæ claustris cohibendas esse, nec ad Concilia vel rerum ecclesiasticarum tractationem vocandas; quibus nihil conducibilius, nihil optatius

Memoires pour le Concile de Trente. Paris. an. 1654. pag. 116. 118. 119. 121.

Ibidem pag. 135. 172. 173. 174. 182.

Ibid. pag. 240. 242. 248.

Ibid. pag. 280 381. 382.

Digitized by Google

tatius esse potest summâ Capitis & Corporis totius Ecclesiæ charitate & conglutinatione.

CVIII. Item ex Gallorum consensu sub Philippo Pulchro Rege.

Denique ipsâ illâ Philippi Pulcri ætate, quâ de patriis libertatibus incaluere atrociores pugnæ, Pontificis tamen & Concilij de principatu altercatio adhuc ferè conticescebat. Laudauimus iam suprà Gallorum tunc voces ad Romanum Pontificem : *Non habet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Iesu Christi vicarius, totum corpus Ecclesiæ representans, qui claues regni calorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium sine vobis, & nisi per vos posset cognoscere.* Quæ vtcumque videantur quibusdam Pontificem Concilio anteponere : nobis tamen nec anteponere, nec supponere videntur, sed componere, ac conglutinare : vt quoniam aliquando non necesse est, non conducit Concilia coalescere : tum suam & Ecclesiæ, vt vnam eandemque Pontifex potestatem exerret ; Ecclesiæ totius consensione, seu nullâ intercessione consecutâ, Concilij œcumenici instar habituram. Vide sis, quæ tum Galli philosophabantur de Cælestini Papæ resignatione, quam vt Bonifacij impeterent Pontificatum, infirmare gestiebant. De Romani Pontificatûs præcellentia quadam incredibili & diuinâ nihil vsquam magnificentius calamo vel mente comprehendi potuit. Pleraque eò recidunt, quod resignare non potuerit Pontifex, quo nemo superior. *Quis erit ille tam vesano spiritu ductus, qui dicat Papæ Romano, quantumcumque volenti & consentienti, etiam & committenti expressè, posse non tantùm per solum collegium Cardinalium, sed nec per omnes homines, neque per vniuersale Concilium, imò & per omnem Clerum insimul congregatum, adimi posse subditos, quos Deus commisit pascendos, & confirmandos? &c. Quis renunciationem & cessionem Romani Pontificis, cùm cessio & renunciatio coram suo superiori habeat fieri, si ad ipsam fiendam procederetur, vt superior acceptabit? &c. Ideo cum omni certitudine tenendum est, absolutionem Romani Pontificis à Papatu, renunciationem, & per quencumque alium actum omnino*

Suprà n. 75.

Hist. de diff. de Bon. VIII. & Phil. Pag. 34. 35. 451. &c.

Pag. 456. 458.

impoßibilem fore, niſi per mortem, cùm placuerit Deo: quoniam nec ipſe ſeipſum, nec ſuus par, dato quod inueniretur, quod non eſt dare poßibile, & multòminùs ſuus inferior, aliquatenus ipſum abſoluere poteſt. Has aliaſque [illegible] genus rationes exufflauit contrariæ tunc ſententiæ patronus, idemque Gallicanæ libertatis propugnator eruditiſſimus Ioannes à Pariſiis: nec tamen vel ad renunciationem, vel etiam ad depoſitionem, neceſſarium exaggerauit Concilij ſupra Pontifices principatum. Verba eius ſunt: *Sed ad deponendum decet, quod fiat per Concilium generale: vt patet d. 21. c. Non autem. Vbi dicitur, quod conuocatum fuit Concilium generale ad depoſitionem Marcellini. Credo tamen quod ſimpliciter ſufficeret ad depoſitionem huiuſmodi Collegium Cardinalium. Quia ex quo conſenſus eorum facit Papam loco Eccleſiæ, videtur quòd ſimiliter poßit eum deponere, ſi quidem fuerit cauſa rationabilis, &c.* Et infrà, vt aſſenſu Prælati & Eccleſiæ initur ſpiritale coniugium, ita diſſenſu ſolui poſſe, niſi prohiberetur per ſuperiorem, docet: *Et quia de Papâ non inuenitur prohibitum, ſicut de Epiſcopis inferioribus; ideo Papa poteſt reſignare & deponi, ſine auctoritate cuiuſcumque ſuperioris.* Et mox: *Poteſt nihilominus adhuc reſponderi ad hoc argumentum, & ad alia quædam: quod vbi apparet manifeſtè cauſa rationabilis, ſicut vbi eſt defectus manifeſtus, ſupponitur conſenſus & authoritas Dei ad renunciationem & depoſitionem, ſicut in eius confirmationem ſupponitur.* Inferiùs tamen vno ſtrictim verbo attingit hanc quæſtionem, ſed obiter & trepidè, atque ita vt ad alia ſtatim ſubſidia recurrat: *Quod ergo dicitur, quod Papatus eſt ſumma virtus creata, & ſic non poteſt auferri: Reſpondeo, licèt ſit ſumma virtus in perſonâ, tamen eſt ei æqualis, vel maior in Collegio, ſiue in totâ Eccleſia. Vel poteſt dici, quod poteſt deponi à Collegio, vel magis à generali Concilio, authoritate diuinâ, cuius conſenſus ſupponitur & præſumitur ad eum deponendum, vbi apparet manifeſtum ſcandalum, & incorrigibilitas ipſius præſidentis.* Et denique: *Ad decimam rationem, quod nulla dignitas eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem tolli poteſt, niſi per ſuperiorem: Reſponſio: Planum*

L. de poteſt. Reg. & Papali c. 24.

eſt, quod hoc intelligitur de dignitate, quæ confirmatur per ſuperiorem. Sed aſcenſus Papæ ſine ſuperiore, confirmatio eius eſt: & ideo deſcenſus eius ſine ſuperiore, ceſſio eſt. Vbi perſpicis 1. principatum Concilij ſeu Eccleſiæ ſupra Pontifices, vno verbo perſtringi, nec in eo momentum rei locari. 2. Dubitanter inſinuari maiorem Pontifice eſſe Eccleſiam, vel æqualem; & vtrumque perinde eſſe. 3. Collegio Cardinalem *vice totius Eccleſiæ*, vt ibi ait, idem iuris permitti. 4. Denique in id totis viribus incumbi, vt etſi ſuperiorem non habeat Pontifex, & cedere tamen, & aliquo etiam caſu deponi poſſit. Qua de re nos alibi. Sed eo conſilio iſta à nobis hîc ſunt delibata, vt palam fieret, viris doctis ad quaſlibet extricandas difficultates ſolenne fuiſſe, nequaquam illam adhibere de ſuperiore Pontificibus Concilij authoritate ſententiam; ſed alia potiùs munimenta: de quibus in poſterioribus, noſtroque æuo propioribus Conciliis illuſtrandis dicemus.

CIX. Altera aperitur concordia huius doctrinæ cum Gallicanis libertatibus: quod hæ non tam ſuperiorem Pontificem Synodum eſſe iubeant, quàm vetent inferiorem eſſe.

Sed largiamur id etiam, vt iſto potiſſimo & neceſſario nitantur Gallicanæ libertates fulcimento; id rurſus moneo, non tam flagitaſſe libertatum defenſores, vt ſuperior eſſet Pontifice Synodus; quàm interceſſiſſe, ne Synodo ſuperior eſſet Pontifex. Cuiuſmodi eorum conatui nihil nos reluctati ſumus, quin etiam obſecundauimus non mediocriter, omnem de ſuperiori gradu contentionem pro virili ſedare enixi. Porro idem illi conſecuntur, ſi modò non ſit ſuperior Pontifex, acſi eſſet inferior. Conculcare enim Conciliorum leges non poterit, quibus ſuperior non erit: ſicut nec anteceſſorum decreta irritare poterit, quibus inferior non eſt. Ergo Regij Senatûs tonitrua in eos perſæpe crepuerunt, qui Pontificem Concilio ſuperiorem, qui Pontificem ſupra omnem Eccleſiam à Deo conſtitutum prædicarent: nuſquam in eos qui ita Pontificem Synodumque conſererent, & conſociarent, vt illum tamen ſynodicis, maiorumque ſuorum decretis deuinctum agnoſcerent. Quin

imò quicumque inuidiosiùs, vt minorem & inferiorem Concilio subesse Pontificem deprædicant: non aliud illi moliuntur, quàm vt synodicis Canonibus eum astringant. Atqui id consequi fas erat, citra odium, citra inuidiam, citra pontificiæ dignitatis imminutionem; ita Synodorum generalium decretis Pontificem obligando; sicut illorum obligatur, quibus inferior non est, prædecessorum suorum, sanctorum Ecclesiæ Patrum, prouincialium vbique receptorum Conciliorum statutis. Quocirca hac iam mihi maior verborum, quàm rerum controuersia videtur supersesse. Modò enim ligetur legum vinculis, ita vt non dispenset nisi aut inuitante vtilitate, aut cogente necessitate, non est lis cienda Pontifici de statu suo & dignitate, nullo nostro emolumento, solo pacis & concordiæ fastidio.

CX. Tertia concordiæ ratio panditur: etsi Gallicanæ libertates subiicerent necessariò Pontifices Synodis: ad disciplinam & consuetudines, non ad fidei decreta id totum pertineret. Quod pluribus argumentis demonstratur.

Verùm vt operosiùs detergeamus illam imminutæ Gallicanæ libertatis maculam; id donemus etiam, inferiorem esse & dici Concilio Pontificem: nihil de suprà constitutæ doctrinæ veritate labascit. De solis enim fidei definitionibus pontificiis disceptari etiam atque etiam contestati sumus: libertas autem Gallicana, quanta quanta est, non in fidei, sed in disciplinæ campis liberioribus spatiatur. Id nomen ipsum clamat. Libertas enim in disciplinæ & consuetudinum varietate quadam infinita iactatur. Fides vna necessariò, suique similis vbique & semper existit. Gallicana autem quæ libertas est, eadem non est cæterarum Christianarum gentium: at fides vna omnium est. Vnus enim Dominus, vna fides. Itaque quo cæteras Christianæ Ecclesiæ partes superamus, id nequaquam ad fidei negotium pertinet. Alij enim aliis liberiores esse possumus, alij alias vendicare libertates, alij nempe aliam arrogare disciplinam; non alij autem aliam fidem amplexari. Quin etiam ab hac fidei inuariabili vnitate, velut ab immobili quodam cardine tota disciplinæ varietas religatur. Vna enim Regina est, & ideo circumamicta va-

Digitized by Google

rietatibus. Vna fides, eò præclarior, quòd illâ diſciplinæ & conſuetudinum libertate non diſcerpitur. 2. Si antedicta replicentur, imò ſi omnia excutiantur de Gallicanis libertatibus exarata monumenta, id certò comperietur, nuſquam de fide certatum, nuſquam de fidei dogmate litem motam eſſe Pontifici, quoties pro libertate Gallicanâ conſerta pugna eſt. Nunquam à pontificia fidei definitione, vel à Sorbonicis, vel ab Vniuerſitate Pariſienſi, vel ab Eccleſiâ Gallicanâ, vel à ſupremâ Parlamenti Curiâ ad Concilium appellatum eſt. Et antequam hæ prouocationes vſurparentur, quandiu ſolo diſſenſu Gallia ſuas tuebatur conſuetudines, nuſquam Pontificis & Romanæ Sedis fidei vel definitioni diſſenſu qualicumque ſuo reluctata eſt. Quod argumenti ſatis eſt, vt ne duo hæc longè diſiunctiſſima permiſceantur. 3. Et ne antedicta omnia, vel quæ Conſarcinatores ingentium de libertatibus Gallicanis voluminum conglomerarunt, ea ad legentium nauſeam refricem: vnum & alterum ſuggero, Hincmarum & Bernardum. Copioſiſſima & apertiſſima vtriuſque congeſſimus ſuprà teſtimonia, pro definitionum fidei pontificiarum authoritate inconcuſsâ: at nemo neſcius eſt, & nos ſuo loco pandemus, quanta & quàm diſerta apud vtrumque inconcuſſæ ſynodalium Canonum authoritatis, & germanarum libertatum documenta refulgeant. Horum ergo veſtigia lambere nobis votum ſtudiumque fuit. 4. Conſtantienſi & Baſileenſi Synodis accepta fertur illa de ſuperiore Pontificibus Concilio doctrina. At illæ geminæ Synodi ſolam expolire diſciplinam, ſolam promouere reformationem ſtuduerunt. Decreta vtriuſque de ſubiiciendo Synodis Pontifice, conceptis verbis ad ſolam Canonum obſeruantiam ac reformationem referuntur. Sicubi fidei vox ſonet, ex rerum verborumque contextu patet, fidem latiùs exponendam, vt cui ſchiſma inter Pontifices exitium afferret. In Conſtantienſi cauſa Vuiclephi retractata eſt: ſed ita tamen, vt ſola Romanæ Synodi damnatione percuſſus Vui-

Digitized by Google

clephus, & ante generalem Synodum præfunctus, in hæreſi mortuus, & exhumandus declaretur. Denique Conſtantienſium & Baſileenſium decretorum interpretatio, ex ipſa rerum tunc & temporum conditione hauriendæ eſt. Nec enim Synodis moris eſt, definitiones ſuas in incertos euentus eiaculari, ſed vrgenti temporum accommodare neceſſitati. At verò illa tunc temporis procella non in fidem Eccleſiæ, ſed in mores, in diſciplinam graſſabatur. 5. Et illa ſanè Conciliorum frequentia, quæ Conſtantienſibus, quæ Baſileenſibus Patribus, quæ Gallis maximè cordi erat, quæ prouocationibus ad Concilia flagitabatur, meræ reformationi in Capite & in membris ab omnibus deſtinabatur. Quin & ipſa Tridentina Synodus, etſi tunc quidem nouellæ hæreſes toto pene Chriſtiano orbe, & apud Gallos denſiſſimæ reſtagnarent: vel à Gallis tamen ipſis non tam ad fidei definitiones, quàm ad morum emendationem neceſſaria exiſtimabatur, vt ſuprà oſtenſum, vt mox ampliùs oſtendendum: à cæteris autem etiam Catholicis non ad fidei quaſi dubia exoluenda, ſed ad hæreticorum contumaciam vel extraordinario hoc remedio refringendam expoſcebatur. 6. Quid autem de ſancti Thomæ, angelici ſcholæ magiſtri ſententiâ, & de iurato in eius verba diſcipulorum agmine dicemus, quæ permagna eſt Thologicæ Pariſienſis ſcholæ portio? Quantò ſatius eſt, tot tantoſque libertatibus patriis ſuffragatores conciliare? Atqui illi pro pontificiis de fide diplomatis coniurati pugnant. Tutiſſimum ergo eſt, ita libertates defendere, vt ne illas cum tanto & tam domeſtico Doctorum cuneo collidamus. Parco recentiores ſcholæ Pariſinæ flores recenſere Duuallium, Gamachæum, alioſque, quos Patriæ iuribus & priuilegiis infeſtos fuiſſe, non facilè dixerim, non temerè crediderim. 7. Quid quod vbi de merâ fide manarunt pontificia reſcripta, ipſæ ampliſſimæ Parlamenti Curiæ, ipſa Regiæ aulæ penetralia obuiis quaſi vlnis amplexata ſunt fidei regulam: nec vlla vllum inde ſuis li-

Digitized by Google

bertatibus creari posse periculum suspicio pupugit? Est prorsus, quod eorum vicem doleamus, & animi, fideique inconstantiam; qui vbi nunc pronos in amplectendis promulgandisque, nunc morosos & austeros in excutiendis, scrutinandisque Pontificum rescriptis, vel de pontificiâ authoritate doctrinis vident Reges, Proceresque, ac Senatores Regios: de religione & fide ipsâ malè suspicantur; sæcularis imperij flatu aut reflatu alternare, & quasi vertigine quadam rotari huc illucque ecclesiasticam doctrinam putant: & quæ fixa sunt semel, refigi contrà posse non desperant. Hæc animi leuitas, hæc imbecillitas fidei ex merâ nascitur incogitantiâ, insciliâque Ecclesiasticæ Theologiæ. Non Reges Christianissimi, non Iudices amplissimi sibi dissentiunt, non secum conflictantur. Sed alia est fidei, alia disciplinæ conditio. Ibi obsequium, hîc libertas locum habet: ibi pronitas animi, & deuotio explicatur; hîc libertatis cura suspensior, & suspicacior hæret. Hæc compendiaria ratio est imaginariæ illius pugnæ, & suspicionis iniquæ diluendæ; fiduciæque certiùs arrigendæ in Christi optimi maximi prouidentiam, de Ecclesiæ suæ fide & castitate ludos agi haudquaquam sinentis. 8. Vt verò liquidius fiat, quam non pugnet, & nil posse contra Canones Synodicos moliri Pontificem, quod libertatis Gallicanæ vindices vrgent: & Pontificum tamen de fide constitutionibus certam constare veritatem: recurrat animo priscos Pontifices vtrumque frequentissimè, se nimirum & Custodes Canonum, & Fidei Magistros professos esse. Ad nauseam penè vtrumque decantatum occurrit in priscorum, in mediæ ætatis, in nuperorum Pontificum epistolis. Et vtrumque, ni fallor, cognatum sibi, coalitumque est. Vt prima videlicet Sedes, quæ fidei, eadem Canonum custos sit: vt Apostolica Cathedra & in fide dictandâ, & in vita componenda principetur: vt Petri Magisterium mentem fide, mores certis regulis imbuat: vna eademque & doctrinæ & sanctitatis ad doctrinam contempera-

tæ scatebra. 9. Stupet quorundam & auersatio fortassis vanescet, hoc perpenso, cùm ante centum annos nouellæ hæreseos venena serperent impuniùs, *Parisiensis Senatûs decreto edictum esse, vt Christianæ Religionis formula à Sorbonicis Theologis conscripta, Regiâque lege comprobata, dominicis diebus in templis publicè coram populo recitaretur.* Item posteà *constitutum vt quisque fidei professionem ederet iuxta formulam à Sorbonicis Theologis ante annos* 18. *præscriptam, & in Senatu promulgatam. Qui recusarent, vitâ & bonis multarentur.* Necdum Tridentina Synodus perfecta tunc fuerat, necdum Galli eius initiis consenserant. Formulam fidei Sorbonici Theologi conscribunt: Rex, Senatus, comprobant, promulgant. Subscribere omnes adiguntur, detrectatores spoliantur vita & fortunis. Non extinctæ, ne sauciatæ quidem sunt Libertates hoc Sorbonico fidei decreto. Quid si Pontifici, si Principi Cathedræ tantumdem saltem permittatur? Quanquam & illa fidei formula non absurdè tantas has vires coniiceretur à Pontificum constitutionibus grassantium tunc errorum peremptricibus mendicasse; nec id ipsa dedignaretur. Si dicas tam apertam & expeditam tunc fuisse fidei causam, vt non ampliori indagine opus esset: Reponam & ego, quod Verbum, quod Spiritus sanctus, cum Patre vnus sit Deus; quod vna persona, quod duplicis naturæ sit Christus, tam clara & familiaria hæc esse rudimenta fidei Christianæ; nec dissimiliter de aliis Catholici dogmatis partibus: vt hæc fidei decreta ex limpidissimis Romanæ Ecclesiæ fontibus facillimè hauserit, & in reliquas Ecclesias effuderit summus Pontifex, princeps in episcopatu fidei. Non aliud enim est illud priuilegium, quod tam inuidiosè quidam dilancinant, quàm quod vt Sorbonicis tunc doctoribus licuit fidem Ecclesiæ, in qua degebant, conscribere: vt quibuslibet Episcopis fas est, fidem quam lactentes suxere, lactentibus instillare populis: ita ius fasque est Pontifici Ecclesiæ antiquissimæ, principalissimæ, matricis omnium Ecclesiarum, & ipsarum Matricum Matricis,

Thuanus l. 5. p. 151. ad an. 1548. & lib. 26. p. 780. ad an. 1560.

Conference des Ordonn. l. 1. t. 1. p. 1. §. 1.

cis, fidem in Eccleſia ſua, vt in originali ſcatebra puriùs manantem effundere, & in orbem deriuare. Porro ille Capitis & Corporis Eccleſiæ concentus eſt, illa Spiritûs ſancti Eccleſiam vniuerſam vegetantis informatio & vnitas, vt vocem fidemque Capitis ſui, veluti ſuam, propriamque eccleſiaſtici corporis compago vniuerſa agnoſcat, teneatque. Nec enim imperioſa opus eſt Capitis poteſtate, vt membra Capiti conſentiant: id ipſa feliciùs præſtat eorum indoles, vita, & Spiritûs veritatis inſpiratio. Quocirca nec Pontifices in fidei dogma ſuam inerrantiam inuexere, contenti tot ſæculorum experimento, concentu intimo, & cæleſtis Spiritûs vegetatione, ſponte ſua, membra Capiti ſemper in fidei decretis concordaſſe. 10. Hæc Romanorum & Pariſienſium germana videtur eſſe concordia. Quod illuſtrius fiet, ſi hæc ex Nauarro antè promamus, quæ ex eo decerpſerunt Libertatum Compilatores: *Non eſt conſilium in præſentiâ definire, cui principalis poteſtas eccleſiaſtica fuerit à Chriſto collata, an Eccleſiæ toti, an verò ipſi Petro; propter illam maximam diſcordiam Romanorum, & Pariſienſium. Illi enim tenent Petro & ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideo Papam Concilio eſſe ſuperiorem. Ii verò quibus Gerſon adhæret, totam datam eſſe toti Eccleſiæ, licèt exercendam per vnum, atque ideo in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam. Quarum illa, ſcilicet Romanorum, videtur placuiſſe ſancto Thomæ, &c.* Quæ ille alibi quoque iterat, aliaque ſubtexit, quibus rem videatur ad Canonum & diſciplinæ ſynodicæ obſeruantiam reuocare. Conſule, ſi per otium vacat, loca ipſa; de diſciplina quæſtionem verti perſpicies. Alioqui ſi de fide ageretur, non poſſet alia Romanorum, alia Pariſienſium eſſe ſententia. Sed cùm vtraque gens in fide conſentiat ſecum, & cum Capite Eccleſiæ conſpicuo: minùs mirum eſt, ſi altera alteri minùs congruat in diſciplinæ & conſuetudinum varietate: & Romani Pontificis conſtitutionibus diſciplinam regentibus addictiores ſint Romani, quàm Galli. Si diuerſas enim à Synodali-

Preuues des libertez de l'Eglise Gall. c. 12. n. 10.

bus leges alicubi inuexit Pontifex, vſuſque confirmauit, atque ibi videatur Pontifex eâ de causâ Conciliis ſuperior, quid adeo nouum aut inſolens iſtud videtur? Nonne & aduersùs ſynodicas leges ſæpicule libertas Gallicana repugnat, diuerſoſque ſuos retentat mores? Si rurſum alicubi ita mordicùs retinentur priſcarum Synodorum regulæ, vt nec Synodorum generalium poſteriora, nec Pontificum noua aliqua decreta admittantur: atque ita ibi videantur eatenùs Pontifices minores Synodis, videantur æquè nouæ Synodi minores antiquis: nonne Gallicana hæc erit libertas, & mera diſciplinæ verſatilitas? Mera ergo iſta conſuetudinum pugna eſt, & ideo nec pugna eſt; ſed pugnæ vmbratilis fuco quodam perlita, & hoc ipſo lætior concordia. Sola conſuetudinum varietas, ſola verborum diſcrepantia eſt, cùm hîc ſuperior, illic inferior Synodis iactatur Pontifex: qui conſultiùs forraſſe, nec ſuperior, nec inferior diceretur; ſed diſciplinam ſua ſponte verſatilem ſuo ingenio permittere: & in authoritate pontificia diſpenſanda Synodos ipſas œcumenicas imitari; quarum nonnullas leges libertas Gallicana etſi reueretur, non tamen ſequitur, quibus tamen ſe ſuperiorem nequaquam venditat. Sed vbi de re conuenit, in verborum vſu clementes eſſe debemus. Denique vbi aiebat Nauarrus, ex Gallorum ſententia, *in aliquot ſaltem caſibus* eminere Concilia Pontificibus: eò pertinere illud poſſet, vt in fidei quæſtionibus non ſemper Concilia Galli deſiderent.

CXI. Gallicanæ libertates ſuperiorem Pontifice Synodum cenſentes, ad Canones & diſciplinam, non ad fidei decreta ſpectare oſtenduntur, ex ipſis Philippi Pulcri temporibus, & teſti-

Sed ad ipſos iam properemus libertatum defenſores, vt has argumentationes ex ipſa eorum officina depromptas eſſe reuincamus. Ordinem ducet ſuo quodam iure Philippus Pulcher cum Optimatibus ſuis, quos ſuprà audiuimus ira Pontificem alloquentes: *Abſit à Regiâ perennitate, in quæſtione fidei quidquam, quod veſtra ſanctitas, maximè ſacro approbante Concilio deciderit, in aliquod vnquam dubium reuocare.* Vides curiosè diſtingui, *in quæſtione fidei.* Et ibidem rurſus: *Nec vt Papa, potuit eſſe hæreticus. Nec vn-*

Digitized by Google

quam aliquis Papa, in quantum Papa, potuit esse hæreticus. moniis aliis com. pluribus. *Suprà num. 75.*
Non ergo ista obstrepunt libertatibus Gallicanis. His accedat suppar Ioannes de Parisiis, strenuus & ipse vindex libertatum, qui etiam perstrinxit suprà Synodum generalem eminere Pontificibus: at definiendæ tamen fidei decretoriam potestatem idem ipse adseruit Pontificibus: *Post corporalem subtractionem Christi contigit interdum, circa ea quæ sunt fidei, quæstiones moueri; in quibus propter diuersitatem opinionum vel sententiarum diuideretur Ecclesia, quæ ad sui vnitatem requirit fidei vnitatem; nisi per vnius sententiam Ecclesiæ vnitas seruaretur. Hic autem principatum eiusmodi habens, est Petrus, successorque eius.* Plura superiùs ex eodem carpsimus. Hæc Dominicanæ familiæ alumnus eximius, nuperis libertatum defensoribus commendatus, Thomisticæ totius sententiæ & scholæ cum germanis Galliæ libertatibus idoneus conciliator. Nec multò pòst, cùm de Dei visione beatifica ante corporum resurrectionem digladiarentur hinc & inde Theologi & Iuristæ: Parisienses Theologi magno agmine hæc ad Regem præfati sunt, antequam suam ea de re sententiam expedirent: *Attendentes specialiter id, quod ab ore vestro audiuimus, quòd nihil in hâc materiâ quærebatis, quod tangere posset sanctum Patrem & dominum nostrum Ioannem Dei prou. sacrosanctæ Rom. ac vniu. Ecclesiæ summum Pontificem, cuius sumus deuoti serui, ac filij: quin imò sicut filius eius deuotissimus honorem suum in his & aliis zelabatis: aduertentesque quod multorum fide dignorum relatione audiuimus, quòd quidquid in hac materiâ sua sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulerit, sed solummodo recitando: considerantesque, &c.* Tum teste Nangiaci Continuatore, Rex Pontifici scripsit: *quatenus sententiam Doctorum de Parisius, qui meliùs sentiunt, quid debet teneri, & credi in fide, quam Iuristæ, aliique Clerici, qui parum aut nihil sentiunt de Theologiâ, approbaret; & quod sustinentes contrarium corrigeret.* Quibus nihil potest magis consentaneum pontificio huic priuilegio cogitari. Nunc audiendus nobis Thomas de Corsellis, Doctor Parisiensis,

Lib. de pot. Reg. & Pap. c. 3.

Lib. de l'Egl. Gall. p. 459. 548.

Preuues des libertez de l'Egl. Gall. c. 35. n. 18.

Ad an. 1332.

Ibid. c. 12. n. 4.

Digitized by Google

& Nuncius Basileensis Concilij ad Regem Christianissimum: Ita pro Concilio aduersùs Pontificem ille disputat: *Quod allegant Petrum esse Caput Ecclesiæ, hoc idem Basileense Concilium concessit, etiam de Ecclesiâ congregatâ. Nam & in vnâ responsione suâ dicit: Ipse erit Concilij Caput, ipse quidem primus est in Concilio: & vltrà dicimus, quod ipse habet interpretari Canones Conciliorum, in eis dispensare, & etiam eos mutare, si tempus & opportunitas id faciendi adueniant: hæc tamen debet facere, ad intentionem Concilij, hoc statuens propter publicam salutem. Non enim est ei data potestas in destructionem, sed in ædificationem. Et sic nihil negamus de priuilegio Sedis Apostolicæ, &c. Sed si velit vti proprio iudicio in contrarium vniuersalis Concilij & intentionis eius, & quod si Concilium statuat aliquid pro salute publicâ, ipse vniuersaliter eodem tempore statuat in contrarium, vt si Concilium statuat electiones fieri sublatis reseruationibus, &c. ipse statuat in contrarium omnes Ecclesias Cathedrales reseruari: sic reiiciendo voluntariè Canones sacros: hoc quidem ei facere non competit. Vnde & quod habeat supremam authoritatem in Ecclesiâ, non negamus: sed quod habeat illam supra totam Ecclesiam, ita vt habeat præferre iudicium suum iudicio totius Ecclesiæ congregatæ, hoc non creditur.* Vides quæ Thomæ, imò quæ Basileensis Concilij mens fuerit, cùm inferiorem dixit Pontificem Concilio: nempe Pontificem potestate sua abuti non posse in destructionem, quæ data est in ædificationem: non posse voluntariè reiicere Canones, etsi eos dispensare & mutare etiam possit, si vtilitas eluceat, si necessitas vrgeat: non posse præferre iudicium suum iudicio totius Ecclesiæ congregatæ, quod nec Pontifices vlli, vt reor, licere sibi voluerunt. Si quando enim Synodis refragati sunt, eas nequaquam vniuersales, nequaquam totius Ecclesiæ congregationes ob infrequentiam suam existimarunt. Sed illud enitescit, totum illum Concilij primatum suprà Pontifices, ad Canones & disciplinam attinere. Quocirca idem consequenter: *Quòd verò dicit proponens ex aduerso, quòd est diffidentia reprobata, si quis dicat*

Digitized by Google

Sedem Apoſtolicam errare poſſe: dicitur, quòd adhuc eſt maior diffidentia, ſi quis dicat vniuerſalem Eccleſiam legitimè congregatam errare poſſe. Nec aliquis diffidit, quod Papa in ſuis ſententiis errare poſſit, ſi non velit agere contra ea, quæ in ſententiis & in ſcriptis ſanctorum Patrum & Conciliorum definita ſunt. Sed nihilominus Papa Vrbanus dicit, quod vbi apertè Dominus, & omnes Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres, (quod de Conciliis exponitur) aliquid definierunt, ibi nouam legem dare non poteſt: & quod ſi deſtruere nititur ea, quæ illi definierunt, non ſententiam dare, ſed errare conuincitur. Itaque ad hunc ſenſum planè concedimus, quòd errare non poteſt in ſententiis ſuis: & quòd intelligitur tunc dare ſententiam, cùm non deſtruit ea, quæ in ſententiis & in ſcripturis ſanctorum Patrum & Conciliorum definita ſunt: neque faciliter præſumitur, quòd ea deſtruere vellet, niſi conſtaret de contrario. His plura & locupletiora nemo deſiderare poteſt. Perſpicuè enim confitetur Pontificem in ſententiis ſuis errare non poſſe, niſi apertè Conciliorum definitionibus aduerſetur, vti tunc apertè Baſileenſi Synodo Eugenius videbatur aduerſari. Sed vbi non *apertè* labefactantur Pontificis conſtitutionibus Conciliorum dogmata: vbi non ita *conſtat*, quod Pontifex deſtruere velit ſynodales definitiones, ſicut tunc conſtabat Eugenium Baſileenſibus aduerſari, ibi præſumitur Pontifex non errare. Nec Concilia porro ipſa certam nobis fidem ſui ingenerarent, ſi ipſa ſecum ita palam colliderentur.

CXII. Qui pontificia de fide decreta vexant, plerique abſtractam & otioſam ventilant hypotheſin.

Et antequam vlteriùs prouehar, ſi Gerſonio, ſi alij cuilibet in mentem venit, contingere poſſe vt in definiendo fidei dogmate, hinc vniuerſa Eccleſia, ſeu Concilium œcumenicum, inde ex aduerſo ſentiat Pontifex: & tunc ille poſſe Pontificem ſolitarium, non poſſe Eccleſiam vniuerſam errare conſtituat: cuiuſmodi videtur hîc attigiſſe hypotheſin Thomas de Corcellis: cuiuſmodi fortaſſis à multis ſcholæ magiſtris ſupponitur: ego verò profiteor, in hac verboſiſſima diſſertatione, nec verbum quidem vnum ſcripſiſſe, quod ad eam controuerſiam ſpe-

Digitized by Google

ctet. Id contigisse vnquam hactenus, vehementer nego. Omnibus enim historiæ ecclesiasticæ paginis obuius fit nobis semper Pontifex, agmine & suffragio suffultus vel omnium, vel longè plurimorum Catholicorum Antistitum, quoties de fide tractatum est. Non est autem nostri instituti, abstractas & in scholastico otio enatas, non in actu rerum exortas sectari controuersias: sed accommodatè ad historicam fidem, quæstiones in Ecclesia tot sæculis voluentibus excitatas edisserere. Quanquam id facile à cordatis omnibus impetrabitur; quod tanta decedentium & succedentium ætatum intercapedine non contigit, id fore vt non contingat, fiduciam penè indubiam adesse.

CXIII. Rursus ex nuperrimis defensoribus libertatum ostenditur, illis non officere pontificiam in fide definiendâ authoritatem. *Liberté de l'Egl. Gall. pag.* 312. 313. 314.

Ad iuniores libertatum assertores descendo. Præfulget inter illos Antonius Hotmannus suprà iam laudatus. Censet ille Ecclesias alias ab aliis, & ab ipsa Romana discrepare posse consuetudinum vsu libero, *citra dissidium ab vnitate Ecclesiæ, & à principatu Romanæ Sedis. In primatu Romanæ Cathedræ vinculum esse vnitatis ecclesiasticæ, propter omnium membrorum compaginationem cum Capite. Si Capite enim orbetur Ecclesia, tum Antistites quilibet sparsim per orbem suæ solertiæ indulgebunt, & ad libidinem suam propositiones alias & alias pugnantesque in Ecclesiam inuehent, atque ita religionem Catholicam, dissipabunt.* Non potuit expressiùs ipsissima Ioannis de Parisiis sententia explanari. Probat ille quod in Conuentu Turonensi an. 1510. decretum est aduersùs Iulium II. Pontificem, *Subtrahere se ab obedientiâ Romani Pontificis licere, non in totum, nec indistinctè, sed pro tuitione tantùm ac defensione iurium suorum temporalium.* Addit ex Concilio Ephesino, Victore Vticensi, Gregorio Turonensi Catholicam Religionem iam olim *Romanam* appellitari solitam: denique id certò constare, *nunquam Ecclesiam Gallicanam, aliam à Romanâ fuisse.* Pag. 351. 354. 355. 358. 360. 391. Amplissimam ille alibi potestatem donat Pontifici Romano decernendi de Religione, sic tamen vt consuetudinum libertas Gallis Sarta tectaque seruetur. Ex Fulber-

Digitized by Google

to enim : *Nos non offendit obſeruantiæ diuerſitas, vbi fidei non ſcinditur vnitas. Sed neque in hoc ſcandalizamur, ſi audimus diuerſam obſeruantiam, ſed non diuerſam fidem in Chriſti ſemper Eccleſiis extitiſſe. Stat enim regina Eccleſia, à dextris Regis ſui in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Quibus concinit Guido Coquille, *Gentes omnes ſponte conceſſiſſe in Sedis Romanæ obſequium, tum ob memoriam B. Petri, tum quòd Romana Eccleſia à doctrina per Petrum diſſeminata caſtitate nunquam deſciuerit, tum denique quòd Chriſtus ſupra firmitudinem fidei Petri Eccleſiam ſuam fundauerit. Quocirca Catholica Religio, Apoſtolica etiam & Romana nuncupatur. Non quòd fides noſtra vrbi Romæ per ſeſe ſit affixa, ſed quòd cùm Romam dicimus, in mentem venit eius fidei, quam Petrus Romæ ſeuit Romanus ipſe Epiſcopus : & quam Romani Pontifices eius ſucceſſores retinuerunt.* Hoc ſemel iacto conſtantiſſimo Romanæ Sedis fundamento, tanto poſteà ille ſecuriùs pro Gallicanarum libertatum defenſione certat. Otioſum foret reliquos producere. Omnes pro ſola diſciplinæ veteris libertate conſpirant. Nihil vrgent, nihil efficiunt, quod fidei iugum eiuſdem libertatis obtentu excutiat, aut vel concutiat. Illi ipſi nupertimi horum omnium Compilatores, quid ſibi eſſet conſilij, prodidere, his ad ſingulorum operum exordia præfixis ſententiis. Ex Can. vlt. Concilij epheſ. *Placuit ſanctæ & vniuerſali Synodo, ſeruari vnicuique prouinciæ pura & inuiolata iura, quæ iam inde ab initio habet, ſecundùm antiquam conſuetudinem.* Ex Hieronymi epiſt. 28. *Vnaquæque prouincia abundet in ſuo ſenſu : & præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Ex Greg. l. 1. epiſt. 41. *In vnâ fide nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.* Ex Baſilij epiſt. 70. *Vnum iam crimen eſt, quod vehementer punitur, ſi paternas quis traditiones diligenter obſeruet.* Ex Auguſt. epiſt. 86. *In his rebus de quibus nihil certi ſtatuitur ſcripturâ diuinâ, mos populi Dei vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Et alia id genus complura fronti opuſculorum prætexta ſunt, quæ à fidei ingenio abhorrere, & ad conſuetudinum iura coartari de-

Ibid. pag. 409. 410.

Digitized by Google

Preuues des libertez de l'Egl. Gall. c. 10. 12. 13.

bere exploratiſſimum eſt. Euolue quæ ipſimet in caput 10. 12. 13. coniecere, vbi Conciliorum & Pontificum cauſa expenditur, omnia perſpicies ad Canonum obſeruantiam, nihil ad fidei decreta collimare. Concilia autem quibus maximè fructibus pariendis neceſſaria duxerint maiores noſtri, clarebit dilucidè ex oratione Gallicani Oratoris ad Patres Tridentinos: *Siquidem centum quinquaginta anni elapſi ſunt, ex quo Reges noſtri petierunt à Pontificibus eccleſiaſticæ diſciplinæ iam tum labentis reſtitutionem, miſſis Oratoribus ad Synodum Conſtantienſem, Baſileenſem, Lateranenſem, & Tridentinam, &c. Quorum orationibus nihil aliud eflagitatum, quàm vt de Eccleſiæ miniſtrorum emendandis moribus ſeriò ageretur: & tamen adhuc nobis ieiunandum & flendum eſt, non vt Iudæis quinto & ſeptimo menſe, ſed totòs iam ducentos annos, atque vtinam non trecentos, & multo amplius. At inquiunt, vobis abundè ſatisfactum eſt tot anathematis, ac dogmatum deciſionibus. Et certè fatemur, ſi aliud pro alio ſoluere inuito creditore ius eſt, nobis ſatisfactum eſſe: ſin minus, adhuc creditores ſumus, quos nunquam anathemata & dogmatum definitionem poſtulaſſe ſcitis. Teſtes appello vos, illuſtriſſimi legati, quibus ſeptuagies ſepties hoc ipſum prædiximus, &c.* Et in eiuſdem orationis Apologiâ: *Cùm diximus nos reformationem tantùm, non etiam dogmata petiiſſe, non etiam diximus, vt Religionis Catholicæ præcipua capita, & de quibus eſt hodie tanta controuerſia, perpetuò incerta eſſe debeant. Verùm cùm in illis ſit inter Catholicos homines conſenſus, exiſtimauimus à corruptis moribus, qui ſunt omnium hæreſeum fons & origo, eſſe incipiendum.* Vſque adeo & ante Synodum œcumenicam Catholicis omnibus conueniebat de dogmate orthodoxo, cum ſolis hæreticis lucta erat; aut hæretici audiebant, quibuſcum lucta erat: nec Concilij dogmata conſcripturi neceſſitas impendebat, niſi ad hæreticos ſuffundendos: Catholicis nempe omnibus priſcæ fidei Eccleſiarum ſuarum retinentiſſimis, & principaliter Romanæ, omnium Eccleſiarum magiſtræ. Quod ipſum ſexcentis aliis locis poſſet confirmari indidem deprom-

Thuanus lib. 35. pag. 265. ad an. 1563.

Memoires pour le Conc. de Trente pag. 496. 286. 289. 299. 303. &c.

Digitized by Google

depromptis. Vbi experimento ipſo diquet, hominum perſæpe ſententiam ex vitâ magis, quàm linguâ : ex geſtis certiùs, quàm verbis cenſendam eſſe. Qui enim in ſcholaſtico puluere, quaſi riſandi gratiâ, non aliter certum quid de hæretico, vel Catholico dogmate conſtare, niſi generalis Concilij conſtituto increpitant : illi ipſi & olim & etiamnum Sorbonicis, Epiſcopalibus, primæ Sedis de fide decretis citra vel ante generale Concilium annuunt, ſubſcribunt, contumaciter renitentes hæreticorum elogio notari aſſentiuntur; nec vllum hinc patriis libertatibus creari periculum quiritantur, vt quæ non fidei vinculum abrumpere, ſed conſuetudinum liberam varietatem intelligantur affectare. Denique edictis ipſis in Parlamento regiſtratis, Regum Franciſci I. & Henrici II. hæretici cenſentur, quicumque nouant quidpiam *conſtitutionibus ſynodalibus & papalibus aduerſum, ſeu Sedis Apoſtolicæ.*

Conference des Ordon. l. 1. t. 1. p. 1. §. 2.
Preuues des libertez de l'Egl. Gall. c. 28. n. 15.

Hactenus ergo geminum concordiæ cum germanis Gallicani Regni libertatibus propugnaculum aſtruximus: concluſo hoc & perfecto : & eâ ſententiâ de ſuperiore Pontificibus Concilio illas minimè fulciri : & vt eâ fulcirentur, eam tamen non ad fidei capita, ſed ad Canonum cuſtodiam, conſuetudinumque libertatem neceſſariò reſtringi. Vnum video, quo plerique impingantur, offendiculum. Si certa fides pontificiis de fide decretis adhibeatur, „poſſe illis quandoque tantam Pontificum in Reges & regna vendicari ac definiri poteſtatem temporalem, vt de libertatum ſoſpitate conclamatum ſit. Hoc terriculamento mirum eſt ſi docti viri moueantur. Num de Concilio enim generali non poteſt idem ipſum obiectari? Si poſſit Pontifex, num non poterit & Synodus idipſum ſancire? At Synodo interceditur? Æquè interceditur & Pontifici, id ne definiat. At rurſum aies, procul eſſe Synodos ab errore & procul fore, quo Regum legitima à Deo ordinatorum „vnoque Deo minorum, vt ait Tertullianus, iura peſſumdarentur : reſpondeo æquo iure dici, ab eo

CXIV. Explodi-tur eorum exceptio, qui pontificiam de fide definiendi poteſtatem tẽporali Regum ſupremoque imperio periculoſam eſſe poſſeominantur.

procul esse, proculque fore Pontifices. Itaque quos imminutum eunt, inopini exæquant Synodis Pontifices: & iura Regum quibus consultum volunt, imprudentes pari Synodorum iniuriæ obiectant, dum Pontificibus subducunt. Si enim ideo non potest Pontifex ea iura deterere, quia minor est Synodo; Synodus ergo, quæ nullo minor est, id poterit. Cæterùm ab annis iam sexcentis quoties Sacerdotium Imperio collisum est, quia causæ illæ communes erant: in generalibus Synodis à Pontificibus tractabantur: inde in Teutonicos maximè Principes sæuitum est. Non est ergo rei huius inuidia à Synodis abstergenda, & solis illinenda Pontificibus. 2. Nuperrima Synodi Tridentinæ gesta ac monumenta peruoluranda sunt. Ibi sexcenties comperietur, vt nihil intentatum reliquerint Galli, ne quid patriis iuribus, vel moribus receptis derogaretur, Regumque prærogatiuis. Si quid ibi perstrictum, vel delibatum visum est nihilominus, hactenus interceditur, non prouocatione ad maiora tribunalia, sed dissensu. Si à Pontifice eiusmodi quid pertentante, prouocatum fuisset ad Synodum Tridentinam: tunc conuenienter necessitas inedita bilior incubuisset, & vltro prouocata, standi iudicio Patrum Tridentinorum. Suis ergo se laqueis irretiunt, qui hos tuendarum libertatum iactantur anfractus. 3. Vel inuitis ergo id extorquetur, hanc totam esse non fidei, sed disciplinæ & consuetudinum causam: ex quo id nimirum efficiunt, vt non omnia de his statuta Concilibrum etiam generalium statim admittantur, etsi illorum fidei decretis subscribatur incunctanter. Quin igitur & in Pontificum causâ definitiones fidei & consuetudinum secernunt; & ex fidei vnitate necessitatem obsequij, ex consuetudinum diuersitate libertatem quandam exurgere posse intelligunt? Nam vt vt cauillentur decreta morum & disciplinæ in iuris quæstionem, adeoque in fidei causam rapi posse: illud tamen fixum immotumque stat, longè diuersissimam esse fidei disciplinæque substantiam: ibi vnitatem & necessitatem

Thuanus l. 35. p. 267. 268. &c. ad an. 1563.
Memoires du Concile de Trente pag. 502. 506 507. 511. 542. &c.

Digitized by Google

obſequij; hîc varietatem & libertatem modeſtam locum habere: adeoque particularibus regnis & gentibus Chriſtianis nefas eſſe aliam fidem, fas eſſe aliam quandoque à matricibus Eccleſiis & œcumenicis Synodis, nec ipſis diſſentientibus, ſectari diſciplinam. 4. Ab eccleſiaſticâ ſobrietate deuium eſt, inauditas comminiſci hypotheſes, & Theologica dogmata ſuperſtruere illis conſiliis, quæ extremæ forſan neceſſitatis telo exprimerentur. Satis illud nobis ſuperque eſt, ſi ſàpimus ad ſobrietatem, quod tanto ſæculorum lapſu, nihil Synodi, nihil Pontifices in fidei dogma transferre decreuerunt, quod legitimæ & cælitûs ordinatæ ſupremæ Regum poteſtati officiat. Excubabit peræquè poſthac Dei clementia, ne quid nouum & inſolens ſtatuatur. Ne importunis ergo commentis noſtros animos fatigemus. Alioqui perinde poſſet aliquis deteſtabiles & huic aduerſas comminiſci hypotheſes, & tunc quæ conſilia capeſſenda forent rimari. Sed faceſſant à nobis hæc commentorum portenta. Apage has intemperias infandarum quæſtionum. Pacî Regni & Sacerdotij hæc curioſitas parum amica eſt. Satius eſt meliora de Antiſtitum, Principumque concordiâ ominari. 5. Ecquid, oro, cauſæ eſt, quamobrem cùm ab annis ampliùs quadringentis tot Gallicani Scriptores tuendis libertatibus inſudarint: nulli occurrerit tam bella argumentatio? Eſt enim illa ante aliquot annos enata, & furtiuis illuſa chartis, non ad temporalem propugnandam Regum ſupremamque poteſtatem: cui in tantâ Sacerdotij tunc & Regni concordiâ, nihil imminere periculi, nihil timeri poterat: ſed ad ſpiritalem Pontificis authoritatem infirmandam, cuius tunc in fide conſtituendâ vigori, clanculum aliqui, quia palàm refragari non poterant, obloquebantur. Itaque euidentiſſimè hinc liquet, has de exitiali Regibus pontificiâ inerrantiâ ſuſpiciones, non ad conſulendum temporali Regum, ſed ad inſidiandum ſpiritali Pontificum imperio erupiſſe. Alioqui prodebat olim regiam maieſtatem Ludouicus IX. idemque & ſanctitatis, & defenſæ

libertatis ergo ſpectatiſſimus, quando ſuprà num. 81. Græcum Imperatorem de fide cum Romanâ Sede certantem, eiuſdem Sedis arbitrio obſequi hortabatur. Prodebat Philippus Pulcher, prodebant Gallicani Magnates, cùm *in fidei quæſtione*, quod definiſſet Pontifex, in dubium vocari poſſe negabant: cùm Pontificem, vt priuatum, non vt Pontificem, hæreticum eſſe poſſe: cùm illum inſtar habere Concilij vniuerſalis clamabant. Prodebant Franciſcus I. & Henricus II. ſuprà num. 113. cùm hæreticorum numero haberi ſanciebant vniuerſos, nouantes quidpiam aduerſum conſtitutionibus ſynodalibus, & papalibus, ſeu Sedis Apoſtolicæ. Prodebat regij imperij defenſionem, quam ſuſceperat Ioannes de Pariſiis, cùm pontificio oraculo controuerſias fidei terminandas cenſebat. Prodebant Theologi Pariſienſes, cùm diuerſam ſuam à Ioanne XXII. de Dei viſione ſententiam protulerunt, tum demum, cùm eis conſtitit, *quidquid in eâ materiâ ſua ſanctitas dixerat, non aſſerendo ſeu opinando, ſed ſolummodo recitando protuliſſe.* Prodebat Thomas de Corcellis, cùm annuebat Pontifices erroris immunes eſſe, ſi modò Conciliis generalibus apertè non reluctentur, vt Eugenius Baſileenſi. Prodebant Tridentinæ Synodi tempore Galli omnes, priſcæ fidei retinentes, quam rara vel nulla Concilia ſanxerant. Prodebant hanc libertatum maximam defenſores libertatum Pithœus, Hotmannus, Coquilius, Leſchaſſerius, cùm merè ſpiritali Pontificum poteſtati nihil detrahebant: cùm Catholicam fidem non aliam, quàm Romanam: cùm Romanos Præſules à Petri fide nunquam deuiaſſe: cùm totam libertatem Gallicanam, canonicam eſſe, & priſcorum Canonum obſeruatione niti conſentiebant. Prodebant nuperrimi ipſi Compilatores libertatum, quos toties oſtendimus, ſoli conſuetudinum libertati patrocinatos eſſe. Prodebat Petrus de Marca, cùm ſtare libertates incolumes affirmabat, etſi æquo, vel ſuperiori iure cum Concilio generali Pontifex vteretur. Prodebat denique Regium Conſiſtorium,

cùm pontificia de fide diplomata promulgabat. Vides quàm insidiosa sit libertatibus hæc argumentatio, quæ defensoribus suis omnibus illas nudat: quàm contumeliosa, quæ Regibus, Principibus, Senatoribus, Scriptoribus proditionis imprimit ignominiam: quàm improuida denique, quæ tot populos, tot Theologos vbique terrarum & in ipsâ Galliâ authoritati pontificiarum de fide sanctionum addictissimos, in libertates istas obarmat. Quamò æquius est clanculariæ & volaticæ scriptiunculæ anonymum scriptorem contemnere, germanas & Regibus ipsis, doctisque approbatas libertatum tuitiones sequi; illis odia amoliri, conciliare amicitiam tot vbique populorum, Theologorumque, pontificiis de fide statutis deuinctissimorum? Postremò denique non absurdè forsan istud quoque adiicietur: insolentissimâ illâ hypothesi datâ, tunc vsui fore illam ipsam, quam suprà semel iterumque concessimus, nec à Pontificibus ipsis damnatam monuimus, de Pontificum inerrantiâ liberam vltro citroque disputandi facultatem, citra Catholicæ fidei dispendium. Cùm enim fide Catholicâ ratum non sit, nunquam à fide deflectere decreta Romanæ Ecclesiæ Pontificisque Romani: perinde hâc vnâ dubitandi licentiâ, vetaretur in dogma fidei recipi, quodcumque aduersùs temporalem Regum supremitatem Pontifices edixissent. Haud scio, an cò referri debeat, quòd suprà censebat Hotmannus, arduas has quæstiones in suspendio relinqui, & nutare, conducibilius esse. Esset sanè, quod ad laudem summi Numinis assurgeremus, cui non primordia tantùm illuminationis nostræ, sed tenebrarum etiàm nostrarum reliquiæ vsui sunt: cui & scientia & nescientia ipsa nostra famulatur: cui mala bene vertere, lucem è tenebris elicere solenne est: dum contorquet profunda torrentis in vsus suos: & fluxum sæculorum ordinat turbulentum, vt ait aliâ in re Augustinus. Itaque fidei pudicitiæ vtrumque præsidio est, & quod plerique Romanæ Ecclesiæ, vt primariæ matrici, & illimiori cuidam origi-

Lib. 9. Confess. cap. 8.

Digitized by Google

ni indubitanter inhæreſcunt: & quod de illo matricis Eccleſiæ, Pontificiſque priuilegio nonnulli hæſitando, tantò ſuſpenſiorem, trepidioremque cogunt eſſe Pontificem; ne quid eiuſmodi ſanciat, à quo Eccleſiam Catholicam abhorreſcere poſſe præſagiat. Hactenus de Gallicanis libertatibus, ſed genuinis, quibus Clerum Gallicanum ſuffragantem ſuprà retuli: non illis, quas *impiis ſententiis & prophanis vocum nouitatibus* quidam referſere, vt ipſe annuit Petrus de Marca, in præfatione libri de Concordia: quorum adeo libros ait, *Decreto ſacri Conſiſtorij, & ſententiis Epiſcoporum damnatos.* Quocirca id neceſſariò iam moneo, eos libros eatenus tantùm à me prolatos, vt libertatibus me non aduerſatum eſſe oſtenderem, non vt eorum me aſtringerem vbique ſententiæ.

CXV. Aliquot rurſus dubia diluuntur circa pontificium in fide decernendâ principatum. *Suprà diſſert. 4.*

Si dicas autem verbis, quàm rebus ſplendidiora hæc eſſe, quæ de primæ Sedis priuilegio ad terminandas fidei quæſtiones diſputata ſunt. 1. Cùm & particularibus Synodis, & ſine Synodo Eccleſiis, Epiſcopiſque id olim iuris moriſque fuiſſe oſtenderimus, vt hæreſes nouellas damnarent, atque ita profligarent, vt ad Synodos œcumenicas rariſſimè recurrendum eſſet. 2. Cum ad eum modum ipſas quoque particulares Eccleſias, Epiſcopoſque conſtet præiſſe Synodis generalibus, & quaſi prælineaſſe quod ſequerentur: vt Concilio Nicæno Alexandrum & Alexandrinam Synodum contra Arium: Epheſino 1. Cyrillum & Alexandrinum Concilium contra Neſtorium: Sextæ Synodo Sophronium, & Hieroſolymitanum Concilium contra Monotheletas. 3. Cùm fide certùm fixumque non ſit, errare non poſſe definientem Pontificem: atque ita poſſit quiſque hanc dubitandi de errantiâ Pontificis, & diſſentiendi conſequenter ab eius definitionibus vſurpare licentiam. 4. Cùm Eccleſiæ potiùs vniuerſæ & vni aſſeratur infallibilitas, vt cui hæc prærogatiua non poſſit citra iacturam fidei Catholicæ detrahi; atque adeo cuius vnius conſenſio ſeu expreſſa per Concilium œcumenicum, ſeu tacita per ſolam offenſionis vel interceſſio-

Digitized by Google

nis ceſſationem, cogat vel inuitos quoſque pontificiis decretis inclinari. 5. Cùm denique concentus ille Eccleſiæ vniuerſæ cum Capite, conſenſuſque cum eius de fide ſanctionibus, inuariatus quidem & conſtantiſſimus ſit obſeruatus; ſed ita tamen, vt non tam ab imperioſo Capitis dominatu proficiſceretur, quàm ab intimâ Capiti, Corporique vniuerſo vitæ ac ſapientiæ cælitùs inſpiratæ communione. Reſpondeo Corporis vniuerſi & principalium membrorum ornamentis amplificari, non extenuari Capitis maieſtatem. Illa enim fidei exuberantia, qua particulares Eccleſiæ, Synodi, Epiſcopi obortas hæreſes ſæpiſſime ſine generali Synodo obruebant; exundabat, ſcatebatque primordialiter ab Apoſtolicis & originalibus Eccleſiis, quæ alias ex ſe effuderunt, & tandem ab ipsâ Matricum Matrice Eccleſiâ Romanâ, ſeu Petri fide. Suæ itaque & primordiali origini, & perpetuæ cum originali Petri fide atque Eccleſiâ communioni, hanc fidei ſuæ integritatem, hanc authoritatem debebant. 2. Præiſſe Synodis generalibus Alexandrum, Cyrillum, Sophronium, cum particularibus ſuis Conciliis compertum eſt: ipſam etiam Romanam Eccleſiam tempore anteuenerint: nihil moror: ſed principatu & maieſtate Principem in Epiſcopatu fidei Romanum Præſulem cæteris anteiſſe, non ſemel monui. Vtcumque enim riuuli fontem & membra caput anteueniant, radiique Solem: ſed ſola originis authoritate, præ & principatur illa Eccleſia, quæ cæterarum orti radix matrixque eſt. 3. Etſi inter fidei Catholicæ dogmata deſcriptum illud non ſit, Romanæ Eccleſiæ fidem, Pontificemque docentem nunquam errare poſſe; particulares tamen omnes Eccleſiæ, maximèque Occidentales ita imbutæ, ita propenſæ ſunt, Petri fidem à Chriſto, Romanam fidem à Paulo firmatam, laudatamque ſectari: in fidei dubiis Apoſtolicam Sedem conſulere, & auſcultare: in tantâ Conciliorum generalium raritate, difficultate, impoſſibilitate vt toties colligántur, quoties noua hæreſis emergit, anti-

quam fidem ab Ecclesiâ antiquissimâ, & principali origine repetere: vt quisquis à Romanæ Cathedræ fide, aut fidei sanctione defecit, nec resipuit, in hæreseos baratrum tandem præceps ierit: quisquis Romanæ fidei & communioni indiuulsis inhæsit vinculis, hæreticæ notæ exors purusque perstiterit. Non semper enim necesse est, non semper expedit Synodos generales coalescere. Tot ergo & penè innumeræ hæreses nullo vnquam Concilio generali damnatæ, siue antequam damnarentur, sectarios suos nihilo secius certâ infamiâ, certoque exitio implicuere: quia Ecclesiarum, & Romanæ inter eas principantis fides contemnebatur. 4. Longè ineluctabilius est quidem dogma de incorruptibili Ecclesiæ vniuersæ fide: sed fidei suæ sinceritatem particulares omnes Ecclesiæ, quarum collectio Ecclesiarum implet Catholicam, non illubentes acceptam ferunt radici & origini suæ, Romanæ Ecclesiæ, suæque cum ea irreuocabili communioni. Itaque fons abroganda non est exundantis fluminis gloria, & puritatis laus. Porro vniuersalis Ecclesiæ, seu particularium omnium Ecclesiarum fines perlustrare atque explorare sententiam, ad fidei regulam indagandam, operosum id est, & Nouatorum ludificationibus obnoxium. Ideo Irenæus suprà admonebat, necessario vtendum esse compendio, & ad onerandos pudore omnes hæreticos, vnam Romanam Ecclesiam adeundam, vt ex eâ, non eius tantùm, sed vniuersæ Ecclesiæ fides perdiscatur. 5. Redundat illud in maiorem Capitis laudem, quod vniuersa membrorum compago, & ingenio instinctuque suo, & cælesti impulsu, ita agitur in eius obsequium, fideique consensionem: vt ab eius fide nunquam dissentiat. Meritum Petri, fides, oratione Christi roborata, Cathedra Apostolici magisterij, eò pluris debet fieri, quod citra seruitutis inuidiam, & lubenter & indeclinabiliter ei omnes Ecclesiæ adhæresçunt. Non seruitus enim illa est, sed pietas, adeoque libertas, quo discipuli Magistro, Capiti membra obsequuntur, cælesti Spiritu vitam

Digitized by Google

vitam fidei & ſapientiæ, non ſolùm eandem Capiti & membris, ſed etiam per Caput membris, & ipſis in Caput ſuum membris reuerentiam inſinuante.

CXVI. Multa in fidei arcem recipi ante Concilia generalia, & neceſſaria tamen quandoque eſſe Concilia oſtenditur.

Muſſitant nonnulli, ſilentij ſaltem religione, forſan animi etiam conſenſu acquieſcendum Sedis Apoſtolicæ definitionibus de fide; non tamen eas antè in fidei dogma euadere, quàm Concilio generali confirmentur. Mirum eſt ſi tam pingui errore impediri poſſint viri eruditi. Quanti enim ante Tridentinam & Conſtantienſem Synodum Catholico nomine & vitâ & fortunis multati ſunt? Quantæ hæreſes nullo vnquam generali Concilio notatæ ſunt? Quantæ generales Synodi vetuſtas & obſoletas hæreſes, nullâque œcumenicâ à Synodo proſcriptas damnare abſtinuerunt? Nec Synodorum generalium neceſſitati hæc officiunt. Nec id enim diſſimulabimus, tunc neceſſariò coiſſe generales Synodos, ſi quando peſtiferis erroribus adglutinati eſſent principalium Sedium Pontifices, aut ingentes populorum turbæ. Sic olim aduersùs Paulum Samoſatenum Antiochiæ Epiſcopum, quanta maxima tunc potuit, celebrata eſt Synodus. Sic Nicæna indulta eſt Synodus, populorum, Epiſcoporumque multitudini Arianis laqueis irretitæ. Ruffinus lib. 1. c. 1. *Cùm Alexander Epiſcopus naturâ lenis & quietus aſſiduis commonitionibus Arium cuperet à prauo incepto & aſſertionibus impiis reuocare: nec tamen res ex ſententiâ procederet, quòd plerosque iam contagio peſtiferæ aſſertionis infecerat, non ſolùm apud Alexandriam, verùm & per alias vrbes, prouinciaſque diſperſa, &c. Queſtio latiùs innoteſcit, ſermo vſque ad aures religioſiſſimi Principis peruenit. Tum ille ex Sacerdotum ſententiâ apud vrbem Niceam Epiſcopale Concilium conuocat.* Sic Neſtorio Conſtantinopolitano, ſic Dioſcoro Alexandrino Antiſtiti Epheſina & Chalcedonenſis Synodi donatæ ſunt. Sic Sexta & Septima Græcis Epiſcopis, & numero, & Sedium prærogatiua, & populorum frequentia ſpectabilibus. Sic Auguſtinus lib. 4. ad Bonif. c. vlt. Synodorum neceſſitatem ingruere aliquando non negat, rarò id contingere

asserit. *Quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit. Cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas, necessitas talis extiterit: multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt.* Extitit ergo aliquando *necessitas*, sed quod ad hæresûm causam attinet, *rarissima*: nimirum vbi hæresis increbuerat, latissimeque serpserat: alioqui vno quopiam loco non egressa, ibidem velut in cunabulis suis præfocabatur sine Synodo, & inde *per cæteras terras deuitanda innotescebat.* Et lib. 1. Operis vltimi cont. Iul. n. 9. Pelagianis Synodum generalem postulantibus, aut saltem collationem, quali causa Donatistarum fuerat tractata iterum, respondet: *Quod propter Donatistas factum est, eorum violentissimæ turbæ fieri coëgerunt, &c. quales vos turbas Deus auertat vt habeatis: Deo tamen propitio non habetis.* Et operis prioris adu. eundem l. 2. c. 1. *Donatistarum furor occupauerat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum patiebatur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, &c.* Et ibidem mox ait, Collationem illam Donatistis potiùs renitentibus inflictam; at Maximianistis enixè flagitantibus negatam: *Cupiebant enim exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant.* Denique ibidem paulò antè ad eosdem Pelagianos ita habet: *Vestra apud competens iudicium communium Episcoporum modò causa finita est.* Vbi enim *communes Episcopi* Synodum, vel iudicium agitarunt, eorum decreto causa finitur. Et Athanasius similiter lib. de Synodis: *Nicæna Synodus non temerè habita est, vt quæ habeat grauissimos vsus & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotamiani in causâ festi clandicabant, atque vnà cùm Iudæis Pascha celebrabant, & iam tum Ariana hæresis suos propugnatores habebat, qui eam defenderent, & qui piis insidias facerent, Eusebianos scilicet. Atque ea causa fuit, cur vniuersus orbis in Concilium coïret.* Vbi & populorum examina, &

Digitized by

culmina Episcoporum in causâ esse perspicis Synodi congregandæ.

Sed nihilò tamen seciùs ante Synodum œcumenicam legitimè proscripta etiam tunc erat hæresis, seu decreto summi Pontificis, seu particularium Synodorum, aut Ecclesiarum calculo, Ecclesiæ vniuersæ consensione firmato: nec ad Synodum tanquam ad rei dubiæ ventilationem, sed ad certi veluti dogmatis pleniorem confirmationem ventitabatur. Quocirca illa *necessitas*, quam insinuabat Augustinus, non ad dogmatis certam definitionem, quasi sine Synodo generali eam Ecclesia adipisci neutiquam possit: sed ad populorum pertinet & optimatum sedandos furores, vt qui Synodi œcumenicæ lubentiùs acquiescant vel populari deliberationi, vel splendori ac potentiæ explicatiori. Alioqui enim nec Capiti nec corpori Ecclesiæ certam veritatis conscientiam, ac fidei promulgandæ potestatem vel adimere, vel extenuare possunt populorum aliquot, vel procerum intemperiæ. Num pendebit enim vel Pontificis, vel particularis Synodi definitio, & in veri falsique, certi aut incerti confinio alternabit, donec vel annuant, vel abnuant Christianæ reipublicæ membra omnia? An quia Pelagio pauciſſimi & ex Episcopis & ex plebibus consensere, ideo constantissima fuit & Romanorum Præsulum & Africanarum Synodorum sententia: si plures, nutasset? Immaniter hoc à vero distat. Ideò etsi vtcumque excusatiorem, non tamen à labe purum censuit Cyprianum Augustinus, qui ante Concilium plenarium à Stephani & collegarum definitione discessit. Ideo nec culpæ omnino vacui, qui ante Nicænam Synodum à Paschatis ritu Catholico deuiarunt. Ideo & in Concilio Romano sub Miltiade ita Donatistæ resipiscentes suis in Clero infulis gradibusque frui permissi sunt, vt hæc dispensatio esse & venia iuris significaretur, adeoque in hæreseos vel schismatis ignominia antè illi demonstrarentur iacuisse. Ideo nec forsan omnibus condonatæ sunt œcumenicæ Synodi, qui numero

& ſplendore ſectatorum pollebant. Num Marcioni enim, num Cerdoni, num Manichæo? Denique trecentis annis ne condonari quidem aut colligi potuere. Ideo Auguſtinus Pelagianos ab Occidentalium iudicio ad Orientales & ad œcumenicum Concilium appellantes obiurgatione iſtâ ſuffundebat lib. 1. cont. Iulianum cap. 4. *Puto tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in quâ primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare.* Ideo Cyrillus Alexandrinus ſuprà damnationi Neſtorij & Neſtorianæ dementiæ per Cæleſtinum promulgatæ & Romanam Synodum, neceſſariò ſubſcribendum aiebat, aut Occidentalium omnium Eccleſiarum communione carendum: idque ante Epheſinam Synodum. Ideo ante Chalcedonenſem Synodum epiſtolæ Leonis, quâ Eutychiani dogmatis damnatio confirmabatur, Oriens iam, Occidenſque ſubſcripſerat. Ideo ſexta Synodo, itemque ſeptima pòſt œcumenica anathema compluribus velut hæreticis inuſtum eſt, qui ante œcumenicæ Synodi coalitionem inſanire aduersùs fidem, ſimul & viuere deſierant. Idem nihilò obſcurius eſt in reliquis deinceps Conciliis: ſed in Florentino longè euidentiſſimum. Sed illud Sextæ & Florentinæ Synodo commune eſt, illud præclariſſimum, quod cùm vel longè plures, vel omnes Orientalium regionum Epiſcopi, Patriarchæ, populi in alienum dogma declinaſſent, cùm Imperator Græcus ante œcumenicæ Synodi deliberationem negaret in fidei dogma ſuſcipi quidquam poſſe: peruicit tamen Romana Eccleſia, nec Synodo œcumenica abſolutiſſimè opus eſſe; & vbi illa conceſſa, collectaque fuit, non vei de re dubiâ enucleandâ, ſed velut de inconcuſſo decreto confirmando magis magiſque diſceptari. Quæ ſi ſedulò fuerint animo mandata, tum eorum retegetur hallucinatio, qui nuſquam neceſſarias eſſe poſſe Synodos œcumenicas arbitrantur. Ad ſolamilii intuentur fidei indagationem, quæ Pontificum decretis, & Eccleſiæ vniuerſæ per orbem ſparſæ ſuffragio abundè dilu-

Digitized by

ceſcere poteſt. Sed alia incidunt diſcrimina, quibus vix ac nec vix poteſt niſi per Synodos generales obuiari: vti ſuperioribus exemplis patefactum eſt, nempè cùm Pſeudoſynodus Epheſina per Chalcedonenſem oblitteranda fuit; cùm tot Græcorum aduersùs imagines ſpuria Concilia ſeptimæ Synodi ſplendore obducenda fuere: cùm Conſtantinopolitanus Patriarcha cum permagna Orientis portione à Monotheleticis deliramentis in ſinum fidei eccleſiaſticæ fuit reuocandus per ſextam Synodum: Græci ſimiliter per Florentinam. Pluribus tempero, genus ipſum indigitaſſe contentus. Sunt & præter fidei cauſas, etiam ſchiſmatum, & corruptelarum tantæ quandoque peſtes, quantis opprimendis tota neceſſariò concurrere & collaborare debet Eccleſia: cuiuſmodi maximè neceſſitas maiores noſtros annis abhinc ferè trecentis viſa eſt ſollicitos habuiſſe. Cautiſſimum igitur eſt, inter extremos hinc & hinc ſcopulos medium iter ſulcare: vt nec ſemper, nec nunquam neceſſariæ ſint Synodi vniuerſales. Olim quippè etſi à Pontificis ſummi decreto nunquam prouocabatur ad Concilium: *Tamen aliquando ob bonum pacis inſtaurabatur iudicium Sedis Apoſtolicæ: quod differt ab appellatione, &c. Iudicia aliquot renouata, poſt Romanæ Sedis ſententiam. Quod aliquando tamen fieri noluerunt ſummi Pontifices, &c. Aliquando ad procurandam Eccleſiæ tranquillitatem, Imperatorum reſcripto, Apoſtolicæ Sedis iudicia in maiore Synodo inſtaurari contigit: in quâ per Legatos Romanus Epiſcopus intererat.* Tradit quippe Auguſtinus, poſt Romanam Synodum de Donatiſtis rurſum cognouiſſe Arelatenſe Concilium: *Quibus verbis rem geſtam deſcribit, non autem regulam præſcribit; quâ in omnibus cauſis vti liceat, nempe inſtaurationem omnium iudiciorum Apoſtolicæ Sedis in Synodo vniuerſali, quemadmodum plerique contra veterum ſententiam ſibi perſuaſerunt, &c. Cauſſam Acacij, iterato iudicio, in Synodo œcumenicâ diſcuti poſſus non eſt Gelaſius, neque cæteri Pontifices, quamuis ſchiſmate eam ob rem violata eſſet vnitas Eccleſiæ: quæ ſub Iuſtino Principe reſtituta eſt, cedentibus Græcis*

Petrus de Marca. Conc. l. 4. c. 17. in Syn. & n. 2. 3.

authoritati Romanæ Ecclesiæ. Quamuis dicantur hîc Synodi *ob bonum pacis, & ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem* concessæ: adeoque velut ex dispensatione: non eleuatur tamen earum necessitas. Quæ maior enim, aut inexorabilior necessitas, quàm paci & tranquillitati Ecclesiæ consulendi? Dispensatio autem adeò non expungit necessitatem, vt ex aduerso ea sit demum laudatissima dispensatio, quæ donatur vtilitati euidenti, vel *vrgenti necessitati.*

Digitized by Google

DISSERTATIO XIX.

IN
SYNODVM V. OECVMENICAM
CONSTANTINOPOLITANAM II.

Anno Christi 553.

SYNOPSIS.

In defensione trium Capitulorum nunc arripiendâ, nunc abiiciendâ, ostenditur Vigilij Papæ non inconstantia, sed dispensatio, & pacis amor, vero nunquam iniuriosus. Vsque ad n. VIII.

Etsi possit sontibus ignosci, non posse tamen insontibus vel scriptoribus, vel scriptis anathema illidi ex dispensatione: nec potuisse trium Capitulorum damnationi factæ subscribi, nisi manifestatâ, vel utcumque creditâ veritate. Vsque ad num. XIII.

Quintæ Synodi memoriam alicubi aliquandiu sileri, indultum à Romanis Pontificibus, ex necessariâ tunc saltem dispensatione, ubi regnorum & populorum strages anteuertendæ erant. Vsque ad num. XXVI.

Proferuntur argumenta, quibus vniuersim in rebus facti & personarum errare posse Synodos œcumenicas probant aliqui. Contrà euincitur damnationi synodicæ errorum authorumque accommodandam necessariò consensionem, vbi Synodus subscribitur. Vsque ad num. XXXIX.

Sequestratis aliis factorum & personarum quæstionibus, ostenditur Synodorum œcumenicarum, siue Ecclesiæ vniuersalis iudicia ad librorum damnationem spectantia, non posse deinceps retractari, aut in contrarium flecti, prolixè & ex hâc ipsâ Synodo. A num. XXVII. ad XLV.

Idem rursus multis argumentis perficitur: & quàm infeliciter clementibus interpretationibus enitantur purgare libros ab Ecclesiâ damnatos. Percurruntur anteriorum & posteriorum temporum exempla complura: quibus liquet damnatorum librorum vindices, errorum infamiam non eis vnquam effricuisse, sed ipsis sibi quandoque affricuisse. Vsque ad num. LXVII.

Quid de Agobardo, Baronio, Bellarmino, aliisque ingentis famæ viris sentiendum sit, qui damnatos ab Ecclesiâ libros aliquos defensitari posse senserunt. Vsque ad num. LXXX.

Adeos qui rogitant, an de fide sit, hæresin hoc libro contineri? Quàm latè quandoque pateat nomen fidei & hæreseos. Quàm facilè suspectos hæresûm habeat Ecclesia defensores librorum, quibus eas inesse ipsa indicat. Hæreseos suspicio vel accusatio, quàm non temerè vlli impingenda, quàm anxiè à quolibet propulsanda. Vsque ad num. XC.

Ad eos, qui rogitant humanâ, an diuinâ fide constet hanc hæresin hoc libro contineri. Quàm aliena sit à perpetuâ Ecclesiæ & Synodorum hactenus omnium tutissimâ doctissimâque simplicitate hæc cauillandi lasciuia. Vsque ad num. XCIV.

Vigilij Papæ & Romanæ Sedis principatus quantùm resplenduerit in hâc Synodo aduersùs Nouatores. Vsque ad n. CII.

Defensores Capitulorum eruditi, quàm nullo priuato studio, nullâ acuminis sui fiduciâ, sed solâ agerentur tuendæ Chalcedonensis Synodi cupiditate. Scrupuli aliqui amouentur. Vsque ad calcem.

I. Vigilius Papa in negotio trium Capitulorum huc & illuc versatilis, non inconstantiâ sed dispensatione, & amore vnitatis

PVRGANDA primùm nobis videtur inconstantiæ labes, quam affinxere plerique Vigilio Papæ; consiliorum eius varietatem, in arripienda nunc, post abiicienda trium capitulorum defensione, non medullitùs & in recessu, sed specie tenus pensitantes. Cordatis enim non paucis ex aduerso dispensatio hæc fuisse censetur, ad omnes prudentiæ numeros expensa, & summa tuendæ pacis atque vnitatis ecclesiasticæ constantia. Quippe cùm intelligeret Vigilius versatilem hanc esse controuersiam: & quo illa cumque erumperet, nihil

nihil periculi orthodoxæ fidei, quam hinc & inde certatim tuebantur omnes, creari; integrum ille sibi non iniuria duxit, nunc huc, nunc illuc inclinare: & eo nimirum vergere, vbi maior spes alluceſcerer sarciendæ concordiæ, cui vni securum de fide Catholica seruire fas erat. Itaque cùm anno Christi 546. Iustinianus Imperator damnationi trium Capitulorum Mennam CP. & alios Patriarchas cum Episcopis subscribere coëgisset; euocatus Vigilius; & anno 547. vrbem regiam ingressus, Mennam & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit, Iustinianum ad ea damnanda vim inferentem constanter spreuit. At anno 548. idem pacis studio inflexus, Iudicatum ad Mennam, quem rogatu Theodoræ Augustæ in communionem receperat, protulit; in quo Theodorum Mopsuestenum cum dogmatibus suis, Ibæque epistolam, & scripta Theodoreti damnabat, *saluâ Synodi Chalcedonensis reuerentiâ*. Hæc prima alternatio est necessariæ accommodata dispensationi.

II. Prima progressio eius dispensationis.

Nam & increpari Orientales Episcopos primùm par erat, temerè imperatoriis edictis iussisque obsecutos, cùm vel maximè plerique eorum contra Concilium Chalcedonense has instrui machinas suspicarentur. Et vbi quomodocumque assensi sunt Orientales omnes damnationi Capitulorum, tum & illis accedere Pontificem atque Occidentales consultum erat, ne secessione pertinaci schisma conflaretur. Itaque Vigilius & Capitula damnauit, vt Orientales sibi conciliaret; & saluam esse iussit Concilij Chalcedonensis reuerentiam, ne exasperaret Occidentales: atque ita medium se vtrisque velut sequestrem pacis interposuit. Hanc dispensandi sapientiam commendarunt Italiæ Clerici in epistola Legatis Francorum Constantinopolim proficiscentibus directa: *Veniens Constantinopolin beatissimus Papa Vigilius, magis autem vt quod verius est dicatur, propè violenter deductus, cæperunt ibi ipsum expectare, vt damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam sancta Synodus Chalcedonensis, modis omnibus*

Conc. Gall. t. 4 pag. 394.

Digitized by Google

Idem rursus multis argumentis perficitur: & quàm infeliciter clementibus interpretationibus enitantur purgare libros ab Ecclesiâ damnatos. Percurruntur anteriorum & posteriorum temporum exempla complura: quibus liquet damnatorum librorum vindices, errorum infamiam non eis vnquam effricuisse, sed ipsis sibi quandoque effricuisse. Vsque ad num. LXVII.

Quid de Agobardo, Baronio, Bellarmino, aliisque ingentis famæ viris sentiendum sit, qui damnatos ab Ecclesiâ libros aliquos defensitari posse senserunt. Vsque ad num. LXXX.

Adeos qui rogitant, an de fide sit, hæresin hoc libro contineri? Quàm latè quandoque pateat nomen fidei & hæreseos. Quàm facilè suspectos hæresûm habeat Ecclesia defensores librorum, quibus eas inesse ipsa indicat. Hæreseos suspicio vel accusatio, quàm non temerè vlli impingenda, quàm anxiè à quolibet propulsanda. Vsque ad num. XC.

Ad eos, qui rogitant humanâ, an diuinâ fide constet hanc hæresin hoc libro contineri. Quàm aliena sit à perpetuâ Ecclesiæ & Synodorum hactenus omnium tutissimâ doctissimâque simplicitate hæc cauillandi lasciuia. Vsque ad num. XCIV.

Vigilij Papæ & Romanæ Sedis principatus quantùm resplenduerit in hâc Synodo aduersùs Nouatores. Vsque ad n. CII.

Defensores Capitulorum eruditi, quàm nullo priuato studio, nullâ acuminis sui fiduciâ, sed solâ agerentur tuendæ Chalcedonensis Synodi cupiditate. Scrupuli aliqui amouentur. Vsque ad calcem.

I. Vigilius Papa in negotio trium Capitulorum huc & illuc versatilis, non inconstan jâ sed dispensatione, & amore vnitatis

PVRGANDA primùm nobis videtur inconstantiæ labes, quam affinxere plerique Vigilio Papæ; consiliorum eius varietatem, in arripienda nunc, post abiicienda trium capitulorum defensione, non medullitùs & in recessu, sed specie tenus pensitantes. Cordatis enim non paucis ex aduerso dispensatio hæc fuisse censetur, ad omnes prudentiæ numeros expensa, & summa tuendæ pacis atque vnitatis ecclesiasticæ constantia. Quippe cùm intelligeret Vigilius versatilem hanc esse controuersiam: & quo illa cumque erumperet, nihil

Digitized by Google

nihil periculi orthodoxæ fidei, quam hinc & inde certatim tuebantur omnes, creari; integrum ille ſibi non iniuria duxit, nunc huc, nunc illuc inclinare: & eo nimirum vergere, vbi maior ſpes alluceſceret ſarciendæ concordiæ, cui vni ſecurum de fide Catholica ſeruire fas erat. Itaque cùm anno Chriſti 546. Iuſtinianus Imperator damnationi trium Capitulorum Mennam CP. & alios Patriarchas cum Epiſcopis ſubſcribere coëgiſſet; euocatus Vigilius; & anno 547. vrbem regiam ingreſſus, Mennam & alios Capitulorum damnatores à communione ſuſpendit, Iuſtinianum ad ea damnanda vim inferentem conſtanter ſpreuit. At anno 548. idem pacis ſtudio inflexus, Iudicatum ad Mennam, quem rogatu Theodoræ Auguſtæ in communionem receperat, protulit; in quo Theodorum Mopſueſtenum cum dogmatibus ſuis, Ibæque epiſtolam, & ſcripta Theodoreti damnabat, *ſaluâ Synodi Chalcedonenſis reuerentiâ*. Hæc prima alternatio eſt neceſſariæ accommodata diſpenſationi.

II. Prima progreſſio eius diſpenſationis.

Nam & increpari Orientales Epiſcopos primùm par erat, temerè imperatoriis edictis iuſſiſque obſecutos, cùm vel maximè plerique eorum contra Concilium Chalcedonenſe has inſtrui machinas ſuſpicarentur. Et vbi quomodocumque aſſenſi ſunt Orientales omnes damnationi Capitulorum, tum & illis accedere Pontificem atque Occidentales conſultum erat, ne ſeceſſione pertinaci ſchiſma conflaretur. Itaque Vigilius & Capitula damnauit, vt Orientales ſibi conciliaret; & ſaluam eſſe iuſſit Concilij Chalcedonenſis reuerentiam, ne exaſperaret Occidentales: atque ita medium ſe vtriſque velut ſequeſtrem pacis interpoſuit. Hanc diſpenſandi ſapientiam commendarunt Italiæ Clerici in epiſtola Legatis Francorum Conſtantinopolim proficiſcentibus directa: *Veniens Conſtantinopolin beatiſſimus Papa Vigilius, magis autem vt quod verius eſt dicatur, propè violenter deductus, cæperunt ibi ipſum expectare, vt damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam ſancta Synodus Chalcedonenſis, modis omnibus*

Conc. Gall. t. 6. pag. 194.

Digitized by Google

ſolueretur. Sed cùm Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere conſenſum, iam tunc talis violentia facta eſt, vt publicè in conuentu clamarit; Conteſtor quia etſi me tenetis captiuum, beatum Petrum Apoſtolum captiuum facere non poteſtis. Poſteà tamen tractatu habito pradictus Papa Vigilius, ſub aliqua diſpenſatione ipſam cauſam ordinauerit; ſollicitè monendo, ne per occaſionem aliquam, ſupradicta Synodus pateretur iniuriam. Et quamuis nec hoc quod Papa fecerat, adquieuerunt Afri, & Illyriciani, atque Dalmata, &c. Vides infractam primò Pontificis aduersùs minas iraſque regias conſtantiam. Vides inflexum poſteà, non terrōribus ingeminatis, ſed *tractatu habito*. Vides cauſam ab eo ordinatam ſub aliqua *diſpenſatione*. Vides demptis illis qui nominatim reſtitiſſe eius diſpenſationi perhibentur, Italos, Gallos, reliquoſque Occidentales adquieuiſſe.

III. Altera eiuſdem progreſſio.

At cùm Afri, Illyrij, Dalmatæ in defenſione trium Capitulorum perſtarent; & Ruſticus, ac Sebaſtianus Diaconi à Vigilio defeciſſent, eumque vt Chalcedonenſis Synodi defertorem toto Occidente infamarent; an. Chriſti 549. & 550. per epiſtolas docuit Vigilius, Iudicato ſuo nihil derogari Concilio Chalcedonenſi, Diaconis transfugis abrogauit miniſterium; & vrgente Iuſtiniano, vt abſolutè ac ſine mentione Synodi capitula damnaret, rem ad Concilium generale deferri perſuaſit: receptoque interim cum aliorum Epiſcoporum manibus Iudicato, omnem deinceps vſque ad Concilium de Capitulis quæſtionem, annuente Principe, interdixit. Audiendi rurſus Clerici Italiæ in ſuprà laudata epiſtola, alterius huius diſpenſationis præcones; qua emiſſa Capitulorum damnatio, in ſuſpendio haberi iuſſa, & ad ſilentium reuocata, donec Synodus œcumenica colligeretur. *Et quamuis nec hoc quod Papa fecerat, acquieuerunt Afri, & Illyriciani, atque Dalmata Sacerdotes recipere; tamen cœpit iterum beatus Papa Vigilius ad hoc compelli, vt abſolutè ipſa capitula ſine Synodi Chalcedonenſis mentione damnaret. Sed Papa non acquieſcens hoc facere, & videns ſe nimiùm ingrauari, dixit ſereniſſimo Principi, Veniant hìc fratres noſtri ex omnibus prouinciis quini,*

Digitized by Google

aut ſeni Epiſcopi ; & quidquid ſub tranquillitate tractatu habito omnibus viſum fuerit, cum pace diſponemus : quia ſine conſenſu omnium iſta, quæ & Synodum Chalcedonenſem in dubium venire faciunt, & ſcandalum fratribus meis generant, ſolus facere nullatenus adquieſcam. Ex Africa ergo & Illyrico Epiſcopos Princeps euocauit, & *præſtitit Deus, vt hac ratione ſanctus Papa Vigilius Conſtitutum, quod in ipſa cauſa fecerat, publicè in conuentu reciperet ; denuncians, ſi quis Græcorum Epiſcoporum vſque ad vniuerſalis Concilij tractatum de ipſis capitulis aliquid feciſſet, aut facientibus acquieuiſſet, à communione Sedis Apoſtolicæ alienus exiſteret. Quoniam frequenter ipſi Epiſcopi Græci ad voluntatem Principis damnauerant ipſa capitula, vnde cauſa mota eſt, ſed beatiſſimus Papa manus eorum ab Imperatore receperat.* Optatiſſimum fuerat vt omnes priori Vigilij diſpenſationi ſeu Iudicato aſſentirentur, quo & Græcis Capitulorum damnatio, & Latinis Chalcedonenſis Synodi reuerentia confirmabatur : ſed cùm nec hi, nec illi omnino acquieſcerent, nihil conducibilius fuit, quàm vt ex vtriſque coïret Synodus, & communi tractatu res fineretur. Itaque nulla hîc inconſtantia ſententiæ, nulla vacillatio fingenda eſt.

IV. Rurſus eiuſdem inconcuſſa animi conſtantia.

Rurſum an. Ch. 551. Iuſtinianus, inſtigante Theodoro, edicta in capitulorum damnationem contra interdictum proponit. Vigilius reclamat, & excomunicationem in eos indicit, qui aſſenſum præbuerint. Iram Ptincipis ebullientem multiplici fuga declinat, in Baſilicam S. Petri, inde Chalcedonem ad S. Euphemiam. Anno denique 552. edictis ſublatis à Iuſtiniano, libelliſque fidei & pœnitentiæ oblatis à Menna, Theodoro, & aliis, Chalcedone relicta rediit Conſtantinopolin. Vbi inuictum animi robur, & ſui nuſquam diſſimilem conſtantiam neceſſe eſt nos mirari. Anno poſtremùm 553. indicitur Synodus quinta generalis, cui abnuens intereſſe Vigilius, vt ſuam ſcripto ſententiam expromeret, Conſtitutum edidit, reſumptarium Capitulorum defenſione. Damnanti autem Capitula Synodo non aſſentiens, in exilium pellitur. Clerici.

Digitized by Google

Italiæ in ſupramemorata epiſt. *Conſtantinopoli cœperunt iterum B. Papam Vigilium compellere, vt ſi Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ Epiſcopi nollent, ipſe cum Græcis Epiſcopis eadem capitula condemnaret. Sed beato Papa Vigilio nullatenus acquieſcente, edicta ex nomine imperiali tam in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, quàm in locis diuerſis ſuſpendi fecerunt, per quæ eadem capitula damnarentur. Quo facto beatus Papa omnes Epiſcopos admonuit, dicens, Quicumque edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat ſe ab Apoſtolicæ Sedis communione ſuſpenſum. Sed & ſanctus Datius Mediolanenſis Epiſcopus conteſtationem omnibus ſub magna vociferatione depoſuit, Ecce ego & pars omnium ſacerdotum, inter quos Eccleſia mea conſtituta eſt, id eſt, Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmyliæ, atque Venetiæ conteſtor, quia quicumque in edicta iſta conſenſerit, ſuprà ſcriptarum prouinciarum Pontifices communicatores habere non poterit. Quia conſtat apud me edicta iſta ſanctam Synodum Chalcedonenſem & fidem Catholicam perturbare.* Hîc perſpicis longè plures Occidentis Epiſcopos, nempe Gallos, Hiſpanos, Italos Vigilij diſpenſationi conſenſiſſe. At cùm eidem refragarentur & Græci, & non pauci Occidentales, id demum ſuperſedit Vigilio, vt omiſſa œconomia, ad ingenium rediret; & quò ſemper fuerat propenſior, tria Capitula damnari vetaret. Itaque ipſe Vigilius epiſt. 15. Epiſcopos Clericoſque ita ſe conteſtatum ait, *Rogo piiſſimum Principem, vt edicta ſua, quæ iuſſit appendi, remouere dignetur, & Conſtitutum commune expectare: id eſt, vt ſcandalizati Epiſcopi Latinæ linguæ ad Synodum veniant, aut certè remota omni violentiâ ſuas ſcripto declarent ſententias. Quòd ſi fortè preces veſtras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis aſſenſum, quæ ad diuiſionem tendit.* Iure ergo in omnem ſe partem vertebat, vt *ſcandalizatis Latinis Epiſcopis* mederetur. Quid æquius autem, quam ſciſſam Eccleſiam coïre in Synodum, vel ſcripto liberas proferre ſententias, quod & ipſe pro ſua parte virili fecit Vigilius; & ita in commune aliquid conſuli, quod pacem orbi Chriſtiano reſarciat?

Digitized by Google

Sed ſuæ ipſe adſertor diſpenſationis Vigilius prodeat, in Encyclicâ de damnatione Theodori. *Nos longanimitatem noſtram diuinâ largitate conceſſam, tam circà te quam circa cæteros ſeductos abs te, penè hoc quinquennio elapſo oſtendimus. Primùm quidem in eo quod pro ſcandalo refrænando condeſcendentes quorundam animis, quos aliqua diſpenſatione credidimus temperandos; quia tu iam eos pluribus annis inquietiſſimus ſtimulator accenderas; quadam prò tempore medicinaliter exiſtimauimus ordinanda: tali ſcilicet conditione, vt omni in poſterum perturbatione ſopitâ, nihil vltra nec verbo, nec literis quiſquam facere ex eadem cauſa præſumeret.* Audis *longanimitatem, condeſcenſionem, diſpenſationem, temperamentum, medicinalem ordinationem*, neceſſariam vtique, vt mox ait, *ſcandalizatæ fraternitati.* Et mox, *Hæc omnia bona deſideria noſtra, quæ pro pace Eccleſiæ proculdubiò militabant, &c.*

V. Suæ ipſe diſpenſationis defenſor Vigilius.

Synodo autem intereſſe & aſſentiri primùm reſpuit Vigilius, quod vt ibidem ait, *Africanorum, & eorum maximè præſentiam requireret, quorum fuerat ſcandalizata fraternitas:* quod illa ſcilicet omnia fuiſſent, *fraternæ collationi, & tranquillo Epiſcoporum reſeruanda iudicio.* Itaque ſubduxit ſe Synodo, cui & grauem nimis imminere cernebat Principis poteſtatem, tot ante præiudiciis, tot contumeliis expertam: & abeſſe Occidentales Epiſcopos, quorum maximè ſcandalo proſpiciendum fuerat. Quocirca Epiſcopis ad Synodum inuitantibus reſpondit Vigilius, vt ipſimet referunt, *Non poſſe vnà nobiſcum conuenire, eò quòd plurimi quidem hîc ſunt Orientales Epiſcopi, pauci verò cum eo.* Quod autem excipiebant Orientales, *Neo enim in ſanctis quatuor Synodis multitudo Occidentalium Epiſcoporum inuenta eſt vnquam, ſed duo vel tres Epiſcopi, & certi Clerici:* Præpoſterum id quidem erat. Nam pauci illi Occidentalium Synodorum legati erant, earumque conſenſionem in earumdem hæreſum exterminium perferebant in ſynodicis epiſtolis, atque ita vniuerſalem Græcorum Synodo concordiam & œcumenicam conciliabant authoritatem. Hîc autem diſſentiebat à Græcis totus Occi-

VI. Cur Synodo non interfuerit.

Syn. 5. act. 2.

dens, & dissensu suo Græcanicam Synodum quodammodò irritabat. Denique Vigilij dispensationem & incredibilem quandam sapientiæ temperiem illud arguit, quod extremo Constituto suo etsi promat sententiam illam suam, cui medullitùs semper inhæserat, de non damnandis capitulis: abstinet tamen ab anathemate vel intorquendo, vel interminando. Conscius nempe nihil interesse, vtram in partem declinetur, dum scandala sileant, & pax redintegretur Ecclesiæ.

VII. An ei tandem subscripserit.

Postremo tandem ab exilio redux Vigilius subscripsit quintæ Synodo, vt non obscuris colligitur testimoniis; subscripsere indubitatissimè successores eius Romani Pontifices, & ita Occidentalis denique omnis Ecclesia; quæ videri posset summa quædam dispensationis & extrema laus. Quod subscripserit ipse Vigilius, innuit Sexta Synodus in Prosphonetico ad Const. Imp. act. 18. *Vigilius post hæc Iustiniano piissimo consensuit, & quintum Concilium constitutum est; vt eorum opuscula, quæ latenter reperta sunt repleta abominatione, anathematizarentur.* Euagrius autem lib. 4. cap. 34. *Vigilius per litteras consensit Concilio, non tamen interesse voluit.* Idem asserunt Photius, Zonaras, Cedrenus, aliique. Id denique illustrissimus Petrus de Marca peruicit, erutâ è tenebris, quæ hactenus delituerat, epistolâ ipsâ Vigilij, quâ Capitulorum damnatio confirmatur. Disertissimè idem testatur Eustathius Presbyter in vita Eutychij Patriarchæ CP. c. 22. *Nemo vnquam nisi magni huius ac diuini viri tempore quatuor simul Patriarchas conueniisse meminit. Itaque cunctis dubitationibus & controuersiis non violentiâ, nec necessitate, aut partium studio atque affectione, sed demonstrationum aut cohortationum vi dissolutis, summa pax & magna tranquillitas in Dei Ecclesiâ est consecuta. Quatuor autem Patriarchæ sunt hi. Vigilius veteris Romæ, Eutychius hic nouæ Romæ, Apollinarius Alexandriæ, Dominus Antiochiæ. Qui tanquam vnum in corpus ex quatuor elementis conflati, vnanimes, idemque sentientes, manus inter seconiunxerunt, &c. Quadruplicem & auream quodammodo quan-*

Digitized by Google

dam magnam catenam conficientes, in templum Dei ingressi sunt, &c. Quatuor hi fluuij qui egrediuntur è Paradiso, &c. Horum consensu & coniunctione, Dominus Deus currum Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, delectos haresum fautores, triumque capitum impietatem demergens. Cùm igitur ex quatuor Pastorum concordiâ, rectoque sensu factum esset vnum ouile atque vnus pastor, discessernnt ad suas singuli ciuitates. Quibus postremis maximè verbis refellitur illa exceptio, qua cæteris testimoniis suprà relatis occurri potest, concordiam illam Vigilij à Græcis ostendi, quam in Synodo ipsa venditarunt, Iudicato videlicet eius testificatam, & Synodo anteriorem.

VIII. An ex dispensatione possint immerentes damnari.

Cùm Vigilius ergo, Pelagius sanè indubitatissimè, & Gregorius aliique Pontifices Romani, ac demum Occidentales consenserint quintæ Synodo: idne dispensationi tantummodo, an elucidatæ veritatis iudicio adscribendum est? Memini, quid vir doctus scripserit: *Præstat vtilitas publica priuatæ; & vt dogma sanum in Ecclesia obtineat, quam vt vnus aliquis fortè tantùm olim errans, aut etiam per calumniam hæresis notâ aspersus, parcente Ecclesiâ eius memoriæ, bonum retineat nomen. Censetur in eiusmodi permissum tantum, si quid materialiter, vt vocant, accidit mali. Quod nec innocens, iamque regnans cum Deo, vt est ordinatè affectus, canonicè illatum detrectauerit.* Pergitque pluribus asserere, posse vt fidei & vtilitati Ecclesiarum publicè cautum sit, mortuis etiam immerentibus & calumniam passis hæreseos anathema impingi ex dispensatione.

Pro actis 6. Synodi, pag. 86.

IX. Negatur posse, etsi possint merentes non damnari.

Quod attinet tamen ad hoc negotium, potuisse in eo explicari dispensationem, vt vel nocentibus ignosceretur; nequaquam autem, vt innoxiis canonica imprimeretur infamia; nec nisi elucidatâ veritate, potuisse damnationi trium Capitulorum, seu quintæ Synodo subscribi, sanior & ipsissima Romanorum Pontificum sententia est. Vigilius quippe ipse in primis in epist. ad Eutychium quintæ Synodi confirmatrice, eius definitioni se tandem consentire ait, *reuelante Domino, & veritate inuestigatâ, &c.*

Digitized by Google

Pudori esse non debere, cùm ea, quæ ab initio omissa, studio deinde veritatis inueniuntur, &c. Patres, & maximè Augustinum propria scripta retractasse; & illa quæ omiserat, ac deinde inuenerat, addidisse. Varia hic ex Theodoro Mopsuesteno decerpit errorum portenta, & ita illi anathema dicit, itemque Theodoreti in Cyrillum scriptis & Ibæ epistolæ. Et demum addit, *Quin etiam quemcumque, qui crediderit, aliquo vllo tempore ea capitula debere suscipi, vel defendi, vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subuertere, simili anathemati subiicimus.* Omnis hîc execratio non dispensationi, sed inuestigatæ veritati tribuitur, & tribuenda docetur.

X. Rursum probatur non potuisse anathema dici tribus capitulis, nisi manifestatâ veritate.

Idem luculentissimè Pelagius Papa exequitur epist. 7. ad Episcopos Istriæ, qui diutina Latinorum omnium, & ipsorum Romæ Pontificum conflictatione, schismatis sui pertinaciam obumbrabant. Quos acutè ipse, & solidè indidem reuincit: *Res quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognouerunt. Et tantò eis celerius credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quieuit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret: si ausu præcipiti, priùs quàm verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad iniurias vsque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sint, agnouissent.* Sola veritatis luce victos cessisse vides, alioqui non cessuros. Quod illustrat mox exémplo Pauli Apostoli, cuius pristina reluctatio veritati Euangelij suffragatur. Non fregisset enim tam indomitam Pauli contumaciam, nisi ineluctabile quoddam lumen veri: *Fidem enim cui tanto priùs tempore restiterat, postmodum sine magnæ rationis certitudine non tenebat.* Ita & Petro tanto impensiùs credendum fuisse ait, Gentibus Ecclesiam pandenti, quod antea ipsemet restiterat; *Si igitur in trium Capitulorum negotio, aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inuentâ veritate dictum est: cur*

Digitized by Google

tur mutatio ſententiæ huic Sedi in crimine obiicitur, quæ à cunctâ Eccleſiâ humiliter in eius authore veneratur? Non enim mutatio ſententiæ, ſed inconſtantia ſensûs in culpâ eſt. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obſtat, ſi ignorantiam ſuam deſerens, verba permutet? Subiicit Dei ipſius perſæpe non mutari conſilium, ſed ſententiam; & ipſummet Saülis regno inuncti pœnituiſſe. Tum coaceruat operum damnatorum teſtimonia meritò confixa.

XI. Idem efficitur ex Gregorio Papa.

Accedat his Gregorius Papa I. lib. 6. epiſt. 31. *Hiſtoriam Sozomeni Sedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ nimiùm laudat: atque vſque ad diem obitûs ſui magnum doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet. Reſtat ergo vt ſi quis illam hiſtoriam recipit, Synodo quæ piæ memoriæ Iuſtiniani temporibus facta eſt de tribus Capitulis, contradicat. Qui verò huic contradicere non valet, illam hiſtoriam neceſſe eſt vt repellat.* Vides quintæ Synodo non poſſe contra quenquam dicere; contrà autem dici, ſi laudibus Theodori fides adiiciatur. Et idem ipſe in ep. ad Epiſc. Hiberniæ. *In Synodo in qua de tribus Capitulis actum eſt, apertè liquet nihil de fide conuulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum; ſed ſicut ſcitis de quibuſdam illic ſolummodo perſonis eſt actitatum; quarum vna, cuius ſcripta euidenter à rectitudine Catholicæ fidei deuiabant, non iniuſtè damnata eſt.*

XII. Aduersùs eos, qui Quintæ Synodo ſubſcribi poſſe putant, & erraſſe tamen credi.

Incaſsùm ergo cauillantur aliqui potuiſſe ſeu Iſtros, ſeu Hibernos, ſeu Afros, ſeu quoſuis alios trium priùs Capitulorum defenſores, & quintæ Synodo ſubſcribere, & Eccleſiæ vnitati recolligi; etſi ſuam illam non exuerent opinationem, atque erraſſe Synodum in illa definitione ſentire pergerent, vt quæ ad facta & perſonas, non ad fidem pertineret. Si res enim ita haberet, eccur Vigilius, Pelagius, Gregorius inueſtigata demum veritate Eccleſiam Romanam Synodo conſenſiſſe inculcant? Cur Sedes Romana & Occidentalis Eccleſia tot labores exhauſit & ærumnas, dum ſibi veritas diluceſceret, ſi erranti in facti iudiciis Synodo fas erat ſubſcribere, & tantas

Digitized by Google

lucrari calamitates? Eccur nec Istriæ, nec Hiberniæ, nec Africæ Episcopis vnquam in tam diutina iactatione, scintillauit hæc scholasticæ distinctionis lux, vt tam breui compendio schisma sedarent? Eccur Pelagius, Gregoriusque, & alij Pontifices, tam luculentis tractatibus & epistolis bellaces schismaticos expugnare aggressi, non vnquam tam bellam pacis restituendæ artem, & tam expeditam explicuere?

XIII. Rursus contra eosdem.

Vtrisque enim, Pontificibus inquam, & Schismaticis illud conueniebat, illud erat persuasissimum, nec damnari potuisse authores, librosve authorum vllos, nisi exploratâ veritate; nec Synodo eos damnanti subscribi, Ecclesiæve Synodum amplexanti communicari, nisi ab iis qui in his omnibus liquidam veritatem radicare certò scirent, aut vtcumque crederent. Vnde Anastasius Bibliothecarius in Sergio Papa ad an. 632. *Huius temporibus Aquileiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Synodus quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum vniuersale Concilium vtpote errantes, suscipere diffidebant: eiusdem beatissimi Papæ monitis atque doctrinis instructi, conuersi sunt; iidemque venerabile Concilium cum satisfactione susceperunt. Et qui priùs sub erroris vitio tenebantur, doctrinâ Apostolicæ Sedis illuminati, cum pace consonantes veritati, ad propria relaxati sunt.* Vides non recolligi, nisi *suscipientes Concilium:* non suscipere autem, nisi *monitis & doctrinis instructos, doctrinâ Apostolicæ Sedis illuminatos, consonantes veritati.*

XIV. Argumenta, quibus effici videtur, fileri in totũ potuisse memoriam quintæ Synodi à Catholicis. Primùm ex Gregorio Papa.

Vnum video nobis obiectari ante alios Gregorium, qui fileri in totum posse memoriam quintæ Synodi insinuet, lib. 3. epist. 37. ad Constantium Episcopum Mediolanensem: *Quod autem scripsistis, qui epistolam meam reginæ Theodolindæ transmittere minimè voluistis, pro eo quod in eâ quinta Synodus nominabatur, si eam exinde scandalizari posse credidistis, rectè factum est, vt minimè transmitteretis. Vnde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, vt quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis Quinta nominatur,*

Digitized by Google

ſcire vos volo, quia nihil contra quatuor ſanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſenſerit. Quippe quia in eâ de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt. Nos tamen, ſicut voluiſtis, ita fecimus, vt eiuſdem Synodi nullam memoriam faceremus. Sed & de Epiſcopis, quæ ſcripſiſtis, prædictæ filiæ noſtræ reginæ ſcripſimus. Ne ſcandalizetur regina, nec verbum ad eam facit de quinta Synodo. Poſſet addi & epiſt. 2. lib. 5. vbi Mariniani Epiſcopi, quaſi Synodo Chalcedonenſi infeſti oblocutoribus, non aliud ſatisfactionis ergo reſpondet, quàm quatuor ipſum Synodis adhæreſcere. Et lib. 7. epiſt. 5. ad Brunechildem reginam Francorum, ſchiſmaticorum imperitiam execratur, profiteturque aduersùs eorum ſycophantias, ſe & Eccleſiam vniuerſam Chalcedonenſi Synodo penitiſſimè aſſentiri. Recurre ſi voles & ad epiſt. 12. Pelagij Papæ primi, ad Childebertum Francorum regem, vbi eadem diſpenſatione vtentem audies, & confitentem, *Conſtantinopoli quædam capitula extra fidem fuiſſe agitata, de quibus longum eſt, vt epiſtolari poſſint complecti ſermone. Hoc breuiter ad ſanandum animum veſtrum, vel omnium fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum in Galliæ regionibus conſiſtentium, faciendum eſſe perſpeximus, dicentes anathematizare nos, quicumque ab illa fide declinauerit, quam Papa Leo & Chalcedonenſe Concilium ſuſcepit.* De quinta Synodo nil præterea differit, aut ſatagit Gallis inculcare Regibus & Epiſcopis. Et epiſt. 16. ad eundem, *pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo*, mittit, vt rogatus fuerat, tomum Papæ Leonis, & ſuam ipſius fidei confeſſionem. Et epiſt. 13. ad Epiſcopos Thuſciæ, *ab vniuerſali Eccleſiâ* diuulſos ſcripta, nihil aliud quàm ſchiſmatis fœditatem improperat, ne cui poſſit *fidei ſuæ remanere ſuſpicio*, profitetur ſe amplecti quatuor generales Synodos & ipſam maximè Chalcedonenſis Synodi & Leonis fidem. Denique epiſtola 14. quæ encyclica eſt *ad vniuerſum populum Dei*, aduersùs ſuſpiciones in ſuam fidem concitas, quatuor ſimiliter Synodos amplecti ſe teſtificatur, de quintâ tacet, Theodoretum & Ibam Catholicis annu-

merat. Adde Cassiodorum, qui quatuor laudat Synodos, quintam silet.

XV. Item ex Conciliis Hispaniæ.

Itaque in Italiâ, & Galliâ videtur ipsorum assensu Pontificum Romanorum, quatuor Synodorum explenduisse, quintæ autem memoria silentio & latebris penè sepulta iacuisse. Iam in Hispanias iter moliamur. Concilium Bracharense II. an. 572. quatuor Synodos generales nominatim commendat, quintam omittit. Toletanum III. an. 589. coaluit, in quo primùm fidei tomus à Rege porrectus legitur, quo post adorata quatuor Concilia additur, *Omnium quoque orthodoxorum venerabilium sacerdotum Concilia, quæ à suprascriptis sanctis quatuor Conciliis fidei puritate non dissonant, pari veneratione observo.* Et Synodus ipsa in fidei suæ confessione, cap. 11. *Quicumque aliam fidem & communionem Catholicam præter Ecclesiasticam vniuersalem esse crediderit, illam dicimus Ecclesiam quæ Nicani, Constantinopolitani, Ephesini primi, & Chalcedonensis Concilij decreta tenet pariter & honorat, anathema sit.* Idem sonat & c. 19. 20. 21. Ac rursum cap. 22. *Qui Concilia omnia Episcoporum orthodoxorum, consona Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, primo Ephesino, & Chalcedonensi non recipit, anathema sit.* Conc. Toletan. XI. XII. XIII. quatuor similiter Conciliorum fidem limpidissimam veneratur. Conc. Tolet. XIV. an. Christi 684. acta Sextæ Synodi à Romano Pontifice ad se transmissa suscipit, *vt consona Nicænæ quidem, Constantinopolitanæ, vel Ephesinæ fidei; Chalcedonensi verò tam vnita, vt ipsis verbis edita vel libata. Et ideo supradicti acta Concilij intantum à nobis veneranda sunt, & recipienda constabunt, in quantum à præmissis Conciliis non discedunt, &c. Post Chalcedonense igitur Concilium, hæc debito honore, loco & ordine collocanda sunt, vt cuius glorioso themate fulgent, ei & loci & ordinis coaptentur honore.* Itaque præter silentium affectatius, videri posset quinta Synodus loco moueri, & in quintum locum nomenque post Chalcedonensem Synodum subrogari illa, quæ Monotheletas prostrauit. Leo sanè secundus cùm ad Hispanos de subscribendis Synodi

Digitized by Google

sextæ actis scriberet, disertam de quinque generalibus aliis Synodis fecerat mentionem. Denique Tolet. XV. an. 688. quatuor tantùm Synodi commemorantur priores: Itemque Tolet. XVI. an. 693. vbi tamen subiicitur *reliquorum Conciliorum* edicta suscipienda.

XVI Item ex Isidoro Hispal.

Consentaneum his habemus Isidorum Hispalensem l. 6. Orig. c. 15. vbi cùm singillatim encomium quatuor texuisset Synodorum, adiecit, *Hæ quatuor sunt Synodi principales, fidei doctrinam plenissimè prædicantes: sed & si quæ sunt Concilia, quæ sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor authoritatem, omni manent stabilita vigore.* Et rursus in Chronico, *Iustinianus Acephalorum hæresin suscipiens, omnes in regno suo Episcopos, tria Chalcedonensis Synodi capitula damnare compellit.* Et idem ipse in l. de Viris Illust. c. 4. *Theodorus Mopsuestena urbis Episcopus, ita clarè copiosèque scientiæ doctrina refulsisse refertur, &c. Hunc Acephalorum Episcopi in præiudicio Chalcedonensis Concilij, Iustiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba & Theodoreto Episcopis censuerunt. Dum constet eum laudabilium virorum testimoniis clarissimæ Ecclesiæ doctorem fuisse.* Et c. 31. *Iustinianus Imperator condidit rescriptum contra Illyricianam Synodum, & aduersùs Africanos Episcopos, Chalcedonensis Synodi defensores peruerso studio, in quo tria Capitula damnare contendit.* Et c. 32. *Facundus Afer Hermianensis Ecclesiæ Episcopus, duodecim libros pro defensione trium Capitulorum scripsit, quorum stylo elicuit, præfata tria Capitula in præscriptione Apostolicæ fidei & Chalcedonensis Synodi impugnatione fuisse damnata.* Vide & caput 38. de Victore Tunnensi Episcopo, eorundem capitulorum propugnatore inexpugnabili.

XVII. Non posse damnari nisi pro meritis quenquã, seu librum, seu scriptorem.

Ex his omnibus illud primum efficitur, quod antea expugnare nitebamur, non posse infligi seu scriptis seu scriptoribus anathema, nisi hæreseos vel erroris eorum conscientiâ & veritate elucidatâ. Non Galli enim, non Hispani, non Itali abhorruissent tandiu à quintâ Synodo, si amplecti se illam tutò posse existimassent, saluâ æstimatione, quam habebant de tribus Capitulis, & quam ex

Digitized by Google

Chalcedonenſi Synodo hauſiſſe ſibi videbantur. Hactenus ergo exploſiſſe illos ſufficiat, qui Synodo ſubſcriptionem & reuerentiam adhiberi poſſe, ac iuramenti etiam profeſſionem blatterant, tametſi interior animi aſſenſio ſuſtineatur, aut omnino abſcindatur.

XVIII. Itali quidam, Galli & Hiſpani ſubalieni à quintâ Synodo eſſe ſinebantur, ex diſpenſatione, ex Pelagio Papa.

Sed illud iam extricandum eſt, quî Itali, & Galli, ſed Hiſpani maximè, quanuis tandiu quintam Synodum neſcierint, aut horruerint, à catholicæ tamen vnitatis vinculo non exiliſſe exiſtimentur. Recurrit nimirum illud, quod adſtructum eſt iam ſuprà: ex diſpenſatione non poſſe quidem immerentibus irrogari, ſed poſſe merentibus non irrogari damnationem. Diſpenſationis autem hoc totum fuiſſe, ne videamur temerè diuinaſſe, docebit nos author omni exceptione maior Pelagius primus epiſt. 14. encyclica ad omnem Eccleſiam, hoc eſt, ad eorum ſanandam ægritudinem, qui inanibus de læſa fide ſuſpicionibus, à ſinu Eccleſiæ diſſiliebant: *Et poſſemus quidem totius cauſæ rationes ad ſedandos rumores hominum, diuinâ nobis cooperante miſericordiâ, fiducialiter explicare: nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem, vllatenus eſſe tantatum lucidiſſimis probationibus demonſtrare: magiſque id actum, vt memoratarum Synodorum firmitas aduersùs omnes inimicos immobili ſoliditate conſiſteret. Sed quia hoc his, qui lacte potiùs, quàm ſolido cibo nutriendi ſunt, neceſſarium eſſe non duximus: vt ſicut Doctor gentium dicit, inter perfectos loquenda ſit ſapientia. Hoc interim quod etiam parvulis abundè ſufficiat, ad notitiam omnium deferendum eſſe perſpeximus. Id autem eſt vt fidem meam, &c.* Subiicit hanc fidei ſuæ ſummam, ſe indiuulsè adhærere quatuor Synodis, maximè Chalcedonenſi, omnes ab illis abſolutos, ſibi orthodoxos eſſe. Huius ergo diſpenſationis *lacte, non ſolido ſapientiæ cibo veluti parvulis* ſuccurrendum eſſe docet, vt quintæ Synodi rationes, & præſidia ibi ad fidem muniendam inſtructa ſileat; admoneat autem & perſuadeat, nihil contra Chalcedonenſem Synodum tentatum eſſe: vt ne eo prætextu ab Eccleſiâ ſe quiſquam diuellat.

Digitized by Google

Idem dispensationis argumentum exculpitur ex epistola 5. Pelagij II. ad Episcopos Istriæ: *Facilè sentietis quantum sit periculum pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione capitulorum, tandiu ab vniuersali Ecclesiâ segregari.* Et mox: *Quam ante Dominum poteritis habere fiduciam, quando nullum scandalum generari vobis de fidei nostræ integritate cernentes, tantis temporibus ob superfluas quæstiones ab Ecclesia Dei, quæ vna est, & à fraternâ charitate vos diuidi curatis.* Et tandem, *Dirigemus à quibus plenissimam satisfactionem capiatis: ne amplius anima simplices diuisæ à sanctâ Ecclesiâ pro superfluis quæstionibus tam longâ obstinatione remaneant.* Iterum iterumque *superfluas* esse has quæstiones admonet, nec *simplicibus* hinc offendiculum obiiciendum. Dispensatoriè ergo supersederi poterat à superfluarum rerum mentione, nec simplicitas omnium vbique fidelium his erat ambagibus implicanda. XIX. Rursus de eodem ex Pelagio.

Sed & Gregorius in laudatâ ad Constantium Mediolan. Episc. epistolâ, remissione vtendum & veniâ, & œconomico silentio fatetur, ne regina Theodelinda *scandalizetur.* At idem ipse eâdem epistolâ ostendit, si quis Episcopus iuraret non esse à se damnata tria Capitula, eum ab vniuersali Ecclesia alienum fore. *In grani vos mœrore esse perspeximus, maximè propter Episcopum & ciues Brixiæ; qui vobis mandant, vt eis epistolam transmittatis, in qua iurare debeatis, vos tria Capitula minimè damnasse. Quòd si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, à vobis quæri non debet. Si autem fecit, aut cum vniuersali Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ iuramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus sacramenta seruasse, atque in vnitate Ecclesiæ Catholicæ permansisse, dubium non est, quòd nulli Episcoporum suorum iurauerit, se tria Capitula minimè damnasse.* Suadet mox Brixiensibus vt *satisfaciat*, & *scandalum* amoliatur; rescribat, à se recipi quos recepit: damnari, quos damnauit Concilium Chalcedonense, libros authoresque. Vbi perspicis ad reginam & ciues adhiberi œconomicam taciturnitatem; & quintam silerii Synodum: quòd *super-* XX. Idem probatur ex Gregorio Papa.

Digitized by Google

fluis eos inferere nihil prodeſſet, obeſſet quandoque : at Epiſcopum Mediolanenſem defectionis ab Eccleſiâ reum fore, ſi trium Capitulorum damnationem reuocaſſet.

XXI Idem perficitur ex Cyrillo Alexandrino.

Huc quoque ſpectat Cyrilli Alexandrini epiſtola ad Acacium Melitenæ Epiſcopum de Theodoro Mopſueſteno, cuius iam tum ſcriptis & nomini anathema quidam præfeſtino zelo intentabant. Diſpenſatiuè autem Cyrillus abſtineri ab anathemate intorquendo debere cenſet, ne paci eccleſiaſticæ ſcandalum excitetur. *Confingentes quæ Neſtorij ſunt odiſſe, alio iterum ea introducunt modo; quæ Theodori ſunt, admirantes, certè æqualem, magis verò multo peiorem morbum impietatis habentia. Nec enim Theodorus Neſtorij fuit diſcipulus, ſed iſte illius; & velut ex vno loquuntur ore, & vnum malæ doctrinæ ex ſuo corde euomunt venenum.* Tum obiurgat eos, qui Theodorum Athanaſio, Baſilio, aliiſque patribus conſonantia docuiſſe mentiebantur. At idem rurſum in epiſtolâ ad Proclum Epiſcopum CP. eadem de Theodori peſtiferâ doctrinâ præfatus, ſubiicit, *Sciat tua ſanctitas, quòd prolata apud ſanctam Synodum expoſitione ab eo compoſita, ſicut dicebant qui protulerunt, nihil ſanum habente; reprobauit quidem eam ſancta Synodus, vtpote pernerſis plenam intellectibus, & Neſtorianam impietatem quaſi effluentem : his verò condemnatis qui ſic ſapiunt, nullam viri memoriam fecerat οἰκονομικῶς : nec ipſum nominatim anathemati ſubiecit propter οἰκονομίαν, ne quidam ad exiſtimationem viri reſpicientes, ſeſe ipſos ab Eccleſiis ſepararent. Diſpenſatio verò in his opima res eſt, & ſapiens.* Non Cyrilli igitur tantùm, quæ permagna vtique eſt, ſed Epheſini primi Concilij authoritate diſpenſatum olim id fuerat, vt Theodoro fulminando abſtineretur, etſi illum conſtaret pleno ore Neſtorianum virus eructaſſe. Quin ergo & Occidens hanc amplexaretur obuiis, vt aiunt, vlnis diſpenſationem, quæ Cyrillo, quæ Epheſinæ, quæ Chalcedonenſi poſteà Synodo arriſerat? Et vbi Romanus Pontifex cœperat quintæ Græcorum Synodo adglutinari, quin perge-

Digitized by Google

pergeret Occidentis pars ingens eandem retentare diſpenſationem, ſi non poſſe citra ſcandalum damnari ſuis in Eccleſiis tria Capitula experiebatur? Itaque ſi in Oriente priùs potuit ſine ſcandalo damnari triceps illud monſtrum, quàm in Occidente; debuit illic priùs damnari, quàm iſtic. Si in Italia vt Romano Pontifici proximiore & ſequaciore, antè potuit, quàm in Gallia, præuerti diſcrimen ſcandali; debuit & ibi antè damnatio trium Capitulorum promulgari. Si in Hiſpania, vt in extremos orbis Occidui fines proiecta, non potuit niſi ægrè & tardiſſimè ſanari ſcandalum ab hac damnatione pullulaturum; diuturnior ibi diſpenſatio retinenda fuit. Ita porro rem habuiſſe, ipſe ſæculorum rerumque geſtarum decurſus prodidit. Hæc ergo tanta, & tam in ſpeciem diſcors varietas, ad vnum & eumdem religata cardinem fuit, vt nefaria ſcripta & nomina, vbi ſine ſcandalo poſſent, damnarentur: vbi ſine ſcandalo non poſſent, aut nondum poſſent, non omnino, aut nondum proſcriberentur.

Sed ex re erit adſcribere quæ conſequenter diſſerit Cyrillus: *Si adhuc in viuis eſſet Theodorus, & ſuffragari vellet iis, quæ ipſe ſcripſit, anathema etiam in propria perſona ſubiiſſet. Quoniam verò ad Deum abiit, ſufficit vt ego puto, ea quæ abſurdè ab ipſo ſcripta ſunt, reiici ab iis qui rectè ſentiunt, cùm in eius incidunt libros; cùm vlteriùs progredi tumultuum occaſiones nonnunquam pariat. Et per alium verò modum anathematizatis & electis Neſtorij blaſphemiis, vnà cum eis electa ſunt & quæ illius ſunt, plurimam habentia ad iſta conſonantiam. Et ſiquidem hoc agerent indubitanter per Orientem, nullumque eſſet tumultum inde ſperare, dicebam vtique nullum eſſe impedimentum, nunc exigi eos etiam in ſcriptis hoc facere: Si verò, ſicut ſcribit Ioannes Antiochiæ Epiſcopus, eligant vtique magis comburi, quàm aliquid eiuſmodi peragere; quare flammam ſopitam reſuſcitamus, ſedatoſque tumultus, non opportunè commouemus; ne forſitam vnquam vltima primis peiora inueniantur? Et hæc dico vehementer increpans, quæ ſcripſit Theodorus, timens verò futuros propter eam rem à quibuſdam tumultus.*

XXI. Rurſus ex eodem.

Ampliatio hæc quædam est dispensationis, vt non tantùm à nomine Theodori inurendo abstineatur, sed ne doctrinæ quidem eius damnationi subscribere cogantur, qui cogi ad id sine tumultuationis & schismatis discrimine non possunt. Quod nimirum sufficiat ad hos in officio & fidei Catholicæ sinu continendos, vt Nestorianam luem detestentur, qua & Theodoriana continetur. Similiter ergo Romani Pontifices ad quosdam primùm Italos, plures Gallos, Hispanos longè plurimos fidei & vnitatis vinculo constringendos, abunde id esse duxerunt, vt in Nestorij dogmate proscribendo, tria quoque capitula eo implicata inopini proscriberent: quando aliud tum impetrare per pacis charitatem non licebat. Si quis autem adhuc stupeat, tam diuturno silentio & dispensationi consensisse Pontifices; reponendum ei rursus erit, quod Cyrillus Theodori damnationem vrgentibus iubet inculcari; *potest etiam iis qui hæc petierunt, Dispensatio rei enarrari: vt quiescere malint, quàm Ecclesiis scandali occasionem præbere.*

XXII. Subscribebant quodammodo damnationi trium Capitulorum, qui eorum damnatrici Ecclesiæ Catholicæ communicabant.

Nec ea tantùm ratione Hispani, Gallique trium Capitulorum damnationi subscribebant taciti & inopini, quòd Nestoriano inserta errori ea erant: sed illa etiam contemplatione, quod Ecclesiæ vniuersæ, & specialiter Romanæ, quæ tria damnabat Capitula, communicarent. Cùm enim secessissent ab Ecclesiæ Catholicæ communione, qui tria Capitula præfractiùs defendebant: hi ex aduerso annuebant vtique eorum damnationi, qui eius authoribus & sequacibus communicabant. Et hæc rursus quædam est via & ratio dispensationis, cùm non importuna vis infertur, sed clementi indulgetur aliquid interpretationi. Ita Cyrillus idem ad Maximum Diaconum Antiochenum, vetat exigi à Nestorij olim fautoribus, vt ei disertè & coram renuntient: remissiùs enim agendum, vt cum fidelibus conueniendo, eo testentur se præteritorum pœnitentiâ affici. *Perpendat æquitas tua, vtrum tandem qui dicuntur conuenire, palam atque impudenter*

Digitized by Google

Neſtoriana & ſentiant, & cum aliis etiam loquantur. An aliquando quidem cauteriatam habuerint conſcientiam, nunc autem ideo conueniant, quod ipſos pœnituerit erratorum, quibus ſemel abrepti fuerant, pudeat autem fortaſſe lapſum ſuum fateri. Solet enim ferè tale quiddam iis qui decepti ſunt, vſuuenire, &c. Oeconomiæ gratiâ, ne nimiâ vtamur diligentiâ in eos qui reſipiſcunt. Res enim magnâ indiget diſpenſatione. Etſi igitur fateri nolint lapſum ſuum, indulgendam veniam illis cenſet, qui palàm cùm Neſtorio ſentire & garrire deſierint, confluant autem in Eccleſiæ Catholicæ Synaxes. Per Catholicos autem Epiſcopos licuiſſe defenſoribus Capitulorum, imò vim adhibitam fuiſſe, vt ab Eccleſiæ communione non diſcederent, etſi à damnatione Capitulorum aſſenſionem ſuam ſuſtinere, vel etiam alienare pergerent: colligunt quidam ex his Facundi verbis: *Cùm conſtituerint, vt ſi quis non anathematizat memoratam venerabilis Ibæ epiſtolam, anathema ſit: conſidera, quæſo, cuius leuitatis, cuius confuſionis eſt, atque dedecoris, vt nos ſibi communicare compellant, permanentes in eâ ſententiâ, quâ non ſolùm anathema ei non dicimus, ſed etiam negamus eſſe dicendum.* Quibus contrà occurrimus in hunc modum. Primò vt communicare cum Eccleſia Catholica compellerentur, ea quidem vis inferebatur à damnatoribus Capitulorum: vt autem *permanerent in eâ ſententiâ*, qua damnari ea poſſe negarent, non ea licentia à Catholicis indulgebatur, ſed mera illa erat defenſorum contumacia, & Facundi interpretatio. Nec aliud ſonant verba ipſa Facundi: cui *permanentes* idem ſonat, ac permanere certos, non permanere permiſſos. Alioqui nec in quintæ Synodi actis tam prolixis, nec in Vigilij, Pelagij, Gregoriique epiſtolis tam frequentibus, & tam copioſis vllum exiſtet verbulum, quò huiuſmodi copia diſſentiendi & communicandi concedatur, qua tamen nihil crebrius inculcandum, quia nihil tempeſtiuius fuiſſet. 2. Eo autem colore illudit, vel illuditur Facundus, quòd Catholici ad communionem tantùm expreſsè vrgerent: cui nempe

μὴ ἀναθεολογήσαντες.

L. 2. cap. 3.

Digitized by Google

implicatam esse reliquam omnem consensionem intelligebant ipsi, confitebantur aduersarij. Itaque quibus persuasum erat communione cum damnatoribus Capitulorum contineri eorundem damnationem, vt Facundo & omnibus qui secessérunt, persuasum fuisse vides: illis vna maximè omnium plausibilis atque popularis ingerenda erat vel extorquenda communio. Damnatio enim Capitulorum eos exulcerauerat: causa communionis nec in quæstionem venerat: ergo cùm vtraque conferta communi præiudicio esset, huius lenocinio illius asperitas mitigabatur. 3. Iniquum ergo est ex vnico testimonio, & quidem aduersarij, & quidem in contrarium sensum æquè versatili, colligere rem tanti momenti, quam Pelagius, Gregorius, aliisque Antistites, qui in Schismaticis reuocandis tantopere desudarunt, sexcenties debuerant inculcare, si per veritatem & conscientiam licuisset. At ex aduerso Pontifices isti ad nauseam vsque ingerunt, & congestis testimoniis extundunt id, vt manifestæ veritati, hoc est, Capitulorum damnationi consentiatur. 4. Sententia Facundi & omnium eius assectarum ea erat, vibrato anathemate in tria Capitula, & in eorum vindices, ipsam Synodum Chalcedonensem sauciatam esse, & anathematizatam. Nec enim tanta de sensu Capitulorum sano vel insano, atque de Chalcedonensi Synodo eorum propugnatrice vel oppugnatrice controuersia feruebat. An ergo copiam fecissent Catholici assertoribus Capitulorum *in eâ sententiâ permanere*, damnatione Capitulorum damnatam esse Chalcedonensem Synodum? 5. Quin defensores Capitulorum exemplo Vigilij complures hæretica esse Capitula confitebantur, damnari vetabant tamen, ne eadem infamia respergeretur Synodus Chalcedonensis. An ergo & his veniam fecissent Catholici Antistites permanendi in ea sententia? An concessissent, Ecclesiam, cui communicarent, proditæ & infamatæ Chalcedonensis Synodi insimulari? Necessum erat vtique eam Ecclesiam, cuius communio prehensaretur,

Digitized by Google

à tam nefariæ proditionis ſuſpicione abſolui.

Vt remiſſione porro vteretur Eccleſia in eos, qui Synodo in Oriente, & in Eccleſiâ iam Romanâ promulgatæ non diſertè & expreſsè conſentirent, multæ præterea cauſæ ſuberant. Nec enim de fide noui quidquam definitum fuerat: ſed priſca dogmata erant confirmata, quibus & ipſi ex animo hærebant. Deinde per ſummam vim & imperatoriæ dominationis impotentiſſimam audaciam, canonum maieſtas & Eccleſiarum libertas fuerat violata. Conſule ſis Facundum, Liberatum, epiſtolam Cleri Romani legatariis Francorum datam, epiſtolas ipſas Vigilij Papæ, & monumenta illorum temporum omnia. Exaſperatæ his contumeliis mentes, mitigandæ pedetentim erant, non ad repentinum aſſenſum præcipitandæ. Ad hæc aliquandiu diſſenſerat Synodo iam terminatæ Vigilius, fortaſſis & ante aſſenſum viuis exceſſerat. Serò Romana ipſa Sedes acceſſerat quintæ Synodo. Conſentaneum ergo erat & ingentibus Galliarum atque Hiſpaniarum Eccleſiis tempus ſimiliter prorogari, & moram condonari diuturniorem, dum truculentæ tempeſtatis æſtus deferueſceret, fluctus dubitationum & ſuſpicionum ſederentur. Non erat vllius culpæ affinis aut Vigilius, aut Sedes Romana, dum ſuſtinebat aſſenſum ſuum, quia œcumenica non erat Synodus, cui ipſa nondum robur addebat. Ita Gallicanis, Hiſpanienſibuſque Eccleſiis nondum œcumenica videbatur fortaſſis Synodus, quam conſenſione ſua nondum fecerant œcumenicam. Quippe vt olim particulares Galliæ, Hiſpaniæ, aliarumqne Occidentis regionum conueniebant Synodi, & conſpiratione ſua præibant accedenti poſtea Græcanico Concilio; & ita vniuerſali Eccleſiæ totius concentu conſurgebat œcumenici authoritas Concilij: ita nunc præiuit Græcanica Synodus, cui ſubinde aliæ & aliæ conſecutæ Synodi Occidentales acceſſere; vt omnium ex vnanimi ſuffragatione exiſteret, atque emineret œcumenicum Concilium.

XXIII. Cauſæ multiplices huius tum diſpenſationis.

Nec negotium debet faceſſere conſenſus Sedis Apo- XXIV. Annue-

bant huic dispensationi summi Pontifices.

stolicæ, quasi statim eius accessione œcumenicam authoritatem assecuta sit quinta Synodus: & proinde statim abrumpere contationem suam Galli & Hispani debuerint. Contrà enim, clementiâ vti licuit & veniâ, quam ipsa vltrò Sedes Apostolica ingerebat. Nec enim, vt ex Pelagij vtriusque & Gregorij magni epistolis suprà relatis dilucidum est, quintæ Synodo subscribere, œcumenicis eam annumerare Cóciliis, tria Capitula verbis conceptis quenquam damnare adhuc cogebant Romani Præsules. Quin illud vnum ebblandiri satagebant, ne quis eos vel Ecclesiam Catholicam calumniaretur, fidei orthodóxæ, vel Chalcedonensi Synodo derogasse; neve eo prætextu ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis semet abrumperet. Ideo quatuor Synodos semper illi seorsim laudant effusissimè, tum illam quoque nuperam à calumniis laborant vendicare. Ideo Gregorius disertè illam nihil de fide egisse admonuit. Ideo Pelagius superfluas fuisse has quæstiones persæpe affirmauit. Ideo rursum Gregorius alicubi non quintam dixit, sed quintam à quibusdam dici aduertit. Remissiùs vtique & œconomicè agendum erat, vt paulatim mansuescerent efferatæ hominum mentes; & tandem laudarent eam Synodum, cuius laudatricem Ecclesiam Romanam & Catholicam amplexabantur. Ideo denique nusquam ad Hispanos vel Gallos Pelagius & Gregorius, sed ad Istros & Hibernos prolixas elucubrauere apologias quintæ Synodi: quod hi ab ea & eius sectatrice Ecclesia secessissent; illi eam silebant, ab illa clandestinis suspicionibus subalienati erant, illam tamen in Ecclesiæ vnitate eam sectante sectabantur.

Lib. 3. epist. 37.

XXV. Dispensationi istiusmodi locus est, vbi multitudinis & populorum strages præuertendæ sunt: vbi & obiectio ex Victore Tunon. prompta diluitur.

Nec statim potest quisque blandiri sibi; & prout collibuerit, vel quintam Synodum, vel aliam quancumque definitionem totâ Ecclesiâ receptissimam aspernari. Nam illi tum necessariò locus est dispensationi, cùm populorum strages anteuertendæ sunt: item cùm Pontificum vel Synodorum decreto, vel tolerantiâ sancitur hæc venia: non vbi priuatus quisque libidini præfractæ licen-

Digitized by Google

tiam arrogat. Innocentius in decretis cap. 56. *Quod neceſsitas imperauit, in pace etiam Eccleſiæ conſtitutæ non poſſunt præſumere. Vt ſæpe accidit, quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſolet tranſire.* Et Auguſtinus epiſt. 63. *Non aſperè quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo, iſta tollantur: magis docendo, quàm iubendo; magis monendo, quàm minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda eſt in peccata paucorum.* Et lib. 3. contra Parmen. cap. 2. tum quemque percellendum anathemate docet, *vbi periculum ſchiſmatis nullum eſt*, item, *Quando cuiuſque crimen, ita notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſsit ſchiſma contingere.* Et ex Apoſtolo id confirmat, qui ait, ſatis eſſe correptionem, quæ fit à multis. *Neque enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cùm ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus.* Et infrà: *Si contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſerena miſericordia neceſſaria eſt. Nam conſilia ſeparationis, & inania ſunt, & perniciosa, atque ſacrilega; quia & impia & ſuperba fiunt: & plus conturbant infirmos malos, quàm corrigant animoſos bonos.* Quibus conſtat neceſſariò à Præſulibus annuendam eam diſpenſationem multitudini & tantorum vniuerſitati populorum. Hâc veniâ interim gaudebat, florebatque ſanctitate Theodorus Cabarſuſſitanus Epiſc. qui *defenſor trium Capitulorum, exilio ad vrbem regiam eo die & menſe quo Iuſtinianus, moritur; & iuxta confeſſores, quibus Vgnericus Vuandalorum rex linguas abſciderat, ſepelitur.* Vt narrat circa finem Chronici Victor Tunonenſ. ſi fides tamen illi vbique habenda, partes ſuas etiam *pòſt ſynodaliter in Africâ excluſum à Catholicâ communione Vigilium* miraculis attollenti.

XXVI. Eius diſpenſationis neceſſitas ex Baronio confirmatur,

His iuuat calculum adiicere præſtantiſſimi annalium Eccleſiæ Parentis, ad an. 556. n. 1. 2. 3. & ad an. 572. n. 13. *Adeo viſi ſunt exhorruiſſe Occidentales Antiſtites ferè omnes,*

& alterius dispensationis genus perstringitur.

aliam œcumenicam Synodum post quartam admittere: vt nec potuerit Pelagius reperire Episcopos Romæ, à quibus consecraretur: atque opus fuerit Presbyterum Ostiensem, quod nunquam anteà accidisset, loco Episcopi munus illud obire, ipso Pelagio ita iubente. Quantùm enim auersati fuerint Quintam Synodum Occidentales, vel ex Cassiodoro & aliis possumus intelligere; qui licèt à communione Catholicâ nunquam defecerint, nec eandem quintam Synodum aliquando damnarint: eam tamen silentio præterierunt, &c. Neminem moueat, si Cassiodorus recensens œcumenicas Synodos, de quintâ Synodo nullam habuerit mentionem, sicut & sanctus Gregorius aliquando fecisse visus est, &c. Sic Cassiodorus fecisse cognoscitur, & aliquando etiam sanctus Gregorius Papa, atque Patres Concilij Braccharensis II. &c. Idem alij plures fecisse noscuntur, cùm tamen eidem non contradicerent. Vides consensum Sedis Apostolicæ in tam necessariam dispensationem, vbi nihil sibi iure sumit singulorum libido: sed nutus regnorum obseruantur, seu ingentium Ecclesiæ vniuersæ membrorum: quorum vnitati fouendæ nulla nimia, nulla non necessaria dispensatio est. Præter vrgentem autem *necessitatem*, quâ extorquetur quodammodo: *euidenti* etiam *vtilitate* exoratur salubris dispensatio: sed ita demum, vt huius quoque iudicium, arbitriumque penes Catholicos Antistites sit; non à priuato quolibet, non Episcopali Collegio refragante temerè vsurpandum.

XXVII. Argumenta afferuntur, quibus id conantur efficere, vt in quæstionibus facti errare posse & Synodos & Ecclesiam credatur.

Verùm inde sibi dissentiendi libertatem aucupantur, quod vbi de fide nil definitur, vbi de factis tantùm & personis fertur iudicium, ne ipsa quidem vniuersalis Ecclesia, adeoque nec Synodus œcumenica prærogatiuam sibi arrogat non errandi. Augustinus enim ait, lib. 2. de bapt. cont. Donat. c. 3. *Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones & prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla*

Digitized by Google

vlla inflata cervice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana. Et Innocentius III. in epist. ad Petrum Compostell. Archiep. & apud Gratianum: *Quotiescumque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius Concilij magis teneatur sententia, cuius aut antiquior, aut potior extat authoritas.* Non inconcussam ergo assentionem flagitant, quæ retractari, emendari, & in contrariam partem reuocari possunt. Ideo & Pelagius in epist. 7. ad Episcopos Istriæ solius fidei definitionem in Chalcedonensi Synodo factam, irretractabilem esse ex oraculo Leonis Papæ primi demonstrat, reliqua omnia ad noui incudem examinis reuocari posse. *Cùm verò subiicitur à Leone, Quidquid præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem: aperiè nobis licentia tribuitur, vt quidquid illic extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium reuocetur.* Et infrà à Thalassio Cæsaræ Cappadociæ Episcopo, qui affuerat Chalcedonensi Synodo, solam eius Synodi de fide constitutionem, non reliquam gestorum synodalium farraginem, relatam esse ad Cappadociæ Ecclesias cùm retulisset, inde concludit, nec vituperat, *Præter causam fidei nihil de Synodo in veneratione Thalassium tenuisse: hoc quod vltra fidem gestum est, nec ipsum qui fecit Thalassium tenuisse.* Et Gregorius lib. 2. ind. 11. epist. 54. *Sancta Chalcedonensis Synodus vsque ad definitionem fidei & prolationem Canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem Canonum specialia Episcoporum certamina sopire curauit.* Ex quo argumentatur tria Capitula quæ ad speciales has causas & pugnas Episcoporum pertinebant, nouo examini potuisse substerni. Denique vno etiamnunc & iam olim calculo in id conspirant Magistri scholæ Theologicæ, vt in controuersiis factorum & personarum dirimendis, & Pontifex, & Synodus, & Ecclesia

D. 50. c. 28.

ipsa vniuersalis aberrare à vero quandoque possit. Quocirca irreuocabilem his decretis fidem non necessariò adiiciendam esse.

XXVIII. Ostenditur non posse quemquam, & contrà Synodo quintæ dicere, & subscribere.

Verùm si licentiam facimus à generalium Conciliorum, & speciatim ab huius quintæ Synodi decretis dissentiendi seu palam, seu clam; quorsum attinebit confessio fidei, qua Synodos generales amplecti & sequi nos profitemur? Cùm de factis tantùm & personis hæc quinta Synodus definierit, vbi illam te sequi iuras vel scribis, num id sine periurio potes, qui animo intus dissentis? Cùm ipsa te Ecclesia ad iurandum vel subscribendum adigit, num eadem copiam interim facit dissentiendi? Quid hoc monstri est? An Ecclesia & non sequi permittit, & ad eam sequendam te iuramento adigit? Cùm quinta Synodus id definiat, & id vnum definiat, *Si quis defendit impium Theodorum, & impia eius conscripta, & non anathematizat ea & impia eius conscripta, & omnes qui suscipiunt & defendunt eum, &c. talis anathema sit. Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, &c. & non anathematizat ea & eos qui similia eis sapuerunt, anathema sit:* vbi huic Synodo vel iuramento, vel manu subscribis, si talium scripta defendis, quomodo non tuo te ipse anathemate innodas? Defendis enim, & anathema in defensores vibras. Vigilius similiter in epistola quintæ Synodi, vel potiùs damnationis Capitulorum confirmatrice, *Quinetiam quemcumque, qui crediderit aliquo vllo tempore ea Capitula debere suscipi, aut defendi: vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subuertere, simili anathemati subiicimus.* Et mox: *Quæ verò aut à me aut ab aliis ad defensionem prædictorum trium Capitulorum facta sunt, præsentis huius scripti nostri definitione euacuamus.* Esto vt Capitula damnet, qui ita sentit: at vt defensores eorum damnet, si fas est defendere, id inconcinnum & insolens est. Aut si fas est damnare defensores, nefas est defendere.

XXIX. Idem ostenditur ex fidei

Sed quorsum in omnibus posthac fidei confessionibus, solenne & vsitatissimum fuit, non Synodos tantùm ab-

Digitized by Google

ſolutiſſimè laudare, ſed omnes ab iis damnatos damnare, ſi nulla iſtiuſmodi damnationibus aſſentiendi incumbit neceſſitas? Sophronius in epiſt. ſynodicâ, quæ lecta eſt act. 11. Synodi ſextæ, cùm tria Capitula ſigillatim execratus eſſet, *Vniuerſales ſanctas quatuor amplector Syncdos, ſuper his verò & hanc quintam honoro & veneror, & cuncta earum lubenter recipio, tam in dogmatibus, & diuerſis doctrinis, quamque hæreticorum anathematibus & definitionibus. Vnde & comprobo atque ſuſcipio, quos ſuſceperunt & probauerunt. Et anathematizo atque abiicio, quos anathemati ſubiecerunt, & abiectos à ſanctâ noſtrâ Catholicâ Eccleſiâ cenſuerunt.* Ita Epiſcopus Hieroſolymitanus. Et in Octaua Synodo, act. 10. *Poſt lectos Canones lecta eſt eiuſdem octaua œcumenicæ Synodi definitio, quæ ſymbolum fidei profeſſionemque de ſiptem prioribus Synodis, & anathema eorum, quos illæ Synodi damnarunt, complectitur.* Beda lib. 4. hiſtor. cap. 17. hæc refert ex Synodo ſub Theodoro Cantuar. Archiep. *Suſcepimus ſanctas & vniuerſales quinque Synodos, &c. anathematizamus corde & ore quos anathematizauerunt, & quos ſuſceperunt, ſuſcipimus.* Et in Gallicanâ non aliter Eccleſiâ, Adalbertus Morinorum Epiſcopus ordinandus, hanc ante Hincmaro metropolitano confeſſionem porrigit: *Sex denique ſanctas & vniuerſales de fide Synodos, quas ſancta & Apoſtolica Eccleſia recipit, me recipere & venerari profiteor. Nicænam videlicet, &c. item Conſtantinopolitanam temporibus Vigilij, &c. Item Conſtantinopolitanam ſub Agathone, &c. Hos autem quicumque ab eiſdem ſanctis Patribus in memoratis Synodis vel poſtea ſimiliter per Spiritum ſanctum ſentientibus, diuerſis vicibus, literis diuinitùs inſpiratis damnati leguntur, eandem venerandam Patrum authoritatem ſequens condemno.* Et in Concilio Tricaſſino II. an. 878. *Hincmarus Archiepiſcopus Remorum reſpondit, Secundùm ſacros Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reuerentiâ conſecratos, quos Apoſtolica Sedes per B. & dominum noſtrum Papam & Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater damnat, damno: quos anathematizat, anathematizo: quos excommunicat, excommunicatos habeo: &c.* Et Leo

confeſſionibus olim vſitatiſſimis.

Papa IX. epist. 5. laudatis quatuor generalibus Conciliis, itemque tribus aliis *pari modo*, addit: *Quidquid supradicta septem sancta & vniuersalia Concilia senserunt & collaudauerunt, sentio & collaudo: & quoscumque anathematizauerunt, anathematizo.* Similiter Gregorius VII. lib. 8. epist. 1. post quatuor Conciliorum, & tandem quinti etiam commendationem, *Cunctas verò quas prefata veneranda Concilia personas respuerunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis presumit, aut soluere quos ligant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Et apud Zonaram Nicephorus CP. Episcopus ad Leonem Papam: *Predictas Synodos œcumenicas suscipio, &c. demum quoscumque Ecclesia Catholica recipit, illos ego quoque recipio: & quoscumque illa auersatur,* Pag. 440. *illos & ego itidem auersor.* Et iuris Oriental. lib. 6. in Symboli cautione à Metropolitanis præstandâ tempore ordinationis: *Recipio sanctas & vniuersales septem Synodos, &c. Omnes quos recipiunt, recipio: quos auersantur, auersor.* Cùm ergo vbique terrarum in vniuersa Ecclesia Catholica id inualuerit, cùm id sacris regulis consonum prædicetur, cùm in id iurati sint omnes Episcopi inter ipsa consecrationis solennia, vt damnet quisque damnatos à Synodis: quis sibi integrum putet damnatos à Synodis absoluere? aut quos ore & manu damnare cogitur, mente purgare? Aut quis talia in Ecclesiam Christi sponsam & veritatis magistram irrepere potuisse sacramenta & authorari putet, quibus homines periurio implicarentur? Denique cùm tot iam interlapsa sint sæculorum volumina, eccur non aliquis vnus saltem emersit, qui reliquos synodicè damnatos damnaret: Theodorum, vel Theodoretum, vel alium istiusmodi quempiam excipieret, & innoxia vel sensisse, vel scripsisse proclamaret? Si hanc venerationem maiores nostri hactenus per tanta annorum spatia synodicis istiusmodi sententiis dicauere, ecquid nos audaculi ab eorum religione desciscimus?

XXX. Item ex His adde legem illam & consuetudinem vetustissi-

Digitized by Google

mam, vt non errores tantùm, ſed authores ipſi configerentur ſynodicis decretis, & configendi ab edentibus fidei profeſſionem præciperentur. Quod ſuperuacaneum prorſus fuiſſet, & periuriorum laqueis implicatiſſimum, ſi licuiſſet quoad has quæſtiones ab Eccleſiæ vniuerſalis ſententia diſcrepare. Leo I. epiſt. 2. *Vt damnarent Manichæum cum prædicationibus & diſcipulis ſuis, publicâ in Eccleſiâ profeſſione, & manûs ſuæ ſubſcriptione compulimus.* Et epiſtola 3. de quibuſlibet hæreticis reſipiſcentibus, *Priùs errores ſuos & ipſos authores eorum damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur.* Vide & epiſt. 85. & 86. de Pelagianæ ſectæ reliquiis, *Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris authores, &c.* Et Cæleſtinus Papa epiſt. ad Synodum Epheſinam, poſt damnationem Neſtorij, *Habent ſi reſipiſcunt, copiam reuertendi; quod his ſolis non permittitur, quos propriè cum authoribus hæreſeos, omnium fratrum conſtat ſubſcriptione damnatos, &c. Se in noſtro collegio nouerint non futuros, niſi ſecundùm Eccleſiaſticum & Chriſtianorum Principum conſtitutum, damnata cum authoribus, ſociiſque damnantes, ſe profiteantur Catholicos Sacerdotes.* Iuſtinianus in decreto fidei: *Nicæna Synodus eos qui impiam Arij ſectam colunt, ſine nomine anathematizauit. Quæ autem Conſtantinopoli congregata eſt, impiam Macedonij hæreſin ſimiliter condemnauit. Sed tamen ſancta Dei Eccleſia & poſt mortem Arium & Macedonium nominatim anathematizat.* Quæ ille vt mortuis anathema incuti poſſe, nos eo promimus, vt errores authoreſque vna damnationis ſententia conteri ſolere conſtet. Huc refer quæ ſuprà in Nicænam, in Epheſinam & in Chalcedonenſem Synodum commentati ſumus, vbi patefactum eſt, non paucos erroris damnationi ſubſcripſiſſe, qui authorem non ita ſenſiſſe opinarentur; quique eccleſiaſtica tandem authoritate compulſi ſunt, authoribus quoque ipſis nominatim anathema impingere, vt Ario Euſebiani, (apud Socratem, cauſati priùs ſe reſtitiſſe Synodo, cùm eius fidem oſcularentur, quòd ab eadem fide Arium diſſidere non putarent: L. 1. cap. 10.

more ſoleni damnandi cum erroribus authores.

Conc. Epheſ. part. 3. cap. 20.

19. & apud Nicephorum l. 8. c. 18. 43.) Neſtorio Theodoretus & alij, Ægyptij Eutycheti. Cùm hactenus ergo ſolenne fuerit Eccleſiæ Catholicæ Synodiſque, non erroribus tantùm, ſed ipſis authorum nominibus execrationem indicere: qua ex rima putant aliqui ſibi hanc poſſe affluere licentiam damnatos authores abſoluendi, hoc eſt, damnatricem eorum Eccleſiam & priſcas omnes Synodos condemnandi? Nam etiam quibus aderant non errorum, ſed perſonarum defenſores, vt Arium, Neſtorium, Eutychetem: etiam ante damnationem præmortuos & damnauit Eccleſia, & damnare compulit.

XXXI. Idem ex more damnandi libros.

Libros maximè ipſos hæreticorum proſcribere curæ fuit Patribus, Synodiſque omnibus. In eam rem exomnis vigilauit ſollicitudo Imperatorum & Pontificum. Neſtorij libros, item Arij, Theodorique quidam erroribus liberabant, vt alibi dictum: in eos tamen vt hæreſeos fomites peræquè lex ſacra & publica ſæuiit. Vide Conciliorum omnium generalium acta. Vide & Nomocanonem Photij tit. 12. c. 3. Eccleſia ergo quæ ſibi hanc poteſtatem vendicat libros inurendi hæreticos, nulli poteſtatem facit, eoſdem deinceps defendendi. Cùm vel maximè autem Eccleſia conuenit vniuerſa, vel ſine conuentu ſynodico, vniuerſa nihilo ſecius deteſtatur aliquem librum, vt ſeminarium prophanæ hæreſeos: num eundem approbandi cuilibet etiam doctiſſimo poteſtatem facit? Quorſum enim vniuerſa conuenit, examinat, definit Eccleſia, ſi per ipſam mox licet contrà vel dicere, vel ſentire? Nec doctrinæ priuatam opulentiam poteſt quiſquam prætendere. Quantula enim hæc eſt, priuata cùm ſit, præ vniuerſali totius Eccleſiæ ſapientia? Præ luce Spiritûs ſancti Eccleſiam circumfluente, quantilla eſt ſingulorum fax? Soli Eccleſiæ quis lumen ingenioli componat, quis præponat? Audiant hac deluſi ſuæ ſagacitatis inſania Auguſtinum l. 2. de Bap. contra Donat. c. 5. *Ideò plerumque doctioribus minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas in qua fructus eſt maior, com-*

Digitized by Google

probetur : vel quo modo teneant vnitatem, cùm in rebus obſcurioribus diuerſa ſentiunt : vel quo modo accipiant veritatem, cùm contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt. Audiant ſaltem Facundum Hermianenſem Epiſcopum, hæc de Eccleſiâ ſynodicè collectâ edocentem, quæ de eâdem vbiqne ſparsâ, eodem iure dici poſſunt, vtpote & ipsâ pariter erroris inſolentiſſimâ : *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum : nam fideliter inuocatus non ſolùm à ſacerdotibus, ſed ab omni populo ſuo, cuius fides & expectatio ex illorum authoritate dependet : dat omnibus congregatis vnum cor & animam vnam, vt nullus eorum ſuam velit eſſe ſententiam, niſi quæ fuerit veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus, & plures paucioribus, illo eorum medio, cedunt ? Quotiens etiam per neſcientes, ſcienter operatur ipſe qui poteſt omnia facere ſupra quam petimus, aut intelligimus ?* Ita ille cùm de tribus Capitulis, id eſt, de factorum & perſonarum, vt volunt, quæſtionibus res ageretur. Porro non Synodo tantùm, ſed Eccleſiæ maximè ſuæ toto orbe terrarum diffuſæ Chriſtus *promiſit, quòd nobiſcum ſit omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi ; qui cùm ſit omnipotens veritas, mentiri nullatenus poteſt*, vt idem ibidem ſubiicit. Audiant rurſus eundem Facundum l. 10. c. 1. regulam figentem emendandi Synodorum iudicij : *Si ſuſpiciones iudicium ſententiam dicent, nihil omnino eſt, quod non aliter atque aliter iudicetur. At iſti volunt iudicari tantam Synodum per tantes annos tantâ vniuerſalis Eccleſiæ pace firmatam : & nihil quod cognoſcamus, ſed hoc ſolum afferunt, quod pro ſuo nos velint arbitrio ſuſpicari. Ergo ſi cupiunt, vt cùm illis hanc Synodum ego quoque reprehendam, tale aliquid ad eam deſtruendam idoneum requirant, ac proferant, quod tam certum mihi ſit, quàm certum mihi eſt eſſe me.* Qui ab Eccleſiâ libros damnante diſſentiunt, vtunturne argumentis tam certis, quàm certi ſunt eſſe ſe ? Et argumenta ſi qua tam certa & euidentia ſuppeterent, an ea Eccleſiam præterirent ? Audiant quid Marco Epheſino reſponſum ſit à Ioſepho Methonenſi Epiſcopo : *Superbâ de ſeipſo opinione de-*

Lib. 8. cap. 9.

In Append. Conc. Flor.

Digitized by Google

ceptus, putasti vniuersâ te Synodo prudentiorem & doctiorem esse; quòd extremæ dementiæ argumentum est, vnum scilicet hominem antecellere vniuersis. Esto si vnum cùm vno conferas, id enim credibile est; at vniuersâ Ecclesiâ congregatâ vnum hominem esse præstantiorem, omnino impossibile est. Alioquin & Arius, & Eunomius, & reliqui generalium Conciliorum hostes hoc ipsum dicent. Audiant quid in Concilio Ba-

In Append. sileensi ad Bohemos peroratum sit: *Quis maior vobis honor contingere potest, quàm quòd sponsa Christi, & regina adstans à dextris eius iudicet inter vos? Quæ maior certitudo veritatis, quàm quòd discipula Spiritûs sancti sententiam pronunciet? Quem vnquam fideliorem iudicem inuenire poteritis, quàm amantissimam matrem vestram? Nolite ergo disputando laborare, nec contendendo verbis alter alterum lacessere. Quid vos multitudine librorum oneratis? Cur diuersorum magistrorum sententias in medium affertis? Cur intelligentias vestras humanis inquisitionibus ac subtilitatibus defatigatis? Ecce in medio vestri adest Magistra vestra, cui Spiritus Domini sensus, mysteria, & arcana aperit Scripturarum. Non mihi opus est iudicando, vt legis peritos aduocem, aut bibliothecas perscruter. Nullius horum consilio opus habeo, cui Dominus consulit. Charitas Domini meum semper intellectum illustrat, & agnus meus Jesus Christus ante me lucernam defert.* Quæ omnia non ad solas fidei, sed ad omnes Ecclesiæ vniuersæ doctrinales definitiones spectant. Vbique enim Sponsa Christi est, & Spiritûs sancti plenitudinem circumgestat, & in medio eius est Christus, & illi vnum aliquem se anteferre insolentissimæ versaniæ est. Adde quod ipsis fidei iudiciis coniunctissima est librorum censura. Nam & Marcus Ephesius, & Bohemi, & omnes denique hæretici non de fide tantùm, sed & de sensu antiquorum Patrum cum Ecclesiâ Catholicâ altercabantur. Quibus adeò si largiaris, vt in librorum ab antiquis tractatoribus conscriptorum sententiâ enucleandâ aberrare posse Ecclesiam Catholicam sentiant: prohibere vix iam poteris, quin traditionem sibi vendicent, veritatis fidissimam interpretem.

Sed

Digitized by Google

Sed & hoc ipſum Synodi quintæ iudicium, etſi vt volunt, in factis tantùm & perſonis verſatum ſit, vniuerſalis tamen Eccleſiæ authoritate coruſcaſſe, adeoque Chriſtianum neminem ab eo diſſentire potuiſſe, docet Pelagius Papa I. epiſt. 3. *De Liguribus atque Veneticis & Iſtris Epiſcopis quid dicam? Quos idonea eſt excellentia veſtra, & ratione & poteſtate reprimere; & dimittitis eos in contemptum Apoſtolicarum Sedium de ſuâ ruſticitate gloriari. Cùm ſiquid eos de iudicio vniuerſalis Synodi quod Conſtantinopoli nuper actum eſt, fortè mouebat: ad Sedem Apoſtolicam, quomodo ſemper factum eſt, electis aliquibus de ſuis qui dare & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt: & non clauſis oculis corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam lacerare. Nelite ergo dubitare huiuſmodi homines principali vel iudiciali authoritate comprimere.* A iudicio vniuerſalis Synodi & Eccleſiæ totius diſſentire non ſinit; cogit aut doceri quæ neſciunt, aut ſæculari poteſtate coërceri. Et ad eundem Narſetem Comitem epiſt. 5. vetat eos ad aliam ſuſpirare Synodum, quaſi inſtaurari alia diligentior poſſit eiuſdem rei diſceptatio, ſed quòd ignorant, doceri, vel comprimi. *Nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare. Sed quotiens aliquibus dubitatio naſcitur, ad Apoſtolicam Sedem pro recipiendâ ratione conueniant: aut ſi fortè ita obſtinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab eiſdem Apoſtolicis Sedibus aut attrahi ad ſalutem quoque modo neceſſe eſt, aut ſecundùm Canones, per ſæculares comprimi poteſtates.* Similiter Gregorius l. 4. epiſt. 49. ad Epiſcopos Iſtriæ: *Hortor, dilectiſſimi fratres, vt ad me venire debeatis, dummodo ratione perceptâ, à concordia ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ diſſenſio vos nulla diſſocict, &c. Et ſeu ad conſentiendum mihi cor veſtrum miſericordia diuina compunxerit, ſiue quod abſit, in eâ vos durare diſſenſione contigerit, ad propria vos relaxare curabimus.* Et ita conſtantiſſimè ſummi Pontifices Pelagius vterque & Gregorius, à iudicio quintæ Synodi diſſentire neminem, vel ad aliam Synodum prouocare paſſi ſunt; ſed quòd iam vniuerſalis Eccleſiæ conſenſio-

XXXII. Item ex Pelagio Papa ad ſatisfactionē omnes dubios vocante, non diſſenſum annuente.

Digitized by Google

ne irretractabiliter definita res esset, contrà bacchantibus vnam supereſſe voluere medicinam, vt docerentur & eis satisfieret; aut obstinati regiâ potestate conterentur.

XXXIII. Item ex eo quod Pontifices ideo aiebant in quinta Synodo tractari de tribus capitulis potuisse, quòd quæ de iis statuta erant in Chalcedonẽsi Synodo, Leo non confirmasset.

Quod vel hinc etiam dilucidius fiet, quòd de tribus Capitulis ideò renouari examen potuisse in Synodo quintâ testati sunt, quoniam quæ de illis Synodus Chalcedonensis prælibauerat, ea confirmare Leo Papa recusauerat; ac proinde ea dici non poterant Synodi œcumenicæ, vel vniuersalis Ecclesiæ iudicia: cuiusmodi sola sunt irretractabilia. Pelagius in epist. ad Episcopos Istriæ, ex epistolis Leonis Papæ decerpit segetem vberrimam testimoniorum, quâ ostendit, *nihil se omnimodo de Chalcedonensi Synodo suscipere, nisi quod de solâ fide gestum fuerat, &c. Postquam nihil aliud Synodi nisi fidei definitionem recepit, quid est aliud, nisi quod cætera, quæ illic specialiter mota sunt, refutauit, &c. Ipse Leo sicut multâ superiùs epistolarum eius attestatione docuimus, gesta multiplicia causarum specialium reprobando, authoritatem Synodi in solâ fidei definitione constrinxit, &c. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium reuocetur, &c. Epistolam Ibæ licenter vnusquisque reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent. Quia postquam beato Leone scribente, ius retractandi & diiudicandi conceditur, etiamsi qua esse poterat, eorum qui interfuerant, in priuatis negotiis authoritas, vacuatur.* Nec aliter epist. 5. *Necesse est vos omnes epistolas synodales sollicitè vigilanterque percurrere, vt euidentiùs agnoscatis, quia sancti Patres nihil aliud de Chalcedonensi Synodo in suis epistolis firmauerunt, nisi vt inuiolabilis fidei definitio seruaretur.* Profert mox verba Leonis qui ait, se assensum esse Synodo, *In solâ videlicet fidei causâ, quod sæpe dicendum, propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianissimorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Ex mox Pelagius, *Priuatas causas quæ illic post definitionem fidei acta sunt, non solùm minimè confirmauit, sed & retractari atque*

Digitized by Google

diiudicari permiſit. Ergo tametſi de factis & perſonis hæc agitata eſſent iudicia in Synodo Chalcedonenſi : retractari tamen neutiquam poſſent , niſi Leo Papa ea refutaſſet , adeoque œcumenicæ Synodi authoritatem hac in parte detraxiſſet.

Ex aduerſo autem vt irretractabilia eſſe oſtenderet Facundus Chalcedonenſium Patrum de tribus Capitulis iudicia : à Leone Papa illa demonſtrare laborabat confirmata fuiſſe. *Abſit vt ille vir ſanctus licitum ſibi putaret , quod non expedire cernebat : & magni ſui certaminis palmam , poſtquam vicit , amitteret. Quid enim iam integrum , vel quid conſtare poteſt immobile , ſi tanti Concilij ſententia vel ſicut imperfecta ſuppleri , vel ſicut dubia , rurſum diſcuti videretur ? Non autem in ſolâ fidei dubitatione vel definitione Conciliorum valet authoritas : verùm etiam in omnibus quæ pro pacis & vnitatis obſeruantiâ , cuius maxima ſapientibus cura eſt , modeſtè ibi fuerint ac bene compoſita.* Et infrà : *Et reuera quis erit contentionum atque certaminum finis , ſi de his quæ totius Eccleſiæ conſenſione firmata ſunt , ſemel licuerit ferre iudicium ? Cur enim non rurſus ipſum iudicium iudicetur ? Et ideò prudentiſſimus vir Leo , nullam penitùs dans occaſionem quærentibus , denunciabat , dicens , nihil prorſus de bene compoſitis retractetur , &c. Si verò beatiſſimus Leo , quanuis recentioris Concilij , & nullâ antè ſui deceſſoris aſſertione defenſi , quidquam in diſceptationem reuocare non eſt paſſus : quomodo ab aliis creditur quartus decimus ſucceſſor eius ſanctus Vigilius , nouum poſſe aliquid iudicare ?* Idem rurſus copiosè proſequitur Facundus l. 12. c. 2. Vtriſque ergo hinc & inde id conueniebat , qualiacumque demum eſſent illa tria Capitula , non poſſe de his quæ totius Eccleſiæ conſenſione , quæ Leonis Papæ ſuffragio firmata eſſent , rurſus iudicium iterari : non debere ipſa iterum iudicia iudicari : ſed in eo diſſidebant , quòd à Leone Papâ , atque adeò ab Occidua , proindeque ab vniuerſali Eccleſia , hi affirmarent , illi pernegarent confirmata fuiſſe decreta Synodi Chalcedonenſis de tribus Capitulis : adeoque ad nouum examen trahi potuiſſe iſti

XXXIV. Item ex eo quod ex aduerſo defenſores trium Capitulorũ aiebant , agi de iis non potuiſſe in quinta , de quibus in quarta fuerat definitum , & à Leone confirmatum.
Lib. 2. cap. 6.

dicerent, contrà illi dicerent. In istiusmodi ergo etiam Ecclesiæ totius definitionibus, ne defensores quidem trium Capitulorum eam sibi dissentiendi & ad noua reuocandi examina indulgebant licentiam. Ergo Theodori scripta, Ibæ epistolam, Theodoreti nænias in Cyrillum, si ab aliqua primùm, putà à quinta Synodo, damnata fuisse, & Romani Præsulis accessisse consensum, Facundus vel eius gregales tunc audissent, protinus subscribendum & sibi & omnibus esse nequaquam ambigerent.

XXXV. Item ex Ferrando Carth. Id dilucidè iterùm ex Ferrando Carthaginensi Diacono constabit. Qui epist. ad Pelagium & Anatolium, n. 6. de epistola Ibæ quam contendit in Chalcedonensi Synodo laudatam fuisse: *Si tunc aliquis accusator epistolæ, cuius Catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia prouocaret, appellationi forsitan secundùm consuetudinem locus pateret. Sed quo iret? aut vbi maiores reperiret in Ecclesia iudices? ante se habens in legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum?* Et mox: *Vniuersalia Concilia, præcipue illa quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ authoritatis locum post canonicos libros tenent, &c. Quæ siniuntur iudicantibus Episcopis sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta, diligentiùs examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent.* Et tandem regulis in ea iactatione tenendis hanc cæteris præfert, *Vt Concilij Chalcedonensis vel similium eius nulla retractatio placeat: sed quæ semel statuta sunt, intemerata seruentur.* Ergo & Patroni Capitulorum tunc procul abhorrebant ab hac quorundam hodie opinatione, posse exerrare & Pontificem, & Synodum œcumenicam, & Ecclesiam vniuersalem in diiudicatione librorum; & proinde quamuis quinta Synodus Theodori vel Theodoreti libros saltem aliquos confixerit, & prima Sedes consenserit, posse non Ecclesiam modò, sed quemlibet Theologastrum eius infirmare iudicium. Contrà

Digitized by Google

enim Facundus, contrà Ferrandus ſtatuta etiam hoc genus ſynodalia retractare vetant, *ſequi*, *tenere*, *amplecti* iubent, non priuatos tantùm, ſed Eccleſiam ipſam: Romani autem Pontifices & Catholici omnes in id ipſum conſpirabant. Denique idem Ferrandus ibidem: *Concilia quæ vetuſtas firmauit, & cuſtodiuit deuota poſteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi neceſſitatem.*

XXXVI. Item ex alia exceptione Roman. Pontificum de iis in quinta agi potuiſſe, de quibus actum non fuerat, niſi Chalcedon. Synodo terminata iam poſt act. 6.

Idem emicat ex aliâ Romanorum Præſulum exceptione: qui tria Capitula in controuerſiam vocari poſſe, & in quintâ Synodo damnari potuiſſe reſpondebant, non quod errare, in ſuo de iis iudicio potuiſſet quarta Synodus, & poſterioris eſſet Concilij errata prioris emendare; ſed quod de iis actum eſſet, finitâ iam & terminatâ Synodo Chalcedonenſi, nempe poſt actionem ſextam, in qua velut ad calcem Synodi Canones aſſuuntur. Pelagius II. in epiſt. ad Epiſc. Iſtr. *Quia verò in actione ſextâ fidei cauſa perficitur, ipſa Epiſcoporum omnium generali ſubſcriptione declararur, &c. Vnde & in cauſis pòſt ſpecialibus, nudis tantummodo verbis loquuntur, atque ea quæ decernentes dixerant, nullâ ſuppoſitâ ſubſcriptione firmauerunt, &c. Actione ſextâ clamarunt Epiſcopi, Supplicamus dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos, &c. Quia verò & apud eoſdem Epiſcopos qui in Chalcedone reſederunt, in veneratione Synodus nonniſi vſque ad fidei definitionem fuit, per hoc apertè oſtenditur, quod plerique Græci antiquiores codices, continere Synodum nonniſi in ſex actionibus ſubiunctis Canonibus demonſtrantur, vt omnino cætera quæ priuato ſtudio fuerant mota, non habeant.* Et Greg. l. 3. epiſt. 37. *De Synodo illâ, quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia nihil contra quatuor ſanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſanxerit; quippe quia in eâ de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt, & de his perſonis de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil continetur, ſed poſt expreſſos Canones facta contentio, & extrema actio de perſonis ventila eſt.* Et lib. 7. epiſt. 54. *Sancta Chalcedonenſis Synodus vſque ad definitionem fidei & prolationem Canonum de generali-*

Digitized by Google

bus cauſis locuta eſt. Nam poſt prolationem Canonum ſpecialia Epiſcoporum certamina ſopire curauit. Epiſtolam verò, quam in eâ reuerendiſſimus Ibas denegat ſuam, quòd in extremâ parte Synodi iaceat, agnoſcis. Vides quàm nunquam his Patribus in mentem venerit arrogare licentiam vel ſibi, vel Eccleſiæ, nedum priuatis quibuſlibet, authores libroſque vel abſoluendi quos damnaſſet, vel damnandi quos abſoluiſſet œcumenica Synodus. Ideo & Pelagius I. ep. 14. vt ſe in amplectenda Synodo quinta nihil quartæ obloqui ſignificet, profitetur ſe *quicumque à quatuor Conciliis abſoluti ſunt, eſſe orthodoxos habiturum, &c. Omnes quos damnauerunt, habere damnatos; quos receperunt, inter orthodoxos venerari.*

XXXVII. Item ex quinta ipſa Synodo conſtanter affirmante tria Capitula à ſe damnari, quòd non ſint abſoluta, imò damnata ſint iam in Chalcedonenſi.

Patres verò Quintæ Synodi paulò aliâ rem aggreſſi ſunt viâ. Nam Capitula euicere nuſquam in Chalcedonenſi Synodo vel leuiſſimè approbata fuiſſe: & etiamnunc à ſe damnari & abſolui eoſdem, quos Chalcedonenſis Synodus damnaſſet, vel abſoluiſſet: nec vnquam tunc ſubiit cuiuſquam animum tam fœda exceptio, potuiſſe Synodum Chalcedonenſem in iudicio iſtiuſmodi hallucinari. Itaque Collat. 3. tractationi trium Capitulorum ita præfantur: *Sanctas quatuor Synodos ſuſcipimus, & omnes condemnatos à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, tanquam condemnatos habemus.* Et collat. 6. Synodus dixit, *Contraria per omnia eſt epiſtola quam Ibas ſcripſiſſe dicitur, definitioni quam pro recta fide ſancta Chalcedonenſis Synodus pronunciauit. Vnde & procedentes omnes coëgerunt Ibam anathematizare Neſtorium, quem vindicabat impia epiſtola, & inſuper impia eius dogmata, & ſubſcribere definitioni quam pro fide expoſuerunt, ad refutanda certè ea quæ prædicta epiſtola vindicat. Et hæc fecerunt pro nullo habentes ea quæ ab vno vel duobus pro eâdem epiſtolâ dicta ſunt, qui & ipſi eiuſdem omnibus facti voluntatis, Ibam ſuſceperunt, cùm pœnitentiam egiſſet, & Neſtorium anathematizaſſet, & ſubſcripſiſſet definitioni ab eodem ſancto Concilio expoſitæ.* Ita illi à Chalcedonenſi Concilio propulſant ſtudioſiſſimè calumniam approbatæ Ibæ epiſtolæ. A quo im-

Digitized by Google

probatam potiùs demonſtrant ex eo, quod Ibam compulerit, Neſtorio & eius dogmati anathema dicere, fideique definitioni ſubſcribere. Quod ab vno autem vel altero Epiſcopo laudibus affecta ſit epiſtola, non id ſtatim vniuerſo Concilio adſcribendum. Et in collat. 8. *Sed quia Theodori & Neſtorij impiorum defenſores alio modo machinabantur confirmare eorum perſonas & impietatem, & dicebant iſtam impiam epiſtolam, quæ defendit Theodorum & Neſtorium & eorum impietatem, ſuſceptam eſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio: neceſſarium eſſe putauimus per omnia oſtendere, liberam eſſe ſanctam Synodum ab impietate quæ in epiſtolâ continetur, &c.* Et mox: *Illud omnibus facimus manifeſtum, quod nec partes interlocutionum vnius vel ſecundi, quibus vtuntur Theodori & Neſtorij ſequaces, præterire ſuſtinuimus: ſed iſtis & aliis omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his quæ eis continentur conſideratis, inuenimus, quod non aliter paſſi ſunt prædictum Ibam ſuſcipere, priuſquam exegiſſent eum, Neſtorium & impia eius dogmata, quæ in epiſtolâ vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tam alij religioſi Epiſcopi prædicti ſancti Concilij, quàm illi duo quorum interlocutionibus quidam vti conantur.* Procul ergo diſceſſerant Patres iſti ab eorum ſententia, qui vel generalibus Synodis errorem obrepere poſſe nugantur, in ſcriptorum examine librando.

XXXVIII. Ita orbi Chriſtiano vniuerſo conſtabat ſententiam Synodi Chalcedonenſis de tribus Capitulis non poſſe ab aliâ vllâ Synodo emendari.

Etſi ergo alias alij ſectarentur rationes purgandæ Chalcedonenſis Synodi, omnibus tamen & Orientalibus & Occidentalibus Epiſcopis conueniebat, in iſtis etiam quæ factorum & perſonarum dicuntur quæſtionibus, non poſſe quæ ſemel in vna Synodo definita fuerint, retractari in alia & euerti. Itaque ſchiſmatici quidem vociferabantur, approbata in Chalcedonenſi Concilio tria Capitula non potuiſſe in quinta Synodo damnari: reponebant orthodoxi ideo in quinta damnari potuiſſe, quòd in quarta non eſſent approbata. Non fuiſſe autem approbata Chalçedone ea Capitula, alij aliis rationibus proſequebantur, quibus tamen nulla intereſt conflictatio. Conſtare enim poteſt quod & Leo Papa nequaquam illa de

priuatis cauſis iudicia confirmarit: & generalem Synodum actio ſextâ terminarit: & illi ipſi qui adhuc Chalcedone poſt finitam Synodum conueniebant ad Epiſcoporum cauſas ſopiendas, Ibæ epiſtolam minimè approbarint.

XXXIX. Quæ Concilia dicat Auguſtinus, poſſe priora à poſterioribus emendari.

Nec tamen Auguſtino obloquimur, clamanti *ipſa plenaria ſæpe Concilia priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Perſpicuum eſt enim non eo hæc collimare, vt in librorum examine hallucinari poſſint Concilia plenaria, & priora à poſterioribus emendari: quippe cùm in ea re locum non habeant noua *rerum experimenta*. Sed de eiuſmodi cauſis diſſerit ſanctus Pater, quæ ita in Conciliis quibuſlibet definiuntur, vt ſi noua pòſt, quæ priùs latuerant, aperiantur experimenta, ſeu argumenta ſcelerum, & inſtrumenta, tunc neceſſe ſit renouari iudicium, & in contrarium fortaſſis reflecti ſententiam. Ita alibi Auguſtinus, Cæciliano anathema vel poſt mortem infigendum clamat, ſi qua noua quæ hactenus fefelliſſent, eius retegantur crimina: tametſi ille & Romano & Arelatenſi plenario Concilio purgatus fuiſſet. Epiſt. 50. *In cauſa Cæciliani, cui crimina obiecerunt, quæ nec potuerunt probare, nec poſſunt, ſe ab Eccleſiâ Catholicâ, hoc eſt, ab vnitate omnium gentium diuiſerunt. Quamuis etſi vera eſſent, quæ ab eis obiecta ſunt Cæciliano, & nobis poſſent aliquando monſtrari, ipſum iam mortuum anathematizaremus.* Hæc ſunt *experimenta* in dies emergentia, vbi *poſſunt monſtrari* crimina, quæ priùs *probari non potuerant*. Ita Arelatenſe plenarium quodammodo à poſteriori Concilio emendaretur. Quamuis vel tunc nec ipſum Arelatenſe Concilium erraſſe dici poſſet. Vbi enim nulla vel allegabantur, vel probabantur crimina, nimirum quia latebant, non errabat ſententia quæ abſolueret: imò erraſſet, niſi abſolueret. Vnde apud Rainaldum ad an. 1311. num. 54. de Templariorum Ordine in Concilio Viennenſi per errorem, vt quidam volunt, extincto, hæc habet MS. Vaticanum: *De Templariorum extinctio ne*

Digitized by Google

tinctione videtur modestè loquendum, ita vt non conferatur culpa in Pontificem; cùm constet ipsum & Concilium fecisse iudicium secundùm allegata & probata. Ad hæc cùm ait Augustinus ipsa plenaria Concilia *sæpe* priora posterioribus emendari: ad œcumenicas Synodos vix potuit intueri. Ecqua enim æuo Augustini potuerant œcumenica Concilia à posterioribus emendari? Num Nicæna Synodus à Constantinopolitana? At quis nescit, quanto Nicæna cæteris antistet? Deinde num illud *sæpe* dici posset? Nec in futurum regulam figit Augustinus, sed quid fiat, & sæpe fiat, perhibet. Per plenarias ergo, non œcumenicas tantùm, sed vel transmarinas, vel vniuersales Afris vsitatas intelligit. Vnde lib. 2. de bapt. contra Donat. cap. 9. *Si Concilium Cypriani attenditur, huic est vniuersæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & vniuersum partibus iure optimo præponitur.* Vides vt priora à posterioribus Conciliis emendari sinat, nempe in disciplinæ magis, quàm fidei causâ; & priora vniuersalia Africana, cuiusmodi fuerant illa Cypriani, de rebaptizandis hæreticis, à posterioribus Ecclesiæ vniuersæ. Alioqui constat indubitatissimè, quod Romanus Pontifex Martinus I. elocutus est in act. 1. Concilij Lateran. *Sancta Chalcedonensis Synodus definiuit: hoc est dicere, omnium Sanctorum chorus. Quoniam quod vna sanctorum Patrum Synodus iudicare videtur, tam omnes Synodi, quàm vniuersi omnino confirmare Patres noscuntur, vtpote in vno eodemque verbo fidei vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes.* Nempe vbi nulla lapsu temporum è latibulis suis prosiliunt experimenta.

XL. Non posse ab vniuersa Ecclesia damnatos libros vnquam absolui. Primùm ex Fernando Diacono. Vnde ab aliis facti quæstionibus hæ circa librorum examen

At in epistolarum, commentariorum, librorumque diiudicatione, eccunde noua aduolabunt posteriori Synodo experimenta? Quin ex aduerso tantò scriptorum quorumlibet sensus & intelligentia tenebrescit magis magisque, & fallere potis est, quantò lapsus temporum alios mores, & voces, vocumque significationes dissimiles inuehit. Quanquam ergo magnopere assentiar Ni-

late limite discernuntur. *Disput. de materia Conc. gener. pag. 61.*

colao de Clamengis, ita aienti: *Licèt Ecclesiæ militantis authoritas sit maxima, quæ fundata supra firmam Petram, connelli non potest: & aduersus quam portæ inferi nunquam prævalere potuerunt; non illi tamen nos oportet, vt videtur, triumphantis Ecclesiæ titulos adscribere, vt infallibilis sit, aut impeccabilis: quæ sæpe, vt nosti, & fallit, & fallitur; non dico in his quæ fidei sunt: cùm Christus ad mortem properans, de illâ ad Petrum dixerit: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: sed in aliis quæ vel facti sunt, vel morum, vel iudiciorum: in quibus propter circumstantiarum infinitam varietatem ac multitudinem, perdifficile est optimi medium semper attingere:* ab aliis tamen facti quæstionibus, in quibus aberrare quandoque potest Ecclesiæ iudicium, propter infinitam varietatem circumstantiarum, tardiùs quandoque, vel nunquam in lucem emergentium: hæc de libris iudicia latissimo interuallo secernenda existimo, vt nulli circumstantiarum caligini, nulli testimoniorum fraudulentiæ obnoxia: vt ad doctrinam & fidem funditus spectantia: cùm & fides sanciri & hæresis configi non soleat, non ferè possit, nisi verbis, propositionibus, tractatibus, libris consignata. Ideo nusquam hactenus cùm tot annorum curricula effluxerint, cùm tot librorum millia censorio mucrone confossa sint, vel semel contigit, vt Synodus posterior prioris de quolibet libro sententiam reuocarit. Quò vniuersim referri potest quod Ferrandus in epist. ad Pelag. & Anat. disputat pro tribus Capitulis, quæ probata fuisse Chalcedone autumabat. Eadem nos æquiùs multò differamus de Theodori, Ibæ, Theodoreti scriptis indubiè à Quinta Synodo damnatis. *Vox adempta volentibus malè adsumpta defendere, quomodo iterum restituetur? Quis erit post tantos ac tales Pontifices negotij iam peracti nouus & idoneus cognitor? Ex quibus mundi partibus aut ciuitatibus meliores antiquis Episcopis congregabuntur Episcopi, quibus potestas detur sententias emendare maiorum? Vel quâ spe confidenter adsumant aliqui definire, videntes talium virorum iudicia repente cassari? Quomodo successoribus nostris poterit placere,*

Digitized by Google

quod agimus: ſi per nos docebuntur, irritum facere, quod præceſſores ſuos geſsiſſe cognouerint? Vnde hæc noua cautela? Nunquid poſt Papam Leonem, Anatolium, Maximum, Iuuenalem, vel cæteros illius temporis ſacerdotes nullus fuit, ex eorum ſucceſſoribus, qui legeret attentiùs & intelligeret, epiſtolam venerabilis Ibæ Epiſcopi malè Synodo inſertam fuiſſe? Habeo dicere, ſi retractentur Chalcedonenſis decreta Concilij, de Nicænâ Synodo cogitemus, ne ſimile periculum patiatur. Quibus & damnatores applaudebant Capitulorum, eo vno dempto, quòd ea Chalcedone approbata vſquam fuiſſe inficiabantur. Liquet hinc autem ſynodicè vel damnatos poſteà abſolui, vel purgatos poſteà condemnari non poſſe libros. 1. Quòd nec meliores, nec eruditiores ſe maioribus ſuis poſteri venditare debeant. 2. Quòd ſi maiorum minores, horum rurſus iudicia poſteriores euertent, & ita ſurſum deorſum voluentur in Eccleſiâ res omnes, & nihil vſquam fixum ratúmque erit. 3. Quod ipſius etiam Nicænæ Synodi de Arij libris conuelli poterunt decreta, & refigi quæ fixa hactenus credebantur omnia.

XLI. Item ex eodem.

Et idem ibidem: *Non expedit antiquorum Patrum, qui Chalcedonenſi noſcuntur interfuiſſe Concilio, vituperari deliberationem, retractari iudicium, mutari ſententiam. Ne Synodus venerabilis apud omnes Eccleſias Orientis & Occidentis, perdat ſubitò reuerentiam ſuam; nec poſsit in definitionibus fidei robur inflexibile cuſtodire, ſi cœperit ex aliquâ parte fragilis aut reprehenſione digna conuinci. Quidquid ſemel ſtatuitur in Concilio & congregatione ſanctorum Patrum, perpetuam debet obtinere ingiter firmitatem.* Et mox, *Totum Concilium Chalcedonenſe verum eſt. Quidquid ibi dictum, geſtum, iudicatum nouimus atque firmatum, ſancti Spiritûs operata eſt ineffabilis atque ſecreta potentia.* Quibus in eandem ſententiam plura addenſat, vt mihi quidem videtur, prævalidâ. Nam ſi generalis Synodus aberrat in diiudicatione libri vel commentarij, ſeu doctrinæ eo contentæ, quid iam fidei Synodis habebitur? Si Synodus illum abſoluit, cuius nullum crimen probatur, quia tunc latet: eundem pòſt alia denu-

dato & probato crimine damnet conuictum : nihil id de Synodi maiestate & fide decerpit. At si libros Synodus prolixo perfuncta examine vel hæreticos pro Catholicis, vel Catholicos pro hæreticis habeat: Quanta erit ista eius caligo, quanta vertigo Episcoporum, quanta Ecclesiæ magistræ infamia? Sed nonne illud ipsum est χεῖρίστον, idem Spiritûs sancti lumen, idem cæleste oraculum, quo & fides à Synodo generali prædicatur, & perfidia libris inspersa proscribitur?

XLII. Rursus ex eodem.

Et rursus idem, si qua nobis oriatur circa proscriptos à Synodis libros dubitatio, quî diluenda ea sit, docet: *Vniuersalia Concilia præcipuè illa, quibus Ecclesia Romana consensus accessit, secundæ authoritatis locum post Canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam diuinitus inspiratam, non licet aliquid reprehendere, quamuis minimè valeant altitudinem cælestis oraculi comprehendere. Sed pius lector & quod non intelligit, credit; vt quod credit, mereatur intelligere. Sic omnino nec aliter Concilia quæ vetustas firmauit, & custodiuit deuota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem.* Cùm igitur tam certò damnarit quinta Synodus libros Theodoreti in Cyrillum, quàm à quartâ absolutos errans putabat Ferrandus: si quis minus intelligit, quo iure aut qua veritatis luce damnati sunt, credat, vt mereatur fide intellectum. Nec id homini Christiano & Theologo nouum, credere, vt intelligat; non intelligere, vt credat.

XLIII. Item ex Facundo.

Facundus eadem occinit lib. 5. cap. 4. *Neque enim est alia Conciliorum faciendorum vtilitas, quàm vt quod intellectu non capimus, ex authoritate credamus: & sicubi ratio minus occurrerit, fides, ne labamur, citò succurrat. Nam si post decretum disceptare licuerit, vt dicatur, priùs probetur epistola illa, quòd recta sit, vt credatur fuisse suscepta, non est quare iam Concilia congregentur: nec terminatæ, imò nec terminabiles dicantur quæstiones, quarum probatio semper exigitur. Cur enim non dicatur similiter, probetur priùs, quod vnius essentiæ sint Pater & Filius, vt credatur hoc Nicæno Concilio terminatum.*

Digitized by Google

Auguſtini doctrinam auidiſſimè combiberat Facundus. Non neſciebat, aliqua eſſe facta, quæ ita nunc latere, pòſt pateſcere poſſent, vt inde Synodi poſteriores prioribus derogarent. At in librorum examine & iudicio ſemel inſtituto ſynodaliter, negat idem conſtantiſſimè Eccleſiam vel Synodos generales alternare poſſe. Et tota tunc, vt ſæpius iam inculcauimus, conſentiebat Eccleſia; quæ ideò, vt quintâ in Synodo damnari poſſent, pernegabat in quartâ purgata fuiſſe capitula. Alioqui vt pergit Facundus, *Quæſtionibus vniuerſis in antiquo ſtatu manentibus, non ſolùm nihil Synodorum conſtitutionibus abſolutum eſſe videbitur: ſed etiam ad perpetuandas lites, quæſtionum in eis reſeruata memoria. Et ideò non idem modus eſſe debet atque ordo quærendi, poſt definitionem Concilij totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poſcebat, vt ſi orthodoxa probaretur iſta epiſtola, ſuſcipienda iudicaretur à Synodo: nunc autem ratio poſcit, vt ſi ſuſcepta probetur à Synode, iudicetur orthodoxa. Hanc obſeruantiam tenentibus, nihil nobis præualebit hæreticorum calliditas, ſi iudicare non præſumamus, quod intelligere non valemus.*

XLIV. Idem probatur ex quinta Synodo.

Sed audienda nobis ſedulò eſt quinta ipſa Synodus collat. 8. vt aliena dediſcamus præiudicia, & ſincerum orthodoxæ Thelogiæ lac ſugamus ex ipſis virginis Eccleſiæ vberibus. Cùm ergo de damnandis trium ſcriptorum lucubrationibus diuturnum iam examen ſæuiſſet, ait tandem opus eſſe, *vt definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conueniens, &c. Nec enim iuſtum eſſe ampliùs ſcandalum pro tribus iſtis capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbari, &c. Licèt enim ſancti Spiritûs gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, vt non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant: non tamen aliter voluerunt de eo quod mouebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati, diuinarum Scripturarum teſtimoniis vnuſquiſque ſua dicta confirmauerunt, &c. Vnde, viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, &c. Sed & ſancti Patres qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis conuenerunt, &c. Nec*

enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cùm vnuſquiſque proximi adiutorio indiget, &c. Et ipſe Dominus dicit, ſi duo ex vobis conuenerint, &c. Diſceptationem & definitionem hanc ſuam *ad fidem* pertingere agnoſcunt. Fidei enim officium eſt, errores libris inſertos explorare & exurere. Ad hoc ſuum iudicium, accerſunt induuntque ſibi illam authoritatem & lucem, quam Apoſtoli, quam priores Synodi œcumenicæ præ ſe ferebant, erroris neſciam. Ad ſua hæc decreta Synodica, adaptant verba Chriſti, *Si duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: Itemque Apoſtolorum: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Nec iniuriâ. Nec enim de fide propriè in eâ palmari Synodo quidquam Apoſtoli nouum decreuere. Denique nuſquam in hac Synodo diſpeſcuntur aut diſpeſci ſinuntur errores authoreſque errorum, vel ſectarij errorum librorumque quibus error afflatus iudicatur. Vnde tandem concludunt, *In memoriâ tenentes promiſſiones de ſanctâ Eccleſiâ factas, quòd portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam, &c.*

XLV. Rurſus ex eadem.

Quocirca & eadem Synodus imponi non poſſe certa in iſtiuſmodi etiam iudiciis Synodo cuilibet œcumenicæ, fidenter pronunciat ad finem collat. 5. *Ex his quæ Theodoretus impiè conſcripſit, miranda eſt ſubtilitas ſancti Chalcedonenſis Concilij. Sciens enim eius blaſphemias, priùs quidem multis ſæpius vſa eſt contra eum exclamationibus. Poſtea verò non aliter eum ſuſcepiſſet, niſi anathematizaſſet Neſtorium & eius blaſphemias: pro quibus antea ſcripſit defendens eas.* Et ſi minùs ſcripta hæc Theodoreti improbaſſet Synodus Chalcedonenſis, de ea id ſentiendum vtique foret, quod de Cyrillo; qui Theodori libros penè tunc damnauit, cùm ne damnarentur, ſoli indulſit diſpenſationi. Vnde Synodus hæc quinta, coll. 8. *Apparent Patres non liberantes anathemate Theodorum, ſed diſpenſatiuè talibus quibuſdam vtentes verbis, propter defenſores Neſtorij, & eius impietatis, vt ab huiuſmodi errore eos abſtrahentes, ad perfectum deducerent, & docerent, non ſolùm diſcipulum impietatis Neſtorium addicere,*

Digitized by Google

ſed etiam doctorem eius Theodorum. Tum exempla diſpenſationis à Paulo repetunt, vt prælectum fuerat collat. 5. *Si propter diſpenſationem aliquid Patres dixerunt, vt ſepararent ab errore Neſtorij tunc defenſores eius, tamen quoniam nec ſuſceperunt dicta illorum, & tempus quod diſpenſationis indigeret, præteriit, &c. Sicut Paulus cùm ad tempus conceſſiſſet Circumciſionem Hebræis, nec non etiam ipſe circumcidiſſet propter diſpenſationem Timotheum: Poſteà verò quod eſt perfectum docens, ad Galatas ait, ſi circumcidamini, Chriſtus nihil nobis prodeſt.* Et mox: *Per iſta docet Apoſtolus quòd interdum diſpenſatio per congruum tempus prodeſt, & interdum efficit læſionem ad temporis qualitatem. Cùm enim opus eſt ignorantes vel errantes docere, tunc maxima diſpenſationis vtilitas eſt. Quando verò in doctrina perfectionis tempus eſt, tunc relinquentes patientiam ad perfectionem dogmatum peruenimus.* Ex quibus clareſcit, quod contendimus, ex diſpenſatione poſſe meritam damnationem ſuſtineri & prorogari; non autem immeritam inferri aut præcipitari: nec errare Synodos, ſeu pro meritis damnent, ſeu ex diſpenſatione non damnent libros quoſlibet fidei aduerſos.

XLVI. Damnatorum librorum defenſores, perſæpe vt errorum etiam Patronos auerſatur Eccleſia.

Indidem illud emergit, quòd damnatorum librorum defenſores, non vt in facti aut perſonæ quæſtione hallucinabundos, ſed vt proſcriptæ doctrinæ inſtauratores Eccleſia perſæpè deteſtatur. Ideò in verbis ſuprà relatis nuſquam Synodus quinta rem aliter interpretata eſt, quàm quòd Theodori & Ibæ epiſtolæ, & Theodoreti aduerſus Cyrillum ſcriptorum Patroni, hæreticæ pariter patrocinarentur impietati. Idem euidentiſſimè explendeſcit ex collatione 8. per totum, vbi defenſionem librorum iſtiuſmodi & impietatis illis implicatæ promiſcuam ſemper & indiſcretam habent: ſeu illam aliqui arriperent, ſeu Synodo Chalcedonenſi impingerent. Itaque non potuiſſe ea capitula approbari à Synodo Chalcedonenſi, inuictiſſimè argumentantur, quòd non potuerit tanta impietas Synodo perſuaderi, quam ſuo etiam ipſa execrata eſt fidei decreto. Similiter in anathematiſmis collationi huic octa-

Digitized by Google

uæ attextis, id vrget, id vnum molitur Synodus non posse libros istos à quoquam defensari, nisi hæreseos patrono. Et vix aliter sanè fieri potest. Persuaso enim & constituto hoc semel, hæresin Nestorianam opusculis illis contineri, vt Synodo erat persuasissimum: vix poterant non ei videri hæreticæ sectatores peruersitatis, quicumque opusculis eiusmodi fauebant. Nec enim illud magni pendebatur, quòd iidem Nestorio & eius doctrinæ anathema à se dici clamitarent: Nam primò generalibus id genus professionibus vtuntur persæpè hæretici, nec fides illis habetur, quòd iis mox derogent specialium errorum pertinaciâ. 2. Nestorij doctrinam ab iis verbo tenus damnari interpretabatur Synodus; reapse autem, defensione operum quibus propugnatur, defensari. 3. Longè pronius erat credere, per Nestorij doctrinam, aliud quid ab iis intelligi & damnari, non quòd damnabat Ecclesia? quam tam prolixas & enucleatas Theodori & Theodoreti lucubrationes alio & recto sensu ab iis intelligi, non insano illo, quem Ecclesia auersabatur. 4 An Ecclesia Christi vsque eò flocci se fieri à filiis suis patietur, vt impunè ab iis infametur, etiam vniuersa, & Synodaliter collecta, & operoso examine perfuncta, & clamitetur non intelligere, non assequi sententiam operum Theodori & Theodoreti, tam prolixè & tædiosè differentium? Hoccine imponi potest iudici controuersiarum & doctrinarum omnium, commentariis semper aliquibus inscriptarum, à Deo constituræ? Nec vsque adeò insaniebant defensores tunc trium Capitulorum, vt priuatam suam sagacitatem anteferrent iudicio & perspicaciæ Ecclesiæ vniuersæ. Sed Ecclesiam Ecclesiæ, Synodum Synodo componebant, & decreto Chalcedonensis Synodi contumeliam fieri vetabant, vt longè plurimis antè allatis & infrà referendis testimoniis constat.

XLVII. Refellitur ineptum delirium, anathemata quintæ Synodi

Quòd verò somniarunt aliqui, anathemata quintæ Synodi, non in Catholicos trium Capitulorum recto sensu expositorum defensores, sed in hæreticos eorundem hæretico

retico ſenſu intellectorum vindices euibrari, nihil poteſt alienius effutiri. Nam ex Liberato, Facundo, Ferrando, ex Vigilij & aliorum Pontificum epiſtolis manifeſtiſſimum eſt, eam concertationem totam inter Catholicos conflagraſſe. Liquet priuatis ſimultatibus Pelagij Romani Diaconi, & Theodori Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopi excitatum in Eccleſia illud incendium. Liberatus cap. 23. *Pelagius æmulus exiſtens Theodoro Caſ. Capp. Epiſc. volens ei nocere, eo quòd eſſet Origenis defenſor, flagitabat à Principe, vt Origenes damnaretur, &c. Rurſus illi callida fraude rogauerunt eum, vt dictaret librum in damnationem trium Capitulorum, &c. Cætera verò quæ ſubſequenter in Epiſcopis, & Catholicâ Eccleſiâ ab eodem Principe facta ſunt, quomodo conſentientes Epiſcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti in exilium miſſi ſunt, vel aliqui fugâ latitantes, in anguſtiis felicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc à me ſilenda. Illud liquere omnibus credo, per Pelagium Diaconum, & Theodorum Cæſareæ Capp. Epiſcopum hoc ſcandalum in Eccleſiam fuiſſe ingreſſum. Quod etiam publicè ipſe Theodorus clamitauit, ſe & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc ſcandalum introiuit in mundum.* Vides à Catholicis in Catholicos in Eccleſiâ Catholicâ excitatam & bacchatam eſſe tragœdiam, de hæreticis nec verbum vnum fieri. Liquet rurſus ſolâ Chalcedonenſis Synodi authoritate certatum eſſe in defenſionem trium Capitulorum: in eam ſe quinta Synodus quoque curam maximè arrexit, vt quartam Synodum tribus Capitulis infeſtam eſſe peruinceret. Inter Catholicos ergo pugna conſerebatur. Liquet Catholicos ſolos pro tribus ſcripſiſſe Capitulis, non hæreticos, Liberatum, Ferrandum, Facundum, Vigilium Papam aliquando. Liquet Catholicos homines in multis regionibus Occidentis in trium Capitulorum defenſione pertinaces, etſi à Neſtorianâ hæreſi abhorrerent, confoſſos ſe à quintâ Synodo intellexiſſe, ideoque ſeceſſionem ab Eccleſiâ Catholicâ feciſſe. Liquet & ex Facundo, & ex Victore Tu-

nonniſi in Neſtorianos vibrari.

nonensi & aliis non Nestorianos, sed Catholicos Capitulorum defensores variis post Synodum exiliis ab Imperatore affectos fuisse. Liquet nec primum nec alterum Pelagium, nec Gregorium Papam, qui tandiu desudarunt in schismaticis his recolligendis Ecclesiæ, id quod peropportunum fuisset, vnquam potuisse, quintæ Synodi anathemata non nisi in eos furere, qui libros huiusmodi hæretico sensu intelligerent, nequaquam verò in eos, qui rectum illis quoquomodo affingerent intellectum. Liquet cùm tot Hispani, Galli, Ligures, Veneti, Istri, Afri, Hiberni, nonnihil vel omnino alieni fuissent à quintâ Synodo, & eam tandem sint amplexati, neminem illorum contestatum memorari vsquam, quod eius Synodi anathemata eos tantùm percellant, qui libros & hæreticum in libris sensum propugnarint: neminem discriminis quidquam interposuisse inter hos & alios ab aliis Synodis confixos tractatus. Vide autem vt Facundus hæc anathemata exponat l. 3. c. 1. *Ipsa subscriptionis formula, quæ data est in condemnationem Theodori, non aliud videtur ostendere, cùm dictum est, Si quis non anathematizat Theodorum Mopsuestiæ & eius dogmata, anathema sit: Quod in nullius hæretici damnatione meminimus contigisse, vt illi quoque anathema essent, qui ei anathema non dicerent. Siquidem multorum hæreticorum multos & dogmata latent, & nomina, qui anathema esse non debent, quoniam non anathematizant eos, quos nesciunt.* Et l. 7. c. 7. præfatus, quàm magnificè de Theodoro sensisset Ioannes Chrysostomus, addit: *Si anathema est, qui Theodorum Mopsuestiæ non dicit anathema, etiam Ioannes Constantinopolitanæ clarissimus antistes Ecclesiæ, & confessor fortissimus veritatis, anathema est.* Et infrà: *Nunquid & Gregorius Nazianzenus & Ioannes Constantinopolitanus, & alij quos memoranimus, ac memoraturi sumus, Patres Nestoriano morbo dicentur obsessi, quia non solùm Theodorum non abdicant, verùm etiam prohibent abdicari? Aut & ipsos nouo nomine, & hactenus inaudito Theodorianos quisquam vocare præsumet? Quod si nullus hoc audet, cur alios, qui tenentes*

Digitized by Google

eorum Catholicam fidem, sententiamque seruantes, non audent in præiudicium Synodi Chalcedonensis damnare Theodorum, Theodorianos vocant? Et l. 2. c. 1. *Si communicemus eis, qui nobis iam anathema dixerunt, &c. Ipsis quoque turpe videri debuit, communicando nobis, anathema, quod in nos decreuerunt, in semetipsos vltro conuertere.* Vsque adeò omnes prorsus trium Capitulorum defensores configebantur his anathematum iaculis, quantumuis Catholicum nomen, sensumque prætenderent: vt inuidiosiùs quidem, sed tamen auguretur Facundus, confossum iri, etiam illos qui ne nominis quidem, nedum dogmatis Theodori conscij sunt: etiam illos qui antè viuis abierunt, quàm damnaretur Theodorus: etiam denique Chrysostomum ipsum, & Nazianzenum, qui Theodoro olim studuerant. 2. Quærit Facundus, an Chrysostomus etiam *Nestoriano morbo obsessus* dicendus sit, qui ab anathematizando Theodoro tantopere abhorruit. Ergo omnes prorsus etiam Catholico nomine se iactantes, à damnatoribus Capitulorum denigrabantur vt Nestoriano morbo obsessi, nisi eorundem damnationi subscriberent. Et inde est, quòd anathemata in Nestorij sequaces, in Theodori & dogmatum eius propugnatores torquentur; quia Theodori scripta, cùm Nestorianam luem passim redolerent Synodo, non poterant eorum sequaces non ei videri eodem contagio laborare. 3. Ideò à damnatoribus Capitulorum *Theodoriani* appellabantur eorum defensores, *nouo nomine & hactenus inaudito*, quo nempe Catholico nomine spoliarentur. At Nestorianos ab Ecclesiâ olim abscissos & Catholici gregis nominisque extorres, nihil attinuisset, Theodorianos, quasi nouo infamiæ incremento, appellitare. Ideò quos Theodoriano nomine, & dedecore onerabamus, illi nos viciſſim Necrodioctas vocitabant. Vt scilicet Catholici nominis dignitate exturbarentur, qui quocumque demum alio dehonestarentur vocabulo. 4. Quorsum verò *& Sedes Apostolica per Vigilium Papam & omnes Latinarum prouinciarum Principes*, tam diu, & tam

fortiter reſtitiſſent, vt'ait Pelagius Papa, damnationi Capitulorum, ſi Neſtorianum duntaxat dogma anathemate perculerat Synodus; copiam autem fecerat tuendorum Capitulorum, dummodo Catholico ſenſu, de quo conueniebat, donarentur? Si veteres tantùm Neſtorianos Synodus impetiuerat, eçcur totus Occidens cum Synodo altercabatur? 5. Quorsùm ibidem & alibi ſæpè Pelagius, Gregoriuſque confitentur, tum ſe quintæ Synodo acquieuiſſe, tum acquieſcendum fuiſſe, *cùm errorem cognouerint, cùm verum cognouerunt, cùm quæ vera ſunt, agnouerunt: inuentâ veritate?* An priùs neſcierant Neſtorianam dementiam, quibuſcumque demum libris illita ea ſit, omnibus anathematum diris execrandam, meritòque in quintâ Synodo execratam fuiſſe? Tam turpi ignorantia caligare non potuerant. Sed Neſtorianum virus tribus Capitulis eſſe infuſum, & œcumenicæ Chalcedonenſi Synodo non poſſe Capitulorum approbationem attribui, iſtud verò eſt quod neſcierant, & quandiu neſcierant, Synodo ea ſub anathematis commiuatione decernenti indignabantur: inuenta veritate, Synodo manus dederunt. 6. Quamlibet autem excandeſcat Facundus, & inuidiam faciat, nihil nouatum eſt in decernendo anathemate non anathematizantibus tria Capitula. Quoties enim priſcæ Synodi vel errori, vel authori, librove cuilibet anathema occinuere, eodem anathemate implicuere conſequenter vniuerſos Synodicæ ſententiæ aduerſarios. Itaque anathema Ario dicere, perinde eſt, ac Arij ſequacibus, Ario anathema dicere reſpuentibus, eundem anathematis infigere mucronem. Quàm conſtat igitur id fuiſſe quintæ Synodi decretum, tria Capitula Neſtorianæ impietatis veneno delibuta eſſe, & ideo execranda: tam conſtat id Synodo fuiſſe conſilij, vt qui ea non execraretur, execrationi eſſet ipſe. 7. Adde quòd vituperanda iure merito illa foret inconſtantia, ſi Neſtorianis Eccleſiam ſuggillantibus, quòd Neſtorium deteſtaretur, & tria Capitula tamen Neſtorio conſentanea approbantem

Digitized by Google

Chalcedonenſem Synodum lamberet, & foueret: Eccleſia Catholica ſeu quinta Synodus contrà reponeret, tria Capitula Neſtorio conſona eſſe, ſed in Chalcedonenſi Synodo refutata eſſe, nedum approbata: at interim clam Catholicis copiam faceret ſecus ſentiendi, & Catholica eſſe illa Capitula, & in Chalcedonenſi Synodo fuiſſe confirmata. Ne orthodoxæ, ne œcumenicæ Synodo tantam leuitatis, aut ſimulationis ignominiam affricemus, vt ſententiam quaſi veſtem duplicem habeat, forenſem alteram, alteram domeſticam: aliudque crepet ad hoſtes, aliud clam filiis inſuſurret. 8. Similiter Eutychianis Chalcedonenſem Synodum abominantibus, eo maximè obtentu, quòd Neſtorianam in tribus Capitulis perfidiam authoraſſet: occurrit ex aduerſo Synodus quinta, & ineſſe quidem Capitulis Neſtorianum virus, ſed illud Chalcedonenſes Patres deteſtatos eſſe demonſtrat. Inconſtanter ergo & inconſideratè prorſus filiis ſuis poſteà Eccleſia Catholica ſecus ſentire permitteret, nempe Catholica Capitula, atque Chalcedonenſi Synodo non ingrata fuiſſe. Hanc ſimulationem quantis, oro, conuitiis & Neſtoriani, & Eutychiani inceſſiſſent? 9. Sed quò illa pertinet diligentia quintæ Synodi, in coaceruandis Theodori ſcriptorum & impietatum teſtimoniis, & in immenſam penè molem extruendis? An vt Neſtorianis, an vt Eutychianis perſuadeatur Neſtorio illum præluſiſſe? At vtriſque de eo conſtabat. Ergo eius rei fidem orthodoxis expugnare ſatagebat, quorum non pauci hactenus Theodorum in pretio habuerant. Cùm autem ſummo conatu atque labore id eſſet perfectum, vt non Neſtorianis, non Eutychianis, ſed hactenus orthodoxis approbaretur Theodori ſcripta Neſtorio eſſe conſentanea: vtique Synodica mox anathemata in eos perſtrepunt, qui Synodi conſilio aduerſabuntur. 10. Ecquando autem çoaluit Synodus noua fulminandis tantùm veteribus & carioſis hæreticis? Neſtorianis Epheſina, Eutychianis Chalcedonenſia fulmina abundè & plus ſatis erant conterendis. Noua hæc

ergo quintæ Synodi tela in nouam aliquam monſtri ſpeciem deſtinanda ſunt: in eos ſcilicet, qui Theodori tuendi ſpecie Neſtorium ex orco reducent. Porro his compreſſis, & nemine in Eccleſiâ Capitula poſthac defendente, memine Chalcedonenſibus Patribus approbata fuiſſe dicente, querimoniæ Neſtorianorum & Acephalorum opprimentur. Denique perſpicuè Facundus in ſe ſuique ſimiles anathemata quintæ Synodi illiſa ſentit & confitetur.

XLVIII. Perſæpe & in varios errores labuntur, qui ſibi videntur ſo quæſtione tantum facti liberâ, ab Eccleſiâ diſſidere.

Sed & illud quoque non omittendum, illos non rarò variis erroribus illaqueatos fuiſſe, qui ſibi videbantur in facti tantùm quæſtione liberâ à Catholicâ Eccleſiâ diſſidere. Gregorius lib. 7. epiſt. 54. *Peruerſi homines qui trium Capitulorum occaſione repertâ, Eccleſiaſticam diſciplinam fugiunt, de ſuis carnalibus actibus reprehendi pertimeſcunt, ſubeſſe Sedis Apoſtolicæ præceptis nolunt, & nos quaſi de fide reprehendunt, quam ipſi neſciunt. Et dum neque in fide recti ſunt, neque in bonis operibus intenti, ſtudent vt certare pro fide videantur.* Et Pelagius II. epiſt. 5. *Facilè ſentietis, quantum ſit periculum, pro ſuperfluis quæſtionibus, & hæreticorum defenſione Capitulorum, tandiu ab vniuerſali Eccleſiâ ſegregari.* Anaſtaſius Bibl. in Sergio, ait rediſſe Aquileienſes ad vnitatem Eccleſiæ, *qui priùs errantes, priùs ſub erroris vitio tenebantur.* Ideo queritur Facundus ſe ſuoſque à Synodi defenſoribus *Theodorianos* vocari, lib. 7. cap. vlt. & alibi. At viciſſim ipſe Catholicos vt *Necrodioctas* ſeu mortuorum inſectatores vocat. Nam in epiſt. nuper editâ, hæc habet. *Theodorus ab iſtis iam nouo hæreſis nomine crimineque cauteriatis, id eſt, Necrodioctis ſiue Porcianiſtis damnatus eſt.* Et infrà: *Si hæreſin fecerunt hi ſicut docuimus, damnando vinos & mortuos.* Nempe mortuorum iudicem nonniſi Chriſtum, Apoſtolis ligandi conceſſam poteſtatem nonniſi in terrâ pertendebat. Et habebat ſuffragatores vt ſibi videbatur, multos Pontifices Canoneſque. Itaque hæreſeos infamiam & ipſi Eccleſiæ, & ipſis Eccleſia aſpergebat, etſi in facti tantùm concertatione videantur diſcrepaſſe. Vides ergo quò res

Spicil. tom. 3.

Digitized by Google

ea euadat, & in quantum se discrimen coniiciant, qui ipsi Ecclesiam, & quos Ecclesia Veritatis columna hæreseos insimulat.

XLIX. Quàm præposterum clementi interpretatione damnatos libros in rectum sensum reuocare.

Sed non paucos in errorem agit sua humanitas, vt molliori interpretatione vel Theodoreti in Cyrillum scripta, vel Honorij Papæ epistolam ab hæreseos nota liberent, & in rectum sensum traducant, atque adeò in iis confodiendis aberrasse generales Synodos suspicentur. Sed cùm interpretando iisdem opusculis vel rectus, vel distortus possit appingi sensus, nostrumne oro est, post tot interposita annorum stadia, an eorum qui suppares erant, rectam & legitimam interpretationem vendicare? Rectè Iustinianus in edicto fidei, *Solent hæretici vt simpliciores decipiant, vocibus quidem vti quæ ab orthodoxis piè dicuntur, rectum autem earum intellectum & expositionem ad suam impietatem transferre. Quoniam interdum eadem voces, quando bene exponuntur & intelliguntur, cum pietate sunt: quando autem malè ab hæreticis intelliguntur, & proferuntur, impietatem habent.* Exemplum statim profert Nestorij, cuius confessionis verba perinde imposuissent simpliciori-bus, & si nunc promantur, orthodoxæ fidei plenam confessionem continent. Iugulata tunc tamen iure fuere, quando propiùs & penitiùs inspeciebatur præsentis bestiæ fraudulentia. *Itaque Nestorium duas quidem naturas & vnam personam dicentem, non consitentem autem earum vnitatem secundùm hypostasin, Ephesina prima Synodus non suscepit, sed condemnauit.* Noua tunc & à Cyrillo primùm excogitata erat vnionis καθ' ὑπόστασιν nomenclatura. Quo plenior videri tunc potuisset professio vnius in Christo personæ, & naturæ duplicis. Et tamen iure vel tunc damnata est. Ergo præsentium, quàm posterorum interpretationi assurgendum potiùs est.

L. Tam possent Nestorii, quàm Theodoretidamnata opera interpretando molliri.

Et quisquis Theodoreti in Cyrillum scripta absoluit, is Nestorij reliquias operibus Cyrilli intertextas, oro etiam atque etiam, perlegat. Æquè procliue erit & his Catholicos conciliare sensus. Idem de Eutychetis scriptis

si qua supereſſent, contingeret. Vnde & olim non pauci vt Socrates docet, & etiamnunc ex heterodoxis nonnulli, Neſtorij, imò & Eutychetis apologias ſcriptitarunt. Vſque adeò clementiâ hâc interpretandi omnem labefactare audebunt antiquitatis & authoritatis Eccleſiaſticæ maieſtatem. *Lutherus apertè profitetur imperitos eſſe, qui Chriſtum hominem omnipotentem faciunt. Et alibi defendit, Neſtorium & Eutychetem non erraſſe, niſi in modo loquendi.* Vt ait Ianſſenius Epiſcopus pòſt Iprenſis in Spongia pag. 130. alludens ad Lutheri Conc. de Natal. Dom. & lib. de Concil.

II. Quàm peruersè dicatur Eccleſia vniuerſa errare in diiudicatione vocũ, propoſitionum, librorum.

Prior Samoſatenus aut Sabellius vocem *conſubſtantialis* nefando ſenſu polluerat: quem poſtea abſterſit Synodus Nicæna, quem denique ei rurſus adultera interpretatione æquè peruerſum affricare tentauit Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus. An ergo nobis id ſumemus, vt non Eccleſiæ authoritatem, ſed alios quoſuis ſequamur, aut noſtram ipſorum libidinem, in eius vocis quæ per ſeſe anceps & libera eſt, ſignificatione defigendâ? Quod in voce non licet, nec in propoſitione licet. *Nam vnam naturam Verbi incarnatam* olim contaminato ſenſu Apollinaris dixerat: Athanaſio poſtea & Cyrillo atque Eccleſiæ Catholicæ placuit effricare ab ea propoſitione Eutychianum virus, & orthodoxum illi ſenſum illigare. Ambigua eſt ad vtrumlibet & verſatilis textura mera verborum. An ergo integrum nobis eſſe cenſebimus, eam rurſus propoſitionem ſignificatione hæreticâ inquinare & repudiare? Eadem cauſa eſt & huius propoſitionis, *Vnus de Trinitate paſſus eſt.* Hæretici Catholicique circa eam atrocſſimè & diutinè digladiati ſunt. Ob maculoſos ſenſus appictos vel à Catholicis aliquando reſpuebatur. Viſum eſt poſteà conſultius maculas illas abluere, & Catholicos ei ac venerandos reſtituere intellectus. Num & hîc liberum nobis eſſe volemus, non Eccleſiæ, ſed noſtro arbitrio ſtare? Vides quanta hinc gliſcat licentia. Nec ſum neſcius, propoſitiones aliquas peculiares & ſolitarias magis pendere ab arbitrio

Digitized

bitrio Eccleſiæ, vt ſenſus earum determinet, quàm opuſculorum particulas, quarum ſignificatio ex antedictis & conſequentibus non vaga & libera, ſed certa fixaque defluit. At quouſque iudicium Eccleſiæ excurrere ſinemus? An in ſingulis concludemus verbis, vt τῇ ὁμωνίᾳ ? An ad propoſitiones vſque indulgebimus ſpaciari? Quot igitur adnumerabimus verba, intra quorum ambitum ſe iactet? Num ſi plures nectat propoſitiones, de errore periclitabitur? Quid enim libellus, niſi plurium contextio propoſitionum eſt? Itaque per aduerſarios licebit Eccleſiæ citra erroris periculum, propoſitiones ſingulas ſeorſim & abſolutas diſtringere: ſi cuius verò libelli plures verſus, aut vnum caput, aut plura capita adgrediatur excutere, nimirum periculum erit, ne non aſſequatur ſenſum, & brutum atque inane vibret fulmen. Sed quid de confeſſione fidei quam vel Nicæna, vel Conſtantinopolitana, vel Chalcedonenſis Synodus edidit longo verborum circuitu: num potuit Eccleſia in hoc ſermonis prolixioris anfractu à vero & orthodoxo, quem mente geſtabar, ſenſu diuertere? Si verba enim, ſi verborum commiſſuras, ſi propoſitionum contextus, ſi antecedentium & conſequentium concordiam non ita in alienis opuſculis tenet, quin errore aliquo illudi poſſit: quid in ſuis? Si hæretica poteſt putare Theodori verba, cùm Catholica ſint: quin poſſit & ſua Catholica putare, tametſi hæretica ſint? Num poteſt ipſa quidem plures propoſitiones in Catholicum ſenſum indubitatiſſimè conglomerare; non poteſt autem, an alius conglomerauerit, certò diiudicare? Sed quid de Cyrilli, verbi gratiâ, & Leonis epiſtolis æſtimabimus? His enim vt orthodoxæ fidei regulis Epheſina & Chalcedonenſis Synodi ſubſcripſere. An licet nunc refricare obſoleta prælia, & eas ipſas epiſtolas in controuerſiam reuocare? An potuit Eccleſia Catholicas iudicare epiſtolas & in omnem Chriſtianum orbem Synodica authoritate promulgare, tametſi illæ hæreticum in receſſu ſenſum aliquem, quem Eccleſia minùs aduer-

tebat, fouerent? Si poteſt enim eo in facto errare Eccleſia, vt hæreticos eſſe iudicet libros, qui Catholicæ reapſe fidei congruunt tamen: quin poſſet & in hoc ſimillimo errare facto, vt Catholicos eſſe iudicet, in quibus tamen hæreſis deliteſcit? In tanta olim aduerſus Cyrilli & Leonis epiſtolas conflictatione, quis Catholicus hæc effutiri, hæc vel animo fingi paſſus eſt?

III Exemplo Pelagii oſtenditur, in damnandis libris, ſuæ Eccleſiam, non ſcriptoris ipſius interpretationi credere, & perſpicaciæ.

Suis ipſe Pelagius opuſculis & propoſitionibus inde decerptis atque notatis Catholicos ſenſus affingebat. At Catholici tunc Epiſcopi cenſuerunt, non eius, ſed ſuum eſſe, interpretari ſenſum verborum, & vel authoris ipſius commentitias explanationes refellere. Auguſtinus lib. de Geſtis Pelagij cap. 1. Pelagij loco recitato, *Synodus dixit, Tu hoc edidiſti Pelagi? At ille reſpondit, Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt. Non dixi, non poſſe peccare, &c. Hoc audito Synodus dixit, Non ſunt aliena ab Eccleſiâ, quæ dicta ſunt à Pelagio. Planè aliena non ſunt, quæ reſpondit; illud verò quod de libro eius prolatum eſt, aliud ſonat. Sed hoc Epiſcopi Græci homines & ea verba per interpretem audientes diſcutere non curarunt.* Et cap. 2. ait compelli Pelagium fateri, vel ſe nunc à priſtinâ peruerſitate correptum, vel ſi rectè ſenſerit, *eius ſententiæ non ſe circumſpecta verba poſuiſſe, & ideo fidem ſuam eſſe approbandam, librum emendandum.* Vides Eccleſiam Synodumque longè ſynceriorem eſſe interpretem librorum quorumlibet, quàm authores ipſos, nedum amicos, aut ſectarios authorum. Et ep. 95. *Si hunc eſſe ſuum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus, anathemet ea, &c.* Et infrà: *Anathemet Pelagius ſcripta ſua, aut ſi ſua eſſe negat, aut ſcriptis ſuis ab inimicis ſuis dicit immiſſa, quæ ſua negat, anathemet ea, &c.* Et rurſus lib. de geſtis Pelagij cap. 14. *Pelagius reſpondit, Hæc vtrum Cæleſtÿ ſint, ipſi viderint, qui dicunt ea Cæleſtÿ eſſe, ego verò nunquam ſic tenui, &c. Vtrum ea Pelagius, an Cæleſtius, an vterque, an neuter illorum, an alÿ ſiue cum ipſis, ſiue ſub nomine illorum ſenſerunt, ſiue adhuc ſentiant, ſit dubium vel occultum: ſatis tamen hoc iudicio declaratum eſt, eſſe dam-*

Digitized by Google

natum, & Pelagium ſimul fuiſſe damnandum, niſi hoc etiam ipſe damnaret. Vides quid poſſit eſſe *dubium vel occultum*, nempe an quis quid ſcripſerit, vel ſenſerit: quæ verò ſcripta ſunt, quem ſenſum habeant, nec author ſeu ſcriptor ipſe conſulitur, ſed iudicat Synodus; ita vt quanquam aliud, puta rectum aliquid ſenſiſſe & ſcribere voluiſſe ipſum conſtaret, poſt ſynodicam tamen ſententiam cogeretur confiteri, *ſe non circumſpectà verba poſuiſſe & librum emendandum.* Vide & c. vlt. itemque 29. *Niſi ea quæ contra Dei gratiam poſuiſſe in libris ſuis idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizauerit, ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit, ac diſputauerit, nequaquam his, quibus plenius notus eſt, videbitur eſſe correctus.* Ad hoc teſtes idonei accerſuntur, vt liqueat quem authorem eſſe libri, non vt de libri ſenſu pateat. Vide & quæ ſuprà ex Innocentio Papa in eandem rem dicta.

LIII. Idem oſtenditur exemplo Abaëlardi.

Atque vt ad recentiora veniam, Abaëlardi errores à Concilio Senonenſi, & Innocentio II. damnatos fusè ſuprà narratum. Audi Goffridum lib. 3. c. 5. vitæ ſancti Bernardi: *In medium ſcripta Abaëlardi prolata ſunt, & erroris capitula deſignata. Demum illi optio data eſt, aut ſua eſſe negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut reſpondendi ſi poſſet obiiciendis ſibi rationibus pariter, & ſanctorum teſtimoniis Patrum.* Vides quorum optio detur, non vtique alio ſenſu libros ſuos interpretandi. Et tamen ille vt notat Ottho Friſingenſis, *Apologeticum ſcripſit, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem ſenſum negans.* Num purgari ideò potuit Abaëlardus, etſi damnatorum capitulorum *partim verba, ex toto ſenſum negaret?* Manet æternumque manebit à Bernardo, à Synodo Gallicanâ, à Summo Pontifice dictata in eum ſententia. Et in Apologetico quidem ſuo Abaëlardus non mediocris modeſtiæ ſpeciem præ ſe tulit. *Scripſi fortè aliqua per errorem, quæ non oportuit; ſed Deum teſtem & iudicem invoco, quia in his de quibus accuſor, nil per malitiam, aut per ſuperbiam præſumpſi, &c. Quod ſi vſpiam per multiloquium exceſſi, nunquam opportuna defenſio* Abaëlard. Oper. p. 330. & ſeq.

Digitized by Google

me effecit hæreticum, &c. Tum nefaria inurit dogmata, quæ negat *se scripsisse*, negat *in suis reperiri scriptis*: ait *à suis verbis & sensu remota esse*: nempe quia *Capitula* errorum ex eius *libro sententiarum* decerpta iactabantur, cuiusmodi vllum à se scriptum esse pernegat: *cùm nunquam liber aliquis qui Sententiarum dicatur, à me scriptus reperiatur. Sed sicut cætera contra me Capitula, ita & hoc quoque per malitiam vel ignorantiam prolatum est.* Sed vltra hos qualiscumque sobrietatis limites effusissimè peruagata est Petri Berengarij Scholastici Pictauiensis maledicentia, in apologiâ pro Abaëlardo præceptore aduersùs Bernardum Clarævallensem scriptâ. Sic enim Bernardum abstersо pudore compellat: *Corrogatis vndique Episcopis eum in Senonensi Concilio hæreticum pronunciasti, &c. Post prandium allatus est liber Petri, & cuidam præceptum est, vt voce clamosâ Petri opuscula personaret. At ille & Petri odio animatus, & vitis germine irrigatus, &c. Post aliqua Pontifices insultare, pedem pedi applodere, ridere, nugari conspiceres: vt facilè quilibet iudicaret, illos non Christo vota persoluere, sed Baccho, &c. Sic iudicant verba luminis cæci, sic virum sobrium damnant ebrij, sic contra organum Trinitatis disserunt calices facundi.* Pudet me impudentissimæ scriptionis lacinias hîc assuere: sed proderit vel hoc exemplo palàm feciſſe, quò demum erumpat damnatorum librorum defensio. Post effusa ergo virulentissimæ linguæ venena, pergit: *Vnus ex ipsis nomine Bernardus Abbas, cùm esset Pontifex Concilij illius, prophetauit dicens, Expedit nobis vt vnus exterminetur homo à populo, &c.* Et mox: *Intra tot itaque & tantas angustias deprehensus Abaëlardus, ad Romani examinis confugit asylum. Filius sum, inquit, Romanæ Ecclesiæ. Volo causa mea quasi impij iudicetur: Cæsarem appello. At Bernardus Abbas cuius brachio fidebat Præsulum multitudo, non dixit vt Præses qui tenebat Paulum in vinculis, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis: sed, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem non ibis. Renunciauit enim [illegible] gesta fuerant Apostolico: & statim à Romanâ Sede literas damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam*

Ibidem. pag. 502. & seqq.

Digitized by Google

volauerunt. Damnatur taliter os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hoſpitium Trinitatis. Damnatur proh dolor! abſens, inauditus, & inconuictus. Ita ille & in Bernardum, & in Epiſcopos, & in Romanam Sedem furit, quòd *abſens, inauditus & inconuictus* damnatus ſit Petrus Abaëlardus. Et mox: *Quidquid inteſtinus odiorum furor, quidquid implacabilis amentiæ turbo rotaret in Petrum, quidquid iniqua conflaret æmulatio, cenſuræ Apoſtolicæ ſobrium nunquam dormitare deberet acumen. Sed facilè deuiat à iuſtitiâ, qui plus hominem, quàm Deum timet in causâ. Verumque illud eſt, quod per propheticum organum ſonat, omne caput languidum, à plantâ pedis vſque ad ceruicem non eſt in eo ſanitas.* Cumque Catholicum Abaëlardum ex intextâ eius fidei confeſſione probaſſet, Bernardum rurſus obiurgat: *Deberet ergo refugium apud Sedem Petri inuenire, ſi non illecebræ tui eloquij clauſiſſent viſcera miſericordiæ Eccleſiæ Romanæ.* Tum deſcendit ad Indiculum Capitulorum erroneorum, quem ſummatim compilauerat Bernardus, *ne breuiter volentibus attingere ſummam rei, oneroſum eſſet ire per ſpatioſos ſaltus voluminum Abaëlardi.* De eo ſic ille: *Horum quædam, fateor, Petrus & dixit & ſcripſit. Quædam verò neque protulit, neque ſcripſit. Quæ autem dixerit & quæ non dixerit: & quàm Catholicâ mente, ea quæ dixerit, ſenſerit: ſecundus arrepti operis tractatus Chriſtianâ diſputatione ardenter & impigrè declarabit.* Vides vt damnata Capitula perneget partim ex verbis, omnino ex ſenſibus Abaëlardi conſtare. Sed & ipſum Berengarium poſteà fædi irritique conatûs pœnituit. Itaque in epiſtola ad Epiſcopum Mimatenſem in ſui iam defenſionem, vel in palinodiam potiùs hæc ſcribit: *Damnauerat Abaëlardum præceptorem meum Bernardus, & vocem eius ſine audientiâ ſtrangulauerat. Eram ea tempeſtate adoleſcens, nondumque impuberes malas nubes lanuginis abumbrabat, &c. Sed cur, inquiunt, expleto primo volumine, ſecundum, vt ſpoponderas, non texis? Quia proceſſu temporis meum ſapere creuit, & in ſententiam Abbatis pedibus, vt dicitur, iui. Nolui eſſe Patronus Capitulorum obiectorum Abaelardo, quia* *Ibid. pag. 320. & ſeq.*

etsi sanum saperent, non sanum sonabant. Postquam igitur, inquiunt, à secundo libro manus torpuit, quare primum non vasisti? Feciſſem hoc, inquam, niſi caſſa eſſet induſtria. Remanerent enim viua exemplaria, quæ iam per totam Franciam & Italiam cucurrerunt. Priùs illud ſuum pro Abaëlardo apologeticum donari poſtulat & ignoſci ætati tum immaturæ & præferuidæ : percupere ſe, illud radi ex hominum memoria, ſi qua id poſſet : incremento ætatis accreuiſſe ſapientiam, & iam à ſe, æquè vt à Bernardo damnari damnata Abaëlardi Capitula : quia etſi vtcumque humanitate interpretandi, vel violentiâ potiùs, *ſanum ſapere* videri poſſent : tamen *non ſanum ſonarent*, ideoque nec ſanum ſapere ſibi viderentur æquè vt Bernardo, *in cuius ſententiam pedibus ierat.* Illud nimirum ſupereſt, vt qui damnatis opuſculis defenſiones concinnant, his demum ſua audacia aliis defenſionibus purganda ſit. Vt mox conſtabit exemplo Otthonis Friſingenſis.

LIV. Ex Gilberti Porretani, itemque Vuillelmi à ſancto Amore.

Gilberti ſimiliter Porretani doctrinam Concilio Rhemenſi à Gallicanis Epiſcopis & Eugenio tertio Summo Pontifice damnatam, Ortho Friſingenſis Epiſcopus congeſtis in eundem Porretanum laudibus, temerè & præfeſtinè damnatam cenſuiſſe videri poterat. Ergo is vt author eſt Radeuicus Canonicus Friſingenſis l. 2. c. 11. ex hac vita migraturus, etiam hunc poſt res teſtamento diſpoſitas, hiſtoriarum codicem *manibus ſuis offerri præcepit, eumque literatis & religioſis viris tradidit : vt ſi quid pro ſententiâ magiſtri Gilberti dixiſſe viſus eſſet, quod quempiam poſſet offendere, ad ipſorum arbitrium corrigeretur, ſeque Catholicæ fidei aſſertorem iuxta ſanctæ Romanæ, imò & vniuerſalis Eccleſiæ regulam profeſſus eſt. Deinde multa priùs cordis contritione & humili confeſſione reatum ſuum recognoſcens, ſumptis ſacroſanctis myſteriis ſpiritum reddit.* Non defuere prorſus, qui Synodicè damnatos defenderent, ſed & ipſos ſui puduit & pœnituit tandem conſilij. Veniamus ad Vuillelmum de ſancto Amore, Theologiæ Pariſienſis, Sorbonicæque domûs Doctorem, cuius cùm liber *de periculis no-*

Digitized by Google

niſſimorum temporum Romæ damnatus eſſet à Pontifice & Cardinalibus, operæpretium eſt expendere, quatenus ille ſibi licere voluerit, defenſionem damnati commentarij tentare. In *reſponſionibus ad obiecta*, hæc ille impacta ſibi, & à ſe refutata ſcribit: *Item dixit, quòd ſuper iſtis petebat Concilium generale. Reſpondeo, Dixi quòd ſi aliquis vellet ſe opponere, quo minus deberent prædicari pericula nouiſſimorum temporum, & quòd minùs eſſent illa pericula prædicanda quæ dicebam: paratus eſſem ſuper his ſubire definitionem Eccleſiaſtici iudicij, aut Concilij prouincialis, aut Concilij generalis.* Mox ait contra literarum, Româ aduersùs ipſum impetratarum *priuationis beneficij*, rumores quoſdam, *Magiſtros Scholares appellaſſe, ponentes ſe ſub protectione Romanæ Eccleſiæ.* Et infrà rurſus in Concilio Rhemenſis & Senonenſis prouinciarum, Pariſiis celebrato, vocatum affuiſſe ſe ait, *errores & falſitates* ſe prædicaſſe conſtanter negantem, *offerentem per Scripturas probaturum quæcumque prædicauerat: paratum vel corrigere, vel reuocare, quæcumque Concilium corrigenda decerneret, vel reuocanda.* Vbi perſpicis, quàm enixè propulſauerit Vuillelmus calumniam ſibi intortam, quòd Concilium generale appellaſſet: quàm non diſiungeret Romanam Eccleſiam à Concilio generali: quàm denique in damnatione librorum aduersùs Romani Pontificis ſententiam non rebellaret, qui Concilio etiam prouinciali ſe abſolutiſſimè emendandum permittebat. Id euidentiùs effulgebit ex calce illius opuſculi: *De libello autem, qui dicitur reprobatus à Domino Papâ, & cuius editio mihi imponitur: dico quòd cùm Prælati Franciæ ſollicitati, vt caverent Eccleſiæ Gallicanæ ſibi commiſſæ à periculis nouiſſimorum temporum: requiſiuiſſent Magiſtros Pariſienſes, vt authoritates diuinæ & canonicæ Scripturæ de hâc materiâ loquentes colligerent & in ſcriptis traderent, quia non poterant vacare inſpectioni librorum: Ego vnà cum aliis Magiſtris & Scholaribus Theologiæ & Magiſtris decretorum collegi authoritates prædictas, &c. Sed volumen mutatum fuit quinquies ſucceſſiuè, magis & magis corrigendo, quædam addendo, quædam ſubtrahendo, quædam ve-*

Pag. 103 105. 106. 109.

Ibid. pag. 109. 110.

Digitized by Google

rò determinando. Et ſecundùm quod perpendere potui, inſpiciendo volumen illud, quod vos mihi Domini mei Cardinales reſpiciendum dediſtis, volumen illud, ſecundùm quod poſſum recolere, fuit tertiæ compilationis : quæ poſtmodum mutata fuit bis, & correcta, addendo, ſubtrahendo, declarando. Neſcio tamen vtrum in iſto volumine quod mihi inſpiciendum dediſtis, quidquam additum vel ſubtractum fuerit peꝛ vitium falſitatis. Vnde ſi Dominus Papa modum & formam illius compilationis reprobauit, (nam authoritates diuinas ibi contentas, vt ipſemet confitetur, noluit, nec intendit :) ſententiæ ſuæ non reſiſto, ſed obedio : credens firmiter, quòd ſi quartam vel quintam compilationem earundem authoritatum vidiſſet, non eas reprobaſſet, ſed potiùs approbaſſet. Vbi aduerte meram illam propemodum fuiſſe compilationem teſtimoniorum ex Scripturis & Patribus. 2. Iuſſu Epiſcoporum conſarcinatam. 3. A compluribus Doctoribus Theologiæ & Decretorum. 4. Vrgente maximè Prædicatorum familiâ damnatam Romæ, iam non ab Epiſcopis, non à Magiſtris defendi : quin imò id excipi, ab ipſis authoribus antè emendatam. 5. Nec aliter poterat fieri, *cùm in vnaquaque Compilationum dictarum, in principio ſupponeretur ipſa Compilatio correctioni Eccleſiæ, id eſt Domini Papæ, & aliorum Prælatorum, quibus competit authoritas corrigendi.* 6. Inculpatos ideò eſſe proſequitur authores reprobatæ compilationis, cùm quidquid *Papæ diſplicuit, defenſare non velint.* Et poſt interiecta Auguſtini verba, ſua aliqua recantantis, adiicit : *Igitur Patres ſancti, ego & alij ſocij mei, eadem competenter dicere poſſumus de Compilationibus ſupradictis, vt qui primas non potuiſſemus habere partes ſapientiæ, nihil impœnitendum dicendo ; ſaltem ſecundas haberemus modeſtiæ, quod diſplicuerat corrigendo.* 7. Cùm Romanæ cenſuræ cauterio emarcuiſſe intelligeret Vuillelmus illas omnes de periculis nouiſſimorum temporum compilationes : doctrinam ſuam in aliud operoſius opus congeſſit, cui nomen fecit, *Collectiones Scripturæ ſacræ.* Et

Ibid. pag. 113. ſtatim : *Hanc autem Compilationem, ſeu Scripturarum Collectionem correctioni Summi Pontificis & aliorum authoritatem corrigendi*

Digitized by Google

corrigendi habentium, per collationem Catholicam, si eis placuerit, faciendæ, supponimus humiliter & deuotè. Et rursùs ad calcem operis eadem verba iterat, additque: *vt per eos corrigantur, si quæ fuerint corrigenda; vel abrogentur, si quæ fuerint in eis abroganda: cùm tanquam homines minùs intelligendo errare possimus. Non enim nos ipsos ita peruersè amamus, vt alios in prædictis sententiis ideò errare velimus, vt error noster lateat.* Apud eundem leges in præpositâ præfatione seu Apologiâ, quid de postremo hoc opere Clemens IV. ad Vuillelmum scripserit, cùm leuiter & raptim lectitando degustasset, sensissetque inhærentem adhuc prioris libelli saporem. 8. Et ibidem rursus legere est libellum illum per Nuncios S. Ludouici Francorum Regis ad Papam delatum Romam: excussum ibi à quatuor Cardinalibus, partim Dominicanis, partim acerrimis Mendicantium fautoribus: multa afficta libro, quæ abessent: Vuillelmum absentem damnatum, indicta causa, nullis præuiis monitionibus. Vnde Bullas subreptitias ominatur fuisse Pseudo-Philalethes Apologiæ Vuillelmi artifex, à Vuillelmi ipsius sententia & verecundia suprà laudata, reuerentiaque in Sedem Apostolicam alieniſſimus. 9. Nec aliter Vuillelmus poterat, vt qui libellum ab aduersariis elaboratum, nempe *Euangelium æternum*, à Romano Pontifice damnari curauerat: de quo ait ipse: *Certum est, quòd iam prædicaretur, nisi esset aliud quod detineret. Quid autem detineat, scitis, nimirum imperium Petri, & eorum qui tenent loca Apostolorum, nimirum Episcoporum.* Et similiter de libro Abbatis Ioachimi in responsionibus ad obiecta: *Item dixit, quòd liber Abbatis Ioachimi, qui continet multas hæreses, non potest damnari Romæ, quia plures sunt ibi defensores, qui defendunt eum. Respondeo, Non sic dixi. Sed cùm ego & quidam alij prædicassemus contra errores repertos in libris, qui dicuntur esse Abbatis Ioachimi, & diceret nobis populus, quare non procurabamus illos errores apud Sedem Apostolicam reprobari: ideò dixi, quòd de illis erroribus iam aliqui erant damnati, vt intellexeram: reliqui verò non poterant ita citò inspici ad*

Ibid. p. 484.485.

Ibid. Præf pag. 65.

Ibid. p. 42.68.67.

L. de Pericul. nouiss. temp. pag 38.

In respons ad obiecta. pag. 95.

Digitized by Google

damnandum, tum propter magnitudinem & multitudinem illorum : tum etiam propter multiplicem eorum occupationem, quia libri habebant alios defensores. Quibus abundè persuadet Vuillelmus, non semper generali Concilio opus esse ad errorum, librorumque inustionem : Episcopalibus Synodis vel Romanæ Sedis rescriptis eos desigentibus morigerandum omnino esse, nec cauillatoriis defensionibus tempus calamumque conterendum.

LV. Item Ioannis Huss.

Referri eò forsitan posset & librorum Ioannis Hus proscriptio in Concilio Constantiensi facta, vbi sess. 15. hæc habentur. *Quos libros Ioannes Hus fatetur se composuisse, verumtamen quòd ad articulos ex dictis libris in suis responsionibus precisè non respondit, sed certis modificationibus & limitationibus.* Et infrà habentur verba ipsa Ioannis Hus, *De articulis extractis de meis libellis, saltem qui sunt debitè extracti, dico, quòd quicumque ex illis includit aliquem falsum sensum, illum detestor.* Et sess. 21. in sententiâ definitiuâ aduersùs Hieronymum de Pragâ, *Asserens se in libris Ioannis Vuicleff, & Ioannis Huß nullam vnquam hæresin vel errorem legisse, in quibus constat plures errores & hæreses contineri.* Et sess. vlt. suspectum quenlibet in hoc negotio, interrogandum statuunt, *Virum credat quòd condemnationes Ioannis Vuicleff, Ioannis Huß & Hieronymi de Praga, facte de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint ritè & iustè facte, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ & firmiter asserendæ. Item vtrum credat, teneat, & asserat Ioannem Vuicleff de Angliâ, Ioannem Huß de Bohemiâ, & Hieronymum de Pragâ, fuisse hæreticos, & pro hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse & esse peruersos, propter quos & quas & eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati.* Vides quantis factorum & personarum, maximè autem librorum iudiciis confessio fidei Catholicæ astringatur. Ita & Ioannes Vuicleph apud Vualsinghamium in hist. Angl. ad annum 1378. *doctrinam indoctam* Marsilij de Padua, & Ioannis de Gandauo iudici-

Digitized by Google

catoriis interpretationibus obducebat, reducebatque, vt ibi ad Oxonienſe Studium conqueritur Gregorius Papa, *diſtrictè mandans, quatenus concluſiones & propoſitiones in bonis operibus & fide malè ſentientes, licèt eas proponentes, ſub quadam verborum ſiue terminorum curioſa implicatione nitantur defendere, de cætero non permittatis aſſeri, vel proponi.* Et infrà idem Vualſinghamus intextâ Vuiclephi propoſitionum ab ipſomet concinnatâ Apologiâ: ait: *Hoc modo idem verſipellis Ioannes Vuicleph, ponendo intellectum in ſuis nefandis propoſitionibus, deluſit ſuos examinatores, Epiſcopos deriſit & euaſit. Quæ omnes ſi ſimpliciter caperentur, ſecundùm modum, quo ipſe in ſcholis & in publicis diſputationibus eas protulit, hæreticam proculdubio ſapiunt prauitatem. Non enim circumlocutionem aliquam iis immiſcuit, quando eas laïcorum auribus inſtillauit.* Et idem rurſus ad an. 1382. cùm compluſculas Vuiclephi propoſitiones damnaſſet Archiepiſcopus Cantuarienſis *cum cœtu Sapientum*: ait Cancellarium Oxonienſem & alios Vuiclephi fautores diu reſtitiſſe: *Qui tandem poſt multas tergiuerſationes, imponendo duplicem ſenſum in eiſdem, & cauillationes diuerſas: coacti ſunt licèt inuiti, ſimpliciter proferre ſentire ſuum de præmiſſis, factâ priùs proteſtatione, quòd vellent & intenderent eſſe humiles & fideles filij, & Eccleſiæ in omnibus obedire, &c. Conceſſerunt igitur cunctas præmiſſas concluſiones, intelligendo eas, prout verba ſonant, fore vel hæreticas, vel erroneas, iuxta quòd dominus Archiepiſcopus & Magiſtrorum cœtus plena deliberatione definierat de eiſdem.* Hæc Vualſinghamius.

LVI. Rurſus eiuſdem ex Ioan Gerſonio. *Tom. 1 p. 150. 151.*

Et audiendus hîc ſanè Ioannes Gerſonius. *Concilium generale poteſt damnare propoſitiones multas cum ſuis authoribus, licèt habere gloſſas aliquas vel expoſitiones vel ſenſus logicales veros poſſint. Hoc practicatum eſt in hoc Concilio de multis articulis & Vuicleffi & Ioannis Huſs. Quorum aliqui poterant de vi Logica vel Grammatica defenſionem aliquam recipere, vt in articulis qui ſunt indefinitè poſiti, &c. vel qui poſſent ad aliquem ſenſum verum trahi, ſi ſeorſum ponerentur. Sed Concilium hoc ſolerter attendit quia iuxta Hilarium, intelligentia dictorum*

ex cauſis eſt aſſumenda dicendi. Iterum illud Auguſtini, Liberis verbis vtuntur philoſophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem piarum aurium non pertimeſcunt. Nobis autem ſcilicet Theologis ad certam regulam loqui fas eſt. Tametſi ergo aptari poſſit rectus aliquis ſenſus, nonnullæ tamen propoſitiones damnandæ ſunt, 1. quia & malo inſici ſenſu poſſunt. Nec enim Theologis Chriſtianis peræque vt Ethnicis philoſophis fas eſt, effræni libertate verborum vti, ſed *ad certam regulam* loqui cogimur. Quantumcumque ergo ex antecedentibus exprimi poſſet recta ſententia alicuius propoſitionis, ſi eam tamen nefario aliquo ſenſu conſpurcatam & offendiculis creandis idoneam iudicet Eccleſia, illam iure vtique meritiſſimo proſcribet. 2. Etiam caſtam alioqui propoſitionem, ex antecedentium tamen conſequentiâ vitioſam iudicare poteſt Eccleſia. Eccleſiæ ergo acquieſcendum ſeu ex antedictorum tenore, ſeu ex verborum per ſeſe ipſorum abſolutâ abſurditate propoſitionem quamlibet inurat.

LVII. Item Ioannis Parui in Conc. Conſtant. To. 1. p. 354. 379.

Et idem alibi, has ineptias exufflat, tum à Ioannis Parui defenſoribus quibuſdam euulgatas: *Quòd nulla propoſitio quæ poteſt ad aliquem ſenſum verum trahi vel apponi, etiam de vi Logicæ vel Grammaticæ, debet condemnari, maximè indicio fidei. Quòd propoſitio habens duos ſenſus, vnum verum & alium falſum, nullo modo debet indicio fidei reprobari, etiamſi fuerit ſcandaloſa vel piarum aurium offenſiua, vel ad errorem inductiua.* Et idem rurſus in Concilio Conſtantienſi hanc narrat quorundam calumniam: *Calumniantur alij ſecundò, quòd aſſertiones iſtæ ſunt infideliter & perperam præfato magiſtro Ioanni Parui per æmulos attributæ.* Et mox Gerſonius idem, *Porro non ſecus euenit in hoc Concilio, dum aſſertiones abſque aſſerentis nomine nunciatæ ſunt, quod verſum vidimus in grande præiudicium cauſæ fidei & Catholicæ veritatis, quia non ita potuit intelligentia dictorum ex cauſis aſſumi dicendi.* Itaque defenſores Ioannis Parui illas quas Conſtantienſe Concilium abſolutè & ſine authoris nomine damnarat propoſitiones, falsò ei attribui iactabant; & cùm recto ſenſu

Digitized by Google

gaudere poſſent, eo à ſe retineri, & omnino ſatius fuiſſe, eas non damnari in Concilio. At Gerſonius damnationis factæ & Synodi defenſor duo ex aduerſo efficere nititur, eas damnandas fuiſſe & ſi bono aliquo ſenſu donari poſſent à molliori interprete: & conducibilius futurum fuiſſe, vt citato nomine authoris & libri damnarentur, quo certiùs ex antecedentium enucleatione exculperetur ſenſus damnatæ propoſitionis. Igitur adeò non abroganda Synodis eſt certiſſima illa ſagacitas, propoſitiones à libris decerpendi, & in authorum proprio ſenſu configendi: vt ex aduerſo nuſquam apertiùs diluceſcat ſenſus damnatæ propoſitionis, quàm vbi à Synodis damnatur, vt excerpta aliquo ex libro, & in ipſiſſimo authoris ſenſu.

LVIII. Rurſus eiuſdem ex Ioan. Gerſonio. *Idem ibid. pag. 381. 382.*

Et rurſus idem paulo pòſt, *Veniamus ad ſextam calumniam, dicentium, quòd aſſertiones iſtæ ſunt ſatis exponibiles ad aliquem ſenſum verum. Reſpondemus negatiuè, ſi iuxta regulam Hilarÿ, intelligentiâ dictorum ex cauſis aſſumatur dicendi: combinando ſcilicet concluſionem cum præmiſſis & præmiſſas cum probationibus ad inuicem. Cæterum etſi verum eſſet id quod allegatur de exponibilitate ad aliquem ſenſum verum, nihilo minus propter caſus longè plures falſiſſimos & notoriè ſcandaloſos, redderentur condemnandæ.* Et rurſus ibidem continuò, *Reſpondemus alteri calumniæ, quæ à veritate vacua, per numeroſitatem conatur euincere, dicens aſſertiones iſtas plures habere defenſores, quàm oppugnatores, ſunt idcirco veræ vel ſaltem opinabiles. O fallaciſſima & hæreticis atque erroribus fauens calumnia? Non inſequeris, inquit lex, multitudinem ad faciendum malum. Quare? Quia ſtultorum & etiam malorum infinitus eſt numerus. Nihilo minus ſi ad numerum & meritum placet attendere, non dubitamus multo plures atque grauioris authoritatis nos habere, tam in hoc ſacro Concilio, quàm alibi.* Vbi rurſum elucet authoritas Synodi in ſenſu authorum expromendo & conterendo: quodque nulla aduerſus Eccleſiæ Catholicæ ſeu Synodi maieſtatem excipi poteſt ſecùs ſentientium multitudine. Tum aliam rurſus exufflat

Digitized by Google

calumniam, quâ hæc dictitabant ſpectare *non ad indicium fidei, ſed ad cauſam ſanguinis.*

LIX. Item ex Conc. Conſtant. *Idem, ibid. pag.* 413. 414.

Et apud eundem denique legitur ſchedula ex parte Pariſienſis Epiſcopi ex Concilio Conſtantienſi miſſa ad Magiſtros ſcholæ Pariſinæ, continens *propoſitiones extractas ex quaternionibus magiſtri Ioannis Parui, &c. Quærunt euaſionem aliqui, dicentes, quòd ille aſſertiones poſſunt exponi rationabiliter, addendo gloſſas aliquas, &c. Addunt pro regulâ, quòd nulla propoſitio damnanda eſt, quæ poteſt trahi ad bonum ſenſum. Sed illa reſponſio cum ſuâ additione perniciosiſſima eſt, & contra omnem Eccleſiaſticum ritum, quia ſic fundabant ſe hæretici, prout vidimus in Vicleff & Huſſ, qui dum vrgebantur, confugiebant ad gloſſas.*

LX. Idem efficitur exemplo Auguſtini de Româ in Conc. Baſil.

Ad Concilium nunc Baſileenſe deuehamur, cuius ſeſſione 22. damnatur Auguſtinus de Româ: *Sacroſancta generalis Synodus libellum quendam editum à magiſtro Auguſtino, vulgariter dicto de Româ, Archiepiſcopo Nazareno, cuius primus tractatus de ſacramento vnitatis Ieſu Chriſti & Eccleſiæ, ſiue de Chriſto integro intitulatur. Secundus de Chriſto capite, & eius intlyto principatu. Alius de charitate Chriſti circa electos, & eius infinito amore. Tanquam non ſanam & erroneam in fide doctrinam continentem, cum ſuis defenſoriis damnat & reprobat. Et potiſſimè ſcandaloſam illam, erroneam in fide, in ipſo libello contentam, quam piæ fidelium aures ſine horrore audire non poſſunt, videlicet, Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidie peccauit. Quamuis de capite Eccleſiæ Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro dicat ſe non intelligere, ſed ad membra ſua, quæ cum Chriſto capite vnum eſſe Chriſtum aſſeruit, intelligentiam eius eſſe referendam dicat.* Sanum & pium author ipſe ſuo ſcripto vendicabat ſenſum, & ab ipſa Synodo laudatum: damnatur tamen propoſitio *vt erronea in fide*, damnatur liber, damnantur in eius defenſionem elucubrata quælibet commentaria. Accumulatis autem eiuſdem notæ propoſitionibus aliis, addit Synodus, *Ne igitur per huiuſmodi doctrinam in errorem quempiam fidelium prolabi contingat, diſtrictè præcipit, ne quiſquam præfati libelli do-*

Digitized by Google

ctrinam & præſertim ſupraſcriptas propoſitiones damnatas ac reprobatas, ac etiam eius tractatus defenſorios docere, prædicare, defendere, aut approbare præſumat. Eos autem qui ſecùs egerint, tanquam hæreticos & aliàs animaduerſione canonicâ puniendos decernit. In nullo autem per hæc derogare intendit, dictis aut ſcriptis ſanctorum doctorum in prænominatis materiis loquentium. Quin imò ea recipit, & amplectitur, iuxta eorum veram intelligentiam, per eos aut alios Catholicos doctores in Theologicâ ſcholâ communiter expoſitam & declaratam. Additur perſonæ authoris, qui doctrinam ſuam *determinationi Eccleſiæ* ſubmiſit, nihil præiudicari. Etſi Patrum verba ſecutus videretur Auguſtinus iſte, etſi ipſemet rectum ſenſum libellis ſuis adſereret, etſi defenſiones prolixas concinnaret, proſcripti ſunt tamen eius omnes libri; & eorum defenſores ſi qui emergerent, *tanquam hæreticos* illos haberi decretum.

LXI. Priſcilliani olim ſimiles defenſores quàm malè audierint.

Recurrere iam iuuabit ad antiquiores, & eos maximè ſcriptores, quorum defenſionem arripuere nonnunquam Catholici quidam viri, tametſi ſynodica iam in eos tela contorta eſſent. Priſcilliani meminit Hieronymus in Script. Eccleſ. *Hic vſque hodie à nonnullis Gnoſtica, Baſilidis & Marcionis hereſeos accuſatur, defendentibus aliis non ita eum ſenſiſſe, vt arguitur.* Nec adiicit ſuum Hieronymus eâ de re iudicium, tametſi præmiſerit, *Edidit multa opuſcula, de quibus ad nos aliqua peruenerunt.* Huiuſmodi illi erant Priſcilliani defenſores qui in Concilio Toletano I. eius & doctrinæ & libris & nomini anathema dicere coguntur. *Symphoſius Epiſcopus dixit, & cùm accepiſſet chartulam de ſcripto recitauit, Omnes libros hæreticos & maximè Priſcilliani doctrinam, iuxta quod hodie lectum eſt, vbi innaſcibilem Filium ſcripſiſſe dicitur, cum ipſo authore damno, &c. Comaſius Presbyter ex chartulâ legit, Priſcillianum huius dicti authorem cum ipſius dicti peruerſitate, & quos malè condidit libros, cum ipſo authore condemno.* Id ipſum plures alij confeſſi ſunt. Subiicitur autem, *Herenas clericos ſuos ſequi maluerat, qui ſponte nec interrogati Priſcillianum Catholicum ſanctumque mar-*

Digitized by Google

tyrem clamassent, atque ipse vsque in finem, Catholicum hunc esse dixisset, persecutionem ab Episcopis passum. Quo dicto omnes sanctos, iam plurimos quiescentes, aliquos in hac luce durantes, suo iudicio deduxerat in reatum. Ideo hunc statim sacerdotio submouent cum sociis clericis Episcopisque. Et Idatius in Chronico: *In ciuitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in quâ Symphosius & Dictinius & alij cum his Gallecie Prouincie Episcopi, Priscilliani sectatores, heresim eius blasphemissimam cum adsertore eodem professionis sue, subscriptione condemnant.* Legitur & post Concilium Tolet. II. epistola Montani Episcopi Toletani ad fratres territorij Palentini, *Perditissimam Priscillianistarum sectam, tam actis, quàm nomine à vobis precipuè nouimus honorari, &c. Vnde queso, vt perfidiam cum authore damnantes, regulam fidei teneatis, &c.* Et in Concil. Brachar. I. an. 563. varia errorum monstra describuntur, & Priscilliani sigillatim esse admonentur, vt damnari pariter cum authore ab omnibus debeant. Denique Ildefonsus Toletanus Episcopus antecessoris sui Montani elogium texens lib. de viris illustribus cap. 3. hæc habet, *Amatores quoque Priscilliane secte, licèt non operarentur eadem, quia tamen memoriam eius amore retinerent, abdicat & exprobrat, commemorans, quòd in libris beatissimi Turibij Episcopi ad Leonem Papam missis, eadem Priscillianorum heresis detecta, conuicta, atque decenter maneat abdicata.* Hæc ille alludens ad epistolam Montani suprà libatam. Hinc perspicis defendentes Priscillianum non ita sensisse vt arguitur, facilè eò delabi vt ipsi cum Priscilliano sentiant: nec aliò posse inclinari iudicium Ecclesiæ, quàm vt errori eos suffragari suspicetur, qui suffragantur libris, quibus inesse errorem ipsa exploratum habet. Non immeritò autem eos Synodus detestatur, qui Priscillianum absoluentes, Episcopos orbis Christiani omnes qui eius damnationi subscripsere, vnâ damnationis sententiâ inuoluunt.

LXII. Origenis non errorum, sed scriptorum defensores.

Origenis defensores ab Augustino memorantur, nec vllius insimulantur hæreseos, lib. de hæres. cap. 43. vbi sententiâ

Digitized by Google

sententiâ Epiphanij de Origene & eius mendaciis adscriptâ, ipse subiicit: *Hæc quidem de Origene Epiphanius refert, sed defensores eius dicunt Origenem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius eiusdemque substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum. Sed qui eius plura legerunt, contradicunt. Sunt & alia huius Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit, in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuersa creatura. Dicit præterea ipse Origenes quòd Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit, Patri collatus mendacium. Et quantùm distant Apostoli Christo, tantùm Filius Patri.* Agnoscit sanctus Pater defensores Origenis, sed improbat, dum minùs versatos in eius operibus ostendit, & ab eis *qui plura eius legerunt*, refelli: 2. dum alia refert eius dogmata, explosa ab Ecclesia, vbi *non possit à defensoribus suis excusari*. 3. Non adeò insaniebant Origenis defensores, vt ea ipsa opuscula eius tuerentur, quæ Ecclesiæ displicebant, sed pauca eius legerant, & hæc tuebantur: qui plura quàm illi legerant, ex his errores eius inuictissimè demonstrabant. Denique neque dum tunc Synodus generalis vlla in eius operum examen incubuerat.

fensores, quàm illi audierint olim apud Augustinum.

Sed quatenus à viris Catholicis defenderetur Origenes, ab Hieronymo docebimur epist. ad Pammach. & Oceanum de error. Orig. Falsata ab hæreticis causabantur eius scripta. Itaque insaniam dogmatum inesse confitebantur, nec oculos exculpebant Ecclesiæ Christi, hæresum certos indagatores, vt sibi eos vnis vendicârent: sed ab hæreticis postea hæc insperſa esse sinceris antè libris Origenis cauillabantur. Quos tamen ipsos suggillat Hieronymus, *Solus inuentus est Origenes, cuius scripta in toto orbe falsarentur: & quasi ad Mithridatis literas, omnis veritas vno die de voluminibus illius raderetur. Si vnus violatus est liber, num vniuersa eius opera quæ diuersis & locis & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt? Ipse Origenes in*

LXIII. Et apud Hieronymum.

Digitized by Google

epistolâ quam scribit ad Fabianum Romanæ vrbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit: & causas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita, in publicum protulerit. Et quid adhuc ἀπολογοῦσιν aliena esse, quæ displicent? Tolerabilius id multò, vt quæ damnabat Origenis Ecclesia, ea ab hæreticis inserta dicerentur, & ita pariter damnarentur, quàm vt ea & Origenis esse, & Catholica esse, & ab Ecclesiâ non intelligi, ideoque damnari blatterarentur.

LXIV. Rursus apud eundem.

Et in Apolog. adu. Ruffin. *Videamus quibus argumentis probare nitatur, Origenis ab hæreticis scripta vitiata, &c. Hac defensionis perturbatione nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt: quia quidquid nos ab his impiè dictum obiecerimus, discipuli respondebunt, non à magistris suis ita editum, sed ab inimicis suis esse violatum. Hoc genere & iste ipse tuus liber, tuus non erit: & meus liber non erit meus, sed tuus, &c.* Nec id ergo patitur sanctus Pater, quod multò tamen erat leuius. Cumque venditaretur Martyr Pamphilus Origenis apologeticum lucubrasse, quo non errores propugnaret, sed propulsaret: hanc à Martyre maculam propulsat Hieronymus, & concinnatum ab Eusebio Arianæ sectæ signifero illud Apologeticum docet: adiicit autem, *Sed concedamus ex superfluo, vt Pamphili sit, sed necdum martyris. Antè enim scripsit, quàm martyrium perpeteretur. Et quomodo, inquies, martyrio dignus fuit? Scilicet vt martyrio deleret errorem: vt vnam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe martyres antequam cæderentur, variis subiacuere peccatis? Defendamus ergo peccata, quia qui postea martyres, priùs peccatores fuerunt.* Quibus aduertere animum eos oportet, qui Catholicos iactitant habitos, nec hæreseos notâ inustos, qui ita Origenem tuebantur, vt erroribus ipsum explicarent, non implicarent seipsos. Id enim illi ante eius toto orbe euulgatam damnationem moliti sunt, & de eo ipso conatu apud sanctos Patros malè audierunt.

Epist. ad Pamm.

LXV. Et apud totam Ecclesiam.

Nihilo secius autem adigebantur & errori & authori

Digitized by Google

eius Origeni anathema dicere, nullâ ratione habitâ istiusmodi tergiuersationum. Idem Hieron. ibidem: *Hoc enim vel maximè cauent, ne quando contra authorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt cum iuramento, quod posteà alio soluant periurio. Ad subscriptionem tergiuersantur, quæruntque suffugia. Alius, Non possum, inquit, damnare, quod nemo damnauit. Alius, Nihil super hoc à Patribus statutum est; vt dum totius orbis prouocatur authoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs, Quomodo, inquit, damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Arium, damnasset vtique & Origenem, si illius dogmata reprobasset. Hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est. Quòd si quando vrgeri cæperint, & aut scribendum eis fuerit, aut excundum de Ecclesiâ, miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & nostram & aduersariorum confessionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Vbi vides & istos defensores Origenis *authoritati orbis totius* Christiani vel *Synodo* Nicænæ seu œcumenicæ concessuros fuisse, nec vlterius effrænatam in istiusmodi etiam quæstionibus licentiam vsurpaturos. Vides rursum etsi interpolata cauillarentur ab hæreticis volumina Origenis: & ipsum, non errores tueri se profiterentur, adeoque nec à Catholico nomine excidisse; non immeritò tamen vel errorum defensionis suspectos Ecclesiis fuisse, ac proinde compulsos ad subscribendas fidei Catholicæ formulas: vbi conduplicatis tergiuersationum suarum artibus, suspiciones Ecclesiæ de ipsâ eorum fide confirmabant.

Accedat & Seuerus Sulpitius defensoribus Origenis propitius, vt qui maximè, nec eorum tamen audaciam procaciorem & errorem dissimulans. Etenim Dial. 1. *Alexandriæ fœda inter Episcopos atque monachos certamina gerebantur, ex câ occasione, quia congregati in vnum sæpius sacerdotes frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Ori-* LXVI. Ad idem testimonia Seuerii Sulpitii.

Digitized by Google

genis libros legeret aut haberet, qui tracta[t] sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant, quæ defensores eius defendere non ausi, ab hæreticis potiùs fraudulenter inserta dicebant, & idcò non propter illa quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cùm legentium fides facilè posset habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen Catholicè disputata retineret. Non esse autem mirum, si in libris neotericis & recèns scriptis fraus hæretica faciliùs operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere Euangelicam veritatem. Aduersum hæc Episcopi obstinatiùs renitentes, pro potestate cogebant, recta etiam vniuersa cum pravis & cum ipso authore damnare, &c. Mihi autem ex illius libris quædam curiosiùs indaganti admodum multa placuerunt; sed nonnulla deprehendi in quibus illum prava sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror vnum eundemque hominem, tam diuersum esse à se potuisse; vt in eâ parte quâ probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem: in eâ verò quæ iure reprehenditur, nemo deformiùs doceatur errasse. Et paulò pòst, *Ex partium studiis orta seditio est, quæ cùm reprimi Sacerdotum authoritate non posset, seuo exemplo ad regendam Ecclesiæ disciplinam præfectus assumitur, cuius terrore dispersi fratres, &c. Illud me admodum permouebat, quod Hieronymus vir maximè Catholicus & sacræ legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipuè, vel omnia illius scripta damnaret. Nec verò ausus sum de quoquam temerè iudicare. Præstantissimi tamen viri & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen siue illud error est, vt ego sentio, siue hæresis, vt putatur: non solùm reprimi non potuit multis animaduersionibus Sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione creuisset.* Addit Posthumianus non se diu Alexandriæ potuisse consistere, etsi ab Alex. Episcopo prolixè exceptum, quòd ibi *recens fraternæ cædis feruebat inuidia. Nam etsi fortasse videantur parere Episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam, multitudinem tantam sub Christi confessione viuentem, præsertim ab Episcopis oportuisset affligi.*

Digitized by Google

Aduertis vt reor pęramicum defensoribus Origenis Posthumianum extitisse, ideoque ei saltem fidem habendam. 2. Quæ damnabant Episcopi, & ipsos damnasse, sed falsata ab hæreticis & Origenis libris mendaciter inserta clamitasse. 3. Institisse tamen Episcopos, vt vniuersa Origenis, *cum prauis & cum ipso authore damnarent.* 4. Ipsius Posthumiani iudicio ipsos *parere Episcopis debuisse.* 5. Eiusdem iudicio, *errorem* hunc fuisse eorum, qui contumaciùs Origenem defenderent. 6. Etiam *hæresin* ab aliis vulgò putatam: ab ipsis nempe Episcopis, & Ecclesiâ, Episcoporum sententiæ adhærescente. 7. Maximè Catholicum & sacræ legis peritissimum prædicari Hieronymum, qui hanc vtique hæresin putabat. 8. Malum istud contentione creuisse. Id enim Origenis defensores consecuti sunt tandem, non vt sententiam Ecclesia recantaret, non vt errore confosso de authore & libris liberum esse sineretur disputare, sed vt quinta tandem Synodus cogeretur aduersus totum Origenem. Quod veluti præsagiebat Hieronymus in epist. ad Pamm. & Ocean. de eius error. *Ipse si adhuc viueret Origenes, irasceretur vobis fautoribus suis, & cum Iacob diceret, Odiosum me fecistis in mundo.*

LXVII. Origenis personæ *defensores in defensores tãdem dogmatis euasisse liquet ex quinta Synodo.

Quo autem iure defensores Origenis non erroris tantùm à Posthumiano, sed hæreseos ab Episcopis insimularentur, patuit quintæ huius Synodi temporibus, cùm vt ait Liberatus c. 23. Ad Pelagium R. E. Apocrisarium, *venerunt monachi ex Hierosolymis, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur, cum illis capitulis. Igitur Pelagius amulus existens Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, volens ei nocere, eo quòd esset Origenis defensor, vnà cùm Menna Archiepiscopo Constantinopolitano, flagitabat à Principe, vt iuberet fieri quod illi monachi supplicabant, vt Origenes damnaretur, ipsaque capitula, talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis iudicium ferre.* Sic damnationi Origenis toto orbe subscriptum subdit. Defensores autem istos Origenis, non personæ tantùm, sed errori etiam indul-

fisse, docebit nos Facundus l. 1. c. 2.° *Inquietus & impudens hæreticorum Spiritus, sæpe frustratus cùm Chalcedonensis decreta Concilij subuertere niteretur, inuenit desideratam occasionem ex furore quorundam, qui sub nomine Christiano latenter in Ecclesiâ gentile Origenis dogma sectantur, &c. Cùm & Domitianus Ancyrensis Episcopus prouinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum quem ad beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quod eius complices Origeniani cùm viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad vltionem eorum quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commouerunt.* Vide & l. 4. c. 4. Dilucidum hîc est, quò hæc erumpat tandem damnatorum librorum defensio, vt non Scriptores extricentur, sed lectores defensoresque vel inopini vel lubentes illaqueentur damnatis erroribus, etsi Catholico palliati nomine ac schemate. His enim Episcopis *sub nomine Christiano latenter in Ecclesiâ gentile Origenis dogma sectantibus* consentiebant & monachi complures, illorum vt par est credere, soboles, qui personæ vel libris, non errori fauere Origenis olim videri volebant. Cyrillus in vita magni illius Euthymij apud Surium, *Cùm congregata fuisset Constantinopoli quinta sancta Synodus, & Origenis & Nestorij dogmata fuissent ab eâ percussa anathemate, & qui nouam Lauram tenuerant Origenistæ fuissent expulsi illinc, & fideles orthodoxique Patres rursus in eam migrassent, &c.* Vide & Euagrium Origenianâ lue laborantes monachos perstrin-

Die 20. Ianuarij.

gentem.

LXVIII. Contra obiectantur complures & vetusti & iuniores damnatorum Scriptorum Patroni.

Inuidiosè autem nobis obiectant permagnos olim viros, ingentis etiam famæ neotericos, qui Theodoreti, qui Origenis patrocinium sumpserint. Et pro Theodoreto quidem, ne Scholæ Parisinæ annuos ferè aliquos Palæstritas recenseam, qui pro eius scriptis aduersus Cyrillum ab hæresi purgandis decertant, omnium instar esse possunt sæculi huius splendidissima lumina Petauius & Sirmundus, apertissimi iidemque validissimi Theodoreti

defenſores, Sed his præluxerat Agobardus Lugdun. Epiſc. ante annos ampliùs octingentos, aduerſus Felicis dogma hæc ſcribens. *Cùm vtrumque, id eſt, Neſtorium & Eutychen veritas fidei abiiciat, quæ medium inter eos tenet locum, B. Cyrillus eiuſdem veritatis defenſor, Alexandrinus Antiſtes, dum vellet corrigere prauitatem Neſtorÿ, propter obſcuritatem verborum vtpote ſubtiliſſimæ rei, offendit B. Ioannem Præſulem Antiochenæ Eccleſiæ & eos qui cum illo erant: factaque eſt diuiſio inter Antiochenam & Alexandrinam Eccleſiam. Rogatus eſt autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri Epiſcopus, vt ageret aduerſum B. Cyrillum: & mirum in modum dum vtrique eſſent Catholici, id eſt, & Antiocheni, & Alexandrini, B. Cyrillus dum putatur eſſe hæreticus, quod non erat, inuentus eſt à Theodoreto inter Neſtorium hæreticum & Cyrillum Catholicum medius locus. Vnde idem Theodoretus pugnans pro veritate, ageret contra veritatem, qui dum iſtis Catholicis placeret, illis diſpliceret.* His adiungunt & Romanâ purpurâ & eruditione præſtantiſſimos Baronium & Bellarminum, qui ſextam Synodum in epiſtolâ Honorij, & ipsâ adeò Honorij perſonâ damnandâ, ſi verè damnauit, aberrare à vero, vtpote in facti quæſtione palam prædicant, cum compluribus aliis. Quid de Origene? Sixtus Senenſis aliíque deinceps plures ſcripta eius ab erroris & hæreſeos accuſatione vendicarunt. Nec tamen hactenus quiſquam his non authorum tantùm, ſed librorum etiam ſynodicè damnatorum defenſoribus aſperſit ignominiam vel erroris vel hæreſeos, vt qui hæreſes ipſas execrentur, eas autem talibus libellis contineri pernegent, quæ facti quæſtio eſt. Et quantos ſanè olim ex ſanctis Patribus ac Romanis Pontificibus inueniemus, illis patrocinatos eſſe & ſcriptoribus & ſcriptis, quibus poſtea ſuccenſuit Eccleſia, & hæreſeos cauterium infixit? Quid Baſilio Cæſarienſi, & Gregorio Nazianzeno caſtigatius? Illi tamen teſte Socrate l. 4. c. 21. *Origenis libros ſibi collegere, ex illiſque exercitati contra Arianos ſtrenuè dimicauere. Cumque Ariani Origenis libros ad eorum dogma confirmandum adducerent, illi eorum coar-*

guerunt inſcitiam, perſpicueque oſtenderunt eos Origenis mentem & ſententiam nentiquam intellexiſſe. Sicui ſubleſta ſit Socratis de Origene fides, at Athanaſium nemo neſcit Origeni ab Arianæ ſectæ inuidiâ tutando operam calamumque dicaſſe. Si tunc poterant, quin nunc quoque poſſint, eadem Origenis ſcripta eo ſenſu & legi & intelligi & exponi, prorſus Catholico, quo ab Athanaſio, Baſilio, Nazianzeno. Si errarunt autem illi, in facto errarunt, non in fide: & cum talibus errare cui non innoxium, inculpatumque ſit?

LXIX Reſpõdetur primò à ſanctis Patribus non eſſe defenſos, niſi quos & quia nondum damnaſſet Eccleſia.

Reſpondetur primò, qui Origeni antè patrocinati ſunt, quàm Synodicè in Eccleſiâ proſcriberetur, nullius eos culpæ reos agi poſſe. Poſſunt enim diſpenſatiuè multa excuſari perdiu, quæ poſtea aboleſcente diſpenſandi neceſſitate, neceſſum ex aduerſo ſit damnari. Quin imò & Athanaſius & Baſilius vnâ ab authoritate pendebant Eccleſiæ in iſtiuſmodi clementiâ ſuâ, vt ne damnarent quos nondum damnaſſet Eccleſia. Indidem ergo cogimur eoſdem damnare, quos prædamnauit Eccleſia, ſi Athanaſium & Baſilium ſequimur. Facundus l. 10. c. 5. *Quamuis noſtris auribus dura & ad excuſandum difficilia defendere non refugit Athanaſius; & priùs eorum authorem Dionyſium Alexandrinum per hoc voluit eſſe purgatum, atque ab Arianorum crimine alienum, quòd ipſe non ſicut Arius cùm viueret, de impietate fuerit accuſatus, aut de Epiſcopatu deiectus: neque velut hæreſin defendens, de Eccleſiâ ſicut ille diſceſſerit, ſed in eius permanſerit vnitate: deinde melius hæc ipſa interpretari conatus eſt.* Itaque non ingenij ſui acumen, non ſua libido, ſed authoritas Eccleſiæ, quæ Dionyſium Alexandrinum tametſi Arianæ hæreſi eum ſuffragari iactarent, damnare abſtinuerat, Athanaſium impellebat, vt Dionyſij ſcripta purgare humaniori interpretatione niteretur. Et mox, tametſi verba ipſa Dionyſij ſpecie tenus Ario videantur alludere, *Non quod in verbis ſonat, debemus attendere, ſed credere potiùs de Eccleſia Chriſti, quam regit ipſe qui ſanguine ſuo redemit, quoniam niſi hæc bona intentione proferret, aut aliis*

Digitized by Google

aliis eius dictis auferretur offensio, sine dubio Dionysius in ea non maneret Episcopus. Igitur Athanasius cuius tota vita martyrium fuit, authoritati se subdit Ecclesiæ, & quòd Dionysio communicauit vsque in finem, hoc solum iudicat eius purgationi sufficere, ita vt illum pro talibus dictis, non condemnare dico, verùm nec leuiter culpare præsumat. Sequamur ergo cum Athanasio vnam maximè authoritatem Ecclesiæ, & ex eius sententia prælucente Scriptores & libros quoslibet vel absoluamus vel condemnemus. Idem de Basilio idem mox sentit, Gregorium Thaumaturgum à Sabellij præstigiis tuente: *Cùm propterea Athanasius & Basilius Dionysium atque Gregorium à criminibus talibus tantisque defendant, quòd in Ecclesiæ pace defuncti sunt.* Vide & l. 11. c. 8.

LXX. Idem ostenditur ex Athanasio.

Athanasius etiam ipse vna se incitari maximè Ecclesiæ authoritate testatur ad Dionysij scripta defendenda: vt ex verbis eius liquet quæ Facundus idem recitat l. 10. c. 5. *Calumniari volunt illi viro, & non attendere, quòd neque ab aliis Episcopis de impietate accusatus est, aut de Episcopatu deiectus, sicut isti ex clericatu; neque ille velut hæresin defendens de Ecclesiâ discessit, sed in eadem defunctus est, & memoria eius nunc vsque cum Patribus celebratur, & nomen eius scriptum est. Si enim aliquid istorum sentiret, vel de his quæ scripsit, excusationem non faceret, sine ambiguitate etiam ipse similia pateretur.* Tum accedit ad dictorum Dionysij clementem elucidationem. Igitur Athanasius cùm hoc animo esset, prædamnati ab Ecclesia authoris verba nunquam excusaret, qui hæc Dionysij ideò defendebat, quòd nullâ Ecclesiæ censurâ inusta adhuc fuissent. Exulabat ergo procul ab eius mente illa distinctio quæstionum facti & iuris in hoc negotio examinandorum librorum.

LXXI. Nemo Patrum, nemo vsquequaque laudatorum damnatis libris postea fauit.

Postea verò quàm notati ab Ecclesiâ fuere libri aliqui, huius obtentu distinctiunculæ, à quoquam sanctorum Patrum defensatos fuisse, inauditum prorsus est. Quod ipsum in tanta annorum serie, in tanta librorum damnatorum farragine, momenti satis habet, vt existimemus nequaquam ideos sibi fas esse duxisse. Origenis, Nestorij, Pri-

Digitized by Google

ſcilliani, Theodori, Theodoreti ſcriptis etiam poſt intortam Synodici mucronis cenſuram, fauiſſe adhuc aliquos ſcimus, fauiſſe Patres neſcimus, aut in Patrum & Magiſtrorum Eccleſiæ numero habitos fuiſſe negamus; quin præpoſteros potiùs fautores, exagitatos ab Eccleſiâ ſui decreti retinentiſſimâ fuiſſe non neſcimus. Origeni ſtuduere Ioannes Hieroſolymitanus, Ruffinus & alij id genus, palàm notati in Eccleſia: non Hieronymus, non Epiphanius, non Chryſoſtomus, non Auguſtinus. Nemo ſanctorum & probatorum Patrum tam improbo labori & laſciuienti acumini indulſit, vt Scriptorum verba alios in ſenſus detorqueret, quàm qui vniuerſali Synodo & Eccleſiæ alluxiſſent. Alioqui tota nobis concordia & maieſtas Eccleſiæ fœdaretur, emergentibus in dies cauillatorum cuneis, qui ſophiſticè pugnacitate omnia fixa refigerent, damnata probarent, probata reprobarent, errore eiurato facta ſola à ſe prætenderent retractari.

LXXII. Reſpondetur ad Agobardum Theodoreti Patronum.

Agobardum ſanè, eſto, vt Patrum choro includamus. Sed Ioanni Antiocheno impenſiùs quàm par eſt, eum ſtudere, ex ſuperiùs diſputatis abundè elucet. Deinde ſi verba eius adtendas, Cyrillo penè lubentiùs, quàm Ioanni culpam affricat. Catholicos hinc & inde certaſſe, nihil abnuo. Sed lato diſcrimine. Nam cum Cyrillo Synodus œcumenica & Eccleſia. Cum Ioanne Neſtorius & Pelagiani Epiſcopi. Ioannem denique & ſequaces eius quis neſcit, quanta infamia pſeudoſynodi tentatæ, oppugnatæ Synodi, defenſati Neſtorij, Eccleſiæ poſt abſolutam Synodum penè laceratæ obſcuauerit? Quæ omnia in Theodoretum redundant. Itaque non ſatis accurata eſt horum apud Agobardum narratio, vtpote aliò properantem. Deinde nec Theodoreto is parcit omnino. Nam laudi non eſt, *inter Neſtorium hæreticum & Cyrillum Catholicum medio ſtetiſſe loco*: nam qui cum Catholico fidei defenſore non erat, qui ab eo diſſentiebat, ſin minùs hæreticè, certè malè ſentiebat. Laudi non eſt, *pugnantem pro veritate, agere contra veritatem.* Si excuſare libet enim

Digitized by Google

quia pro veritate, libebit & accuſare quia contra veritatem. Laudi non eſt *dum iſtis Catholicis placeret, illis diſplicere:* Catholicis enim diſplicuiſſe, pudendum eſt, maximè illis qui inculpatæ ſunt fideî ſequaces, vt illis placeas, quorum nutat exiſtimatio, quorum vix dum graſſatio conquieuit. Denique dum anathematiſmos Cyrilli in Synodo & in vniuersâ approbatos Eccleſiâ inſectatur, nonne ipſam inſectatur Eccleſiam, & non tam Cyrillo, quàm Eccleſiæ vniuerſæ Apollinariſmum impingit? Nec enim diſtinctione vſus eſt Theodoretus, vt anathematiſmis duodecim aliam Eccleſia, aliam Cyrillus fidem inſinuatam vellet. Quî poterat autem opportuniùs Neſtoriana inſania propugnari, quàm ſi Catholica doctrina quâ expugnabatur, Eutychetis ſeu Apollinaris contagio laborare infamaretur? Etſi autem œconomicè & prolixiore indulgentiâ poſſent excuſari vtcumque hæc Theodoreti aduerſus Cyrillum ſcripta, tanto tamen magis non debent, quanto poſt concordiam etiam initam ab eo ſunt exarata. Vnde Theodorus Lector l. 2. *Poſt conciliationem cum Orientalibus Theodoritus contra duodecim capita Cyrilli ſcripſiſſe fertur.* Vide & Theodoreti ipſius epiſt. 143. vbi non putat vllos eſſe qui dicant *duos filios* in Chriſto: & epiſt. 112. quæ poſt conciliationem ſcripta videtur, & in accuſatione verſatur adhuc Cyrilli anathematiſmorum.

Reſpondetur rurſus non ſingulorum qui errare, & in errorem imitatores ſuos poſſunt pertrahere, ſed Eccleſiæ ipſius vniuerſæ conſilia & geſta penſitanda nobis eſſe, & ad imitationem præſtituenda. Damnatos porro ſemel vnanimi Epiſcoporum conſpiratione libros quoſlibet, (ne iniri autem quidem poteſt numerus eorum qui damnati ſunt,) imò ne vnum quidem poſtea inueniemus ab Eccleſia purgatum eſſe ex illis: aut de eo purgando vel deliberatum eſſe, vel poteſtatem hanc & curam cuiquam eſſe mandatam. Vſque adeò in Eccleſiæ etiam hoc genus decretis nuſquam reperitur *eſt & non*, ſed merum & conſtantiſſimum *eſt*. Si ſemel enim hanc illa feneſtram

LXXIII. Nuſquā Eccleſia ſuũ de damnatis auctoribus iudiciũ hactenus mutauit.

aperuiſſet, quid deinceps fixum, quid ſtatum in fidei doctrina foret? Vt ſummùm ergo priuatorum curioſitati, & luxurianti vitilitigandi prurigini materiam parant, qui acumen ingenij conterunt in opuſculis quæ damnauit Eccleſia ad alias interpretationes impellendis: non Eccleſiæ ſeruiunt, cuius retractandæ ſententiæ non vllam ſpem reſiduam eſſe ſinunt tot anteactorum ſæculorum exempla.

LXXIV. Euertuntur fundamẽta aduerſariorũ, & quibus in rebus emendari queant Concilia à Conciliis.

Reſpondetur iterum & Baronium & Bellarminum, & cæteros omnes neotericos, qui damnatis opuſculis defenſionem inſtruxere, eo præſidio ſuum ipſos conatum obumbraſſe, quòd Eccleſiæ imponi poſſit iis in rebus, quæ *hominum teſtimoniis* comprobantur. Omnes ad vnum excute, eo vno niruntur fundamento, & decantatiſſimo Auguſtini teſtimoniò, poſteriora anteriorum erroribus mederi poſſe Concilia, vbi quæ latebant, noua retegũtur *rerum experimenta*. Atqui iam animaduertimus primò, ne tum quidem forſan errare Eccleſiam, quin imò potiùs erraturam, niſi his allegatis teſtimoniis ita pronunciaret. Deinde in quo rei cardo vertitur, iſtud eſt, *hominum teſtimonia, rerum experimenta* locum non habere vllum in examine librorum rutinandò. Suus illis locus ſuúmque pondus eſt in cauſis ſeu ciuilibus, ſeu criminalibus ventilandis; at in tractatorum opuſculis excutiendis teſtimonia & experimenta omnia ex ipſiſmet opuſculis expiſcanda ſunt. Et ſi qua aliunde poſſent affulgeſcere, ecqua, oro te, vel de Honorij epiſtola, vel de Theodoreti ſuſpectis opuſculis experimenta nobis & teſtimonia exhiberentur, quæ Patres quintæ vel ſextæ Synodi fefelliſſent? Nonne in tam prolixo ſæculorum decurſu intercidiſſent potiùs, & nos iam præterirent, quæ illos non præteribant teſtimonia, ad huiuſmodi examen neceſſaria? Denique hunc ſcopum habet axioma tum Auguſtini, tum quod ſibi iſti proponunt, non vt Eccleſia Eccleſiæ, Synodus Synodo, iunior ſeniori, priori poſterior eo deroget, quo iiſdem probationibus allegatis aliud & diuerſum quid iudicet: ſed vt diuerſis nouiſque teſtimo-

Digitized by Google

niis atque experimentis expromptis diuersam quoque sententiam temperet. Id modestiam Ecclesiæ, id sapientiæ decet sobrietatem. Vnum id suspicor non sine veri colore dici posse, si cuius scriptoris alia quæpiam repræsentarentur scripta, quæ Ecclesiam vel Synodum aliorum eius librorum damnatricem præteriissent, tum hæc noua fore testimonia, quibus authoris intentio & sententia meliùs diluceſceret, & inflictà damnatione absolueretur. Quanquam vel tunc satius forsan esset, & hos absolui, & illos horum dissimiles damnari libros, quia non vna semper sibi constat hominis sententia. Sed Honorij, sed Theodoreti nulla nobis noua se stiterunt monumenta, quæ Patres quintæ sextæque Synodi non præ manibus habuerint. Magni ergo viri dum præiudicio suo seruiunt, fundamento etiam suo sunt excussi, quo sibi videbantur niti, & nullo nouo testimonio prolato nouam protulere sententiam.

LXXV. Necnisi à Conciliis, non à priuatis, Concilia emendanda.

Sed & illud admonendi iidem sunt, non cuilibet, sed plenario Concilio copiam fieri ab Augustino Concilium plenarium emendandi. Viderint ergo quo iure id sibi arrogent, quod plenario Concilio & quidem vt præcellentissima & summa quædam prærogatiua vendicatur. Ita vt suprà ostensum, Athanasius, Basilius, ita Facundus, aliique trium Capitulorum defensores, ita eorundem oppugnatores Episcopi Ecclesiæ authoritatem vnam vt ducem certissimam, vt facem splendidissimam sequebantur, aut sequendam sibi consentiebant, non priuati aciem ingenij, aut pessimam magistram & in præceps semper ducem, præsumptionem.

LXXVI. Defensoribus antè damnatorum operum excusatio culpæ, noa immunitas quærenda, exemplo Hieronymi, & Pamphili.

Respondetur rursum antè damnatorum operum defensoribus illud saltem aptandum, quod sibi Hieronymus aptauit, cùm Origenis pòst damnati defensor priùs extitisse euulgaretur. In epist. ad Pammach. & Ocean. de err. Orig. *Secunda post naufragium tabula, culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitamini & correctum. Erraui-mus iuuenes, emendemur senes. Iungamus gemitus, lacrymas*

Digitized by Google

copulemus. Si Origenem nunquam secutus sum, frustra infamare me quæritis. Si discipulus eius fui, imitamini pœnitentem. Credidistis confitenti, credite & neganti. Illud saltem aptandum quod de Pamphilo martyre idem paulò pòst scribit, qui pro Origene Apologeticum scripsisse dicebatur. Nam etsi Pamphilus non errores tueretur, sed alium in sensum raperet Origenis verba, scripti tamen huius Apologetici maculam diligenter ab eo amolitur Hieronymus, illudque vt germanam prolem parenti suo restituit Eusebio *Arianorum Principi. Sed concedamus ex superfluo, vt Pamphili sit. Sed necdum martyris. Antè enim scripsit quàm martyrium pateretur. Et quomodo, inquies, martyrio dignus fuit? Scilicet vt martyrio deleret errorem. Vt unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe martyres antequam cederentur, variis subiacuere peccatis? Defendamus ergo peccata, quia qui postea martyres, priùs peccatores fuerunt.*

LXXVII. Magnus & sanctis viris ex ignorantia & errore sæpe obripitur.

Respondendum item de his saltem id quod de Paschasio Ec. Rom. Diacono librorum de Spiritu sancto authore laudatissimo, qui vt ait Gregorius lib. 4. Dialog. c. 4. *in ea contentione quæ inardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit: & omnium pòst vnanimitate superatus, in suâ tamen sententiâ vsque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apostolicæ Sedis Præsulis esset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam, dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est.* Narrat mox vt idem *post multum temporis in penali loco* visus sit à Germano Capuensi Episcopo, *quia in parte Laurentij contra Symmachum senserat*, & inde tandem liberatus. *Quia enim non malitiâ, sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem à peccato potuit:* vt subdit Gregorius.

LXXVIII. Alia eiusdem rei exempla.

Respondendum de his quod Beda lib. 3. hist. Angl. cap. 4. censet de sancto Columba, eiusque discipulis, Paschа alieno tempore celebrantibus, sanctitate tamen & miraculorum gloriâ præclaris. Quo in errore perman-

Digitized by Google

ſerunt vſque ad annum 717. Chriſti. *Verùm quia gratiâ charitatis feruere non omiſerant, huius quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt, iuxta promiſſum Apoſtoli dicentis, Etſi quid aliter ſapitis, & hoc quoque Deus vobis reuelabit.* Et cap. 17. cùm miracula poſt mortem viri plura memoraſſet, *Scripſi hæc de perſona & operibus viri præfati, nequaquam in eo laudans aut eligens hoc, quod de obſeruatione Paſchæ minus perfectè ſapiebat, imò hoc multum deteſtans, ſicut in libro quem de temporibus compoſui, manifeſtiſſimè comprobaui. Sed quaſi verax hiſtoricus ſimpliciter ea, quæ de illo ſiue per illum ſunt geſta deſcribens, & quæ laude ſunt digna in actibus eius, laudans, ſtudium videlicet pacis & charitatis, continentiæ & humilitatis, animum iræ & auaritiæ victorem, &c. Hæc in præfato Antiſtite multum complector, & amo, quia nimirum hæc Deo placuiſſe non ambigo. Quod autem Paſcha non ſuo tempore obſeruabat, vel Canonicum eius tempus ignorans, vel ſuæ gentis authoritate, ne agnitum ſequeretur, deuictus, non approbo nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione ſui Paſchæ non aliud corde tenebat & venerabatur, quàm quod nos, &c.* Et cap. 25. aliis Catholicum ſeu Romanum, aliis erraticum Paſcha celebrantibus, *Hæc diſſonantia Paſchalis obſeruantiæ, viuente Aidano, patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant, quia etſi Paſcha contra morem eorum qui ipſum miſerant, facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis & dilectionis, iuxta morem omnibus ſanctis conſuetum diligenter exequi curauit.* Et mox ad contumaciores errabundi Paſchæ defenſores ita Vuilfridus ibidem perorat: *Illos Dei famulos & Deo dilectos non nego, qui ſimplicitate ruſticâ, ſed intentione piâ Deum dilexerunt. Neque illis multum obeſſe Paſcha talem reor obſeruantiam, quandiu nullus aduenerat, qui eis inſtituti perfectioris decreta quæ ſequerentur, oſtenderet. Quos vtique credo, ſi quis tunc Catholicus ad eos calculator adueniret, ſic eius monita fuiſſe ſecuturos, quomodo ea quæ nouerant, ac didicerant Dei mandata, probantur fuiſſe ſecuti. Tu autem & ſocij tui ſi audita decreta Sedis Apoſtolicæ, imò vniuerſalis Eccleſiæ, & hæc literis ſacris confirmata ſequi contemnitis,*

abſque vllâ dubietate peccatis. Etſi enim Patres tui ſancti fuerunt, nunquid vniuerſali quæ per orbem eſt, Chriſti Eccleſiæ horum eſt paucitas vno de angulo extremæ inſulæ præferenda? Etſi ſanctus erat & potens virtutibus ille Columba veſter, imò & noſter, ſi Chriſti erat, num præferri potuit beatiſſimo Apoſtolorum Principi? Cui Dominus ait, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Vide & lib. 5. cap. 16. 19. 22.

LXXIX. Rurſus expenduntur ea exempla ſanctorum virorum per errorem diſſentientium ab Eccleſia.

Vertebatur hæc quæſtio in re ad facta magis quàm ad fidem attinente, & ad fidem multo vtique minus ſpectante, quàm librorum quorumlibet ſpectet iudicium. Et tamen alij Catholico & Apoſtolicæ Sedis & Eccleſiæ vniuerſalis nomine ac patrocinio fulciebantur, alij eodem oppugnabantur. 2. Si quis autem Catholicum Paſcha *gentis ſuæ authoritate denictus* non ſequeretur, non negatur ille quidem ſanctitate & miraculis florere potuiſſe, ſed in illo tamen eſt *quod non laudet, quòd non approbet, quòd deteſtetur* cum venerabili Beda pius & Catholicus quiſque. 3. Si cuius autem ſanctitas & miraculorum gloria ſpectatiſſima eſt, in eo tamen hæc aduersùs Eccleſiæ decreta obſtinatio non laudatur, non approbatur, deteſtationi eſt, ſi pœnas etiam poſt mortem dat & quidem diuturnas: quid de illis opinandum, qui ab iſto ſanctimoniæ & miraculorum ſplendore procul ſunt? Si tanta enim charitatis & ſanctimoniæ copia culpam hanc oblitterare hic non potuit, quanta ea culpæ grauitas eſt? Nemo ſibi tum, aut ſi quis, næ ille perperam ſibi blandiebatur de hac factorum & fidei diſtinctiuncula. A Catholicis porro fidentiſſimè inculcabatur ſequenda indiſcriminatim non Columbæ, non tot aliorum pietatis & miraculorum laude perilluſtrium, ſed Petri, ſed Apoſtolicæ Sedis, ſed Eccleſiæ vniuerſalis authoritas. 4. Similiter quod de Columbâ, & tot aliis viris ſanctiſſimis Beda, id nos de Baronio, de Bellarmino, de aliis damnata opuſcula defendentibus: quanti quanti hi ſint, num maiores ſunt Sede Apoſtolica, & Synodo vniuerſali quinta & ſexta, & Eccleſiâ

Digitized by Google

cleſia vniuerſali, quæ hæc opuſcula damnat, & defenſores eorum damnat? 5. Et diſpenſatiuè hanc ſeu ruſticitatem, ſeu obſtinationem tolerauit perdiu Sedes Apoſtolica in Scotis, Pictonibus & aliis Semibarbaris gentibus: num nobis id ſumemus, vt eandem indulgentiam effundamus in quoſlibet? Num Quartadecimanos perperam olim damnatos, perperam hæreticis accenſitos calumniabimur? Non noſtrum id eſt, ſed Eccleſiæ Catholicæ, limites figere iuris remiſſioni, vel rigori. Vbi autem imminet & vrget Eccleſiæ vel Sedis Apoſtolicæ authoritas, tum aliquos refragari, & quorumlibet patrocinio abuti, id ſanè non laudandum, non probandum, id etiam *multùm deteſtandum eſt*. Vnde & idem Beda in vita ſancti Cutberti cap. 39. hæc extrema eius ad ſuos verba refert, *Cum illis, qui ab vnitate Catholicæ pacis, vel Paſcha non ſuo tempore celebrando, vel peruersè viuendo aberrant, vobis ſit nulla communio.*

LXXX. Reſpondetur interrogantibus, an de fide ſit hanc hæreſin hoc libro contineri.

Inſtant porro & percontantur, hoccine de fide ſit, Neſtorianam hæreſin hoc huius, puta Theodoreti, libro contineri? Poteritne hæreſeos reus agi, qui Neſtorianum dogma deteſtabitur, ſed illud libro hoc contineri pernegabit? Reſpondeo hanc hæreſin hoc libro contineri à quintâ Synodo definitum, & in huius libri defenſores anathema euibratum: quintæ Synodo ab omnibus Catholicis & debere ſubſcribi, & reapſe ſubſcribi. Id abunde eſſe, vt anathema declinare malimus, quàm de fidei & factorum diſtinctionibus litigare. 2. Quintæ Synodo authoritatem ab omnibus poſterioribus œcumenicis acceſſiſſe Conciliis, & fidei confeſſionibus; in quibus & illa confirmata eſt, & in hos libros anathema ingeminatum ſexcenties. Catholicæ ſimplicitati & veritatis charitati aduerſari eos, qui interminatis litibus mendacia inſerere fatagunt tot Synodis, & earum anathemata incurrere lubentes periclitantur. 3. Vt de fide id non ſit, decretum tamen Synodi eſt œcumenicæ, adeoque venerandum, oſculandum: ne inſolentiſſimi ſupercilij ſit, ſi quis ſe plus

Digitized by Google

vniuerſali Eccleſiâ, & tot Synodis, & tot ſæculorum conſenſione ſapere exiſtimet. 4. Vt de fide id non ſit, ſed nonniſi à *plenario Concilio* plenarij Concilij decretum emendari fas eſt, teſte Auguſtino. 5. Vt de fide id minus ſit, ſed nouis *rerum experimentis* & hominum teſtimoniis recentibus opus eſt, vt prius iudicium mutetur. Quæ noua his autem circa damnatos libros experimenta, quæ teſtimonia affulſerunt, quæ quintam ſextamque Synodum præterierint? 6. Vt de fide id minus ſit, ſed complura exploduntur & eiiciuntur ab Eccleſiâ, quæ ad mores, quæ ad diſciplinam tantùm pertinent. Quartadecimani, Rebaptizatores, Nouatiani, Hydroparaſtatæ, & eiuſmodi alij ſectarij innumerabiles arcana fidei vix attingebant.

LXXXI. Quàm latè quandoque pateat nomen hæreſeos. *Tom. 3. ſerm. 21. pag. 312.*

Albo tamen hæreticorum inſcripti ſunt. 7. Nec abuti hæreſeos nomine dicas eos, qui tales texunt hæreticorum catalogos. Illis enim Paulus ipſe patronus præſto eſt, qui authore Chryſoſtomo, & idoneo ſanè interprete, ait, *Oportet in vobis hæreſes eſſe, &c. Hîc attendite, quia non de articulis fidei dictum eſt, Oportet inter vos hæreſes eſſe, ſed de diſcordiâ & ſectis circa menſam. Subdit enim modum hæreſeon: Igitur cùm conuenitis in eundem locum, non licet dominicam cænam manducare.* Et Hom. 27. in epiſt. 1. ad Corinth. *Nam & oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Hæreſes hîc vocans, non eas quæ ſunt dogmatum, ſed horum ſchiſmatum.* 8. Eiuſmodi Paulini inſtituti ſequax Eccleſia, Nicolaïtarum, Neophytorum, Simonianorum, Inueſtiturarum, Romanæ Eccleſiæ vel dignitatem allatrantium, vel bona inuadentium, & id genus alias hæreſes damnauit complures; non vſqueadeò ſcrupulosè rimabunda, quid propriè hæreſis, quid error, quid ſchiſma, quid ſuperbum tantùm, non hæreticum, quid ſtultum, non ſchiſmaticum eſſet; ſed promiſcuè hæreticum aliquando interpretata, quidquid aduersùs Catholicæ Eccleſiæ ſenſum & imperium contumaciter tumultuaretur. 9. Quandoque etiam diſertè expreſſum eſt, hæreſeos in dogmate crimen abeſſe, cùm tamen à communione Ec-

Digitized by Google

cleſiæ Catholicæ abſciſſio intentaretur. Ita ſupra oſtendimus, Catholicos impudentiæ obuiaſſe Tertulliani, qui non fidei irretractabilis, ſed verſatilis diſciplinæ cauſam agi prætexebat. Ita declaratum etiam ſuperiùs, à Patribus Synodi Dioſpolitanæ notatum eſſe *ſtultiloquium*, à quo fortaſſis abeſſet hæreſis teſte Auguſtino. Ita in decretis Generalis Synodi Lateran. ſub Innoc. III. cap. 2. *Reprobamus etiam & damnamus peruerſiſſimum dogma impij Almarici, cuius mentem ſic Pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.* 10. Perdifficile ſemper ſanctis Patribus viſum eſt, & ſalebroſum diffinire, quid hæreſis nomine capiendum veniat. Audi Auguſtinum in præf. lib. de hæreſ. ſeu in epiſt. ad Quoduultdeum. *Cùm ambo, Epiphanius & Philaſtrius; id vellent facere, quòd à me petis, quantum tamen inter ſe differant, de numero ſectarum interim vides. Quod vtique non euenisſet, niſi aliud vni eorum videretur hæreſis eſſe, & aliud alteri, &c. Proculdubio in eâ quæſtione vbi diſceptatur quid ſit hæreſis, non idem videbatur ambobus. Et reuera hoc omnino definire difficile eſt. Et ideo cauendum, cùm omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamuis hæreſes ſint: aut annumeremus aliquas, cùm hæreſes non ſint.* Sexcentis aliis locis Auguſtinus hanc definiendæ hæreſeos difficultatem ſpinoſiſſimam ſibi videri teſtatus eſt. Baſilij tripartitam diſtinctionem alibi retuli: qui ſchiſmaticis annumerat eos, quos Auguſtinus, aliique penè omnes hæreſeos cauterio inurunt. In his ergo ambagibus quid conducibilius, quàm ab ore & nutu pendere Eccleſiæ, & vbi illa hæreticam imprimit infamiam, eius authoritati ſubſcribere?

LXXXII. Latere occultas hæreſeos fibras.

Adde 11. loco, ſi hos hæreticorum agmini includendos fuiſſe dicatur, quòd non in facto tantùm, ſed in iure ex quo facta profluunt, hallucinarentur: quòd v. g. non emerent tantùm Spiritum ſanctum, ſed emendi ius & fas eſſe ſentirent: pœnitentiam non tantùm reſpuerent, ſed nec dari iure poſſe gannirent mœchis lapſiſque: imagines non modò abiicerent, ſed nec eas coli, vel haberi

per leges diuinas posse censerent. Vereor vt istud certò satis de omnibus suprà memoratis constare possit. Quæ enim huius distinctionis vestigia in antiquis monumentis, vel quæ probabilitas, in Quartadecimanis, in Hydroparastatis, in Simonianis, in Romanæ Ecclesiæ expilatoribus? Hi aliique complures in factis hærebant, ad iuris contemplationem assurrexisse dicuntur, sed nuper, nec probantur. 12. Demus id etiam vt hæretici dicantur, quòd iuri etiam obstreperent, caliginem illam omnem Augustini, Basiliique, & antiquorum Patrum, circa elimatam hæreticæ opinationis significationem discusserit noua iuniorum istorum fax; num nemo pari acumine rimari iuris aliquam scintillam poterit in hâc circa factum pugnâ? Quid si iuris maiestatem ab eis imminui existimet quis, quòd Ecclesiæ potestatem abrogent librorum examinandorum: quòd censuras Ecclesiæ in scriptores & eorum scripta, floccifieri doceant, dum errori faciunt obnoxias: quòd libros hæreticos condemnandi certum adimant Ecclesiæ iudicium: quòd Synodos œcumenicas errare posse sentiant, vt in alienis scriptionibus diiudicandis, ita in suis fidei confessionibus conscribendis? quòd paucis denique plus solertiæ & sapientiæ inesse credant sibi, quàm diffusæ per orbem Christianum vniuersitati? 13. Quid si eos cò hæreticos, & non in facto tantùm licentiosos, sed in iure iniurioſos clamet quis, quòd Pontifici & Episcopis hanc hæresin esse promulgantibus, ipsi contrà nitantur: quòd hæreticam pronuncient Ecclesiam, dum rem facti in fidei dogma trahi ab ea criminantur? quòd vniuersitati Episcoporum orbis, & Synodo etiam œcumenicæ, hæreticum quid esse, & ita declinandum pronuncianti, ipsi putent excipi à paucis, contraque dici posse, hæreticum non esse, quòd facti quæstio sit?

LXXXIII. Ecclesia errorem inesse libris: iudicans, illius suspectos habet horũ patronos.

Adde iterum & loco 14. persuasam semel & quidem Synodico examine Ecclesiam Catholicam, hæretico veneno delibutos esse quosdam libros, vix fieri posse, quin librorum istiusmodi defensores hæreticis accenseat. Nam

Digitized by Google

quòd hæresin ore tenus & verbis generalibus detestentur, fraudulentum videri id potest & simulatum; nec tanti pendendum, quanti id, quod prolixas & elucubratas hæreseos explanationes amplexentur. Itaque vel fallere vel falli ipsos fortassis credet, nam & non rarò falluntur ipsi, qui perspicaciæ suæ plus æquo fidunt: & eos ne fallantur, vel inuitos importuna aliquando Ecclesiæ charitas, sed materna, extricare satagit. 15. Et quidem exulare potest hæc suspicio à nonnullis, quorum scopus aliò perspicitur vergere. Honorio Pontifici Romano ignominiam erroris laborant abstergere Baronius & Bellarminus. Ideò epistolam eius, quàm austero, & eo quo sexta Synodus animo excutere debuerant, humaniori tractant pollice, & ad rectos sensus trahunt: itaque culpare hos poterit quis nimij in defensando Honorio studij, & minoris in Synodos œcumenicas obseruantiæ, itemque non satis accuratæ diligentiæ in dignoscendis Synodorum iudiciis, quæ ob emergentia noua vel rerum experimenta, vel hominum testimonia emendari possunt, idque ab aliis tantùm plenariis Synodis: nequaquam autem hos Monotheletarum hæresi clam astipulari nisi insanus suspicabitur. Ita & Galliarum Episcopi olim si quintæ Synodo minùs fidebant, si tribus Capitulis fauebant, non poterant tamen in crimen iure à quoquam vocari, quasi pestem Nestorianam clam in sinu gestarent, lamberentque in scriptis Theodori & Theodoreti. Cùm hæc scripta ne in manus quidem eorum veniissent vnquam; sed ea in Chalcedonensi Synodo approbata rati, illorum damnatione hanc Synodum violari, & eo tandem pacto Nestorianam & Eutychianam impietatem reuiuiscere existimabant. Vide apud Quercetanum Tom. 1. epistolam Nicetij Episcopi sanctissimi ad Iustinianum Imperat. nomine Episcoporum Galliæ: (Nisi si meliùs Sirmundus hanc epistolam retulit ad posteriora tempora Iustiniani, quibus in hæresin lapsus est Incorrupticolarum.) *Nestorij & Eutychetis iam anathematizatâ secta, vt te de ipsâ interimeres,* Tom. 1. pag. 583.

quis imperauit? &c. Ne dicas vel in corde tuo, Feci, feci, Vici, vici. Victus es & vinctus, sed inde vnde filius Diaboli & inimicus iustitiæ. Nam notum tibi sit, quòd tota Italia, integra Africa, Hispania vel Gallia coniuncta, nomen tuum, cùm de perditione tuâ plorant, anathematizant. Itaque adeò non in Theodoreti scriptis Nestorianum amabant dogma, vt quasi refricanti illud Iustiniano per eius scriptorum, Chalcedone vt putabant probatorum, damnationem, anathema dicerent. Istiusmodi igitur implicatæ libris quos defensant hæreseos, suspectos habere non potest Ecclesia. At si mero quis studio in Theodorum vel Theodoretum, vel quemuis alium, damnanti eorum libros Ecclesiæ refragetur, persuasa his libris hæresin contineri Ecclesia, suspectos non iniuriâ forsan habebit tales vt hæreseos etiam fautores, nec alienis eorum interpretationibus seu cauillationibus fucum sibi fieri patietur. Itaque videbuntur ipsi sibi hæresin detestari, librum purgare, in facto tantùm ab Ecclesia dissidere: videbitur autem sibi Ecclesia iure librum vt hæreticum damnasse, libri defensores hæresin verbo tenus execrari, eandem reipsa vt in libro delitescentem amplecti, ludificationibus suis potiùs quàm interpretationibus occultum virus obumbrare. In hac sententiarum pugnâ neminem fallit, quis cui cedere & accedere debeat.

LXXXIV. Refellitur exceptio causantium, nec Scripturis, nec traditione cõstare hũc errorem his libris contineri,

At, inquies, nullâ scripturarum authoritate, nullâ maiorum traditione à cunabulis Ecclesiæ Christianæ ad nos propagatâ, edocti sumus, hanc hæresin hoc Theodoreti libro contineri. Ergo nullâ fidei necessitate cogimur id credere. Respondeo Catholicum dogma his vocibus contineri, Consubstantialis, vna natura Verbi incarnata, vnus de Trinitate passus: quâ Scripturæ voce, quâ traditionis origine reuelatum diuinitus est? Quæ porro declarauit Ecclesia Catholicam fidem his vocibus contineri, eadem declarauit his Theodoreti scriptis hæresin inuolui. 2. Symbolo Nicæno, vel Constantinopolitano, expositione fidei Chalcedonensis Concilij, epistolis Cyrilli & Leonis Ephesi & Chalcedone subscriptis, sincerum orthodoxæ

Digitized by Google

fidei dogma, nullam autem hæresin describi, quæ Scripturæ, quæ traditionis ab ortu Christiani nominis cœptæ authoritas reuelauit? Si quis de dogmate Catholico conueniat, sed ab eo tractatus istos discrepare contendat, num in libera facti quæstione dissentire existimabitur? 3. Esto vt aliquando possit Ecclesia hanc non hæresin, sed superbiam & contumaciam interpretari, alias quàm ipsa exponat expositiones libri cuiuslibet sectantium; sed poterit & iure suo existimare hâc superbiâ hæreticum aduersùs œcumenicæ Synodi authoritatem animum ali: vel hâc contumaciâ, non librum tantùm, sed ipsam hæresin propugnari, etsi aliud ore tenus prætexatur. Tutissimum est ergo credere, effuso cælestis sapientiæ lumine collustrari Ecclesiam, & ad fidei dogma statuendum: & ad verba, quibus illud expromatur, deligenda: & ad opuscula, quibus illud impetitur, explodenda: & ad opusculorum horum, perinde ac dogmatis hæretici defensores auersandos. Consequentia enim & concatenata hæc sunt. 4. Dogmata ipsa seu sensa diuinitus reuelata sunt. Verba autem seu contractiùs seu copiosiùs explanando dogmati necessaria, subinde & alia priùs, alia posteriùs accedunt, sic tamen vt ex delectu Ecclesiæ, indiuulsè iam dogmati cohæreant. Si verba ergo ipsa tantùm, siue tractatus lacessas, quibus vel fidem vel hæreses contineri decreuit Ecclesia, videberis forsan tu tibi litigare de verborum tantùm significatione; videberis forsan nec immeritò Ecclesiæ, ludicro hoc prætextu, ipsam fidem, quæ non potest nisi verbis aliquibus explicari, parricidialibus pugiunculis, eo detestabiliùs, quo occultiùs confodere. 5. Nemo nescit, quàmmulta etsi propriè ad diuinæ fidei reuelationem referenda non sint, ita tamen cum reuelatis cohærere capitibus, vt illis conuulsis, hæc collabascant. Melchior Canus l. 6. c. 8. *Concilium Nicænum in fide non errasse, aut Chalcedonense, aut Ephesinum, nullis sacris libris, nec in Apostolorum traditionibus explicatum est. Sed id solum, Concilia in Spiritu sancto le-*

LXXXV Quàm multa reuelatis indiuulsè cohærescant, ex Melchiore Cano, & Petro Aurelio.

gitimè congregata errare non posse. At quòd Concilium Nicænum, Chalcedonense, Ephesinum legitimè coacta fuerint ex diuina reuelatione non creditur. Creditur tamen ex humanâ fide & traditione historiæ fide dignæ, per quam habemus, eas Synodos indicentibus & confirmantibus veris Ecclesiæ pastoribus ex vniuerso orbe conuenisse. Vnde licèt earum rerum certitudo ac veritas, quæ in eiusmodi Conciliis definita sunt, ex duobus quasi principiis pendere videatur, quorum alterum reuelatum à Deo est, Concilia videlicet legitimè congregata certissimæ veritatis esse: alterum verò solâ certitudine naturali credatur, per ea quæ Scriptores graues & incorrupti memoriæ prodidere. At hæreticus erit, qui negarit earum Synodorum scita atque decreta, non aliter ac si negaret Euangelium. Et consequenter ibidem: *Quòd Sacerdotes nostræ huius ætatis à veris Episcopis rite fuerint ordinati, non est sacris literis proditum: sed res gesta potiùs est, quæ ex verbis & animo consecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio quod humana certitudine tenemus, videlicet hos Sacerdotes ritè initiatos esse, illud pendere necesse est, an in Ecclesia nunc sit verum Eucharistiæ Sacramentum. Quod qui inficiaretur, hunc Ecclesia existimaret hæreticum.* Et statim rursus: *Ad eundem modum, qui negarit Romanum Pontificem eandem habere potestatem, quam Petrus à Christo accepit, fidei aduersarius censendus est, quanquam ex Euangelio nihil aliud proximè colligatur, quàm Petri successores eundem habere cum Petro principatum. Quia si huic Euangelicæ conclusioni illam addas, Episcopum Romanum esse Petri successorem, quam ex historiis à traditione virorum grauium accepimus, manifestè colligitur Romanum Episcopum & cæteris Episcopis superiorem esse, & eandem habere in Ecclesia potestatem, quam habuit Petrus.* Qui dissentire in istiusmodi factis ab Ecclesia Catholica pertendet, illum vir doctissimus, illum experientia ipsa docet, non ceruicosum modò, aut superbum, vel insanum, sed hæreticum habitum iri. Quod hac tergiuersatione dogma ipsum quasi per cuniculos impeti sentiat Ecclesia.

6. Libet & alia eiusdem rei exempla promere à Petro Aurelio viro vsquequaque doctissimo, pro epist. Gallic. Antist.

Antiſt. *Quidquid Eccleſiæ conſenſui aduerſatur, ſemper erroneum, non ſemper hæreticum, Deique verbo contrarium eſt. Quia non omnis Eccleſiæ conſenſus certo Dei verbo, Scripturâque continetur, aut fidem prorſus Catholicam continet, etſi certitudinem habeat omni humanâ maiorem, ideoque illi obſtrepere ſit erroneum. Beatam Virginem Deiparam corpore ſimul & animâ in cælum iuiſſe, veriſſima doctrina eſt, Eccleſiæ conſenſu fulta, non tamen omnino Catholica fides: nec qui eam neget, vt erroris reus, ſic hæreſeos erit, aut Dei verbo refragabitur, in quo ea de re nihil exſtat. Multa ſunt eiuſmodi quæ nec apertè Scripturis inſunt, nec apertè definita fidei dogmata, quamuis fidelium conſenſu nitantur.* Ita ſuprà Poſthumianus apud Seuerum Sulpitium quam alij *hæreſin*, ipſe clementiùs *errorem* dicebat, Origenis non errores, ſed libros aduerſus conſpirantem Eccleſiæ authoritatem defendentium. Quàm non ſemper autem illa adhibeatur hæreſeos & erroris diligentior diſtinctio, ſuprà perſtrinximus.

Hactenus ita librare ſententiam enixus ſum, vt memor eſſem eius quod Gregorius nos monet l. 9. indict. 4. epiſt. 39. *Quia verò ſunt multi fidelium qui imperito zelo ſuccenduntur, & ſæpe dum quoſdam quaſi hæreticos inſequuntur, hæreſes faciunt: eorum infirmitati conſulendam eſt: & ratione & manſuetudine ſunt placandi. Illis quippe ſunt ſimiles de quibus ſcriptum eſt, Teſtimonium illis perhibeo quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Item Nazianzenus Orat. 26. *Illud ſaltem tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, &c. Multum diuque antè verſandus & conſiderandus eſt animus, multa ferenda, quàm vt alium impietatis damnemus. Non idem eſt ſtirpem, aut breuem quendam & caducum florem euellere, atque hominem excindere. Imago Dei es, & imaginem quoque Dei alloqueris. Iudicium quoque ſubibis, qui iudicas: & quidem alienum ſeruum iudicas & quem alius moderatur.* Hæc ad *fideles* pertinent, qui neminem præcipiti iudicio hæreſeos inſimulare debent, ſed Epiſcoporum expectare ſententiam, & ab eâ pendere, vt qui *moderentur* clauum Eccleſiæ: ſiue

LXXXVI. Nemini facilè hæreſis impingenda.

illi diſpenſatiuè velint *errorem* eorum, qui libros damnatos defendunt, diſſimulare : ſiue iuris vigore vtantur, & hæreſeos ſuſpectos etiam habeant.

LXXXVII. Nemo in ſuſpicione hæreſeos patiens eſſe debet, vel cauillator. Si nulli facilè allinatur, ſi cupidè à quolibet abſtergatur hæreſeos ſuſpicio, præclarè cautum erit paci Eccleſiæ : ſi denique Epiſcopali iudicio mos geratur.

Alioqui manet altâ mente nobis repoſtum, quod docet Hieronymus in epiſt. ad Pammach. adu. error. Io. Hieroſ. *Nolo in ſuſpicione hereſeos quenquam eſſe patientem, ne apud eos qui ignorant patientiam eius, diſſimulatio conſcientia iudicetur, ſi taceat.* Et paulò antè : *Certè ſi hereſeos nulla ſuſpicio eſt, vt cupio & credo, cur non verbis meis meum ſenſum loquitur ? Quam ille ſimplicitatem vocat, ego malitiam interpreter. Perſuadere mihi vult, quod purè credat : purè ergo & loquatur. Et ſiquidem vnum verbum vel vnus ſenſus eſſet ambiguus, ſi duo, ſi tres, ignorantiæ veniam tribuerem : nec ea quæ aut obſcura vel dubia ſunt, de certis & perſpicuis æſtimarem. Nunc verò quæ iſta ſimplicitas eſt, quaſi ſuper ona & ariſtas inter theatrales præſtigias pendenti gradu incedere, vbique dubium, vbique ſuſpectum ? Putes non expoſitionem fidei, ſed figuratam controuerſiam ſcribere.* Vides vt non cuilibet Catholicum ſe profitenti, ſtatim credatur : vtque de dogmate ipſo fidei ſuſpecti, dubiique haberentur librorum Origenis defenſores, ideoque indiſſociabiles cum libris errores defendere iudicarentur. Hæc duo ſi mordicus teneantur, vt nulli facilè illinatur hæreſeos ſuſpicio, illita anxiè & ſedulò abſtergatur : ingens excitabimus & paci Eccleſiarum publicæ, & priuatæ noſtræ exiſtimationi, ſalutique munimentum. Cùm ergo paulò ſuperiùs multiplices aperiebam fontes ſuſpicionum, quibus hæreſis ignominiâ aſpergerentur defenſores librorum ab Eccleſiâ damnatorum : non id agebam, vt omnes temerè & præfeſtinè his ſuſpicionibus indulgerent, & alienam temeritatem ſuâ imitarentur magis, quàm vlciſcerentur. Sed duplex ille nobis ſcopus obuerſabatur : vt à damnatorum librorum defenſione deterrerentur, qui hæreſeos ſuſpicionem & exinde ſibi imminere multiplicem, & omni ope impendioque eam fugiendam eſſe non neſcient : vtque Synodicis, Pontificiiſque decretis compluribus defen-

Digitized by Google

sio pararetur, quibus pari audacia atque imperitia dicam dicunt aliqui, quòd ab illis facti quæstio in causam rapiatur hæreseos. Non priuatorum est ergo, sed Antistitum Ecclesiæ præire in hæc iudicia : & suspicionum habenas laxare, vel inhibere, vt pacis Ecclesiasticæ & veritatis ratio iusserit. Suspicionum quippe, rei sponte suâ tam lubricæ & ancipitis, operosissimum est clauum regere, modum tenere. Paris est discriminis, illis nunquam & semper, minùs æquo & plus nimio se addicere. Pontificum ergo ea sit sapientia & potestas, vice Christi Ecclesiam & fidem administrantium : cæterorum est à Pontificum sententiâ non discedere. Alioqui conclamata est Ecclesiæ fideique concordia. Sunt certæ hæreses, sunt & suspiciones hæresûm. Sunt iniquæ, sunt & æquissimæ suspiciones : sunt leues, sunt graues, sunt & grauissimæ. Non repugnandum tantùm est malo, sed & occurrendum : non adulto, & conspicuo solùm, sed & latenti atque orituro morbo medicina condienda est. Dissimulari aliquando aliquæ suspiciones possunt, non omnes, non semper. Dispensationi locus est, est & rigori iuris tempestiuus. In hoc ergo salo tam incerto, quis tempestatum finis, si vel in aliena criminanda, vel in sua defendenda fama singuli non aliam, quàm suam sequi ducem pertendant præsumptionem? Vna in his salutis anchora, Pontificalis authoritas, & Iudicum Magistrorumque à Deo designatorum sententia. Dispensatio & clementia Pontificibus optari, suaderi, exorari potest : imperari, vel extorqueri non potest : vt quæ persæpe necessaria, persæpe vtilis, nonnunquam exitio sit. Exitiale autem semper sit, greges pastoribus, magistris discipulos, reos vel actores iudicibus legem dicere, & vim inferre. Ne in fidei autem negotio vel minima quæque aspernemur.

LXXXVIII. In fidei negotio nec minima aspernanda.

In id enim vergit illud Chrysostomi hom. 1. in c. 1. epist. ad Galat. *Et volunt subuertere Euangelium Christi. Atqui vnum dumtaxat aut alterum præscriptum induxerant, circumcisionem & dierum obseruationem innouantes. Verùm vt*

ostenderet, quod pusillum quiddam perperam admixtum, totum corrumpit, dixit subuerti Euangelium. Quemadmodum enim in monetâ regiâ, qui paulum aliquid amputauit de impressa imagine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subuerterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. Vbi sunt igitur qui nos vt contentiosos damnant, eo quod cum hæreticis habemus dissidium, dicitantque nullum esse discrimen inter nos & illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam? Et mox: *Hoc ipsum igitur est omnium malorum causa, quod ob pusilla non indignamur. Ob id enim maiora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur.* Vide & hom. 34. in epist. ad Hebr. Si circumcisione, si dierum obseruatione subuertebatur Euangelium, quid tota librorum hæreticorum eluuione in Ecclesiam inundante, & portam latissimam illi pandentibus his Theologis, qui facti liberam quæstionem cauillantur, an libris illis contineatur hæresis, eaque in re obrepere errorem Ecclesiæ potuisse? Quantumlibet enim solam sibi copiam flagitent dissentiendi, nec contra se quidquam vel dicturos spondeant, vel scripturos, futilia hæc sunt effugia. Nam primò in tam prolixa hactenus serie & sæculorum & Synodorum & Patrum, vbi hanc, oro, vel petitam, vel impetratam licentiam vsquam inuenient, dissentiendi à iudicio Synodi œcumenicæ, doctrinas librosque examinantis? Vsurpatam, sat scio, inuenient, non impetratam, non concessam: & vsurpatoribus semper impendentem ignominiam. 2. Quid in Ecclesiæ & Synodi dedecus effutiri turpius potest, quàm vtcumque neruos omnes contendat, exhauriatque lumen suum omne Ecclesia Catholica in libro quopiam examinando: fas adhuc esse occinere, hanc facti quæstionem esse, & à quolibet vsurpari posse potestatem contrà iudicandi? 3. Silentij huius sui quæ, oro, fides, quæ constantia erit, cùm eorum patrocinium prætendant sibi, qui palàm & coram errasse sextam Synodum in Honorij, quintam in Theodoreti vel Ori-

LXXXIX. Ad eosqui silentio solo venerandas gẽniunt has Ecclesiæ definitiones.

genis ſcriptis damnandis, erraſſe Synodos poſthæc omnes in Honorij, Theodoreti & Origenis damnatione comprobanda, non ſentiunt tantùm, ſed in propatulo prædicant & ſcriptitant? Cur ſilentij legem ſubeunt, à qua abhorruere, quos patronos ſequuntur? an horum loquacitatem culpant? cur exemplo eorum vtuntur, quos non culpare non poſſunt? An ſolam horum diſſentiendi licentiam tenere volunt? At ſcriptitare quod diſſentias, nonne id refellere iam eſt? Diſſenſionis ſanè conteſtatione, non aliter quàm refutatione, Eccleſia offenditur. 4. Sed nemo non intelligit, ſilentium iſtud ſimulatione paulatim vaneſcente vaneſcere, & in propatulo tandem definitiones de Honorio, de Theodoreto, de Origene oppugnari. An tandiu tenenda hæc ſilentij religio, quandiu feruent iurgia; quorum vbi calor deferbuit, tum impunè Synodico decreto obtrectabitur? An ergo & Synodi & Eccleſiæ authoritas aliquando exaggeratur, & pòſt inaneſcit? An potiùs vna & eadem, inexpugnabiliſque cùm ſit, pari ſemper proſequenda eſt religione, non illâ ſimulatâ, ſed genuinâ: & animi conſenſionem, non inanes oris ſonos complectente.

XC. Ad eos qui rogitant, diuinâ an humanâ fide hæc conſtent.

Quod porro rogitant, diuina id, an humana fide conſtet, reprobatam communi conſenſu hæreſin hoc libro contineri: id ſanè deſperatiſſimæ cauſæ extremum & pudendum effugium eſt. Cui enim ſubiit tam dira libido tricandi, vt de Arij, Neſtorij, Eutychetis & aliorum hæreticorum opuſculis damnatis, litigaret, diuina an humana fide horum damnationi inhærendum eſſet? Quis de Paſchæ, de aquæ calici inſtillandæ, & de tot aliis id genus conſtitutionibus ſynodicis, controuerſiam fecit, hoc obtentu, quòd minus liqueret, diuina an humana fide his eſſet ſubſcribendum? Quid ſi pari iure roget quis, Nicæno, Conſtantinopolitanoque ſymbolo, & epiſtolâ Leonis ad Flauianum, vel Chalcedonenſis Synodi prolixiore definitione Catholicum dogma contineri, diuinâ an humanâ conſtet fide? Apage has argutias, Patribus no-

ſtris & melioribus ſæculis inauditas. Quintæ enim Synodo quis hac vnquam exceptione illuſit, niſi poſteriore hoc & degenere æuo, cùm licentioſa diſputandi prurigine, non pauca Chriſtiani myſterij arcana penè in ludibrium venerunt? Reuocanda in vſum ſi qua fieri poteſt, illa maiorum noſtrorum ſimplicitas, his quæſtionibus inimica.

XCI. Ad eoſdem. Eſto, vt cum Aurelio dicamus, his non Catholicam prorſus fidem contineri, ſed includi tamen *certitudinem omni humanâ maiorem, ideoque erroneum eſſe hæ obſtrepere.* Eſto, vt cum Melchiore Cano dicamus quædam eſſe humano tantùm fulta teſtimonio, quibus tamen ob inuiduam cum rebus fidei concatenationem quiſquis obloquitur, hæreſeos reus agatur. An Eccleſiæ Chriſti ne humanam quidem fidem arrogabunt? Quanta porro ſunt, quæ tametſi mulierculârum tantùm authoritatibus credamus, inconuulſa tamen noſtris in animis ſunt, familiarum & hæreditatum arcana, & id generis quàm multa.

XCII. Ad eoſdem. Sed quanquam ſcholæ iunioris Magiſtri has diſtinctionum ſubtilitates quandoque erudito in otio ſuo vtiliter ſectati ſint, id certò nobis liquet, ſanctos Patres olim & eorum ſequaces etiamnunc Epiſcopos, ſeu ſynodicè, ſeu ſolo Spiritûs ſancti vinculo adunatos, ad eas nunquam inclinaſſe, vel Canonicas definitiones accommodaſſe. Ecquâ enim vſquam in Synodo diſcriminatum id reperies, vel quâ in fidei Catholicæ confeſſione, ſeu formula publica, ſeu ſubſcriptione, quid diuina, quid humana fide tenendum ſit? Quin ex aduerſo, vt ſupra conſtitit, in omnibus Synodis, in omnibus fidei confeſſionibus, indiſcriminatim & decretis fidei & hæreticorum ſeu authorum ſeu librorum damnationi ſimul & ſemel ſubſcriptum eſt. Diſtinctione vtantur, vt volent, in ſcholaſtico ſuo otio, at Synodus quælibet, at Eccleſia ſuorum inuiolabiliter morum tenaciſſima, vt olim, ita & nunc errores ſcriptoreſque promiſcuo anathemate confixit,

Digitized by Google

configi à fidelibus imperauit. Nihil hac ſimplicitate tutius, nihil maieſtati Eccleſiæ conuenientius.

XCIII. Quælibet Synodorum decreta quamproximè ad diuinum ius accedunt.

Quid ſi illud refricem, quod alibi delibauimus, diuino iure & diuina authoritate ipſum Eccleſiaſticum ius & morem quodammodo radiare? quòd ab Euangelico & diuino iure proximè fluat, eiuſque ſplendore toto perfundatur. Et quod ſuprà Ferrandus in hoc ipſo de damnandis libris, ſeu tribus Capitulis negotio, monuit, *Concilia ſecundæ authoritatis locum poſt Canonicos libros tenere:* vtque in his, ita in illis: *Si quis non valeat altitudinem cæleſtis oraculi comprehendere, quòd non intelligit, credat, vt quod credit, mereatur intelligere.* Et quod Facundus lib. 12. cap. 2. *Si quam reuerentiam deferimus etiam Synodalibus inſtitutis, ab Eccleſiâ vniuerſali receptis, in omnibus quæ obſcura in eis, & ad intelligendum difficilia reperimus, diuinam voluntatem cognoſcere atque approbare debemus.* Et denique quod Chryſoſtomus ſerm. in eos qui Paſcha ieiunant: Nicænæ Synodi definitionem de Paſchæ die, vtique in re facti verſantem, religioſa tamen quadam muniens authoritate: *Atque ex his athletis collecta tum fuerat Synodus vniuerſa. Ergo qui fidem temporibus adeò difficilibus non prodiderant, hi propter dierum obſeruationem diſſimulatione vti potuerunt? Vide quid agas dum tantos Patres condemnas, adeò fortes, adeoque ſapientes. Nam ſi publicanum condemnans Phariſæus omnia bona perdidit, quæ habebat: quâ veniâ dignus, quâ defenſione cenſeberis, qui aduersùs tot doctores Deo charos, idque iniuriâ & contra rationem inſurgas? Non audiſti Chriſtum dicentem, vbi duo vel tres ſunt in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum? Quid? Si vbi duo treſve ſunt, medius eſt Chriſtus: vbi trecenti ac multo plures aderant, multo magis aderat, omniaque decernebat. At tu non illos tantùm condemnas, ſed & orbem terrarum vniuerſum qui ſententiam illorum comprobauit.*

Tom. 5. pag. 707.

XCIV. Nullum Scriptorem priuato affectu fouebant defenſo-

Atque vt finem tandem huic diſſertationi ponamus, id rurſum ex Facundo adnotabimus, non Theodoro, non ſcriptori vlli tantopere vel ipſum, vel commilitones eius

rest trium Capitulorum.

ſtuduiſſe, ſed Synodo Chalcedonenſi, quæ diſertis verbis trium Capitulorum meminerat: hâc illæsâ, facilè paſſuros damnari Theodorum. Adu. Mocian. ſic ille: *Nam cùm dixi, Ego enim fateor ſimpliciter beatitudini veſtræ, non pro Theodori Mopſueſteni damnatione, me à communione contradicentium ſubtraxiſſe: hoc enim vel ſi approbandum non ſit, ferendum tamen exiſtimo. Nec tantam cauſam eſſe iudico, pro quâ deberemus à communione multitudinis ſegregari; doctrinæ Auguſtini memorem me fuiſſe monſtrani.* Cauſæ Chalcedonenſis Concilij ſe cauiſſe mox declarat. Et ille quidem tum ibi, tum alibi multitudini Epiſcoporum capita damnantium, illudit quaſi Hilarij, quem Auguſtino compo-

Spicil. tom. 3. pag. 118.

nit, exemplo. Vnde in epiſt. *Audite quòd etiam ſanctus Hilarius Epiſcopus confeſſor & doctor egregius, quibuſdam Epiſcopis tempore Conſtantij Imperatoris, quo ſic Ariani ſub nomine pacis & regis pernaſerant vniverſas penè totius orbis locales Eccleſias, ſicut nunc Eutychiani ſiue Acephali, de hac re ſcribat, &c.* Et tota ſanè hac epiſtola, itemque libro ad Mocianum, in omnem partem ſe verſat idem Facundus, vt eorum machinas diſſiperet, qui ipſum ad communionem Eccleſiæ Catholicæ reuocabant, à qua nunquam recedendum eſſe Auguſtinus tam conſtanter docuiſſet. Excipiebat autem ipſe vt vno verbo dicam, erraſſe in fide damnatores Capitulorum: ideoque non ſe, ſed illos antè à communione, & fide Eccleſiæ Catholicæ ſeceſſiſſe: non poſſe autem quenquam communioni eorum, niſi & fidei ſociaretur. Vbi vides quò euadant tandem iſta diſſidia: vt Eccleſiæ fidei illudatur & authoritati.

XCV. Defenſoribus vim inferebant damnatores vt ſecum communicarent, & ita clam damnationi conſentirent.

Vt verò ex eadem Facundi epiſtola liquidò eſt, Synodi ſectatores ſeu Catholici Capitulorum defenſoribus vim inferebant, vt ſecum communicarent; quòd extra Catholicæ Eccleſiæ communionem, decocta ſit ſpes tota ſalutis. Hi renuebant, communioni indiſſociabilem fidem iactantes. Illi fidem ſe eandem cum Chalcedonenſi Synodo tenere & ſequi clamabant, de tribus verò Capitulis liberum eſſe à Synodo diſſentire, nec ſemel vlli eorum

Digitized by Google

eorum dicere excidit. Itaque quasi conceſſo, vna communione vnam etiam de præfatis ſententiam promitti, ad ſecum, id eſt, cum Eccleſia Catholica communicandum cogebant. Facundus in epiſt. *Non erubeſcunt miſeri ore ſacrilego, atque impudenti procacitate dicere, ſe vnam cum non damnantibus fidem tenere, &c.* Et mox, *Neque tantummodo verbis mendacibus in errorem traducentes, ſed violentis inſuper perſecutionibus ad conſentiendum ſibi, vel communicandum quos potuerint pertrahendo cogentes.* Vides vt *conſentire & communicare* idem reputet. Quò videtur trahendum & id quod apud Hincmarum legitur Opuſc. 55. c. c. 48. ex neſcio quibuſdam in hoc diſſidio ſubornatis *decretis Apoſtolicæ Sedis, quando Vigilius ex Apoſtolico, poſt multa & terribilia præſtita ſacramenta, in hæreſin lapſus Conſtantinopoli detinebatur, &c. Sic ſemper habuit omnis Eccleſia, quia qui in vna communione conſentiunt, vno dogmate, vna charitate, vno tenentur aſſenſu. Sicut enim communio & ex omnibus offerentibus vna fit, & vna redit in omnibus, non parte corporeâ ſed virtute diuinâ: ſic vnanimitas per omnes illic communicantes excurrit. Nec nobis iam dicas, Ergo ſi criminoſus ſit ſacerdos, crimen redundat in populos. Aliud eſt enim quod committitur: aliud quod etiam prædicatur. Priuatum eſt, quòd ab vno quoque committitur: commune verò ſit Eccleſiæ, quod publicè prædicatur, tantorumque ſacerdotum manu ſubſcribitur. Et ſicut tu abſolui non potes, ſi contraria ore prædices, contraria vno eodemque tempore manu ſubſcribas: ſic ipſa omnium veſtrûm collectio abſolui non poteſt, ſi contraria dicat & contraria faciat, id eſt, ſi communicet ſacerdoti à cuius prædicatione & ſubſcriptione diſſentit. Sicut enim os tuum & manus tua vnius eiuſdemque corporis membra ſunt: ita vnius eiuſdemque Eccleſiæ membra ſunt ſacerdotes & populus, ſiue cum Catholicis Catholicus, ſiue cum non fidelibus infidelis.* Hæc cùm altiſſimas egiſſent radices in eorum animis qui tria Capitula primùm defendebant, vbi poſtea patuit ea ab vniuerſitate Epiſcoporum orbis damnari, à cuius communione nefas erat excidi: inde nimirum compulſi ſunt quibus communicare neceſſum

Digitized by Google

erat, iis etiam consentire. Ideo Pelagius vterque & Gregorius ad suam & Ecclesiæ vniuersalis communionem inuictissimis argumentis omnes reuocant, dissentiendi licentiam nec verbo attingunt. Quin imo rationem, satisfactionem, veritatem, dubiorum elucidationem promittunt, nusquam vt in facti disceptatione Quintam Synodum à Quarta discrepare, & altetutram errare potuisse concedunt. Gregorius lib. 4. epist. 49. *Deus qui lætatur in vnitate fidelium, & reuelat quærentibus veritatem: cordibus vestris aperiat quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ vniuersalis Ecclesiæ contineri, & in eius manere vnitate concordes, &c. Ego satisfacere vobis de quibus dubitatis paratus sum, &c. ita vobis satisfactio mea interiùs inhærebit, &c. Ea quæ quatuor Synodi sapuerunt, ita & nos sapimus, &c. Vt ad me venire debeatis, dummodo ratione perceptâ, à concordiâ sanctæ vniuersalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet.* Satisfactio porro ne fingi quidem alia potest, quàm quæ suis & Pelagij epistolis ab eodem Gregorio intexta prolixius est, Nestorianum virus tribus Capitulis infusum esse, nec illa vnquam à quartæ Synodi Patribus approbata fuisse. Et l. 7. ep. 54. *Hoc studiosiùs cogitet tua dilectio, ne errorem schismaticorum sequens, à sanctâ vniuersali Ecclesiâ diuisa possit inueniri. Et quid tot labores proderunt, si in vnitate fidei inuenta non fuerit, &c.* Hæc ille, præfatus paulò antè nihil quartæ Synodo obstrepuisse *eam, quæ post illam generaliter facta est.* Et lib. 10. epist. 37. Firmino Episcopo Istriæ gratulatur, *quòd cor eius Deus illustret, vt deserto erroris obscuro, ad cognitionem lucis & viam redeat veritatis: quodque eum diuinitatis gratia ad vnitatem Ecclesiæ, à quâ pertinacium & imperitorum hominum instinctu disiunctus fuerat, reuocauit.* Et lib. 2. epist. 36. ad Episc. Hiberniæ, *Vt de tribus Capitulis animis vestris ablatâ dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui transmittere. Quem si depositio voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde sæpius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem*

Digitized by Google

noſtram nihilo minus reuerſuros eſſe confido. Porro autem ſi poſt huius libri lectionem in eâ quâ eſtis deliberatione perſiſtere volueritis, ſine dubio non rationi operam, ſed obſtinationi vos dare monſtratis. En quò deſineret illa ſatisfactio, ratio, veritas vnitatis reconciliatrix futura, vt libro Pelagij ſeu epiſtolæ acquieſcerent, tria Capitula vt hæretica rite damnata oſtendenti, nec vel vllam rimam liberæ diſſenſionis aperienti. Et lib. 2. epiſt. 10. *Id decet, ad vnitatem ſanctæ Eccleſiæ remeare, &c.* antè profeſſus erat *de perſonis de quibus poſt terminum Synodi Chalcedonenſis aliquid actum fuerat, Iuſtiniani temporibus ventilatum eſſe, ita tamen vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eiſdem perſonis aliquid aliud ageretur, quàm apud eandem ſanctam Chalcedonenſem Synodum fuerat conſtitutum.* Non fidei tantùm, ſed & de perſonis factæ definitioni Chalcedonenſi quintam Synodum congruere prædicat. Vide & lib. 3. epiſt. 4. 14. 34. & lib. 8. epiſt. 36. Vbique conſtantiſſimè ad vnitatem Catholicam reuocat, conteſtatus ab eâ quatuor Synodos honorari, *quoſcumque illæ damnant, damnari; quoſcumque abſoluunt, abſolui:* adeoque nihil quintam Synodum quartæ conflictari. Et ne longum faciam, ſuprà laudatas, aliaſque peruolue epiſtolas Pelagij Papæ primi & ſecundi, ita vbique ad communionem vniuerſalis Eccleſiæ compelli videbis Capitulorum defenſores, vt perſuadeantur antè, nec in fidei, nec in perſonarum ſeu librorum iudicio, quidquam per Synodum quintam quartæ derogatum eſſe: adeoque ipſa communione cum Eccleſiâ Catholicâ, quintæ etiam Synodo quodammodo ſubſcribi. Et Africam quidem ipsâ communicandi maximè cum Eccleſiâ Romanâ neceſſitate, ad conſentiendum quintæ Synodo perductam ſtatim fuiſſe, coniectura inde exiſtit ſatis firma, quòd nec primus, nec alter Pelagius, nedum Gregorius de illis ad vnitatem reuocandis legantur laboraſſe. Idem multò certiùs de Galliâ & Hiſpaniâ conſtat.

Quibus ſi illud adiicias, ne Eutychianis quidem vel Neſtorianis compeſcendis atque ſanandis illud Eccleſiam

XCVI. Nuſquam tunc auditum in libro-

Digitized by Google

rum iudiciis errare Ecclesiam.

condonasse, vt fateretur in factorum seu librorum iudiciis hallucinari potuisse quartam Synodum; inde magis magisque persuadeberis ab hac tum opinatione alienissimam fuisse Ecclesiam Catholicam: Suum enim in Chalcedonensem Synodum odium Acephali hoc obumbrabant prætextu, quòd ea in tribus Capitulis Nestorianam hæresin authorasset. Ex aduerso Nestoriani immani studio Chalcedonensem eandem extollebant Synodum, quàm suæ vesaniæ in tribus Capitulis descriptæ suffragatam mentiebantur. Expeditissimum id fuisset vtrisque refellendis, si excepissent Catholici, Synodos etiam œcumenicas in librorum iudicio hallucinari quandoque posse, vt hæreses sibi videre videantur vbi nullæ sunt; ibi nec suspicentur, vbi deliteſcunt. Sed nec quintæ Synodi Patribus, nec tot eius defensionem aggressis Antistitibus id vnquam in mentem venit.

XCVII. Quo sensu verum sit, liberam hanc esse quæstionem, & non de fide, sed de personis.

Vbi ergo iidem Pontifices inculcant nihil *de fide*, de Capitulis quibusdam *extra fidem*, *de personis tantummodo*, *nihil aliud nisi de personis* actitatum esse in quintâ Synodo; vbi & nos suprà sæpissime liberam hanc fuisse controuersiam admonuimus, vt nihil periculi crearetur fidei orthodoxæ, quocumque rei exitus verteret: non id agebatur, vt definitioni quintæ Synodi seu damnationi horum librorum consentire vel dissentire liberum esset. Hoc enim operosè satis, & vt arbitror, inuictissimè refutatum est. Sed eò illa pertinebant vt Ecclesiæ ipsi liberum esset, vel dispensatiuè abstinere à damnandis illis libris, vel eosdem ex iuris vigore damnare. Damnari enim possunt, quia hæresum portentis scatent: possunt & non quidem probari aut defendi, sed omitti, vt apertissimè Cyrillus suprà relatus, & Vigilius Papa docebat: quia damnatâ hæresi, non statim necessariò impetus faciendus est in authores & libros omnes eâ imbutos. Quocirca minùs assentior equidem Leontio act. 6. de Sectis, dispensationem interpretanti, quod Iustinianus damnari curauerit Theodoretum & Ibam, vt hæsitantes hæreticos vel sic

Digitized by Google

deliniret. *Reſpondemus Iuſtinianum hoc feciſſe κατ' οἰκονομίαν. Nam quia videbat horum causâ Hæſitantes Synodum auerſari, perfecturum ſe putabat vt iis anathematizatis Synodus reciperetur : ideoque duos anathematizandos duxit, quanquam minimè anathematizatos oportuit, vt omnes ad vnionem redigeret. Hanc igitur ob cauſam illos anathemati ſubiecit. Verùm ne ſic quidem adducti ſunt haſitantes, vt Synodum reciperent.* Occonomiæ ſeu iuris remiſſioni nemo id adſcripſerit, quod aliqui, maximè verò innoxij damnentur ; ſed id potiùs, quòd vel noxij non damnentur. Oeconomiæ ergo magis erat, quòd vt idem Leontius antè dixerat, nec Cyrillus, nec Cyrilli imitatrix Chalcedonenſis Synodus, vel Theodori ſcripta damnauerat, vel Theodoretum ſua eiurare adegerat. Cyrillum patenter audiuimus ſuprà diſpenſationi hoc vendicantem. Si id diſpenſationi, quod Iuſtinianus ergo fecit, iuris auſteritati adſignandum.

XCVIII. Principatus Sedis Apoſtolicæ in hoc certamine.

Paucis nunc ad Nouatores conuertamur, qui ingens maieſtati Sedis Apoſtolicæ & principatui vulnus inflictum eſſe blatterant hac quinta Synodo, quæ ſine Vigilio & ipſi aduerſam protulit definitionem, quæ demum adeò non ab ipſo authoritatem accepit, vt ipſum potiùs authoritate ſua fregerit, vt ſibi cederet. Contrà autem nuſquam euidentiùs patuit, quàm à nutu atque inclinatione primæ Sedis propenderent huc vel illuc definitionum & Synodorum Eccleſiæ momenta. Nam vt Facundus author eſt l. 4. c. 4. violento Principis iuſſu coactus Menas ſubſcribere capitulorum damnationi, *ſe nihil acturum ſine Apoſtolicâ Sede promiſerat :* cumque ſubſcripſiſſet, Stephano Eccleſiæ Romanæ Diacono *ſub eâ ſe conditione ceſſiſſe, & iuratum ſibi fuiſſe reſpondit, quòd chirographum ſuum reciperet, ſi hæc Romanus Epiſcopus non probaret.* Item Zoilus Alexandrinæ Eccleſiæ antiſtes, *cùm Romanum Epiſcopum venire cognoſceret, obuiam illi ad Siciliam miſit, conquerens ſe neceſſitate ad ipſius decreti affirmationem fuiſſe compulſum.* Cæteri Epiſcopi, *poſt ſubſcriptionem eidem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apoſtolicæ tranſmittendos, confiten-*

Digitized by Google

tes in eis quod à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent. Vides vt tametsi potestate imperatoria in præceps raperentur, à nutu tamen se profiterentur pendere Vigilij. Et ibid. c. 3. *Hoc est autem mirabile, vt postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quòd Ecclesiam Romanam consulerent, & sententiam Vigilij eius præsulis expectarent.* Et l. 2. c. vlt. *Si Leo quidquam in disceptationem revocare non passus est, quomodo ab his creditur quartus decimus successor eius sanctus Vigilius novum posse aliquid indicare?*

XCIX. Rursus de eodem.

Quid quod Vigilius ipse, vt ait Gregorius l. 2. epist. 36. *In vrbe regia constitutus, contra Theodoram Augustam, & Acephalos damnationis promulgavit sententiam.* Idem vt suprà ostensum, in vrbem regiam ingressus, statim Menam & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit. Cumque rem prorogari ad Synodum œcumenicam placuisset, & præter datam fidem Imperator edicta promulgasset per quæ tria capitula damnarentur: edixit contrà Vigilius, vt aiunt Clerici Italiæ in epist. datâ Legatariis Francorum, *Quicumque edictis istis consensum prabere voluerit, sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum.* Et tandem edicta ipsa amoueri peruicit.

Venio ad ipsam Synodum, cuius act. 1. extat Sacra Iustiniani, quâ Vigilium consensisse damnationi trium Capitulorum ex ipsis eius epistolis probat, vt eodem compellat & Synodum. Extat & mox epistola Eutychij Vigilium ad Synodum inuitantis, vt ipso *Præsidente* de Capitulis inquiratur; illud sanè præfati, *Suscipere se & amplecti epistolas præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ, tam aliorum, quàm Leonis de fide scriptas.* Quid ipsa Legatio ad Vigilium missa omnium Patriarcharum & septemdecim Metropolitanorum, singularis membrorum in caput suum venerationis significatio quàm elegans est? Actione rursum 7. Iustinianus vt calcaria subdat ad Capitulorum condemnationem, & verbo & scriptis à Vigilio ea iam sæpius damnata testatur, *Vt etiam ea quæ sæpius ab ipso facta sunt, ad condemnationem trium Capitulorum, vos audientes,*

Digitized by Google

alacriores efficiamini, &c. Et collat. 8. Synodus ipsa pronunciatura definitionem suam, priùs id contestatur, *Vigilium tam sine scriptis, quàm in scripturis tria Capitula condemnasse.*

Sed & ipse Vigilius impetratis à Principe viginti dierum induciis intra quos sententiam suam scriptis explicaret, Pelagium Diaconum ad Episcopos misit, vt eos moneret, ne ante promulgationem sententiæ suæ quidquam ipsi præuerterent definire, *antiquum & regularem custodientes ordinem, ne antè nostræ, hoc est, Sedis Apostolicæ cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, vnde scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.* Vt in eius Constituto habetur. Quid quod in epistola per illustrissimum Petrum de Marca euulgata, nec verbulo saltem vno Synodum quintam commemorat: quòd nempe non exæquato vt conuentum fuerat, Occidentalium cum Orientalibus numero habita esset, eique ea de causa ipse nec accessisset, nec consensisset? At tria Capitula Vigilius suo decreto & suæ sedis authoritate condemnat, Synodi vitia dissimulans & vlciscens hoc suo silentio. Nec fractum se authoritate Synodi cessisse, sed veritatem quæ priùs latebat, sibi alluxisse sæpius testificatur.

C. Iterum de eodem.

Sed cùm damnationi trium Capitulorum & Synodo aduersaretur cum Romano Pontifice totus Occidens, nondum ea vtique tunc poterat œcumenica Synodus existimari, à qua tanta Ecclesiæ portio & abfuisset, & dissideret. Cùm ergo induerit illa tum demum œcumenici Concilij authoritatem, cùm Occidentalis Ecclesiæ accreuit ei consensio, quis huius vel signifer vel author fingi potest alius, quàm Romanus Pontifex? Testatum id faciunt epistolæ Romanorum Præsulum quoquouersus sparsæ, quibus denique ij etiam qui secessionem fecerant, recollegerunt se in matris sinum Catholicum.

CI. De eodem rursus.

Idem vehementiùs etiam persuadebitur Origenis damnatione, quæ cùm & ante Synodum & in Synodo facta

CII. Item ex Origenis damnatione.

Digitized by Google

sit, vnius præ cæteris authoritati Vigilij vendicatur. Cassiodorus diu. Lect. l. 1. c. 1. *Origenem licèt tot Patrum impugnet authoritas, præsenti tamen tempore & à Vigilio viro beatissimo Papâ constat denuo esse damnatum.* Vide & Euagrium l. 4. c. 37. cuius & hoc præclarum est, nequem nimium obstupefaciat ista Episcoporum tunc inter se tam animosa & maleuola concertatio, *Deum totius boni fontem, hæc omnia præclarè administrasse, vt hinc & inde profana & impia reiicerentur.*

CIII. Non fauebant tribus Capitulis nisi Latini, quia Græcæ linguæ ignari.

Hactenus porro nequaquam omnes de factis & personis Synodicas disceptationes complexi sumus : sed eas duntaxat, quæ in librorum examine & censura versarentur. In cæteris enim vt quæ ab hominum testimoniis, rerumque experimentis in dies nouè emergentibus pendeant, nefas est ab Augustini, nefas à iuniorum Theologorum consensu deuiare. At in his quæ sana librorum vel insana rimantur dogmata, nil testimoniis hominum, nihil nouis datur experimentis. Nisi si meminisse velis Pelagij qui Latinos homines vtpote *Græcitatis ignaros* in defensione trium Capitulorum diu hallucinatos aiebat : & Vigilij qui in Constituto se *Græcæ linguæ ignarum* fuisse, nec nisi vicariâ operâ potuisse gestâ Chalcedonensis Concilij perlegere confitetur. His quippe antè opinantibus tria Capitula Chalcedonensi Synodo approbata fuisse, cuius gesta omnia non legerant : pòst ex accuratiori eorundem lectione patescere potuit, actione sexta finem Synodo impositum fuisse, & ideò hactenus eam à Leone Papa esse confirmatam & irretractabilem proinde habendam : de tribus verò Capitulis postea actum esse iis conuentibus, qui nec maiestatem œcumenicæ Synodi, nec Leonis confirmationem, nec irretractabilem adeò authoritatem præ se ferant. Potest vtrumque nouum istud videri *experimentum*, ad quod fortassis Gregorius alludit, cùm dissentire quintæ Synodo conqueritur complures eo quòd *non legant*. Hoc nouo experimento Latini priùs defensores trium Capitulorum ea damnare adducti sunt.

Nec

Digitized by Google

Nec enim, vt iam monui, ipſa per ſeſe Capitula ſeu libros damnatos, ſyllabatim trutinari, & vel inuitos captiuoſque trahere contortis interpretatiunculis ad rectum ſenſum laborabant, niſi vnus & alter; ſed Chalcedonenſis Concilij vel approbationi, vel diſpenſationi conſtanter inhærendum exiſtimabant. Quin Facundus ipſe ſuprà teſtatus eſt, ſi de ſolâ Theodori damnatione verteretur, nihil ſe refragaturum: ſed cauendum eſſe Synodo Chalcedonenſi, cuius in non damnando Theodoro oſcitantiam ſuggillaturi erant Acephali.

CIV. Defenſores trium Capitum plerique, eorum tamen doctrinam cum Eccleſiâ damnabant.

Itaque illa perſonarum & factorum quæſtio, non in eo vertebatur, an hæreticus ſenſus Theodori & Theodoreti & Ibæ ſcriptis contineretur: ſed an horum ſcripta ſeu nomina, in Chalcedonenſi Synodo eſſent damnata, vel approbata, vel diſpenſatiuè prætermiſſa, itemque an mortuis in pace Eccleſiæ infligi poſteà deberet anathema. Reuolue animo quæ ſuprà ex Romanis Pontificibus adſcripſimus, eo in vno deſudare comperies, vt Chalcedonenſi Synodo euincant non fuiſſe hæc Capitula authorata. Eodem referuntur quæ ex Iſidoro Hiſpalenſi & aliis retulimus. Idem patet ex Leontio Scholaſtico qui act. 6. de ſectis, damnari non debuiſſe, diſpenſatiuè tantùm damnata fuiſſe ait tria Capitula, nefarios illis errores ineſſe non diffitetur. Vigilius ipſe Papa in Conſtituto, etſi damnari vetet tria Capitula, ſexaginta tamen articulos ex Theodori libris decerptos iterum atque iterum execratur, & hac vna ratione eius damnatione abſtinendum cenſet, quòd diſpenſatiuè ea abſtinuerit Cyrillus, Proclus, Epheſina, & Chalcedonenſis Synodus; quòd denique Romani Pontifices ita iubeant, Romani mores ita ferant, non aliis mortuis, quàm quibus viuis, communionem vel denegari, vel impartiri. Theodoreti ſcripta in Cyrillum, adeò non ſubtilitate interpretandi ab erroris ſuſpicione liberat Vigilius, vt ea dicat ab ipſo Theodoreto Chalcedone vbi Neſtorio & eius dogmati dixit anathema, *fuiſſe ſine dubitatione damnata*: aut iudicaſſe Synodum *eum nihil*

tale feciſſe, id eſt, duodecim Capitula non refutaſſe: aut imitandum Cyrilli exemplum ſibi propoſuiſſe, qui concordiæ cùm Orientalibus initæ tempore, ea *tanquam ſi acta non fuiſſent, pacis amore, ſilentio dereliquit*: Poſtea autem iubet Vigilius Theodoreti nomini parci, ſed interim *quæcumque ſcripta vel dogmata eius cuiuſlibet nomine prolata, ſceleratorum Neſtorij atque Eutychetis manifeſtantur erroribus conſonare, anathematizamus atque damnamus*. Itaque qui Theodoreti defenſitanda nunc incautiùs ſcripta ſuſcipiunt, non aduertunt, ne olim quidem ab vllo ad eum modum defenſa fuiſſe, cùm contentionis ferueret æſtus; ſed vel ab ipſis defenſoribus ſuis fuiſſe damnata, ſi vnum demas Facundum, qui ex conſequenti tantùm, vt eorum ſenſum defenderet, impulſus eſt, quòd ea ſine ſtrage Synodi Chalcedonenſis damnari non poſſe autumaret. Græci omnes qui ea legerant & intellexerant, damnabant; Latini qui nec legerant, vtpote Græcitatis ignari, defendebant, ſolo ex rumore Chalcedonenſis Synodi, quam nec plerique legerant.

¶ V. Refellitur eorum obiectio, qui Synodi generalis iudicium de doctrinâ librorũ emendari aliquãdo poſſe negantur.

Inſidioſum eſt autem, quod tricantur damnatos etiam ab œcumenicâ Synodo libros, retractari rurſus poſſe, & ad noui examinis libram expendi, ac ſi fors, à priori damnatione abſolui: idque probant ex Leonis Magni epiſtolâ 62. itemque ex Pelagij Papæ epiſt. ad Epiſcopos Iſtriæ. Ita enim Leo: *Siquid ſanè ab his fratribus, quos ad ſanctam Synodum vice meâ miſi, præter id quod ad cauſas fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantùm ab Apoſtolicâ Sede ſunt directi, vt excuſſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores. Quidquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam diiudicandi rationem habere, ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam definitum.* Quibus exſcriptis Pelagius hæc ſubiicit: *Apertè nobis licentia tribuitur, vt quidquid illic extra fidei cauſas de perſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis quippe Synodalium Conciliorum cauſa eſt fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone*

Digitized by Google

docente oſtenditur, quia nihil obſtat, ſi ad iudicium reuocetur. Vniuerſim ergo hinc ominantur, non irretractabile, atque adeò non immutabile, non infallibile eſſe iudicium quodcumque, quòd extra ſpeciales Synodalium Conciliorum cauſas, id eſt, præter fidem extiterit. Tametſi enim ibi Leo de Anatolij ambitu & ambitioſo canone verba faciat: vniuerſalis eſt tamen illa regula, Specialem Synodorum cauſam eſſe fidem, cætera omnia poſſe ad iudicium reuocari. At reſpondeo ex aduerſo, Leo ſpecialem Synodorum cauſam in vna fide collocat, vt approbet Legatos à ſe ad Synodum pro cauſa fidei tantùm directos, adeoque cætera quæcumque decreta à ſe non confirmari, à ſe irritari, *nullius penitus eſſe firmitatis.* Perlege ſuprà laudatam Pelagij epiſtolam, innumera ibi Leonis teſtimonia conſtipata inuenies, in idem conuergentia: in irritum mitti, non confirmari, quidquid præter fidem Chalcedone actum eſt: quia ad fidem ſtatuendam tantùm, & conuocata eſt ea Synodus, & Legati Sedis Apoſtolicæ ad eam directi ſunt, nempe quia vna eſt Synodalium Conciliorum cauſa, fides. Parco tam multiplices Leonis locos adſcribere: ſummatim Pelagius illis relatis: *Ipſe namque Leo, ſicut multâ ſuperiùs epiſtolarum eius atteſtatione docuimus, geſta multiplicia cauſarum ſpecialium reprobando, authoritatem Synodi in ſolâ fidei definitione conſtrinxit.* Vna ergo eſt ea ratio, non diſſecanda, retractari iſta potuiſſe iudicia, quia à Sede Apoſtolica confirmata non fuerant, non fuerant autem confirmata, quia ad fidem illa non pertinebant, & ad fidem tantùm Synodus coaluerat, Legati Sedis Apoſtolicæ eò confluxerant: Synodus denique & Legati ad fidei negotium duntaxat confluxerant, quia ſpecialis Synodorum generalium cauſa eſt fides. 2. Ibidem Pelagius retractari poſſe, nempe extra fidem eſſe centies inculcat *priuata negotia, iudicia de perſonis.* At iudicium & damnationem librorum hæreticorum nemo cordatus reuocauerit ad priuata iudicia, ſiue ad iudicia de perſonis. Publica enim iſta ſunt, & ad omnes

Ecclesias, ad fideles vniuersos, ad fidem ipsam attinentia iudicia, quibus verba, propositiones, contextus, libri hæreticorum proscribuntur, hoc est, ipsæ hæreses. Quæ enim vsquam hæreses damnatæ, nisi verbis, propositionibus, scriptiunculis, libris comprehensæ? 3. Ergo librorum hæreticorum damnatio, non ad priuata negotia, non ad iudicia de personis, sed ad ipsa fidei iudicia, eoque ad speciales Synodorum causas pertinet. Ideò in Synodis generalibus vno semper iudicio fides & scriptum, quo contineretur, authorata: hæresis & scriptum quo contineretur, exauthorata. Vno fides, & Symbolum Nicænum; vno fides, & Symbolum Constantinopolitanum: vno fides, & epistolæ atque anathematismi Cyrilli: vno fides & epistola Leonis approbata est iudicio, ac subscripta. Vno vicissim iudicio hæreses librique hæreticorum damnati, nec seorsim vsquam hæc agitata. Ideò nec Romana vnquam Ecclesia retractari postulauit iudicium sextæ Synodi de Epistolis Honorij. Ideò multò minùs retractari hactenus passa est Ecclesia iudicium de quocumque libro damnato, nihilò plùs quàm de quacumque hæresi: post tot lapsus sæculorum. Quantum eninuerò dedecoris hinc redundaret, si alia rursum Synodus colligenda esset, quæ examinaret, an prior œcumenica Synodus assecuta esset mentem nouelli alicuius scriptoris. Nempe quòd ad examinis Synodici diligentiam, vel incuriam spectat, ea peræquè fidei atque librorum causas complectitur. 4. Nec istud quod refricari potuisse instabat Pelagius, de libris erat, sed de factis aliis, vel personis vel disciplinæ capitibus iudicium. Replicat enim ipse identidem ea esse de personis iudicia. Idem non semel Gregorius. Quæstio enim illa vertebatur, an damnari deberent vel possent Capitula, quæ non damnasset Synodus Chalcedonensis? an mortuis, an in pace Ecclesiæ fato præfunctis anathema illidendum esset? An reuera Synodus Chalcedonensis tria Capitula probasset, vel improbasset, vel præteriisset? An Leo has quoque extremas penè lacinias gestorum

Digitized by Google

Chalcedonenſium confirmaſſet, ita vt ad examen rettrahi non poſſent? Hæc extra fidei cauſam erant, hæc diſciplinæ magis erant, factorum, perſonarum. His ex obliquo incidebat alia quæſtio, an reapſe hæretica eſſent Capitula. Sed de eâ nullum ferè certamen erat. Hæretica enim eſſe, etiam eorum defenſores, omnes propemodum conſentiebant, aut non altercabantur. Conſule rurſus præfatam Pelagij epiſtolam, ex parte Iſtrorum Schiſmaticorum multa occurrent congeſta præſidia ad arcendam Capitulorum damnationem, ex Leonis, ex Anatolij, ex Orientalium literis mendicata, & ad id omnia prorſus conſpirantia, quòd Chalcedonenſi Synodo nihil addi, nihil detrahi fas ſit. Ad hæreticæ autem ſententiæ, velut perperam Capitulis affictæ propulſationem, nec teſtimonium vel argumentum ſaltem vnum expromitur. Vnde Pelagius ipſe ad cauſam Theodoreti deſcendens, ait: *Diſcuſſo ſecundo Capitulo, tertium ſupereſt: quòd tantò debemus in breuitate conſtringere, quantò & vos nobis hac in re non credimus reſultare.* Illa ergo conglobatio teſtimoniorum ex Theodori & Theodoreti nefandis ſcriptis corraſorum apud quintam Synodum & epiſtolam Pelagij, eo magis pertinebat, vt hæretica ſcripta non potuiſſe probari, imò improbata reipſa fuiſſe Chalcedonenſibus Patribus, vel diuturniorem circa ea diſpenſationem iam ferendam non eſſe demonſtraretur: de quo omnes prorſus Capitulorum defenſores litigabant: quàm vt hæretica eſſe Capitula euinceretur, de quo pauciſſimi contentioſum funem trahebant. Tametſi ex conſequenti id quoque emergeret emolumenti, vt & hi poſtremi, paucique reuincerentur. 5 Hinc cautiſſimè Petrus de Marca, vir nunquam ſine ſingulari nominis elogio nobis memorandus, in diſſ. de quintâ Synodo hæc aduertit num. 20. *Ex epiſtolis Vigilij & Pelagij colligere licet vnam & alteram regulam apprimè vtilem, &c. Earum prima eſt, Fidei Canonem mutari non poſſe, &c. Secunda in aliis cauſis extra fidem, id eſt, in capitibus diſciplinæ,*

quæ verſantur non ſolùm in facto, ſed etiam in iure, veritatem nunc latere, nunc aperiri, &c. Fides itaque & doctrina inuariabilis, irreformabilis eſt: diſciplina autem verſatilis. Librorum autem cenſuram quis ſobrius ad diſciplinam retulerit? Quid magis ad doctrinæ, fideique iudicia hactenus pertinere viſum, quàm fidei vel hæreſeos ſymbola, expoſitiones, confeſſiones, libellos, libros excutere, interpretari, confirmare, damnare?

Digitized by Google

DISSERTATIO XX.

IN SYNODVM VI. OECVMENICAM SEV CONSTANTINOPOLITANAM III.

Anno Christi 680. 681.

SYNOPSIS.

Inquiritur in Honorij Papæ damnationem. Refelluntur, qui acta huius Synodi falsata causantur. Num. I. II. III.

Refelluntur iterum, qui Synodum, vt in re facti, errasse cauillantur. Num. IV. V.

Refelluntur tertiò, qui etsi immerentem, dispensatiuè damnatum suspicantur. Num. VI. VII.

Respondetur Honorij epistolas priuatas & familiares fuisse, nec pertinuisse ad Cathedram; ideoque damnari potuisse, quia & errare. Quod multis coniecturis munitur. A n. VIII. ad XVII.

Respondetur iterum, non tam hæresi, quàm dispensationi studuisse Honorium; quæ quia improuida & inauspicata, proditio fidei habita est. Multa ad id argumenta, multa item congeruntur exempla consimilis in doctrinâ fidei dispensationis, sed feliciores plerumque exitus nacta. A num. XVIII. ad XXXI.

Anastasij Bibliothecarij Apologia pro Honorio expenditur, & ad regulas à sanctis Patribus fixas reuocatur. Vsque ad calcem.

PRÆLIBATA ferè iam alibi cætera sunt, quæ ad huius elucidationem Synodi disceptari poterant. Vnam hîc residuam, eamque peregregiam versare controuersiam animus est, de Honorio Papa hæ- 1. Status quæstionis de Honorii damnatione.

refeos damnato. Itaque nihil odio, nihil gratiæ partium dabitur; ſtudium omne veritati cerabit.

II. Refelluntur qui acta huius Synodi adulterata cauſantur.

Nam quòd reapſe perlectâ Honorij epiſtolâ, hæreſeos illi inuſta ignominia ſit; non autem à Theodoro Epiſcopo CP. adulterata ſint acta Synodi, & loco Theodori à Synodo damnati, Honorij nomen ſubrogatum, emunctioris iam ferè omnes naris homines conſentiunt. Theodorum enim ob hæreſin Monotheletarum vel ante Synodum exauthoratum fuiſſe, vel à Synodo proſcriptum, nullo authore, nullo certo argumento conſtat. 2. Ad hæc ſi Theodorum cupido inuaſerat nomen ſuum ex albo damnatorum expungendi, id tutiùs poterat & faciliùs, ſi à nomine Honorij ſubſtituendo, hoc eſt, ſi ab Occidente vniuerſo in ſuæ impoſturæ euulgationem & vindictam ciendo abſtineret. 3. Adde quòd etſi perfacile eſt, Theodori & Honorij nomina totidem ferè ſyllabis literiſque compacta permutare; at operoſiſſimum, adeoque impoſſibile penè erat, germanis Synodi actis ipſam Honorij epiſtolam, eiuſque examen & damnationem infarcire, & huc illucque locis pluſquam duodecim Honorij Papæ & Epiſcopi Romani nomen meritumque interſerere, vti nunc in actis legitur. 4. Præterea non alia ſaltem Theodorus adulterare acta potuiſſet, quàm quæ in Patriarchio CP. ſeruabantur. At in more poſitum id erat, vt generalium Synodorum acta quinquies deſcriberentur, & ſingula ſingulis Patriarchis deſtinarentur exemplaria: quî tandem illa Theodori corruptela in cæterorum Patriarcharum, & maximè in Romanum exemplar irrepſiſſet? Expreſſiſſimè autem in hac ipſa Synodo act. 18. *Sanctum Concilium dixit, Petimus à domino poteſtate inſtructâ à Deo, ad maiorem orthodoxæ fidei ſtabilitatem & confirmationem, vt ſubſcripta exempla definitionis relecta, præſente veſtrâ ſereniſſimâ poteſtate, edantur quinque Patriarchalibus ſedibus, vnà cum piâ veſtrâ ſubſignatione.* Et mox: *Piiſſimus Imperator exempla definitionis cum ſubſignatione manſuetæ eius ſerenitatis præbuit quinque Patriarchalibus Sedibus.* Hæc geſta ſunt ſuperſtite

Digitized by Google

ſtite Georgio, necdum Theodoro poſt illum in vrbis Regiæ Sedem reuocato. Quibus ergo præſtigiis in Romanum exemplar graſſari potuit poſtea Theodorus? 5. Nulla vſquam deinceps Romæ querela, nulla expoſtulatio perſtrepit de actis Synodi interpolatis, de ſuppoſititia Honorij damnatione. Non Leo II. qui acta Synodi confirmauit, de adulterio illo vel muſſare legitur: non Legati Romani, qui Synodo affuerant: non ex eis Ioannes ſaltem Eccleſ. Roman. tum Diaconus, poſteà Pontifex, nomine Ioannes Quintus: non vllus deinceps Pontificum Romanorum: non denique Anaſtaſius Bibliothecarius, tantæ eruditionis vir, & actorum ipſorum compos, & purgandæ Honorij memoriæ cupidiſſimus. 6. Sed Conſtantinus ipſe Pogonatus, quî tam exitiali fraudulentiæ aſſenſus eſſet, ille & à Synodo, & à ſcriptoribus æui illius, & ab ipſis Romanis Pontificibus nullo non laudis genere cumulatiſſimus?

III. Alia aduerſus eoſdem argumenta.

Sed nullis argutiis declinari poſſunt Leonis II. Papæ, qui Agathoni ſucceſſit, epiſtolæ. Ita enim ille ad Conſtantinum Imperatorem in confirmatione Synodi, *Anathematizamus noui erroris inuentores Theodorum Pharanitarum Epiſcopum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, CP. Eccleſiæ inſidiatores magis, quàm Præſules: Nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ illuſtrauit, ſed profanâ traditione immaculatam maculari permiſit.* Et epiſt. 2. ad Epiſc. per Hiſpan. conſtitutos: *Æternâ damnatione multati ſunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alex. Sergius, &c. cùm Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non vt decuit Apoſtolicam authoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confouit.* Et epiſt. 5. ad Eruigium Regem Hiſpan. *Et vnà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quàm à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari permiſit.* 2. Et in Septima Synodo Act. 3. Taraſius Patriarcha CP. in epiſtolâ ad Patriarchas Orientales, Theodorus item Hieroſolymitanus Præſul in Synodicâ; & act. 6. eiuſdem Synodi Epi-

Digitized by Google

phanius nomine Synodi Pseudosynodum Græcorum refellens; denique act. 7. Synodus ipsa in fidei definitione Honorium cæteris Monotheletarum signiferis à sexta Synodo damnatis accensuit. 3. Rursum Octauâ Synodo act. sept. legitur Romani Concilij sub Hadriano II. Pontifice Romano contra Photium habiti series, ac præ cæteris hæc allocutio Pontificis: *Si quidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quenquam iudicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum: sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus: propter quam solam licitum est minoribus, maiorum suorum motibus resistendi, vel prauos sensus liberè respuendi. Quamuis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primæ Sedis Pontificis consensûs præcessisset authoritas.* Denique Synodus ipsa 8. in fidei profess. act. 10. Honorium cum reliquis Monotheletis omnibusque hæreticis vno anathematis fulmine adurit. Aderant, præerant & summa potestate fruebantur in vtrâque hâc œcumenicâ Synodo Legati Pontificij; nec intercedunt tamen, nec vel vnico verbulo reclamant Romanos Pontifices synodicis fulminibus imperuios & immunes esse. Ergo iam nil mirum, si & in Sextâ Synodo damnationem Honorij non sint deprecati, non vetuerint Romanæ Ecclesiæ legati. 4. Sed esto, ne sexta Synodus Honorium perculerit, at Septima & Octaua illum configi potuisse credidere, illum cum hæreticis aliis confixere. Nulla hîc deprauatorum à quoquam gestorum suspicio. At perinde est à Sextâ Synodo damnatum esse, atque à Septimâ & Octauâ vel damnatum, vel damnari posse creditum esse. 5. Sed quâ tergiuersatione professio Hadriani tam dilucida eludetur? Confitetur & damnatum & super hæresi accusatum fuisse, & authoritate ipsa Romanæ Sedis subnixam fuisse illam dicendæ in Honorium sententiæ potestatem. Quorsum attinet epistolas Leonis secundi concutere, & inanibus cauillis earum fidem

Digitized by Google

ſollicitare. Num Leonis & Hadriani non potuit eadem eſſe ſententia, eadem priuilegij primæ Sedis interpretatio? An nuperis ſcriptoribus antiquior vel exploratior fuit primæ Sedis prærogatiua, & Honorij fama, quàm Hadriano II.? Non tanto Pontifici, non vlli anteriorum, vel poſteriorum Romanorum Præſulum, qui in ſuæ Sedis honore tutando tam accurati, tamque vehementes fuere, in mentem venit ſuſpicari, quàm iſti poſt octingentos annos olfecere impoſturam? Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione ad Octauam Synodum falſationes Synodorum generalium à Græcis tentatas perſequitur: nihil de Sextâ falſatâ meminit. Item in præfatione Collectaneorum. Otioſum eſſet plura damnationis Honorij congerere teſtimonia. Vnum id vniuerſim conſtat, omnes deinceps fidei confeſſiones, omnes hæreticorum catalogos reliquis Monotheleticæ perfidiæ Patronis Honorium permiſcuiſſe. Quo in argumento tantumdem pene eſt momenti, atque in Sextæ Synodi authoritate. Nam etſi tunc minimè damnatus fuiſſet Honorius, damnari ſaltem potuiſſe in Synodo generali Romanum Pontificem, ex hac tantâ omnium vbique & Synodorum & Pontificum conſenſione clareſcerer.

IV. Refelluntur ſecundò, qui Synodum in re facti erraſſe cauillantur.

Suas ſibi conſcij, vt ſuſpicor, labare coniecturas, compendioſiorem aliam defenſitandi Honorij viam ineunt. In facti nimirum quæſtione erraſſe ſextam Synodum, & Catholicæ Honorij epiſtolæ hæreticam infamiam illeuiſſe. Iſtud quoque effugium potiùs, quàm reſponſum paris nouitatis coarguere licet. Eccur enim Leo II. in epiſtolâ maxime illâ, quâ ſextam hanc Synodum confirmat, non hanc potiùs amplexus eſt expeditiorem vtique rationem, Romanæ Eccleſiæ ab hæreſeos macula tuendæ? Nam ille nihilo remiſſiùs, quàm prædeceſſores ſui, Romanæ Sedis iſtud egregium non errandi priuilegium venditat, & tamen confitetur iure anathematizatum Honorium, cuius proditione & negligentiâ immaculatæ Sedi macula inuſta eſt. 2. Eccur Hadrianus II. in Romanâ

Digitized by Google

Synodo non hoc compendium ſectatus eſt, vt, quod inſtituerat, perficeret, Romanam Eccleſiam eiuſque Præſulem à nullo iudicari poſſe? Vt quid & ſuper hæreſi accuſari damnarique Romanos poſſe Pontifices confitetur? Aut ſi accuſari damnarique poſſunt ſuper hæreſi, quorſum attinet, ne damnatus iure fuerit Honorius, laborare? Procliuius eſt fateri, iure damnatum, quem damnari potuiſſe confiteris, quàm œcumenicæ Synodo mendacij fœditatem impingere. 3. Quantum verò dedecoris aſpergitur vniuerſæ Eccleſiæ, ſi ſemel, ſi iterum atque iterum ad Septimam, Octauamque Synodum collecta, errori illi & temerariæ Honorij damnationi dicatur ſubſcripſiſſe? Num adeò obeſi, adeò obtuſi fuere illi omnes trium Synodorum generalium Patres, vt nulli olfacerent acutulas iſtas & commodiores Honorianæ epiſtolæ interpretationes? Pudet me contumeliæ ſanctiſſimis Epiſcopis, fidei & Eccleſiæ Chriſtianæ parentibus, irrogatæ, vbi cæcutiſſe omnes & in meridianâ luce vniuerſi caligaſſe dicuntur. Nam ſi perſpicuum & indubium eſt, in epiſtolâ Honorij Catholicos eminere ſenſus, an tot & tanti, an vniuerſales Synodi in re perſpicuâ & indubiâ hallucinari potuere? Si obſcurum autem & ambiguum eſt, quin maiorum potiùs prælucentem authoritatem, quàm noſtram ſequimur præſumptionem? 4. Romani deinceps Pontifices æquè poſt, atque ante ſextam Synodum conſpiratiſſimè ſuam Sedem ab omni ſemper hæreſeos maculâ puram immunemque fuiſſe contenderunt. Nec vllus tamen vnquam eorum vel damnatorum numero eximit Honorium, vel erroris ſextam Synodum inſimulauit, vel denique falſata illius acta conqueſtus eſt. Ergo conciliandæ huius Romani Præſulis prærogatiuæ cum Honorij proſcriptione, audaces iſtas & nouellas artes aut neſciere, aut repudiauere, & alias ab his diuerſas antetulerunt, de quibus inferiùs. Quid de Humberto Cardinali ſentiemus, qui in celeberrimâ aduersùs Græcos altercatione, Niceræ Libellum refellens, ſextæ Synodi

Digitized by Google

ſynopſin quandam explicat, in eaque cum Sergio, Pyrrho, & Paulo, Honorium quoque proſtratum eodem damnationis telo recenſet?

V. Nec antiquos PP. fallebat, poſſe Honorij verba clemẽti interpretatione excuſari.

Et quod cuilibet apertum eſt, poſſe clementi interpretatione epiſtolam Honorij ad Catholicos ſenſus inclinari, & quod de vna voluntate ibi diſputatur, ad ſolam referri humanitatis Chriſti naturam: quod duplex eliminatur voluntas, ad deprauatæ voluntatis ſeu cupiditatis carnalis abactionem exponi: id antiquos Scriptores minimè fallebat. Nec tanti acuminis res iſta eget. Ita enim Maximus Martyr in diſput. cùm Pyrrho, ita ipſomet authore ante ipſum Ioannes Papa Honorij mentem explanauit. Ita ergo Maximus: *Quis fuerit fide & authoritate dignus epiſtolæ huius interpres, qui eam ex perſonâ Honorij ſcripſit, adhuc ſuperſtes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Chriſtianæ illuſtrauit; an ij qui Conſtantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur? Qui hanc compoſuit. Is igitur ipſe cùm ad d. Conſtantinum Imperatorem ex perſonâ rurſus ſancti Papæ Ioannis de hâc epiſtolâ ſcriberet, dixit, vnam voluntatem diximus in Domino, non Diuinitatis eius & Humanitatis, ſed ſolius Humanitatis. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quòd quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis inquam & Spiritûs, ſicut nos habemus poſt peccatum; ſed vnam tantùm, quæ naturaliter humanitatem eius ſignabat. Hoc autem ita eſſe, argumentum euidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem de diuinitate illa accipi non permittunt.* Vide & ipſius Ioannis IV. Papæ epiſtolam à Sirmundo inter Anaſtaſij Biblioth. Collectanea editam: pari acumine patrocinantem Honorio, eiuſque epiſtolæ Catholicos ſenſus appingentem. Hæc Ioannes Papa, hæc Maximus, ſed ante Synodum. Poſt ſextam autem Synodum non Latinorum, aut Græcorum quiſquam, non Romanorum Pontificum, aut aliorum deinceps vſque ad noſtrum hoc ævum fas ſibi duxit huic indulgere interpretandi clementiæ, & Honorio per œcu-

Digitized by Google

menicæ Synodi dedecus consulere. Itaque ante Synodum & Pontifices & priuati epistolas Honorij ab hæresis suspicione abstergere conati sunt. Post Synodum damnationi earum omnes acquieuere. Quod inuictissimi habet argumenti momentum, vt constet, nec ipsos Pontifices Romanos, etsi de suæ Sedis honore anceps quæstio verteretur, adgressos vnquam esse, aut fas esse sibi voluisse, œcumenicis Synodis libros vel commentarios quoslibet damnantibus obluctari.

VI. Refelluntur tertiò, qui etsi immerentem, dispensatiuè damnatum aiunt.

Spretis his duobus diuerticulis, tertium istud alij tentauere. Tametsi Catholicè sensisset, scripsissetque Honorius: quòd eius tamen authoritate & scriptis abuterentur Monotheletæ in sui patrocinium dogmatis, damnari illum potuisse salubri dispensatione: ea videlicet compensatione, quòd ita fides Catholica aduersus obtrectatores muniretur. Etenim in Romana Synodo sub Martino Papa, perlegitur Pauli Constantinopoli Episcopi epistola, Sergij & Honorij authoritate niti Monotheletarum commentum aientis. Et in hac sexta Synodo, in præactis extat epistola Constantini Imperatoris ad Agathonem Papam, aientis Patriarchas Constantinopoleos & Theopoleos enixos esse, Vitaliani Papæ nomen è diptychis eiicere, *asserentes Honorium memorari in diptychis propter honorem Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ; nam non acquiescere, vt memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædictâ sanctâ Romanâ Ecclesiâ, &c.* Et act. 1. Macarius vexillifer Monotheleticæ factionis causatur, nihil à se nouatum, sed ea prædicari, quæ hausisset, *à Sergio, Pyrrho, &c. nec non & Honorio, qui fuit Papa antiquæ Romæ.* Vt funditus ergo subruerentur munimenta omnia nouellæ hæreseos, epistolæ ipsæ Honorij, tametsi illis temerè incumberent, proterendæ fuere.

VII. Argumenta aduersus hanc dispensationis fæuitiam.

Sed & hîc recurrunt eadem argumentorum spicula. Nam Leo & Hadrianus, aliique Romani Pontifices, Anastasius, Humbertus aliique Romanorum Pontificum iurati vindices, ne vel semel quidem, vel leuissimè de ista

Digitized by Google

purgandi Honorij ſolertia cogitauere. 2. Quin Leo diſpenſationi huic perſpicuè renititur, cùm negligentiæ, cùm ſimulationis, & proditionis Honorium reum agit, eoque iure damnatum agnoſcit. Hadrianus ſimiliter non aliam, quàm accuſationis hæreſeos cauſam ſuſpicatur. 3. Præpoſterum omnino hoc conſilium extitiſſet damnandi ex diſpenſatione Honorij, vt ſua hæreticis omnia labefactarentur præſidia. Quantò enim conſultius fuiſſet, epiſtolas Honorij à calumnia vendicare, & tanto patrocinio ferocientes pudefacere hæreticos? Quid hæreticis in erroris ſui peruicaciam altiùs immergendis opportunius, quàm epiſtolas orthodoxas pariter damnare, & ita committere, vt ſuos quoque commentarios illi nihilo ſecius orthodoxos, etſi damnari ſentiant, interpretentur? Quorum autem vniuerſim proſcriptioni librorum vel authorum conſentient heterodoxi, ſi ſemel percrebuerit hoc Catholicis doctoribus certum & præiudicatum eſſe, poſſe nimirum etiam immerentibus, etiam orthodoxa ſapientibus omnia hæreſeos maculam & damnationem inuri ex diſpenſatione? 4. Longè aliter Hincmarus l de non Trinâ Deitate: *Nec ſacra Concilia pepercerunt Epiſcopis nominatiſſimarum ſedium, videlicet Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ, Nicomediæ. Inſuper & Honorium magnæ Romæ Papam, quia contra fidem ſenſiſſe, & prauè ſentientibus conſenſiſſe detectus & euidentiſſimè comprobatus eſt, ſicut in ſextâ Synodo inuenitur, etiam poſt mortem anathematizauerunt, in hoc ſæculo manifeſtatâ culpâ, iuſto Dei concordantes iudicio, quod iam egerat in occulto. Nam ſi idem Honorius hoc in præſenti ſæculo non meruiſſet, & cum ipſo merito de hoc ſæculo non exiſſet, ſibi potiùs, quàm illi nocerent, maledictum inculantes, non iudicio iuſtitiæ, ſed liuore vel temeritate.* Non diſpenſatio ergo, ſed vel liuor vel temeritas eſt, anathema immerenti vel ſcripto vel ſcriptori infigere; eoque non patientis innocentia, ſed inferentis audacia vulneratur. At Honorius *detectus & euidentiſſimè comprobatus eſt* contra fidem ſenſiſſe, ſicut in ſexta Synodo *inuenit* Hinc-

Tom. 1. pag. 446.

marus, nequaquam rerum istiusmodi rudior aut indiligentior explorator.

VIII. Respondetur Honorij epistolas priuatas & familiares fuisse, nec ad Cathedram pertinuisse: ideoque damnari potuisse, quia & errare.

Propiùs igitur à vero abest, confossum fuisse nomen Honorij in hac Synodo, quòd non vt Pontifex primæ Sedis, sed vt priuatus quilibet malè sensisset de fide; & has Epistolas non ex Cathedræ Petri oraculo, publicandas per omnem Ecclesiam & fidei magistras futuras dictasset, sed clam ex priuato tum sensu suo, ad eum à quo interrogabatur, scriptitasset. Posse enim hæreseos labe inquinari, & ita accusari damnarique eum qui in Cathedra Petri sedet, quod ita priuatim sentiat, etsi non ita publicè doceat, Catholici prorsus omnes sentiunt, si vnum & alterum demas. Consentiunt omnes & in id, quod docet Rusticus E. R. Diaconus in Disput. con. Aceph. *Dei Ecclesia familiaribus non intendit, neque hypomnisticis, neque iis quæ ad vnum, & domesticum fiunt: sed his quæ ad Synodos, aut à Synodis dogmaticè, & publicè, & definitiuè, de his quæ in quæstionem veniunt, conscribuntur.* Priuatas autem has fuisse Honorij epistolas, & vt priuatum malè sentientem, non vt Pontificem praua promulgantem dogmata inustum illum fuisse, multis perficitur documentis. Primò enim vnius Honorij nomine inscribuntur illæ epistolæ, cùm eo æuo moris esset nihil de fide vel à Romano Pontifice nisi Synodicè definiri. Atque vt anteriora omittam tempora, quibus longè frequentiores erant Synodi, nec maioris quidquam momenti tentabatur sine Synodo; ad hæc ipsa Monotheleticæ sectæ exordia calamum reuoco. Ioannes qui bimestri tantùm Seuerini Pontificatu interiecto, successit Honorio Papæ, Synodicè rem definiuit. Vnde libelli Synodici author c. 130. *Ioannes Papa qui Honorio Monotheletæ successerat, diuinâ & sanctâ institutâ Synodo, Sergium, Cyrum & Pyrrhum anathematizauit: duasque voluntates & operationes Domini & Dei nostri Iesu Christi prædicauit: & ad Dauidem atque Heraclium Heraclij filios typum piæ doctrinæ posteà transmisit.* Et idem continuò c. 131. *Pyrrhus ad proprium reuersus est vomitum, quod cùm B. Theodorus qui Ioanni*

Digitized by Google

Ioanni succesſerat, intellexiſſet, vniuersâ Eccleſiâ conuocatâ & ſepulcro Apoſtolorum Principis Petri occupato, diuino etiam calice poſtulato, ex tremendo & viuifico ſanguine Chriſti, atramentò affundens, propriâ manu depoſitionem eius & eorum qui cum ipſo communicarent, exarauit. Et c. 132. 133. duas ſimiliter collaudat Romanas Synodos, Martini qui Theodoro, & Agathonis qui Martino ſucceſſerat, nouorum dogmatum nouatorumque fulminatrices: in vtraque *fidei definitionem* ſcriptam diſertè aſſerit. Quin ergo & Honorij aliqua Synodus, vel Synodica proſtat definitio, cùm quatuor ſucceſſorum eius totidem extent Synodi, Synodicæque de fide conſtitutiones? Nimirum ille priuatim quod ſenſit, ſcripſit: hi vt Pontifices, quid ſentiendum eſſet, definierunt.

IX. Aliis argumentis oſtenditur, priuatas fuiſſe epiſtolas.

Quin & Primates Africani, Stephanus Numidiæ, Reparatus Mauritaniæ, Victor Carthaginis Synodos totidem collegiſſe ibidem memorantur c. 127. 128. 129. *Sergium, Pyrrhum & Paulum anathematizaſſe, duas Chriſti voluntates & operationes definiſſe, ac prædicaſſe.* Quin ergo & Honorij Synodus aliqua oſtenditur? Adde triplici hâc Synodo Africanâ, perinde ac quadruplici ſuperiùs Romanâ, Sergio, Cyro, Pyrrho anathema illidi, non item Honorio. Quo nihil peruerſiùs, ſi peræquè Honorius hæreticam definitionem euulgaſſet. Sed ex aduerſo cum Honorius priuatas tantùm miſſitaſſet epiſtolàs ad Sergium in Orientem, ne rumor quidem eius rei Occidentem peruagatus erat, vnde eius nomini non iniuriâ parcebatur.

X. Item aliis.

Nam libelli eiuſdem Synodici c. 121. & 122. Sergius Conſtantinopolitanam geminam Synodum: c. 123. Cyrus Alexandrinam: & rurſus c. 125. Pyrrhus Conſtantinopolitanam Synodum coëgiſſe proditur, vnamque voluntatem & operationem docuiſſe. Quilibet ergo horum hæreſin ſuam *dogmatizauit, expoſuit, roborauit Synodicè.* Honorius ibidem Monotheleta ſcribitur fuiſſe. De vlla eius Synodo ne verbum quidem. Conſtat ergo non vt Pontificem malè definiſſe, ſed vt priuatum immaturas cogi-

Digitized by Google

tationes inconsideratiùs effudisse. Ita & Theophanes in Chronographiâ, Synodos laudat aliorum Romanorum Pontificum in hac causa, Ioannis, Theodori, Martini, Agathonis, nequâquam Honorij.

XI. Et aliis rursus.

His adde quæ suprà ex Maximo retulimus de Ioanne Papa Honorium purgante, ex eius Amanuensis conscientia & interpretatione. Erubuisset, vt reor, tantus Pontifex, Synodicam prædecessoris sui epistolam & fidei definitionem priuato & impari interprete dehonestare. Potest enim Amanuensis de priuati scriptoris sententia vtcumque, non potest nisi per deridiculum de Synodi mente testificari. Deinde priuata vtique epistola ea est, cuius interpres non suppetit, nisi notarius. Nam si de fide trutinatus fuisset libellus, aliquanti saltem vel Episcopi, vel presbyteri Cardinales & Cleri Romani apices adsciti essent in eius examen: & de eius deinde interpretatione non ignobile testimonium dicerent. Quibus lucis nonnihil affundetur ex verbis Augustini, exequentis vt Zosimo Papæ penè obrepserint, nec tamen *vsquequaque* imponere potuerint Cælestius & Pelagius l. 2. de Pecc. Orig. c. 8. *Fefellit iudicium Palæstinum Pelagius, Romanam verò Ecclesiam fallere vsquequaque non potuit. Recoluit enim B. Papa Zosimus, quid imitandus prædecessor eius senserit. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduersus eius errorem pro veritate Catholicâ studia consonantia concorditer flagrare certebat.* Et infrà c. 17. *Quæ cùm ita sint, profectò sentitis in tam nefandi erroris auctores Episcopalia Concilia & Apostolicam Sedem, vniuersamque Romanam Ecclesiam, Romanumque Imperium rectissimè fuisse commotum.* Et l. 2. ad Bonifacium c. 3. *Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Cælestio vel Pelagio in Romanâ Ecclesiâ iudicatum, vt illa eorum dogmata quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnauerat, approbanda & tenenda pronunciarentur; ex hoc potiùs esset præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda.* Vides pronuncianti ex Cathedrâ Pontifici adesse *Romanam Ecclesiam, prædicandam Romanorum fidem, uni-*

Digitized by Google

uersam Romanam Ecclesiam, Romanos Clericos, ita vt in hos etiam redundatura esset, siqua obreperet, præuaricationis macula. Non ita Honorius scripsit. Nec nos fugit, quod Marcellinus Comes in Chronico scripsit, *epistolas Papæ Leonis aduersùs Eutychen de verâ Christi incarnatione datas, à Prospero Aquitanico dictatas credi.* Nec excidêre nobis laudes quibus ornatur à Maximo Martyre scriptor epistolæ Honorianæ. Sed longè aliud est, ex Synodi, vel Ecclesiæ, vel Cleri sui conscientiâ & deliberatione, atque ex priuato tantùm sensu consilioque conscribi epistolas, quicumque demum ad has, vel illas contexendas adhibeatur.

Ad hæc nullus Occidentalium de Honorio quidquam effudit querelarum. Ne vnus quidem eius epistolæ vel sententiæ authoritate ad sectam Monotheletarum deflexus est. Non sub ipso, non sub Seuerino, non sub Ioanne & Theodoro eius successoribus, vel Romæ, vel in Italiâ, vel in Africâ, vel in Occidente denique vllus contagio nouellæ sectæ imbutus vsquam comparet. Quæ stare planè non possunt, nisi priuatim ad Sergium missas, toti autem Occidenti & Romanæ ipsi vrbi atque Ecclesiæ incompertas fuisse confiteamur. Romano enim Pontifice rectè, an sequiùs de fidei quæstionibus definiente, & ex suggestu Pontificiæ Cathedræ pronunciante, extra fidem est, conticescere totum Occidentem & ipsam Romam, & neminem prorsus vel secus hiscere vel gratulari. Huc refer, quæ iam sæpe superiùs adnotata sunt de epistolis Anastasij, Innocentij, Zosimi, Leonis ad fidem attinentibus, nec ad vnum aliquem priuatim, sed in orbem Christianum, in Occidentem, in Orientem missis. Nihil vsquam istiusmodi de epistola Honorij. XII. Aliæ ad id coniecturæ.

Accedit quòd in ipsa sextæ Synodi act. 12. epistola Honorij non aliunde, quàm ex Scrinio Patriarchali Ecclesiæ Constantinopolitanæ promitur, autographa ipsa Latina, cùm Græcâ interpretatione. Ad vnum ergo Sergium missa, ab eoque recondita fuerat in Archiuo Ecclesiæ. XIII. Aliæ rursus.

Digitized by Google

Adde quòd eadem act. 12. & 13. Honorij non aliud quàm epistola, autographa & authentica epistola appellatur, non vnquam Synodica epistola. At Sophronij, Sergij, Macarij, aliorumque Synodicæ epistolæ, synodicaque opuscula, iterum iterumque appellitantur: *Concilium dixit, Retractantes dogmaticas epistolas, quæ à Sergio, tam ad Cyrum, quàm ad Honorium; similiter & epistolam ab Honorio ad eundem Sergium rescriptam.* Et infrà Iudices deposcunt proferri in medium supradictorum *siue Synodica, siue dogmatica opuscula, vel epistolas.* Has ergo ab illis distinguunt. Tum iubet Concilium proferri à Chartophylace *quascumque siue dogmaticas epistolas, siue & alia opuscula dogmatica à Petro, Pyrrho, Paulo, à Cyro, & Theodoro Pharamitâ.* Antè autem damnatus fuerat Honorius *ob scripta ab eo facta:* quæ nec synodica, nec dogmatica dicuntur. Ex aduerso autem statim laudatur Synodica Sophronii. Priuatas ergo fuisse Honorij has epistolas Synodus ipsa declarat.

XIII. Idem arguitur ex aliis probationibus.

Adde quòd verba ipsa sententiæ in Honorium dictæ idem insinuant. *Anathematizari præuidimus & Honorium, eò quòd inuenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est, & impia dogmata confirmauit.* Ergo ad Sergium priuatim scripta erat ea epistola, non ad Orientem, non ad Ecclesias, vt solent dogmaticæ Summi Pontificis de fide epistolæ. Deinde & hîc, & in Prosphonetico, Sergij mentem secutus dicitur; at Synodica vel dogmatica Romani Pontificis epistola, vtpotè summi in fide Dictatoris, non sequeretur ducem Sergium, sed antecederet. Denique in Edicto Pogonati, quo Synodus confirmatur, similiter post Theodorum Pharanitam & Sergium memoratur Honorius, vt *hæreseos fautor, concursor, confirmator*, nequaquam vt author & dux.

XIV. Et ex ipsâ epistolâ Honorij.

Ipsa quoque Honorij epistola tenebras suas vltro & priuatum colloquium prodit. Nec enim vsquam de Synodica vlla, vel communi cum Episcopis, aut cum Clero Ecclesiæ suæ deliberatione meminit. Quin potiùs

Digitized by Google

ſemel iterumque ibi inculcatur, nihil in Eccleſiâ momenti quidquam vel roboris habiturum: niſi *Synodali examine* trutinetur. Ergo publicâ authoritate ſemetipſam expoliat hæc ſcriptiuncula, quæ Synodali tantum examinationi iubet animos & obſequium inclinari, eaque ſe fruſtrari confitetur.

Præterea nihilo ſegniores fuere, aut trepidiores Romani Præſules, in prædicanda Sedis ſuæ non errandi prærogatiua, poſt Honorium atque ante. Euolue epiſtolas Theodori Papæ, Martini, qui Synodum Lateranenſem collegit, Agathonis, Leonis II. & cæterorum deinceps: vbique Romana Sedes nuſquam à fidei amuſſi declinaſſe, incorruptam orbi Chriſtiano ſemper propinaſſe doctrinam fidentiſſimè prædicatur. Idque non poſt Honorium tantùm, ſed & poſt damnatum in hac Sexta Synodo Honorium, & poſt ipſam eius damnationis & mentionem & confirmationem. Non inanis eſt hæc autem, nec diſcors ſibi & conflictabunda iactantia. Apage has ſuſpicionum contumelias à ſanctiſſimis Eccleſiaſticorum monumentorum paginis, omni Catholico orbi venerandis. Rixa nimirum illa nequicquam formidata facilè componitur. Inuſtus eſt Synodico cauterio Honorius priuato nomine, ob peculiare ſcriptum; non perſona Pontificis, non ob Pontificale, ſeu profectum ex Cathedra, vel Eccleſiaſticâ conſultatione reſponſum. Priuilegium autem non errandi additum eſt non priuatæ Pontificis perſonæ, ſed Cathedræ Petri, ſed Sedi Romanæ, ſed Pontifici publicam Pontificis agenti perſonam, obeunti prouinciam.

Ita enim diſtinctionem illam Sedis Romanæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ, & Pontificis in ea ſedentis, à multis malè vexatam, & in abruptos alieniſſimoſque ſenſus detortam, caſtigandam equidem arbitror, & ſaniſſimæ antiquorum Theologorum, ipſorumque Pontificum doctrinæ conciliandam, qua de re aliàs. Lapſus ergo & damnatio in Honorium, non in Sedem Romanam cadit: id

XV. In idem recidit, damnatum eſſe Pontificem, non Sedem ipsâ, vel Eccleſiam Romanam.

est, priuata scriptione, non Pontificiâ fidei definitione errauit Honorius, notarique meruit. Hanc distinctionem iam olim Auxilius præstruxit lib. 2. de Ordinat. Formosi Pont. cap. 18. *Aliud sunt Pontificales Sedes, aliud Præsidentes. Proinde honor & dignitas vniuscuiusque Sedis venerabiliter obseruanda est. Præsidentes autem si deuiauerint, per deuia sequendi non sunt. Hoc est, si contra fidem vel Catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus.*

XVI. Potest & extra Synodos definire Pontifex.

Nec est quòd quisquam obganniat, Ergo nisi Synodicè pronuntiet Pontifex, quidquid definierit, ei, non Sedi tributum iri, errorique fore obnoxium. Nam eâ in re obsequendum est moribus Ecclesiæ, alio & alio tempore variantibus. Vbi in more positum erat, vt Episcopi, Metropolitani, Primates, Patriarchæ nihil rei maioris adorirentur, nisi Synodicâ priùs consultatione libratum: tunc Romani Pontificis illa quoque definitio Pontificia, seu ex Cathedra æstimabatur, quam Synodica anteisset examinatio. Vbi verò Christiano toto orbe rariores confluxere Synodi, & Episcopi cæteri, Episcoporumque vertices non iam Synodica, sed qualicumque alia deliberatione vti cœpere; tunc quoque par est Romani Antistitis illam ex Cathedra & ex priuilegio Petri censeri constitutionem profectam, & Sedis ipsius, non Pontificis propriam, quam ea antecesserit deliberatio, quæ in vsu est pro tempore, quæque ad alia tum maximi momenti negotia adhiberi solet. Eccur enim summum Pontificem artiori quàm alios addixeris Synodorum seruituti? Adde quòd vt suprà iam prælibatum, vtque suo loco prolixè rursus demonstrandum est, in Synodi nomine non vsque adeò morosa fuit antiquitas: & quorumlibet vel Episcoporum, vel Clericorum, maximè doctiorum congregationem cum Episcopo & consultationem, Synodi nomine cohonestauit.

XVII. Personæ ipsi Pontificis illigetur illa

Nec rursus oggeras, inde id exprimi, quòd non personæ ipsi Pontificis, sed eius quasi senatui alligetur illa

Digitized by Google

inoffenſæ ſemper definitionis authoritas. Contrà enim ipſi prorſus Pontifici, ſed Pontificem agenti inhæret ea dos, non in priuati hominis ærumnas aliquando defluenti. Nam cùm geminæ hinc & inde quaſi Syrtes immineant, medium tutiſſimi iter carpimus. Vt nuſquam enim labi in hæreſin queat is, qui Pontificales occupat infulas, exemplis apertiſſimis, Pontificum ipſorum ſententiæ, Catholicorum propemodum omnium conſenſioni aduerſarium eſt. Vt Pontifex erret, at errare Sedes negetur, quia plebs & Clerus Romanæ Eccleſiæ abhorret ab eo errore, præpoſterum id quidem eſt. Cùm ita plebi & Clero, hoc eſt, membris plus indatur ſapientiæ, quàm Capiti. Cùm ex aduerſo ſi quæ ſunt dotes corporis & membrorum egregiæ, à Capite illæ deriuari cenſendæ ſint: & *fidei Romanæ*, Pauli elogio conſecratæ, ſanctis Patribus honori & miraculo habitæ, gloria principalis & palma, ipſi Pontifici, vt Magiſtro, præ Clericis & Laïcis, hoc eſt, præ diſcipulis neceſſariò adſeratur. Ergo id medium, id ab incurſantibus hinc & inde ſcopulis tutiſſimum eſt, vt Pontifex, quà Pontifex non erret, hoc eſt, cùm Cleri vel Eccleſiæ ſuæ ita ſuffragia, ſententiamque expreſſit, ſicut eo tempore familiare eſt & vſitatum, in rebus magni momenti, quæ olim ſynodicè ventilabantur. Parco hîc repetere, quòd ſuperiori diſſertatione tædioſiùs proſecutus ſum, Pontifici definienti Catholicos per orbem Epiſcopos ita conſenſiſſe hactenus ſemper, vt vna totius Eccleſiæ vox illa fuerit, vna ſententia. At quod nonnullis arriſit, Pontificem cum conſenſu Eccleſiæ ſuæ definientem aberrare poſſe, & tamen Sedem Apoſtolicam non errare, id verò commentitium & fabuloſiſſimum eſt ludibrium. Secreta enim à Pontifice, & Pontificio Clero Sedes, inane figmentum eſt, vacuumque ſimulacrum, & ſine mente ſonus.

ligata eſt prærogatiua definiendi.

Atque vt vlterius aliquid ad Honorij purgationem tentemus, quantùm per œcumenicæ huius Synodi & integritatem & authoritatem, per Pontifices etiam qui eius

XVIII. Non tam hæreſi, quàm diſpenſationi ſtudebat Honorius.

Digitized by Google

quæ quia improuida & inauſpicata, proditio fidei habita eſt.

damnationi aſſenſi ſunt, licebit: ipſamet eius epiſtolæ verba enucleatiùs penſiculanda ſunt. Diſpenſationi ergo magis, quàm errori ſeſe Honorium contemperaſſe, & intempeſtiuam diſpenſationem erroris ignominiæ ſubiacuiſſe, epiſtolæ contextus, reique exitus docet, docent & præſtantiſſimi viri Petrus de Marca Archiepiſcopus antè Toloſanus, pòſt denique Pariſienſis, aliique nonnulli. Verba epiſtolæ hæc ſunt, non hæreſin aſtruere, ſed œconomico ſilentio inteſtinum bellum præuertere idonea, & nouitates occupare: *Fraternitatem veſtram ea ſcripſiſſe laudamus, nouitatem vocabuli auferentem, quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare.* Sic ille ad Sergium contra Sophronium: illum vnam vel duas Chriſti voluntates & operationes dici vetantem, pacis alendæ prætextu, clam interim vnam magis Dei hominiſque voluntatem inſinuantem: hunc duas apertè prædicantem, nec rumores ponentem ante fidei Eccleſiæque ſalutem. Et infrà Honorius! *Non oportet ad dogmata hæc Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque ſynodales apices ſuper hoc examinantes, neque authoritates Canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, vt vnam vel duas energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare: quas neque Euangelicæ vel Apoſtolicæ literæ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita viſæ ſunt terminaſſe:* Et rurſus infrà: *Vtrum autem propter opera diuinitatis & humanitatis, vna, an gemina operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis.* Addit repudiandas eſſe nouas voces, quæ *noſcuntur Eccleſiis ſcandala generare: ne parvuli, aut duarum operationum vocabulo offenſi, Neſtorianam nos veſaniam ſapere arbitrentur. Aut rurſus ſi vnam operationem cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum dementiam fateri putemur.* Denique Sergium hortatur, *vt inductam vocis nouitatem, vnius aut geminæ operationis aufugientes, vnum Chriſtum in geminis naturis diuinitùs atque humanitùs operantem prædicetis.* His autem multa interſpergit Honorius de vnâ Chriſti voluntate, ſed humanitatis ſolius, vtqui alterâ careat cæterorum hominum voluntate,

Digitized by Google

tate, carnalibus cupiditatibus per peccatum ſcatente.

In his perfacile eſt Honorij mentem deprehendere, non tam hæreſi nouæ, quàm inconſultæ diſpenſationi ſeruientem: ex cuius ſucceſſu inauſpicatiſſimo cùm permagna per Orientem Monotheletæ incrementa feciſſent, hæreſis quoque ipſius infamiâ non immeritò aſperſus eſt is, cuius negligentia & imprudentia tantam Eccleſiis labem inuexerat. Vnam voluntatem prædicat Chriſti Honorius, ſed humanitatis. Voluntatem alteram ab eo arcet, ſed carnis. Vnum operantem in duabus naturis ſtatuit, diuinitùs & humanitùs: hæc orthodoxa ſunt, & duarum voluntatum operationumque confeſſioni æquiparanda. Dummodo vnus credatur volens & operans in duabus naturis, an duæ præterea dicantur voluntates vel operationes, cenſet has inutiles eſſe minutias, has vocum argutias Grammaticis dimittendas, has nouitates verborum tum opprimendas, cùm ex eis viderentur illico hæreſum bellorumque ſemina pullulatura. Iſtud verò non ad aliquid ſtatuendum de fide, vel definiendum pertinet, ſed ad ſuſpendendam potiùs definitionem: iſtud non fidei, ſed paci Eccleſiarum temperatur: iſtud denique non fidei decretum, ſed decreti ſuſpendium; denique diſpenſatio iſta eſt. Quoniam verò hæc diſpenſatio Sergij & Monotheletarum conſilia peſtemque fidei aluit, etſi præter authoris mentem, ea proditio habita eſt.

XIX. Id ex verbis ipſis Honorii exprimitur.

Porro ad hanc incogitantiam, negligentiamque Pontificis, in ſpeculâ Eccleſiarum omnium excubantis, & ad fraudes tamen inſidiaſque Sergij ac cæterorum Monotheletarum dormitantis, ſinentiſque iis ſe illaqueari; ad hanc, inquam, imprudentiam inertiamque Honorij reſpexiſſe Patres Synodi huius, Romanoſque Pontifices in eo damnando, potiùs quàm ad apertam hæreſis profeſſionem, liquet ex ipſis eorum verbis. Nam act. 13. in eum iaculantur anathema, *quia in omnibus Sergij mentem ſecutus eſt, & impia dogmata roborauit.* Roborauit enim exitialis ſilentij non œconomiâ, ſed proditione. Et Leo

XX. Idem elicitur ex aliis teſtimoniis.

epiſt. 2. eâdem cum aliis damnatione conſtringit Honorium: *qui flammam hæretici dogmatis, non vt decuit Apoſtolicam authoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confouit.* Et epiſt. 5. *Immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam à prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit.* Et ep. 1. *Hanc Apoſtolicam Sedem non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ illuſtrauit, ſed profanâ proditione immaculatam maculari permiſit.* Conſtanter vt vides non adulterina prædicatio, ſed conniuentia & negligentia Honorij vitio datur, quàm ipſe diſpenſationem interpretabatur imprudens.

XXI. Hinc conciliatur ſibi Pontificum & Synodi decreta.

Ita concordabunt Pontifices Romani ſibi ipſis, & cum Maximo Martyre. Eorum enim alij Honorij epiſtolam ante Synodum exemerunt ſuſpicioni hæreſeos, alij poſt Synodum damnarunt. Vtrique conſentaneè. Nam ſi verba ipſa epiſtolæ & dogma aſſertum ſpectes, exulat hæreſis. Si mollitiem & conniuentiam ſcribentis, ſilentiumque vnius vel duarum voluntatum fœdiſſimo exitu infamatum, ſubeſt hæreſeos ſuſpicio. Similiter Synodus purgatas à ſummis Pontificibus epiſtolas, & ſi humaniorem interpretem nactæ fuerint, nil niſi Catholicum ſpirantes, cenſorio telo confodit, non neſcia Catholicè eas exponi poſſe, ſed altiùs rimata ſcribentis ſupinitatem & conniuentiam, quæ impiæ ſectæ incrementis latiſſimis patrocinata eſſet.

XXII. Ex alterâ Honorii epiſtolâ elicitur eadem diſpenſatio.

Rurſum ampliùs eniteſcit eadem minùs prouida Honorij diſpenſatio, in alterâ ad Sergium epiſtolâ, quæ act. 13. minutatim excutitur, vbi & hæc habentur. *Scribentes communibus fratribus, Cyro & Sophronio Antiſtitibus, ne nouæ vocis, id eſt, vnius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel immorari videantur: ſed abrasâ huiuſmodi nouæ vocis appellatione, vnum Chriſtum Dominum nobiſcum in vtriſque naturis diuina & humana prædicent operantem. Quanquam hos quos ad nos prædictus frater & Coëpiſcopus Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitantur, quod inſtantiſſimè promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & Coëpiſcopus noſter*

Digitized by Google

ab vnius operationis vocabulo discesserit. Non obscurè subrutilat consilium tuendæ fidei Catholicæ, dum vnus Christus in duabus naturis operans retinetur, & interim *οἰκονομικῶς* & ab vnius & à duplicis operationis abstinetur vocabulo. Temperamentum vocum affectabatur, quo & Nestorianis & Eutychianis diuersa ex parte irruentibus occurreretur. Denique ipsi apocrisarij Sophronij dispensationi assentiebantur, si qua fides Honorio.

XXIII. Non multum disparis, sed fœliciorisdispensationis exemplum in Basilio Magno.

Nec insolentes vsque adeò fuere etiam in fidei negotio dispensationes istiusmodi. Sed vbi cautiùs libratæ, & auspicatiorem exitum sortitæ sunt, & laudis segetem quandam auream authoribus suis inuexere. Elegantissimum & huic rei accommodatissimum Basilij Cæsariensis Episcopi exemplum, qui Spiritum sanctum Deum dicere abstinuit aliquandiu: etsi reliquâ prædicatione Deitatem eius astrueret: sed Dei vocabulo temperabat, ne Pneumatomachos concitaret in se, & ad Ecclesiarum inuasionem armaret. Audi Nazianzenum dispensationis huius tùm conscium, posteà defensorem orat. 20. cum multi ex eâ offenderentur. *Illi nudam & apertam vocem de Spiritu sancto quòd Deus esset, arripere studebant: (quod quidem tametsi verum erat, impium tamen illis videbatur) vt eum quidem cum Theologicâ linguâ ciuitate pellerent, ipsi autem Ecclesiam occuparent, eamque sceleris sui propugnaculum efficerent. At ille in aliis quidem vocibus à Scripturâ petitis, testimoniisque minimè dubiis eandem vim habentibus aduersarios comprimebat. Sed tamen propriam vocem interim vsurpare differebat, tum ab ipsomet Spiritu, tum à sinceris ipsius propugnatoribus in gratia loco hoc petens, ne hoc suo consilio offenderentur: nec committerent, vt dum vnam voculam mordicus retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent, concussâ nimirum turbulento tempore, ac distractâ pietate. Ipsos autem nihil ex eo detrimenti accepturos, si vocabula paululum immutarentur, modò aliis verbis eadem docerentur. Neque enim salutem nostram in verbis potiùs, quàm in rebus consistere. At reipubl. non posse maiorem perniciem ac pestem afferri, quàm si Ecclesia*

Digitized by Google

ab hæreticis occuparetur. Quæ Basilij dispensatio aliquanto etiam maioris videtur fuisse momenti, quàm Honorij. Supersedere enim à Spiritu sancto Deo dicendo, momentosius aliquid est, quàm à geminâ Christi voluntate & operatione prædicanda temperare. Vt autem Basilius verbis aliis eâdem vi præditis Deitatem Spiritûs sancti adstruebat; ita Honorius Christum in vtrâque naturâ operantem concionabatur, quo duæ operationes insinuantur non obscurè. Multi in Basilium fremebant quòd fidem proderet, sed oculatiores quique cum Nazianzeno solertiam eius mirati sunt; & secunda Synodus subsecuta, adeò non Basilium notauit, vt Spiritum sanctum *Dominum & viuificantem* effari contenta in symbolo: diuinitatem eius insinuauerit magis, quàm disertè expresserit. At Honorio etsi eodem forsan collineanti, minùs fœliciter cessit.

XXIV. Rursus de eadem ex Nazianzeno: de sacrarum literarum dispensatione multiplici ex Chrysostomo.

Eiusdem œconomiæ suæ, ac Basilij apologiam similiter texit idem Nazianzenus epist. 26. aduersus eos qui eius *patientiam;* Basilij *proditionem* traducebant, vtrumque *politicè magis quàm piè* agere cauillantes. Eadem ferè quæ suprà, replicat. Addit autem: *Præstat œconomiam quandam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet temporì, quasi nebula cuidam nonnihil cedentibus; quàm vt ea ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur, &c. Nec enim in verborum sono potiùs, quàm in mente & sententiâ veritas sita est. Ecclesia autem graue vulnus acceptura est, si ob vnius hominis electionem veritas prostigetur. Hanc œconomiam ij qui aderant, tanquam vanam, & insulsam, ipsosque ludificantem clamoribus insectabantur, vt ignauiæ nostræ potiùs, quàm orthodoxæ doctrinæ consulentes. Longè enim præstantius esse nostros per veritatem tueri & conseruare, quàm per huiusmodi scilicet œconomiam eos labefactare, nec interim alienos assumere.* Itaque vt ibidem subiicit Nazianzenus, non omnibus orthodoxis conuenit μέχρι τινος οἰκονομητέον, quousque œconomiâ vti conueniat. Ideo quam Basilius & Nazianzenus œconomiam, alij complures Catholici ignauiam inter-

Digitized by Google

pretabantur. Similiter quam alij ignauiam & proditionem, hanc Honorius arbitratus est salubrem fore œconomiam. Non nostrarum virium, sed Synodi œcumenicæ est, tantas lites componere. Ergo Secunda secundùm Basilium, Sexta aduersus Honorium pronunciauit. Tam authentico iudicio orbis vniuersus acquieuit : frustrà paucis discrepantibus. Cæterum Basilio in hanc dispensationem viam muniuerat Paulus ipse, adeoque totus sacrarum paginarum contextus : Patrem crebriùs, quàm Filium Deitatis nomine, & Filium lubentiùs Dominationis, quàm Deitatis voce condecorans. Ita sanè Chrysostomus hom. 5. de Incompr. *Sed quamobrem, inquis, Paulus Patrem hoc loco Deum appellat, Filium autem Dominum? Non temerè, nec sine causâ facit : sed quòd aduersum Gentiles ageret, qui plurium Deorum opinione laborabant, &c. Idcircò condescendens imbecillitati eorum, nomine Filium appellat diuerso, quod tamen vim eandem omnino obtineret, &c. Quod idem certè etiam causa fuerat, quamobrem non expressè ac manifestè, sed obscuriùs ratòque à Prophetis Filius Dei Iudeis significaretur. Quod enim ipsi nuper errore plurium Deorum essent liberati, si iterum Deum & Deum audiuissent, prorsus ad morbum animi reuerterentur. Quapropter frequens id apud Prophetas vsurpatum est, vnus est Deus, præter quem nullus est alius : non quo secluderent Filium, absit : sed vt hominum imbecillitatem emendarent : ac suaderent antè plurium Deorum eiicere suspicionem, quàm Filium & hunc Deum prædicarent.* Iam non Apostolica tantùm, sed & diuina hæc dispensatio fuit : quam alioqui permirum & penè incredibile foret eò vsque progredi potuisse.

XXV. De dispensatione Patrum Ariminensium ex Athanasio : & Græcorum complurium ex Nazianzeno.

Nec ab his dissonat Athanasius, eorum qui Arimini defecerunt, dispensationem magis credi cupiens, quàm defectionem. Itaque qui duces impietatis ipsi non fuere, sed sequaces & vi adacti, eos suis gradibus deiici vetat, in epist. ad Rufinianum : *Visum est dari veniam, habere etiam locum in Clero, maximè quia probabilem defensionem attulerunt, & visum est hoc quodammodo οἰκονομικῶς factum esse. Affirmarunt enim se non fuisse ad impietatem traductos ; ne au-*

Digitized by Google

rem quidam à pietate longè alieniſſimi Eccleſias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere. Hoc autem dicentes, nobis quoque viſi ſunt dicere probabiliter. Quam Athanaſij ſententiam, Hieronymi quoque calculo ſuprà communiuimus. Huc quoque non inſulsè referes, quæ ſuprà in Append. de ſubſcript. attigimus ex Nazianzeno, de Nazianzeni ipſius parente, quem Ariani nefario hæreticoque Chirographo irretiuere; cùm tamen *ipſe illæſam mentem, minimèque ſimul cum attramento in' ĕtam animam habere creditus ſit: tametſi per animi ſimplicitatem abreptus fuiſſet, dolumque ob animi ſinceritatem ab omni dolo alienam, minimè cauiſſet.* Quin & multi alij, *inuicti alioqui viri in fraudem impulſi ſunt: qui quanquam mente haudquaquam prolapſi fuerint, ſubſcriptione tamen tranſuerſi acti ſunt: ac ſi non flammæ, fumi certè participes fuerunt.* Hæc Gregorius clementer ſuo ex ingenio.

XXVI. De Aaronis diſpenſatione ex eodem Athanaſio.

Sed palmare eſt, quòd idem mox de Aaronis facinore diſputat Athanaſius, pari œconomiæ illud quoque vendicari non diſſentiens. *Hoc autem dicentes, nobis quoque viſi ſunt dicere probabiliter, quod ipſi in excuſationem adducerent Aaron Moyſi fratrem in deſerto, prænaricationi populi conſenſiſſe: ſe autem hâc ratione defendiſſe, Ne populus in Ægyptum reuerſus in idololatriâ permaneat. Probabile enim videbatur, quòd in deſerto manentes poſſent ab impietate deſiſtere: Ægyptum autem ingreſſi, in ſeipſis impietatem exercerent, & augerent.* Sentis vtique non ægrè purgari potuiſſe Honorium, hac diſpenſationum non iniqua licentia, cùm ea vel Aaroni ipſi patrocinio ſit, teſte & laudatore Athanaſio, cui ſubſcribere nunquam quenquam pœnitebit.

XXVII. De Hilario Pictauienſi, damnatas ab aliis formulas fidei excuſante.

Quid verò de Hilario Pictauienſi Epiſcopo? Nec enim excidit animo, quam ille apologiam adornauerit illis Synodis, fideique formulis, quas cæteri paſſim ferè tum antiqui, tum iuniores ſcriptores Arianicæ perfidiæ contagione inquinatas criminantur. Nempe & hic diſpenſationi ſalutari accepta tulit, eoque non mania laudis duxit eſſe, quæ alij ad elimatiſſimam fidei amuſſim, &

Digitized by Google

ad iuris rigorem exigentes, vt obliqua & distorta repudiarunt. Ita prorsus Honorij œconomiam æqui bonique consulere fas fuisset, nisi Synodi œcumenicæ authoritas dominaretur, omnemque priuatis indulgendi coniecturis licentiam præfocaret.

XXVIII. Rursum de alia Ariminensium Patrum dispensatione.

Et antequam ab Ariminensi Synodo penitùs discedo, libet & hoc aliud dispensationis laudatissimæ exemplum decerpere, licèt non omnibus tum approbatæ. Ita ergo Seuerus Sulpit. l. 2. Cùm conuenissent Arimini Episcopi: *Omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id nostris, id est, Aquitanis, Gallis & Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus viuere maluerunt. Tres tantùm ex Britanniâ, inopia proprij, publico vsi sunt: cùm oblatam à cæteris collationem respuissent: sanctius putantes, fiscum grauare, quàm singulos. Hoc ego Gauidium Episcopum nostrum, quasi obtrectantem referre solitum audini. Sed longè aliter senserim: laudique attribuo Episcopis, tam pauperes fuisse, vt nihil proprium haberent, neque ab aliis potiùs, quàm à fisco sumerent, vbi neminem grauabant. Ita in vtrisque egregium exemplum.* A Principe fidei insidiante, & his blandimentis ad perfidiam inescante ali, aliis horrori fuit, aliis non fuit. Vtrisque conscientiæ suæ candor laudi fuit. Sed id ad fidei substantiam ipsam non attinebat.

XXIX De sancto Martino Ithacianis communicante.

Extat apud eundem dial. 3. aliud dispensationis specimen, quæ Martino totius sanctitatis sacrario & placuit & displicuit. Communicauit enim Ithacianis Episcopis Martinus, *satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat.* Et mox angelus ad eum hoc se dolore conficientem, *Meritò Martine compungeris, sed aliter exire nequisti.* Itaque non iam diuersis alia & alia sentientibus, sed eidem sibi dissentienti, placuit displicuitque dispensatio. Quin & angelus ita necessitatem excusat, vt culpam incuset tamen nonnullam. Imo & Deus ipse ea videri potest non delectatus, nec tamen vsquequaque offensus. Nam adhuc energumenos curabat Martinus, sed *tardiùs & gratiâ minore.* Vs-

que adeò ambiguæ ſunt hominibus lineæ, vltra quas euagari diſpenſatio non debet. Et quanquam hæc ex Seuero exempla ad diſciplinam magis, quàm ad fidem pertineant, ex illis nihilo ſequiùs diſpenſationum lubrica & impedita ratio declaratur. Et ſanè quamuis ad fidem ſpectet de Chriſti voluntatibus & de Spiritûs ſancti Deitate ſententia: ad diſciplinam tamen magis referenda eſt ipſa fidei prædicationis moderatio, effuſior aut parcior, pro temporum & regionum modo. Vnde vtrumque ſecernens Nazianzenus Orat. 44. *Qui Deum Spiritum ſanctum cenſent, diuini prorſus viri ſunt, ac ſplendido animo præditi. Qui verò etiam appellant, ſiquidem apud probo iudicio præditos auditores, ſublimes & excelſi ſunt. Sin autem apud abiectos & humi pronolutos, non ſunt οἰκονομικοὶ: vtpote qui luto margaritam, & imbecillæ auri tonitrui ſonitum, & Solem infirmis oculis, & lacte vtentibus ſolidum cibum committant.*

XXX. Exemplum longè pulcherrimum infœlicis diſpenſationis in Paſchali II. Papa.

Cognatius tamen eſt rei, quam verſamus, Paſchalis ſecundi decretum, quo inueſtituras ſibi à rege Teutonico extorqueri paſſus eſt. Huic prauilegio hæreſeos etiam dedecus impreſſere quidam magni nominis præſules, quædam etiam Synodi. Alij vituperium hoc omne abſterſere. Quidam denique laudibus proſecuti ſunt. Vnus Iuo hîc prodibit & ſuæ & alienæ ſententiæ arbiter idoneus. Ita ergo ille epiſt. 233. *Eorum ſententiam qui inueſtituras laïcorum defendere volunt, ſchiſmaticam iudico. Nec iſta contra dominum Papam dico, quia quibuſdam literis mihi ſcripſit, ſe coactum feciſſe quod fecit, & adhuc prohibere quod prohibuit, quamuis quædam nefanda quibuſdam nefandis ſcripta permiſerit. Et quia verenda patris debemus potiùs velare, quàm nudare, familiaribus & charitatem redolentibus literis admonendus mihi videtur, vt ſe iudicet, aut factum ſuum retractet, &c. Si in hoc languore inſanabiliter ægrotauerit, non eſt noſtrum iudicare de Summo Pontifice.* Et infrà epiſt. 236. ait ſe factum Papæ, *filiali caritate excuſare, &c. Hunc exceſſum eius non tantùm non accuſamus, ſed dictante ratione approbamus. Si imminente ſtrage populi, paternâ charitate, cum nonnullo vulnere ſuo*

Digitized by Google

ſuo ſe tantis periculis voluit obiicere, vt maioribus morbis poſſet ſincerâ charitate ſubuenire. Poſtremò illis explosis, qui hanc hæreſin eſſe clamitabant, concludit, *cùm ea quæ æternâ lege ſancita non ſunt, ſed pro honeſtate & vtilitate Eccleſiæ, inſtituta vel prohibita, pro eâdem occaſione ad tempus remittuntur, pro quâ inuenta ſunt, non eſt inſtitutorum damnoſa præuaricatio, ſed laudabilis & ſaluberrima diſpenſatio.* Vt ne alios excutiam hac de re philoſophatos, vno in Iuone triplicem quendam aduertere mihi videor ſententiæ gradum. Decretum enim Paſchalis appellitat primo nefandum, pudendum, retractandum: ni emendetur, inſanabilis ægrotationis documentum. Deinde ait illud, filiali charitate excuſandum. Denique definit diſtante ratione approbandum, vtpote à paterna charitate, ad præuertendas populi ſtrages, à laudabili & ſaluberrima diſpenſatione profectum. Vſque adeò vbi rigor iuris tantillum inflectitur, alternare neceſſe eſt hominum etiam ſapientum iudicia, iuſti temperamenti metas aliis longiùs protollentibus, aliis reuocantibus. Conſultò prætermiſi, vt quæ ſuo ſuprà loco prolixiùs explanata ſit, Hormiſdæ Papæ diſpenſationem, circa vnum ex Trinitate paſſum. Silentio ille ſtuduit, æquè vt Honorius. Sed par conſilium feliciùs illi, quàm huic ceſſit. Eodem priuatæ curioſitatis impetu poſſit culpari Hormiſda, quo Honorius abſolui. Sed delectet nos potiùs quædam ſapiendi ſobrietas, & iudiciorum Eccleſiaſticorum ac ſynodalium religio; præſertim poſt tanta intercurrentium ſæculorum ſpatia, & his aduectam condenſatamque caliginem.

Vtque ad gyrum Honorianæ controuerſiæ me reflectam, conſimili diſpenſationi ſeruire fingebatur Typus Conſtantis Imperatoris nomine publicatus. Eius hæc erant verba vt referuntur Conſult. 4. Conc. Later. ſub Martino Papa: *Quapropter ſancimus, nobis ſubiectos qui conſiſtunt in Orthodoxâ fide, non habere licentiam inuicem à præſenti, de vnâ voluntate, aut vnâ operatione, aut duarum voluntatum & duarum operationum qualemcumque proferre altercationem. Hæc autem ſan-*

XXXI. Typus ipſe Conſtantis eidem diſpenſationi ſeruire fingebatur.

cimus, nihil aliquid interficientes de piissimis dogmatibus, quæ à Patribus de dispensatione verbi dogmatizata sunt. Sancta Synodus dixit: *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur; dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est namque procul dubio & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes pro causâ fidei: sed non est utile & bonum, cum malo destruere bonum, id est, cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata.* Et infrà rursus præstituto eo capite, à sanctis Patribus duas & voluntates & operationes Christi prædicari, aiunt, *Propterea intentum quidem bonum existentem Typi laudamus, sed modum ab intento dissonantem auertimur.* Atqui Typo geminæ propè sunt epistolæ Honorij: eo laudabiles, quòd paci consulant: eo culpandæ, quòd operationes Christi duas vel vnam iubentes fieri, contumelioſæ sint sanctorum Patrum Senatui, qui duas vt naturas, ita voluntates & operationes vno calculo constituunt. Ideò nusquam Martinus, nusquam Lateranensis Synodus, nec vllus deinceps Pontifex Honorij defensionem aggreditur. In illum enim redundabat Typi damnatio: Qui verò è iunioribus Theologis eius & epistolas & famam tueri satisegerunt, pia & ipsi intentione Honorij piam intentionem osculati sunt; sed eminus rem aspicientes, & post sæcula tot interlapsa iudicium tantæditis instaurantes, multa fefellere, quæ Synodi sextæ Patres fallere non potuerunt. Illos enim non latuit, Pontifices ipsos Romanos penè præisse iam sibi, iam in antecessum consensisse in Honorij damnationem, dum defendere illum desissent, dum ad Monotheletarum de eo duce blandientium sibi iactantiam siluissent, dum denique Typum damnassent, exiguo ac penè nullo ab epistolis Honorij interuallo discretum. Et sanè cùm Typus, cùm Sergij epistolæ complures tam propè ad Honorij scripta alluderent, & sub eius dispensationis vmbra Monotheleticæ insaniæ pestes tandiu aluissent, latissimeque iam effudissent: non ferè poterant non eodem hæc omnia, mucrone Synodicæ censuræ transfigi.

Digitized by Google

XXXII. Anastasij Biblioth. defensio Honoriana expenditur, & ex ea confirmantur antedicta.

Sed expendenda iam nobis sunt verba Anastasij Bibliothecarii, præfatione in sua ad Ioannem Diaconum collectanea. *Ad manus nostras venire contigit Apologiam quarti Ioannis Romani Pontificis pro Honorio Papâ, à calumniatoribus impetito, quòd vnam Domini nostri Iesu Christi tantùm scripserit voluntatem. Quæ videlicet apologia satis hunc, vt reor, excusabilem reddit, licèt huic sexta sanctâ Synodus quasi hæretico anathema dixerit: & in Dei solius iam iudicio positum reprobationis telo perfoderit. Cùm hæreticus non ex erroris tantùm deceptione, quantùm ex electione non rectâ, & contentiosâ pertinaciâ generetur: Quis autem erit, qui nobis interim dicat, vtrum ipse pro certo dictauerit epistolam, de quâ illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt? Cùm ex scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio, quid contingere tale potuerit. Quanuis non ignoremus, docente sancto Maximo in epistolâ suâ, quam Marino scripsit presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Ioannem Abbatem.* Hactenus satis sobriè sapit Anastasius. Vbi aduerte vnum ex Romanis Pontificibus apologiam pro Honorio texuisse Ioannem, & quidem longè ante Synodum: non Seuerinum, non Theodorum, non Martinum, etsi huic obiecta sit occasio & penè necessitas: non Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, Donum: non Agathonem, etsi his magis liceret ante Synodum. Quod enim ait Agatho in epist. vel suggest. *Vnde & Apostolicæ memoriæ prædecessores, ex quo nouitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsules introducere conabantur, nunquam neglexere eos hortari atque obsecrando commonere, vt à praui dogmatis hæretico errore, saltem tacendo, desisterent.* His verbis *saltem tacendo*, dispensationem Honorij videtur ille quidem attingere, & commendare: sed pleniorem tanè, quàm vnius & alterius verbuli apologiam Honorij facinus desideraret. Aduerte 2. epist. Honorii controuersias euidentissimè ab Anastasio demonstrari non Synodicas, non dogmaticas, non publicas, sed priuatas & pene furtiuas; vtpote quas dubium sit, an Pontifex ipse dictauerit: vtpote quarum fortassis omnis error in vnum refundi posset Scriptorem, qui proteruiâ vel

odio in Pontificem, ſuum in eas priuatum virus eructaſſet. Itaque nec ſic erraſſet è Cathedra ſua definiens quid Pontifex. Aduerte 3. longè excuſatius eſſe Honorio, quàm eius epiſtolæ patrocinari. Nam Honorius potuit epiſtolam non dictaſſe, potuit de ea dictata pœnituiſſe, potuit ſequacem & morigerum ad monitoris ſi quis obtigiſſet verba animum geſtare. Facta hæc ſunt, non iura. In factis potuit Synodo per mendacia teſtimonia, vel per veracium teſtium penuriam imponi. Siquid ergo nouæ lucis à nouis exoriretur poſteà experimentis, poſſet non procaculus quiſque, ſed Synodus alia prioris Synodi retractare geſta, & ſi iuberet veritas eliquatior, emendare. At ſcriptæ ſemel epiſtolæ iudex idonea eſt Synodus œcumenica; nec ibi locus eſt ſuperioribus effugiis.

XXXIII. Multa rurſus in defenſione Honorianâ Anaſtaſij examinantur, & ſuprapoſitis regulis adaptantur.

Sed vltra euehitur & præter metas velitur Anaſtaſius ibidem: *Eſto & ipſe dictator extitit; quis hinc illum interrogauit? Quis intentionem inueſtigauit? Quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti aut emendare volenti reſtitit? Præſertim cùm in Euangelio illo in quo dicitur, Nolite iudicare & non iudicabimini, &c. nihil aliud præcipi magnis etiam magiſtris videtur, niſi vt ea facta quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cùm bono & malo fieri poſſint, de quibus temerarium eſt iudicare, maximè vt condemnemus. Sed ne videamur tam ſanctam, tamque reuerendam Synodum accuſare, vel temerè reprehendere, licere nobis opinamur de illâ ſentire, quæ ſanctos Patres noſtros de Chalcedonenſi magnâ Synodo ſenſiſſe non ignoramus. Quorum vnus ſanctus videlicet Papa Gregorius, vſque ad prolationem tantummodo Canonum hanc ſuſcipiendam fore ſignauit.* Addit & de ſecunda Synodo. Erubuit tantæ Synodo vir alioqui egregius, & effuſiorem licentiam patrocinio magnorum Pontificum excuſare laborauit. Incaſſum omnino. Nam aduerte rurſum primò intentionem Honorij non excuſari tantùm, ſed & laudari poſſe, nec eo tamen clypeo deflecti poſſe ab eo meritæ damnationis iaculum. Et Typi enim intentionem laudauit, & Typum tamen ipſum

Digitized by Google

damnauit cum Synodo suâ Lateranensi Martinus. An ergo & Martinum & Romanam Synodum iisdem onerabit conuitiis? Num per Martini contumelias Honorio consultum volet? Si alterum causâ cadere necesse est, satius est prostratum iacere Honorium, quàm sublimem & Christi martyrem deprimi Martinum. Si alterutri dedecus inurendum est, conducibilius est, pœnam debitam ille pertulerit, quam hic intulerit indebitam. Aduerte 2. nequaquam Honorij factum inter illa media referendum esse, quæ ad vtrumlibet interpretantis gratiâ vel odio declinari possunt. Ita enim & Typi damnatio recantanda foret. Sed vt Synodus Romana de Typo censet, ita sexta Synodus de Honorij epistolis, peruersum esse, nec vnam, nec duas profiteri Christi voluntates & operationes, postquam sancti Patres exertissimè duas vociferentur: postquam è duabus naturis duæ manifestissimæ effulgescant voluntates & operationes: postquam eo ambiguo silentio vnius etiam, vel duplicis Christi naturæ profligata olim contentio recalescat; postquam non integra ampliùs res sit, sed iam Pharanita, iam Sergius, iam Cyrus vel apertè, vel inter has ambages vnam & voluntatem & operationem deprædicent, totumque è baratro reuehant Eutychetem. Aduerte 3. insulsissimam esse extremam Anastasij, qua non Honorium, sed seipsum tegit, defensionem. Quod enim Romano Pontifici licet, num priuato cuilibet, num præterea cuiquam licebit, œcumenicas retractare Synodos, & in eis aliquâ suspendere? Quod vel maximum est primæ Sedis decus atque ornamentum, id sibi, id cuiquam communicatum volet Anastasius, & viam ipse aperiet licentiosæ Censorum cateruæ, in sacras Synodos impetum facturæ, intactumque nihil relicturæ? Aduerte 4. nec Pelagium ipsum, vel Gregorium in dubium vocasse quidquam eorum, quæ à quarta Synodo pertractata ac finita fuerant: sed quæ in controuersiam tracta post fuisse contenderunt, ea nequaquam à Chalcedonensi Synodo, sed post eam expletam à quibusdam Episcopis agitata fuisse astruxere.

Iam ergo Anastasius non Pontificibus tantùm sese æquiparat, sed longo latoque præfert interstitio. Illi siqua emendanda duxere, ea *post prolationem Canonum*, adeoque post finem Synodi actitata priùs excusarunt, non à Synodo: hic *à sanctâ & reuerendâ Synodo* statutum præfatur, & mox emendat. Aduerte 5. quæ in Græcam Synodum Anastasius blatterat, ea ipso inopino resilire in ipsos Pontifices. Nam & Leo II. & Hadrianus II. negligentiam, proditionem, hæresin Honorij confessi sunt, atque execrati. Nec horum epistolas vllius impostura suspectas habuit Anastasius, sicut nec acta sextæ Synodi. An ergo & hos Pontifices reos aget, tanquam temerè de intentione Honorij iudicantes, & malè vertentes, quæ boni consulere & poterant & debebant? Aduerte 6. nec ipsi etiam Anastasio curæ tantopere fuisse, epistolam Honorij, quàm ipsum Honorium purgare. Et quæ in eius defensionem accumulat ex quarta & secunda Synodo repetitis exemplis, nec ea ipsa quidquam officere nostræ sententiæ. Nam recantatum nihil est de iis, quæ in quartâ Synodo decreta fuerant, nempe ante prolatos Canones: & quæ de primatu Sedis Constantinopolitanæ in secundâ Synodo fuerant statuta, ea à Græcis tantùm tumultuariè magis, quàm Synodicè fuerant acta, Occidentalibus tunc nec præsentibus, nec assentientibus, postea verò enixissimè dissentientibus.

XXXIV. Antedicta confirmantur ex libro, seu professione Pontificum Romanorum.

Denique & Anastasio & aliis Honorij patronis, ne Leonem rursus, ne Hadrianum, ne singulos Romanos Pontifices, sed vniuersos vno agmine constipatos obiiciam: liber Pontificum qui inscribitur *Diurnus*, in professione Romani Pontificis, post cæteros hæreticæ nouitatis architectos, Honorium etiam anathemate percellit: *Honorium qui prauis eorum erroribus fauorem impendit*. Vbi conuenienter antedictis, & accommodatè ad Leonis verba, conniuentia magis, quàm hæresis; vel & hæresis, sed ex conniuentiâ Honorio impingitur.



FINIS.

NOMINA

Typographorum Parisiensium Societatis Regiæ Librorum Ecclesiasticorum,

SEBASTIANVS & GABRIEL CRAMOISY,
GEORGIVS IOSSE,
DIONYSIVS BECHET,
GVILLELMVS LE BE',
SEBASTIANVS HVRE',
GABRIEL & NICOLAVS CLOPEIAV,
SIMEON PIGET,
PETRVS LE PETIT,
LVDOVICVS BILLAINE,
GODEFRIDVS MARCHER,
FREDERICVS LEONARD,
IOANNES DVPVIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google